TEC
N856
v.2

Dominican College

BX4659.G7 N68 1901
vol.2
Nova legenda Anglie

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/bwb_S0-BMB-934

Nova Legenda Anglie:

As collected by John of Tynemouth,
John Capgrave, and others, and
first printed, with New Lives,
by Wynkyn de Worde
a.d. m d xui

NOW RE-EDITED WITH FRESH MATERIAL

FROM MS. AND PRINTED SOURCES

BY

CARL HORSTMAN, PH.D.

EDITOR OF 'ALTENGLISCHE LEGENDEN'

'RICHARD ROLLE OF HAMPOLE,' 'THE SOUTH-ENGLISH LEGENDARY,' ETC.

VOLUME II

OXFORD

AT THE CLARENDON PRESS

MDCCCCI

922
N856
v.2

L.
922
H78²

HENRY FROWDE, M.A.
PUBLISHER TO THE UNIVERSITY OF OXFORD
LONDON, EDINBURGH
NEW YORK

6394

Dominican College

CONTENTS

VOL. I

PAGE

INTRODUCTION ix

PROLOGUS 1

NOVA LEGENDA ANGLIE (DE SANCTO ADRIANO—DE SANCTO GUNDLEO) 13–506

VOL. II

NOVA LEGENDA ANGLIE — *continued* (DE SANCTO GUTHLACO—DE SANCTO WLSTANO) 1–531

APPENDIX I. ROSCARROK'S LIFE OF ST. CHRISTINA . 532

„ II. ADDITIONAL LIVES by John of Tynemouth (in MS. Bodl. 240) 538

„ III. LIFE OF ST. FREMUNDUS (from MS. Trin. Coll. Dublin B. 2, 7, &c.) 689

NOVA LEGENDA ANGLIE.

¶ De sancto Guthlaco confessore[1].

Diebus autem regis Merciorum Ethelredi nobilis quidam nomine Penwaldus, ex regali progenie ortus, ex vxore sua nomine Tecta[2] sanctum Guthlacum, seruum dei[3], progenuit. Ea enim hora qua eum dominus vocauit et segregauit de vtero matris sue, celesti pronostico designatus est: Manus enim quasi hominis, rubri nitoris, celitus missa et ad ostium domus extensa, ineffabili fulgore choruscare visa est: que signaculo crucis hostium muniens, felici prefigurauit auspicio quod ille ad ortum procederet[4] qui finali perseuerantia Christi crucem in suo corpore circumferret. Hominum siquidem multitudo miraculi nouitate stupefacta accurrens, tam inaudite visionis prodigium, magnum diuine dispensationis fore misterium asserebat. Cumque stupore magno secundum varios animi motus opinionibus ambiguis fluctuarent, vna obstetricum de domo egrediens infantem iam natum proclamat. Nato itaque puero, et baptizato, Guthlacus vocatur—quod sonat 'belli donum' siue 'bonum donum' iuxta ydioma[5] Anglorum. A deo donatus est parentibus suis vt contra opressores eorum bella gereret ac de illorum victoria triumphales titulos reportaret; vel quia iuxta 'datum optimum donumque perfectum descendens a patre luminum,' contra spirituales nequitias bella gessit et fortiter eos vicit. Erat enim puer facie serenus, et omnibus gratus et acceptus; vt corda hominum solo aspectu sibi conciliaret in gratiam et fauorem. Cum enim vicesimum quartum[6] annum attigisset, et sui generis inimicos inualuisse conspiceret, cepit ad militares actus estuare: decoratusque cingulo[7] militari, et adiunctis sibi copiis militaribus, cepit in hostiles populos immaniter deseuire, vrbes impugnare, castella subuertere, ac de bellicis actibus

[1] Ed. in Surius. This Vita is an old free extract from the Vita by Felix in A. SS. Boll. Apr. II. p. 38 (Mabillon III. 257). [2] T. tecca. [3] T. dei seruum. [4] E. precederet. [5] E. ydiama. [6] quartum om. in T. [7] E. singulo.

inestimabiles[1] fame titulos obtinere. In ipsa tamen crudelitate armorum, hostibus suis misericors erat, eisque de rapinis et predis tertiam partem refundebat. Ad memoriam tandem, diuino instinctu, reducebat exitus dampnabiles regum magnorumque principum de quorum stirpe descenderat, et quod pompa glorie secularis fumus est et vapor ad modicum apparens. Sciebat quia breues sunt dies hominis, finis vero dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pena sine fine. Vocatis autem commilitonibus suis, ait: 'Hactenus, inquit, amici mei charissimi, vanitatibus huius seculi militaui: amodo saluatori meo militare decreui. Eligite vobis ducem, cuius signa sequamini: ego enim sequar dominice crucis signum.' Et cum nullis precibus a proposito resilire vellet, abiectis armis suis, Rependoñ venit, vbi erat monasterium insigne: et accepto clericalis tonsure caractere, monasticis disciplinis se mancipauit; et nihil omnino bibit quod ebrietatis occasio esse potuit. Psalmos autem et hymnos didicit, atque in scientia sanctorum infra biennium mira facilitate profecit. Erat enim vultu iocundus, humilis in gestu et in incessu, in operibus timoratus, fide firmus, spe longanimis, charitate profusus, mansuetus et mitis, consilio prouidus, et circumspectus in verbis. Est enim in Britannia spaciose magnitudinis palus, que a Gronte flumine incipiens, diuersis nemoribus, stagnis, insulis et carectis, variisque fluuialium viarum flexuosis amfractibus distincta, ab austro protenditur et in aquilone circa maris confinia tractu longissimo limitatur. Illuc ergo, accepta a fratribus licentia, veniens, cognouit ab incolis, insulam esse nomine Croulande, vbi aliqui quandoque inhabitare temptauerant, sed eos monstra heremi[2] et laruales forme demonum territos effugabant. Scapha piscatoria in insulam vectus, terram horroris[3] et vaste solitudinis ingreditur in die sancti Bartholomei apostoli: de cuius meritis specialiter confidens, solus habitare cepit cum duobus iuuenibus, quos secum adduxit. Et edificato modico tuguriolo, pellibus solum crudis et rudibus pro indumentis vtebatur. Pane ordeaceo et aqua lutulenta[4], post solis semper occasum cum maxima moderatione parsimonie[5] vescebatur. Inuidens igitur humani generis inimicus humilitati viri dei, adeo vehementem spiritum temptationis immisit, vt eum in desperationis foueam deuoluisset, nisi ipsum dominus, per beati Bartholomei merita, misericordie oculo respexisset. Animo itaque consternatus et supra quam credi possit turbatus, fugere et desertum deserere disponebat. Sed beatus apostolus dei Bartholomeus visibiliter ei apparens, dixit: 'Confortare, inquit, fili, et esto robustus: manum tuam misisti ad fortia, non decet tanti propositi professorem modico temptationis turbine subuerti. Viriliter ergo age et confortetur cor tuum, et sustine dominum, qui, et si temptari permittat, faciet tibi cum tempta-

[1] E. inestimabilis. [2] E. herimi. [3] E. hororis. [4] E. luculenta. [5] E. parcimonie.

Dominican College

tione prouentum. Impulsus euersus es, vt caderes[1]: sed oraui pro te vt non deficiat fides tua, et adiutus es: Etenim dominus supposuit manum suam. Vult dominus temptari quem diligit: ideo visitat eum diluculo et subito probat illum. Operatur equidem temptatio probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Beatus vir qui confidit in domino, et erit dominus fiducia eius, et brachium ipsius, in tempore tribulationis. Exhibe te, fili, sicut dei ministrum in multa patientia: Si habundat pro Christo tribulatio tua, habundabit et per ipsum consolatio tua. Noli ergo de infirmitate tua timere: spiritus dei est qui adiuuat infirmitatem tuam. Si exurgat aduersus te prelium, si castra demonum, iacta in eo cogitatum tuum, confide in eo: ipse enim est salus populi sui: ipse erit tibi turris fortitudinis a facie inimici.' Hiis dictis et similibus, apostolus ab oculis eius disparuit. Ille vero confortatus in domino, ab illo die spiritus desperationis nunquam eum in aliquo temptare presumpsit. Die quadam duo filii tenebrarum, transfigurantes se in angelos lucis, ei multa persuasionis instantia ceperunt consulere vt continue per hebdomadam ieiunaret et sic gradum summe perfectionis attingeret. Biduana enim ieiunia et triduana reprobantes, proponebant ei ieiunium Moysi et Helye, atque importabiles abstinentias venerabilium patrum qui olim conuersabantur in Sithi. Erat enim diabolice persuasionis intentio vt ille prorsus a comestione cessaret sibique mortis exitium diuturnitate ieiunii prouocaret. Si enim ieiunium regulam modestie et discretionis excedit, subito languet corpus, deficit spiritus, aufertur orationi affectus, operationi[2] effectus, caligat contemplationis oculus. Et intelligens Guthlacus diabolice temptationis astutiam, inuocata Christi virtute, psallebat: 'Exurgat deus et dissipentur inimici eius, et fugiant, qui oderunt eum, a facie eius'[3]. Illis ergo flebili vlulatu et mestuosis planctibus aerem implentibus, Guthlacus omnia deinceps diaboli temptamenta contempsit, eiusque suggestiones omnes conculcauit. Elapsis deinde paucis diebus, noctis intempeste silentio irruit in hominem dei Guthlacum infinita demonum multitudo: a terra vsque ad celum, totum aeris elementum implebatur prestigiosis et larualibus demonum formis. Rapiunt eum monstruosi diabolorum spiritus, extra cellam ducunt, membra eius alligant[4], ipsumque paludibus cenosis et profundis immergunt. Illum iterum asportantes, per asperrima loca trahunt et per inextricabiles veprium densitates. Cumque pars noctis adhuc maxima superesset, instant verberibus et tormentis vt insulam festinanter deserat; mortis supplicium eidem terribiliter intentantes, si a loco dominationis sue tempestiue[5] non recedat. Ille autem minas eorum paruipendens[6], Christum inuocans cum psalmista dicebat: 'Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commouear'[7].

[1] Cf. Ps. cxviii. 13. [2] E. operatione. [3] Ps. lxviii. 1. [4] E. aligant. [5] E. tempestine. [6] E. peruipendens. [7] Ps. xvi. 8.

Videntes autem spiritus maligni quod nihil proficerent aduersus constantiam eius; assumentes eum, flagellis ferreis, et horrendis alarum stridoribus ipsum torquent et cruciant; eundem denique subuectum[1] ad nubes, in septentrionali plaga celi constituunt. Et cepit tota celi facies nube caliginosa nigrescere[2]: innumerabiles turbe malignorum spirituum confluunt, captum rapiunt, et ad fauces inferni, miserabiliter affligendo, perducunt. Sanctus vero Guthlacus sentiens fetorem[3] gehennalem et estuantes ignis sulphurei globos, omnia que passus fuerat respectu illius angustie leuia reputabat. Hinc inde gurgites igneos, inde torrentes grandine glaciali teterrimos celum et terram occupare conspiciens, videt, non sine dolore et gemitu, inter sulphureos vapores ignium, inter uoragines fauillarum inauditos hominum cruciatus et ineffabilium facies tormentorum. Demones vero hiis qui cruciabantur horribiliter insultantes, quasi de viro dei pro suo libitu triumphassent, superbe et procaciter intonabant: 'Ecce nobis traditus es ad cruciatus eternos, ecce in hiis doloribus sine fine torqueberis, quia sedes nostras inuadere presumpsisti.' Ille autem patienter cuncta tolerans, dicebat: 'Domine deus meus, in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.' Cumque eum in tormenta detrudere[4] se pararent[5], accessit beatus Bartholomeus apostolus, et cum eo lumen mirabiliter fulgens: cuius splendorem cum demones sustinere non possent, fugam arripiunt et ab oculis eius euanescunt. Quibus iussu apostoli reuocatis districte iniungit vt eum sine omni corporis molestia referant ad locum vnde rapuerant eum. Quod cum suauissime per aera facerent et sine molestia, auditus est chorus psallentium in excelso: 'Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur deus deorum in Syon.[6]' Hostibus triumphatis in loco habitationis sue repositus, ex ipsa vexatione factus est humilior, feruentior, solicitior, fortior, et cautior. Dum circa matutinas laudes solicitus vice quadam excubaret, respexit a sinistra duos demones sibi ceteris notiores. Qui cum miserabiliter flerent, et ille causam fletus inquireret, responderunt: 'Quia preuales contra nos in omnibus, teque attrectare aut tangere non audemus'; factoque signo crucis euanuerunt ab oculis suis. Quadam nocte viro dei contemplationi et orationibus vacante, vndique turbarum strepitus et clamor, quasi exercitus irruentis auditur—Illis enim diebus Britones Anglorum gentem hostili crudelitate vastabant—et cellam vir dei egrediens, et aures erigens, audit quasi populum innumerabilem lingua britannica, quam olim iuuenis in exilio didicerat, loquentem. Demum certatim irruunt populi, et habitaculo eius ignem subiiciunt, illum rapiunt, acutis hastarum spiculis in aera leuant, eique nunc igne nunc ferro mortem intemptant. Ipse vero, demonum has esse illusiones intelligens, dixit:

[1] E. subiectum. [2] E. ingressere. [3] T. fetorem sentiens. [4] E. detradere. [5] E. sperarent; T. se pararent. [6] Ps. lxxxiv. 7.

'Exurgat deus et dissipentur inimici eius'[1]: Et[2] ex quo versum illum attigit: 'sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis,' tota illa horrenda multitudo cum suis illusionibus quasi fumus euanuit. Erat quidam clericus nomine Bertelinus[3], qui sub doctrina beati Guthlaci diuinis mancipatus obsequiis, deo in spiritualibus exercitiis militabat. Videns ergo spiritus nequitie quod virum dei nulla posset temptatione subuertere, in iam dictum clericum tantum cupiditatis ardorem immisit, vt dominum ac magistrum suum ferro cogitaret appetere, vt secretius, illo interempto, labores illius introiret ipsiusque habitationem quasi iure successorio possideret. Pius tamen Christi famulus, quicquid moliebatur aduersus eum iniquitas, spiritu sancto reuelante cognouit: et clericum ad se vocans, conceptum animi sui seriatim manifesta reuelatione depinxit, quando et[4] vbi, quare, et qualiter facinus illud exequi decreuisset expressit. Ille autem deprehensum se sentiens, penitentia ductus pedibus viri dei humiliter se prouoluit, veniam petiit, et obtinuit. Qui postea beato Guthlaco fidelis valde fuit, et secum vsque ad finem vite sue permansit, et eum sepulture tradere meruit. Nocte quadam cum vigiliis et orationibus deuotius insisteret, tota insula tremuit: infinita demonum multitudo, assumptis brutorum animalium formis, locum intrauit, et intrando circumquaque concussit. Ingrediebantur domum innumere facies bestiarum, leo rugiens, taurus mugiens, vrsus frendens, aper gruniens, lupus vlulans, equus hinniens, aries balans, asinus rudiens[5], coluber sibilans, vnumquodque animal iuxta nature sue facultatem dentibus siue pedibus aut cornibus minas et terrores intentans. Vir autem dei signo crucis se muniens, dixit: 'Cur me, inquit, temptas, sathana? Dominus mihi adiutor est, et ego despiciam inimicos meos[6]. Heccine est similitudo altissimi, quam tibi olim vsurpare ausus es in deliciis paradisi? Qui tunc formam dei et similitudinem in superbia presumebas, nunc viliter et dampnabiliter in effigiem brutorum atque immundorum animalium te transformas? Pauperes Christi dampno tuo persequeris: quia quanto grauius supra dorsum eorum fabricaueris, tanto vberiores glorie coronas eis in tuam perniciem fabricabis. In quamcunque enim speciem te transformas, certus sum quia neque mors, neque gladius, neque vita, neque angeli, neque potestates, neque principatus, neque creatura aliqua poterit me separare a charitate dei.' Hiis dictis, tota illa fantasia disparuit. Ad ipsius enim vocationem hirundines et cetere aues heremi, pisces etiam stagni, gratanter accesserunt, et siluestria heremi mansuescunt. In primo aduentu hirundinum, quasi prehabita blanda salutatione ab eis, certa nidificationis loca singulis assignauit. Ille vero eius scapulis familiariter insidentes, quodam gratulationis applausu viri mansuetudinem[7] fate-

[1] Ps. lxviii. 1. [2] eius Et om. in T. [3] T. beccelinus. [4] T. eciam. [5] r. rudens. [6] Ps. cxviii. 7. [7] E. mansuedinem.

bantur. Quesiuit autem ab eo vir quidam vnde esset tanta illarum auium confidentia et secura cohabitatio circa ipsum. Qui ait: 'Qui toto corde fugit consortia hominum, non solum ei fere et volucres, sed omnia cedunt ei ad solatium, et insuper nunquam ei blanda deerit consolatio angelorum.' Quidam nomine Ethelbaldus de genere Merciorum, generositate spectabilis, cum inualesceret contra eum rex Conredus, eumque prorsus a regni sui finibus exturbaret; omni humano solatio destitutus, virum dei Gut[h]lacum frequentius visitauit, sperans eius meritis a deo sue infelicitatis obtinere solatium. Angustias autem eius per compassionis[1] affectum non solum sibi communes, sed et proprias Guthlacus faciebat. Accidit enim vt Ethelbaldus cum venerabili viro Wilfrido nauigio veniret in insulam, quibus de scapha exeuntibus, Wilfridus duas manicas in scapha dimisit. Beatus autem Guthlacus, dum in oratorio contemplationi vacaret, spiritu sancto docente cognouit, a coruis illas manicas asportari. Quod cum viris illis indicasset, vident coruum in fastigio[2] cuiusdam domus vnam de manicis tenentem pedibus rostroque vellentem. Precipiente viro dei, dimissa manica coruus citius auolauit. Qua recepta, Guthlacus alteram[3] sine dilatione restitui pollicetur. Nec mora, tribus viris aduentantibus sanctus Guthlacus occurrit, qui manicam ei obtulerunt inuentam; quam accipiens, Wilfrido, non parum admiranti, tradidit. In Orientalium Anglorum finibus iuuenis quidam in tantum a demone possessus vexabatur, vt lignis et lapidibus ferroque homines appeteret, sua etiam membra vnguibus et dentibus laniaret, et tres homines eum ligare temptantes interficeret. Quem postquam ad multa sanctorum loca amici casso labore ligatum circumduxissent, et tandem ad Guthlacum detulissent, triduum in ieiunio et oratione continuans, et aqua infirmum aspergens, omnem maligni spiritus potestatem exsufflauit, et parentibus sanum et incolumem assignauit. Nobilis quidam, illius exulis Ethelbaldi comes, a demone vexatus, et ad virum dei adductus, cum cingulo Guthlaci accinctus fuisset, maligni spiritus tota protinus cessauit vexatio. Cum abbas quidam virum dei visitare proponeret, duo sui clerici licentiam acceperunt ab eo, simulantes quedam negotia se habere quibus eos necessario presentialiter oportebat interesse. Venientes ergo ad domum cuiusdam vidue, crapule, ebrietati et impudicitie dampnabiliter indulsere. Guthlacus vero turpitudinem clericorum, spiritu sancto reuelante, et verba et opera eorum cepit ita indicare abbati, ac si iuxta clericos constitutus fuisset. Reuersus abbas ad monasterium, cepit vidue nomen clericis exprimere, et locum et tempus et verba et opera et omnium actuum circumstantias seriatim intimare. Quod illi audientes, tanquam confusi veniam humiliter postulabant. De quodam monasterio duo fratres ad visitandum virum dei et verba salutis audiendum[4] venientes, detulerunt secum duo flascula potu plena: sed in itinere in sabulo re-

[1] E. compassiones. [2] E. vastigio. [3] E. alteteram. [4] r. audienda.

ponentes[1], cespitibus absconderunt, vt in reditu laboris solatium inde habere possent. Cumque illis celestis verbi pabulum ministrasset Guthlacus, (quadam materia id offerente) subridendo dixit: 'Quare, inquit, filioli mei, non attulistis vobiscum illa duo flascula, que glebis operuistis et sabulo infodistis?' Quo audito, stupefacti et confusi culpam confitentes, veniam petunt. Omnes enim morbo laborantes, maligno spiritu vexati, necessitatis angustia vel peccati sarcina grauati, ad virum dei venientes de tribulatione solatium, in ambiguis consilium, de dolore gaudium, de peccato remedium reportarunt. Quidam comes prefati Ethelbaldi spina pedem transforatum habens, a planta pedis vsque ad lumbos tanto tumore turgescere cepit, vt de vita ipsius omnes eius angustiam videntes desperare possent. Et exuens Guthlacus cilicium, in quo solebat orare, ipsum circumdedit: dictoque citius spina de pede prosiliens, tumor in momento subsedit, et doloris angustia conquieuit. Quidam episcopus nomine Hedda cum esset in itinere videndi Guthlacum; clericis eius austeritatem vite viri dei et humilitatem commendantibus, Wilfridus quidam, in proximo se sciturum dixit[2] si talis esset qualem eum fama predicaret. 'Ego, inquit, diu conuersatus sum apud Scotos, vbi vidi pseudo-anachoritas simulatorie sanctitatis speciem pretendentes, alios etiam noui sancte religionis verissimos professores. Vsu ergo et experientia sciam discernere, ex quo Guthlacum videro, si in veritate ambulat, si talis est operibus qualem eum fama commendat.' Cum ergo episcopus ad virum dei venisset, et se mutuo salutassent multaque de sacro eloquio contulissent, respiciens Guthlacus clericum illum, dixit: 'Frater, inquit, Wilfride, quid tibi nunc videtur de homine isto, quem te hodie iudicare heri promisisti?' Ille rubore confusus et admiratione, in terram humiliter se prostrauit, veniam petiit, et accepit. Episcopus vero Guthlacum ad sacerdotii gradum promouit; et quod a conuersionis sue initio pro aliquo mortalium facere non consensit, inuitus et coactus cum episcopo in mensa discubuit. Erat in diebus illis quedam virgo nomine Edburga, filia regis Adulphi, monialium Christi venerabilis abbatissa, que plumbeum sarcophagum[3] lintheumque delicatum interius inuolutum deuote beato Guthlaco transmisit, supplicans humiliter et obnixe vt se in eo[4] die obitus sui permitteret sepeliri. Illud etiam addidit et affectuosa supplicatione rogauit, quatinus, quis ei esset in illa solitudine successurus, eidem predicere dignaretur. Tandem vix oblationem[5] suscipiens, sancte virgini significauit: illum adhuc esse gentilem qui ei succederet, et in proximo baptizandum. Et factum est ita: Nam vir quidam nomine Cissa post beati Guthlaci exitum fidem Christi suscepit, et eidem succedere meruit. Videns tandem Guthlacus Ethelbaldum diuturnitate exilii fatigatum et prorsus animo consternatum, cepit eum salutaribus

[1] E. reponenter. [2] om. in T. [3] T. sarchophagum. [4] eo om. in E. [5] E. olbationem.

monitis a lapsu desperationis erigere, dicens: 'Noli, inquit, fili charissime, de Christi bonitate diffidere! si dominus tibi ad tempus abstulit substantiam temporalem, totum hoc tibi cedere faciet ad salutem. Celestis equidem medicus non semper dulces, sed amaras porrigit potiones. Si te corripuit dominus, sustine patienter. Viriliter age et confortetur cor tuum: bonus est dominus sperantibus in se. Scias quia oraui pro te: et in proximo faciet dominus de persequentibus te iudicium; non in arcu nec in gladio, sed in dei virtute, non in sudoribus bellicis, sed in lachrimis et orationibus meis quas tibi compatiendo in oculis altissimi effudi, tui regni solium et gloriam obtinebis. Morietur in proximo qui te persequitur, et superbia eorum qui te oderunt ad nihilum deueniet, tanquam aqua decurrens. Tu vero, cum tibi benefecerit deus, noli esse ingratus.' Appropinquante die obitus sui, vocato Bertelino[1] de quo mentionem ante fecimus, dixit: 'Ad laborum meorum, fili, stipendia vado; bonum est mihi dissolui et esse cum Christo.' Et post multa verba iniunxit ei vt sororem suam Pegam[2] affectuosiùs salutaret; et adiecit: 'Rogabis, inquit, illam vt corpus meum sepeliat. Ideo enim vitaui aspectum eius in hac vita, vt in eterna nos inuicem videamus.' Et ait ad eum discipulus eius: 'Adiuro te, inquit, pater, per misericordiam Christi, vt mihi apertius reuelare digneris quid sit quod a prima cohabitatione quam tecum habui, singulis diebus mane et vespere te cum alio loquentem, mutuosque sermones audiui, et cum quo verba faceres ignoraui.' 'Instat, inquit ille, fili charissime, nouissimus mihi dies, nec mentiri expedit, qui a prima conuersione mea omne mendatium declinaui. Scias autem: ex quo ad hanc heremum me contuli, semper mane et vespere angelum mee consolationis habui, qui labores et temptationes meas celesti solatio releuabat. Predicebat futura, demonstrabat absentia; et archana celestia, que nec licet nec expedit mihi loqui, celitus indicabat. Hec autem, fili, sub silentio claude, nec attemptes ea cuiquam[3] mortalium, nisi sorori mee Pege et Egberto anachorite, vllo vnquam tempore reuelare.' Cum hec et alia multa dixisset, tanta de ore ipsius odoris suauitas exalauit, ac si aliquis flores roseos sparsisset aut balsamum effudisset. A media quoque nocte vsque ad auroram totam domum candor lucis inestimabilis circumfulsit. Oriente vero luce, dicit ad discipulum suum Berthelinum: 'Tempus est, inquit, fili, vt ad Christum transeam.' Et extensis ad celum oculis et manibus, tertio idus aprilis, obdormiuit in domino. Vidit autem frater ille Berthelinus quasi turrim igneam a terra vsque ad celum erectam, cuius tanta claritas erat, quod in comparatione illius solaris splendor luce illa inferior pallescebat. Veniens ergo ad insulam Pega soror viri dei sentit totam habitationem supra omnem fragrantiam aromatum suauitate incomparabiliter redolentem: sepultoque sancto Guthlaco in eius oratorio, ad propria remeauit. Vicesimo quarto[4]

[1] T. beccelino. [2] E. pagam. [3] E. cuique. [4] In Felix he leaves off at 24.

vite sue anno militie, vt premittitur, se dedit, et octo annis in illa ferocitate et vanitate permansit; et quindecim annis in solitudine vitam deo placentem duxit. Elapso vero post obitum eius anni circulo, cum soror eius vna cum religiosis presbiteris corpus sanctum decentius collocare vellet, totum corpus integrum et incorruptum, dormienti magis quam mortuo similius inuenitur. Brachia enim et digiti ita flecti et duci poterant, ac si humores, spiritu mediante, per venas excurrerent, neruique nihil in morte beati viri de sue viuacitatis efficatia perdidissent. Omnia autem vestimenta, quibus erat inuolutus, omnino intemerata, pristino candore splendebant. Et corpus eius super terram in tumulo cum magna exultatione et gaudio locatum est. Audito vero obitu viri dei, Ethelbaldus exul nimio dolore correptus, cum multis lachrimis venit ad sepulchrum sancti viri, dicens: 'O mi pater, ego infelix exul quo ibo? quid faciam? quo me vertam? Nunc primo me miserum et exulem recognosco. Non deseras, pater Guthlace, hunc desertum, hunc exulem abiectum, filium doloris, vagum et profugum, expositum periculis et tormentis.' Hiis et multis aliis cum planctu et gemitu dictis, elapsa magna noctis parte vidit oratorium circumfusi luminis splendore mirabiliter irradiatum, beatumque Guthlacum celesti fulgore splendentem, et hec verba sibi dicentem: 'Fili charissime, dominus te respexit: confide et confortare, quia infra biennium labores tui finem habebunt, et recuperabis in honore et gloria regnum tuum.' Et dum sanctus longitudinem dierum [suorum] viteque finalem metam et alia que ventura erant quasi ad oculum declararet, et ille signum quereret, addidit sanctus: 'Signum hoc et indicium tibi sit, quia die crastina ante horam tertiam habitatores huius loci citra spem eorum vberi alimentorum consolatione gaudebunt.' Quod cum Ethelbaldus impletum videret, spiritum prius vacillantem in spe et fiducia stabiliuit. Nec mora, deus persecutorem eius de medio abstulit, exterminauit inimicos eius, et ante biennium plenitudinem regie potestatis obtinuit. Cepit enim locus, vbi sepultus est Guthlacus, innumeris choruscare miraculis: Omnes enim in fide Christi et sancti confessoris reuerentia de suis necessitatibus remedia petentes, sui voti efficaciam consequti sunt.——[1] Concessit autem rex Ethelbaldus, sicut viuenti Guthlaco promiserat, absolutam, liberam et quietam illius insule sancto dei et eius successoribus mansionem: adiecitque regia munificentia, vt iure perpetuo et inconcussa possessione obtinerent quinque miliaria regionis illius ad orientem, id est vsque ad fossam que vocatur 'Asendic,' et tria ad occidentem, quinque vero ad meridiem, et quinque ad aquilonem. Hec autem omnia ab omni exactione et consuetudine seculari prorsus exemit, plenamque in omnibus libertatem sigillo regali, in episcoporum et procerum presentia, confirmauit. Et quia locus palustris insolidus erat nec molem edificationis lapidee sustinere posset,

[1] Cf. Ordericus Vitalis H. E., Ingulf Hist. (in A. SS. Boll. p. 50).

ingentes palos ex quercubus maximis fieri precepit, terreque infigi: terram quoque solidam iussit nouem miliaribus per aquam afferri: et sic, vsus ligneo fundamento, ecclesiam incepit, et conuentum monachorum instituit; locumque magnificans beneficiis, edificiis[1], ornamentis, vsque ad diem obitus sui ab illius cenobii veneratione, defensione et promotione non cessauit.——[2] Sanctus enim Guthlacus tam irremisso famulatu deo seruiuit, vt[3] nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nihil in illius animo nisi charitas, nisi pax, nisi misericordia, nisi indulgentia permansit. Nemo vnquam illum vidit iratum, nemo superbum, nemo merentem; sed vnus idemque semper permanens, letitiam in vultu, gratiam in ore, suauitatem in mente, prudentiam in pectore, humilitatem in corde preferebat[4]. Potestatem autem magnam super immundos spiritus a deo accepit, adeo vt eos edificia construere cogeret, et quendam spiritum in olla sua bulliente includeret. [5] Quadam autem die apparuerunt ei humano habitu demones duo, dicentes: 'Nos experti sumus te, et fidei tue valitudinem comperimus, perseuerantiamque patientie tue inuincibilem probantes, variarum artium aduersus te arma suscepimus: propterea tibi insultare vltra[6] desistere cogimur[7]; et non solum propositi tui vias disrumpere nolumus[8], sed te antiquorum heremitarum conuersationes erudiemus. Moyses enim et Helyas, et ipse saluator, primo omnium ad ieiunii fastigia conscenderunt[9]: Sed et famosi illi monachi habitantes Egyptum, humane infirmitatis vitia abstinentie framea interimebant. Et iccirco, si tu vis ante commissa crimina abluere, imminentia necare[10]; carnem tuam abstinentie flagellis afflige, et animi tui insolentiam ieiuniis frange. Quanto enim in hoc seculo frangeris, tanto in perpetuum solidaris[11]; et quanto in presenti affligeris, tanto in futuro gaudebis: Nam cum ieiunio prostratus iacueris, tunc excelsus coram deo eleuaris. Ieiunium ergo non bidui aut tridui; sed septenarum dierum valida castigatio, ieiunium est. Sicut enim sex diebus deus mundi plasma formauit [et][12] septimo requieuit, ita etiam hominem decet sex diebus per ieiunium spiritu reformari, et septimo die comedendo[13] carni requiem dare.' Hiis auditis beatus Guthlacus exurgens, psallebat: 'Conuertantur inimici mei retrorsum.' Quo dicto, hostis velut fumus vacuas in auras euanuit. Tunc assumpta ordeacei panis particula victum suum quotidianum vesci cepit. Maligni vero spiritus contemptos se videntes, lachrimoso clamore et flebili vlulatu, diuersis singultibus plangentes, aerem questibus impleuerunt.——Floruit autem circa annum domini septingentesimum sextum[14].

[1] E. edeficiis. [2] From the Vita by Felix. [3] E. vt nunquam in illius corde nisi pietas; nihil in illius animo nisi charitas, vt nunquam in illius ore nisi Christus, nisi pax, &c. [4] E. perferebat. [5] From the Vita by Felix; the same miracle was, however, told before. [6] T. ulttra. [7] *al.* conamur. [8] E. volumus. [9] E. concenderunt. [10] T. necare; E. vitare. [11] E. solidaberis. [12] om. in T. E. [13] E. commedendo. [14] Collect: (O) felix diuino munere,

¶ *Narratio*[1].

Legitur enim in quodam libro de miraculis sanctorum[1] quod quidam magister festum sancti Bartholomei in omni anno solempniter celebrabat. Cui predicanti diabolus in specie cuiusdam puelle admodum speciose apparuit. Qui[2] iniectis in eam oculis, ad prandium inuitauit. Qui dum in mensa consisterent, et illa in amorem suum eum allicere niteretur, beatus Bartholomeus in specie peregrini pre foribus affuit, et vt amore sancti Bartholomei introduceretur, obnixius flagitauit. Cui cum panis mitteretur, ille hunc accipere recusauit. Rogauit tamen[3] magistrum per nuncium vt sibi diceret quid magis in homine proprium esse putaret. Quod[4] cum ille risibile diceret, puella respondit: 'Immo peccatum cum quo homo concipitur, nascitur atque viuit.' Cui Bartholomeus respondit quod ille bene intulit: sed mulier profundius indagauit. Secundo peregrinus magistro misit vt sibi diceret quis locus vnius pedis esset vbi deus maiora miracula ostendisset. Cui cum ille diceret: 'locus crucis in quo deus mirabilia operatus est,' illa ait: 'Immo caput hominis, in quo [quasi] minor mundus existit.' Vtrorumque sententiam apostolus approbauit. Tertio quesiuit quanta distantia esset a summo celo[5] vsque ad profundum inferni. Cui cum magister se nescire diceret, illa ait: 'Modo video quod precipitor; sed ego hoc noui, quia de altero ad alterum decidi.' Et cum magno eiulatu se in abissum precipitauit. Et cum quererent peregrinum, minime inuenerunt. [6]Episcopus quidam, religiosam agens vitam, beatum Andream supra ceteros sanctos in veneratione habebat, ita quod in cunctis suis operibus hunc semper titulum preponebat: 'Ad honorem dei et beati Andree.' Inuidens igitur sancto viro hostis antiquus, ad eum decipiendum tota calliditate se contulit: seque in formam mulieris pulcherrime transformauit. Venit ergo ad palatium episcopi, asserens se velle confiteri eidem. Mandat episcopus vt suo penitentiario confiteatur, cui plenitudinem tradiderat potestatis. Renunciat illa quod nulli hominum nisi sibi secreta sue conscientie reuelaret. Sicque victus episcopus eam ad se venire precepit. Cui illa: 'Obsecro, domine, miserere mei. Ego enim in annis puellaribus, vt cernitis, constituta, et a puericia delicate nutrita, necnon et regia stirpe progenita, huc in peregrino habitu sola veni. Nam pater meus rex, vtique valde potens, cuidam magno principi me volebat in coniugium sociare: cui respondi quod omnem thorum abhominarer maritalem, quia virginitatem meam Christo in-

Guthlacus, quem (mane et) uespe(re) consueuit angelus ui(sere, cum) quo d(ulce) miscens colloquium, futur(orum te) fecit prescium secretique celestis con(scium). Ora pro nobis.

Deus qui glorioso confessori tuo atque sacerdoti Guthlaco cotidiana uisitacione angelica, eterna sui laboris premia reuelare dignatus es, presta quesumus ut . . .

[1] Ex Leg. Aurea, p. 545. [2] L. A. quam. [3] L. A. tum. [4] L. A. Cui. c. i. dic. risibile. [5] L. A. celi. [6] Cf. Legenda Aurea, S. Andreas, p. 19.

perpetuum dedicaui: et ideo nunquam possem in carnalem copulam consentire. Denique sic arctata quod oportebat me eius voluntati obedire, aut certe diuersa subire supplicia, latenter fugam inii, magis eligens exulare quam sponso meo fidem infringere. Audiens vero vestre sanctitatis preconium, sub alas vestre protectionis confugi, sperans me apud vos locum reperire quietis, vbi possim contemplationis carpere secreta silentia presentisque vite vitare naufragia et perturbationes mundi fugere perstrepentis.' Admirans in ea episcopus nobilitatem generis, pulchritudinem corporis, tam immensum feruorem, et tante eloquentie venustatem, placida et benigna voce respondit: 'Esto secura, filia, ne formides: quia ille ob cuius amorem te et tuos et tua tam viriliter contempsisti, tibi ob hoc et in presenti cumulum gratie et in futuro plenitudinem glorie largietur. Sed et ego seruus eius me et mea tibi offero: eligas vbi tibi placuerit mansionem. Volo autem vt hodie mecum prandere debeas.' 'Noli, inquit, pater, noli de hac re me rogare: ne forte ex hoc aliqua mali suspicio proueniret et nitor fame vestre denigrationem aliquam pateretur.' Cui episcopus: 'Plures erimus et non soli: et ideo nullum male suspicionis scrupulum in aliquo poterit generari.' Venientes itaque episcopus et illa ad [1] mensam, ex opposito consederunt, ceteris residentibus hinc et inde. Intendit in eam crebro episcopus, eiusque faciem non desinit intueri et pulchritudinem admirari. Sicque dum oculus figitur, animus sauciatur, et dum faciem eius minus caute intuetur, antiquus hostis cor eius graui iaculo vulnerauit. Perpendit enim hoc ipse diabolus et pulchritudinem suam cepit magis ac magis augere. Iamque episcopus proximus erat consensui vt eam de illicito opere attemptaret quando possibilitas se offerret. Tunc subito quidam peregrinus ad ostium crebris ictibus et magnis clamoribus affuit, sibi postulans aperiri. Cumque sibi aperire nollent et ille clamoribus et ictibus nimis eis fieret importunus, interrogat episcopus mulierem si ingressum illius peregrini hominis acceptaret. Cui illa dixit: 'Proponatur sibi aliqua questio satis grauis: quam si enodare sciuerit, admittatur; si autem nescierit, tanquam inscius et indignus ab episcopi presentia repellatur.' Fauent omnes eius sententie [2], et ait episcopus: 'Quis nostrum tam sufficiens est quam vos, o domina, que ceteros et eloquentia preceditis et sapientia nobis omnibus [3] rutilatis? Vos igitur hanc proponite questionem.' Tunc illa dixit: 'Interrogetur quod est maius miraculum quod deus vnquam in parua re fecit.' Interrogatus de hoc peregrinus, per nuncium dixit: 'Diuersitas et excellentia facierum. Inter tot enim homines qui fuerunt ab initio mundi et vsque ad finem futuri sunt, duo reperiri non possunt [4] quorum facies per omnia similes essent. In ipsa quoque tam

[1] E. ab. [2] L. A. adds: et quis sufficiens esset hanc questionem proponere sciscitantur. Cumque nullus inueniretur, ep. dixit. [3] L. A. adds amplius. [4] L. A. possent.

minima facie deus omnes sensus corporis collocauit.' Audientes autem omnes responsionem admirati sunt. 'Proponatur, inquit illa, sibi secunda questio grauior, in qua melius possumus eius sapientiam experiri. Queratur ab eo vbi terra sit altior omni celo.' Percunctatus de hoc peregrinus, respondit: 'in celo empireo, vbi residet corpus Christi. Corpus enim Christi, quod est altius omni celo, est de nostra carne formatum. Porro caro nostra substantia est quedam terrea. Cum igitur corpus Christi super omnes celos sit et de nostra carne originem dux[er]it[1], caro autem nostra de terra sit condita, constat quod vbi corpus Christi residet, ibi proculdubio terra altior celo manet.' Cumque omnes responsiones[2] eius mirabiliter approbantes sapientiam eius magnifice laudarent, illa dixit: 'Fiat illi tertia questio grauissima et occulta et ad soluendum difficilis et obscura, vt sic eius sapientia tertio comprobetur et dignus sit vt ad mensam episcopi merito admittatur. Queratur igitur ab eo quantum spacium[3] sit a terra vsque in celum.' Requisitus de hoc peregrinus dixit: 'Vade ad eum qui te misit ad me, et de hoc eum diligentius percunctare. Ipse enim melius me hoc nouit, et ideo tibi de hoc melius respondebit: nam ipse illud spacium mensurauit[4] quando de celo in abissum cecidit: ego autem de celo nunquam cecidi et ideo illud spacium nunquam taliter mensuraui. Non est enim mulier, sed diabolus, qui se posuit in similitudinem mulieris.' Audiens hoc nuncius, vehementer expauit, et ea que audierat coram omnibus recitauit. Mirantibus itaque omnibus et stupentibus, antiquus hostis de medio eorum euanuit. Episcopus autem ad se rediens, amare redarguit seipsum et de perpetrata culpa veniam lamentabiliter precabatur. Misit itaque nuncium vt peregrinus introduceretur: sed nequaquam amplius inuenitur. Tunc conuocato populo ordinem rei geste eis episcopus exposuit, precepitque vt omnes iciuniis et orationibus insisterent, si forte dominus alicui reuelare dignaretur quisnam ille peregrinus fuerit qui eum a tanto periculo liberauit. Reuelatum est illa nocte episcopo quod beatus Andreas fuerit, qui pro liberatione ipsius episcopi se posuerit in habitu peregrini. Cepit ergo episcopus in deuotionem beati Andree magis crescere ac eum exinde in reuerentia plus habere.

¶ Incipit prefatio in vitam sancte Helene regine[5].

SOlent diuersi diuersa sentire de hac sanctissima muliere eiusque origine ac vite cursu: vnusquisque enim, vt apostolus ait, in sensu suo habundat. Vnde et aliqui ipsam 'stabulariam' asserunt ac infima

[1] T. E. duxit. [2] L. A. responsionem. [3] L. A. quanti spatii. [4] E. mensurauerit. [5] This life is wanting in T.; cf. the Life by Ioscelin de Fornesio in MS. Bodl. 240, Corp. Chr. Coll. Cbr. 252. The life is made up from different ingredients, Galfrid Monmuthensis, Acta S. Silvestri, Historia de Inventione Crucis, Historia trium regum (ed. E. E. T. S. 1887).

stirpe progenitam; hoc idem sentit Ambrosius, sic inquiens intra cetera: 'bona stabularia, quam Christus de stercore leuauit ad regnum.' Ego vero illam nequaquam existimem fuisse stabulariam, nisi forsan tropologice loquendo illius imitator esset stabularii cui in euangelio Samaritanus ille ac omnium dominus vulneratum illum qui inter Hierusalem et Ierico incidit in latrones, fidelius tradidit custodiendum atque curandum—talem namque se fuisse stabulariam indigentibus sedule ministrando, sequens ad plenum nos docebit historia. Illam insuper et opinionem qua multi eam clam patriam fugisse affirmant ac raptam apud Romam ab imperatore, aut aliqua talia sompniis similia, mihi, vt rear, minus placent, cum talis opinio non tam ipsius tam sancte femine denigraret famam, quam ipsum quoque nobilissimum Constantinum spurium ac extra sponsalia genitum comprobaret; cum tamen ipsum iure hereditario culmen ascendisse imperatorium neminem lateat. Sed ipsis forsan qui ista scripserunt, talia placuerunt quia potiora et veriora inuenire minime potuerunt. Nos vero antiquas reuoluentes historias, ea que conuenientiora sunt magisque autentica, (resecatis superfluis) potestati obediendo in medium, vt postea patebit, salua meliore fide proferre curauimus.

¶ De sancta Helena regina.

HElena sanctissima femina, christiane religionis basis firmissima; ex marito imperatrix, ex patre regina; Coelis regis Britannie vnica fuit filia. Gens quippe britannica, longo tempore innumeris erroribus implicata ac idolis seruiens surdis et mutis, tartaree potestati subdita paulo ante hec tempora: ad veram tandem christiane fidei religionem tempore Lucii regis deo operante peruenit. [1] Is siquidem Lucius, ex patre Coillo optime indolis puer, in iuuenili etate senilem animo caniciem moribus preferebat. Qui cum defuncto patre regni diademate insignitus fuisset, exitum suum preferri volens principio, a spiritu sancto edoctus epistolas Eleutherio pape humiliter direxit, petens vt ab eo fidem christianam recipere mereretur. Beatus ergo pontifex ille, comperta eius maxima deuotione, duos religiosissimos viros, Fugacium videlicet et Damianum [2], ad illum misit: qui mox verbi dei incarnatione[m] dulcius predicantes, ipsum sacro baptismate abluerunt et ad Christum conuerterunt. Nec mora concurrentes vndique totius nationis populi regis exemplum insequuntur, eodemque salutari lauacro mundati, celesti regno restituuntur; destructisque vndique templis demoniorum, et eorum loco ecclesiis vbique erectis [3] ditissimeque dotatis, in toto regno fides vigebat catholica. Ipso denique rege Lucio in fide catholica feliciter defuncto, tamen sine sobole que sibi succederet, illico post eius mortem dissidium ortum est inter Britones; multis denique vi regnum illud inua-

[1] Ex Galfr. Monm. IV. 19; V., with additions. [2] G. M. Faganum et Duvianum. [3] E. eratis.

dentibus, vnus tandem Asclepiodotus nomine, dux Cornubie, Romanum quendam Allectum nomine, qui tunc regni sub Romanis gubernator fuit, prelio vicit, et regni diadema sibi imposuit. In quem scilicet Asclepiodotum prefatus Cloel[1], pater sancte Helene et dux Colcestrie, fortius insurgens, conserto prelio ipsum peremit, regnique diademate sese insigniuit. Cuius tamen temporibus vtmultum extincta est in regno Britannie fides catholica: A tempore namque predicti Lucii qui primus fuerat inter Britones rex christianus, regnum britannicum vsque ad prefatum Asclepiodotum Romanis, qui gentiles erant et pagani, pro maiori parte fuerat subiectum. Porro ipso Asclepiodoto (vt diximus) a Cloele perempto, cum eiusmodi victoria senatui romano nunciata fuisset, gauisus est valde propter ipsius Asclepiodoti mortem, qui in vita sua romanam semper turbauerat potestatem. Recolentes quoque dampnum quod de amisso regno habuerant, legauerunt illuc Constancium senatorem, qui Hispaniam ipsis subdiderat, virum vtique sapientem et audacem, et qui pre ceteris rem publicam augere laborauerat. Porro Cloel Britonum rex et Helene pater, cum ipsius aduentum comperisset, timuit ei prelia ingerere, propter eius maximam preliandi famam multiplicesque victorias. Vt igitur intra insulam Constancius applicuit, direxit Cloel legatos suos ad illum, petiuitque pacem et subiectionem promisit, eo pacto vt regnum Britannie possideret, nihilque aliud preter solitum tributum romane dignitati solueret. Hoc itaque nunciato, acquieuit Constancius, pacemque receptis obsidibus confirmauerunt. Deinde paulo post grauissima infirmitas occupauit Cloelem, ipsumque intra[2] dies octo morte affecit. Quo defuncto insigniuit se Constancius regni diademate, duxitque filiam Cloelis, ipsam de qua loquimur sanctam Helenam, cuius singularis pulchritudo prouinciales puellas facile superabat; nec vspiam reperiebatur altera que in musicis instrumentis siue[3] in liberalibus artibus illa doctior haberetur. Caruerat enim pater altera sobole que regni solio potiretur; vnde et eam ita laborauerat docere, et moribus atque virtutibus exercere, vt post patris obitum regnum facilius regere et tractare valeret. In fide insuper catholica etsi aliqualiter instructa atque edocta, non tamen, in quantum reperire potuimus, adhuc sacri baptismatis vnda extitit perfusa; sed tamen representabat in sua conuersatione gloriosa sacri baptismatis misteria[4]. Erat namque humilis et pudica, prudens et pacifica, cunctis eam considerantibus amabilis et gratiosa, ac bonis operibus plenissima. Cum igitur illam in thori societatem accepisset Constancius, generauit ex ea filium quem appellauit Constantinum,[5] et alios sex filios, filiamque nomine Constanciam. Ipse vero Constancius, cum regno Britannie aliquamdiu potiretur, Romam reuersus, propter suam maximam nobilitatem et prudentiam vna cum Galerio

[1] *al.* Coel. [2] E. inter. [3] E. suis. [4] E. miseria. [5–5] added.

imperator creatus est: partiti sunt etenim inter se imperium, vnde et Galerius Illiricum cum tota Asia obtinuit, Constancius vero Galliam, Britanniam, et totam Hispaniam gubernandas accepit.[5] Qui paulopost Britanniam rediens, post annos vndecim apud Eboracum morti subiacuit et regnum filio Constantino reliquit. Qui vt honoris solio potitus est, cepit infra paucos annos probitatem maximam habere; leoninam ferocitatem in aduersarios, columbinam simplicitatem in amicos ostendere, iusticiam inter populos exercere; latronum rapacitatem compescere, tyrannorum seuitiam conculcare, ac pacem vbique renouare studebat et confirmare. Helena quoque sanctissima mater eius et ipsa cum filio regnum strenuissime et prudentissime gubernans, bonis operibus iugiter insistebat: et post obitum Constancii a lege viri soluta, vsque ad mortem omnem amplectens sanctimoniam in sancta viduitate permanebat. Ea[1] denique tempestate, dum ipsa cum filio Constantino adhuc in Britannia ageret, Maxencius quidam tyrannus romanum imperium sibi vsurpabat, et Constantinum hunc magnum ac nobilissimum virum, (licet post patris obitum propter eius maximam probitatem vno omnium consensu imperatorem electum,) imperio priuare satagebat; ac interim nobilissimos viros exheredans, pessima tyrannide rempublicam opprimebat. Ad cuius postea compescendam seuitiam et exterminandam tyrannidem Constantinus ab omnibus importunis clamoribus Romam aduocatus est. Qui mox reipublice consulens eorumque necessitatibus, cupiensque iure sibi relictum recuperare imperium, cum maximo ac fortissimo Britannorum exercitu vna cum matre Helena et sorore Constancia Romam properauit, (superatoque Maxentio tyranno) illam sibi subiugauit: et sic postmodum infra breue totius mundi monarchiam obtinuit. [2] Interea hec mater eius Helena sanctissima mulier cum suis nepotibus, Constantini filiis, apud Bizantiam ciuitatem, que postea Costantinopolim (!) appellabatur, aliquamdiu commorata est, vbi ab impiis Iudeis circumuenta, Christianam, quam prius vel modice induerat, fidem pene totam amiserat et iudaice perfidie fortius adherebat: ad ipsius tamen secte iudaice finalem (deo disponente) destructionem, non ad eius incrementum et exaltationem. Constantinus vero, adhuc erroribus gentilium implicatus, dum ecclesie christiane atrox persequutor fuisset et plurimas sanctorum martirum strages dedisset ac populum innumerabilem per omnes prouincias variis penarum generibus interfici fecisset, vltionem sentiens diuinam elephantie morbo percussus est. Cui cum vniuersa medicorum et magorum agmina subuenire non possent, Capitolii pontifices hoc dederunt consilium vt quedam piscina sanguine infantium repleretur, et in illo calido sanguine Augustus lauaretur, et sic sanitatis beneficium consequeretur. Quod quidem facinus cum abhorruisset, in ipsa nocte

[1] E. Eo. [2] Cf. Acta S. Silvestri (abr. in Vinc. Bell., Leg. Aur.).

apparuerunt sibi apostoli Christi Petrus et Paulus, eique quod sanitatem a deo propter suam pietatem sacra baptismatis vnda a Siluestro papa perfusus consequuturus[1] esset intimarunt. Beatum igitur Siluestrum aduocans, qui in spelunca latitabat, visionem eidem exposuit: et ab eo in fide Christi sapienter instructus, sacrum baptisma suscepit. [2]Hec vero vt sancta Helena mater eius in Bithinia existens audiuit, per litteras filium laudauit quod abrenunciasset simulachris idolorum, sed dure increpauit quod relicto Iudeorum deo crucifixum hominem sicut deum coluit. Respondit autem Augustus, Christum verum esse deum et dei filium: Sed tamen, vt omnis ex vtraque parte tolleretur ambiguitas, mandauit matri vt Iudeorum magistros secum adduceret, et ipse quoque Christianorum doctores proferret: sicque ex disputatione mutua vera fides appareret. Adduxit igitur secum sancta Helena Romam centum quadraginta unum doctissimos Iudeorum, inter quos duodecim erant singulares qui sapientia et eloquentia pre ceteris rutilabant. Cum ergo beatus Siluester cum clericis suis, et predicti Iudei ad disputandum coram imperatore et imperatrice matre eius sancta Helena conuenissent, et[3] longo tempore inuicem altercati fuissent, tandemque (diuina mediante gratia) tum apertis scripturarum assertionibus, tum insolitis et stupendis signis et prodigiis in conspectu omnium, Iudei a beato Siluestro superati essent; credidit regina, et deum collaudans (qui suos etsi errare, tamen perire non sinit) tam ipsa quam omnes Iudei iudicesque et ceteri omnes conuersi sunt ad fidem. Beatissima vero Helena imperatrix, Christum plenius induere cupiens, sitiensque atque anhelans ad veram christiane religionis sanctimoniam, a beato Siluestro baptismum humillime postulauit, et cum maxima cordis deuotione ac reuerentia ab eius manibus accepit. Exinde vero orthodoxe fidei fortissima protectrix, filio suo Constantino in omnibus que ad fidem pertinebant christianam fortius adhesit, eumque ad dei culturam ampliandam et christianam religionem augmentandam mirabiliter animauit. Vnde et ipse nobilissimus Constantinus, tam sancte matris eius suasu, multas ac honorificentissimas basilicas fecit, ditissimeque donis innumerabilibus dotauit. [4]Interea vero beatissima imperatrix Helena, incomparabilis femina, fide, religione ac magnificentia singularis, a spiritu sancto edocta diuinisque admonita visionibus, Hierosolimam petiit et ibi locum vbi sacrosanctum corpus Christi crucis patibulo affixum pependerat, et vbi crux Christi latuerat, ab incolis perquisiuit. Quibus locum se scire denegantibus, iussit eos omnes igne cremari. At illi timentes, tradiderunt regine Iudeum quendam Iudam nomine, qui et legem, et locum vbi crux Christi latuerat optime nouit: cui regina mortem aut vitam proposuit, nisi ei crucem dominicam demonstrauerit. Cum igitur fame et inedia, fouea

[1] E. consequiturus. [2] Cf. Leg. Aurea De S. Siluestro, p. 73. [3] E. at.
[4] From the Hist. Invent. Crucis; cf. Leg. Aurea, p. 307, Vinc. Bell. XIII. 94.

inclusus, per septem dies cruciatus esset, extrahi se petiit et crucem dominicam indicaturum promisit. Ideo vero Iudei se tam difficiles reddebant ad locum ostendendum, quia nouerunt quod mox vbi lignum domini contigisset reuelari, euacuaretur lex, et gens Iudeorum decetero nunquam regnaret. Vnde et, quod timuerunt accidit eis. Porro predictus Iudas cum ad locum venisset vbi crux abscondebatur, et ibidem prolixius orasset, locus subito commouebatur, et fumus aromatum exiuit miri odoris; ita vt Iudas miratus Christum confiteretur. [1] Erat autem in eodem loco, prout in Ecclesiastica Hystoria traditur, templum Veneris, quod ibi Adrianus imperator construxerat vt si quis in ipso loco Christum adorare vellet, Venerem adorare videretur: ob hoc igitur locus pene obliuioni datus est; vnde et sanctissima regina templum funditus fecit destrui, et locum arari. Post hec prefatus Iudas cum sociis viriliter fodere cepit: et viginti passus fodiens, tres cruces inuenit, quas regine detulit. Sed cum Christi crucem ab illis duabus que latronum fuerant nescirent discernere, et circa horam nonam quidam mortuus in feretro portaretur, Iudas feretrum tenuit, et prima ac secunda cruce appositis [2], mortuus minime se mouit, mox vero vt apposuit tertiam, protinus ille qui defunctus erat rediit ad vitam. [1] Plura insuper miracula per illam crucem ipsa die fiebant, vnde et hanc crucem domini fuisse aperte intellexerunt; quam tamen postea per titulum quem Pylatus ipsi cruci superposuerat plenius cognouerunt. Per hoc quoque melius, quod dyabolus hoc ipso tempore terribiles emittens voces cunctis audientibus de Iuda conquerebatur, eidem quoque tormenta et persecutiones plurimas minabatur. Regina vero beatissima crucem dominicam, cuius brachiis totius seculi [3] pependit precium, dulcius amplectens, cum ingenti deuotione ac lachrymarum effusione venerabatur et adorauit, atque de diuinissimo celestique thesauro leta effecta ac iocundissima, ipsam crucem maxima cum veneratione diuisit et partem filio Constantino misit [4], partem vero thecis aureis inclusam Hierosolimis reliquit. Post hec vero, cum etiam clauos domini habere plurimum desideraret, prefatum Iudam, quem, post inuentionem sancte crucis Quiriacum nominatum, Hierosolimorum episcopum ordinauit, vt ad locum pergeret et clauos domini perquireret instantius rogauit. Qui cum ad locum venisset, et orationem fudisset, continuo claui velut aurum in terra fulgens [5] apparuerunt: quos episcopus regine detulit, illaque eos reuerenter adorauit; quorum postea vnum in galea, alterum in freno imperatoris composuit, vt sic armatus, securus ad bella procederet; tercium vero sibi pro thesauro preciosissimo reseruauit. [6] Ex hoc igitur tempore regina venerabilis, quanto magis prius in veteri testamento iudaice perfidie insistebat, tanto magis postmodum in nouo testamento et Christi euangeliis studiosius estuabat; et que a pueritia fulsit quasi

[1] Cf. Leg. Aurea De inventione Crucis, p. 308. [2] E. appositus. [3] E. secli. [4] *al.* detulit. [5] *al.* fulgentes. [6] From the Historia trium Regum.

stella matutina inter nebulas glorie, extunc quasi luna plena atque perfecta in diebus suis eluxit et misterium nominis sui (helena enim grece, 'luna' dicitur latine) preclaris moribus mundo declarauit; cuius vtique sanctitas immensa cunctis innotuit, ac pie conuersationis et deuotionis prestitit exemplum. [1] Nam et omnia loca sancta que tam in partibus hierosolomitanis quam in aliis partibus saluator noster Christus Ihesus sua deitate et humanitate ac potentia consecrauit; que et prius ex suggestione impiorum Iudeorum ipsa sancta Helena prophanata habuit et odiosa, eadem postmodum ad laudem dei et confusionem Iudeorum humiliter visitauit et deuotissime adorauit, ditauit et ampliauit. Non solum autem hoc, sed et super singula loca pulcherrimas ecclesias ditissimaque monasteria siue collegia fundauit, et in his patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, et presbiteros ac dei ministros instituit et ordinauit, quibus et predia, possessiones ac decimas abundantissime errogauit. Vnde et, postquam (vt diximus), reuelatione diuina, salutifere crucis vexillum ac clauos domini meruit inuenire, extunc super eundem locum in monte Caluarie, vbi et sepulchrum est Christi, pulcherrimam ecclesiam construxit, ditissimeque dotauit. Super illum etiam locum vbi angeli pastoribus apparentes natiuitatem Christi annunciauerunt et 'gloria in excelsis deo' cantauerunt, sancta Helena formosissimam ac duplicem ecclesiam construxit, quam 'Gloria in excelsis' vocauit, ditissimumque collegium canonicorum ibi fundauit. Aliam quoque mire pulchritudinis ecclesiam fecit in ciuitate Nazareth in loco vbi domus beate Marie erat sita; in qua et archiepiscopum atque canonicos multosque presbiteros ordinauit. Aliam insuper, et eiusdem pulchritudinis, in monte Thabor; vbi et fortissimum monasterium fundauit et in modum castri turribus ac muris ac propugnaculis vndique firmauit; cuius abbas, ordinis sancti Benedicti, infula, anulo, baculo pastorali ac bulla plumbea vtebatur. Alia quoque plura monasteria singula in locis singulis [2] edificabat, de quibus omnibus longum esset enarratio. Porro (vt de pluribus vel pauca edisseram) hec sacratissima imperatrix Helena, postquam montem Caluarie, vt supradictum est, et alia sancta loca deuote visitasset, veniens Bethleem ad speluncam et tugurium in quo deus fuit homo natus, in quam scilicet speluncam post natiuitatem domini vsque ad illud tempus (diuina prouidentia) Iudei ex inuidia nullum intrare permiserunt (nam et ipsum locum pro loco maledicto habuerunt et prophanato): in ipsum diuersorium beata Helena deuote intrans, inuenit ibi sacrum presepe in quod Ihesus infantulus iacens in feno ante asinum et bouem fuit positus, et in ipso presepio pannos quibus ipse Ihesus ibidem extitit inuolutus, fenum insuper in quo iacebat, et camisiam beatissime virginis Marie genitricis dei, quam in presepio oblita ipsa dimiserat quando cum infantulo Ihesu de spelunca fugit

[1] Cf. Historia trium Regum. [2] E. singlis.

metu Iudeorum et recessit. Que omnia beatissima Helena deuotissime adorans, cuncta, excepto presepio, in suo recessu secum cum ingenti gaudio Constantinopolim transtulit, et ibidem in ecclesia sancte Sophie reuerenter collocauit. Immediate tamen post inuentionem istarum reliquiarum, super eundem locum vbi Christus homo natus est, in quo etiam tres Reges munera domino obtulerunt, qui et Iudeis (vt supra dictum est) tam fuit odiosus, ipsa venerabilis Helena nobilissimam et pulcherrimam extruxit ecclesiam, opere musaico, et marmoribus et auro diuersimode ditissime et regaliter ornatam. et in modum castri propugnaculis factam; in qua etiam ecclesia archiepiscopum et canonicos, presbiteros ac alios dei ministros honorifice instituit; qui et ex preuilegio speciali in festiuitatibus omnes horas canonicas cum 'gloria in excelsis' incipiebant, quamplurimas etiam alias prerogatiuas habebant, de quibus per singula longum esset narrare. Impiisimi quidem Iudei, cum tanta bona ab imperatrice in eorum opprobrium facta cernerent, ipsam inter se ex inuidia stabulariam[1] vocauerunt, eo quod supra stabulum et tam vilem locum, eis admodum exosum, tam nobilem ecclesiam edificauit. Cum itaque venerabilis Helena imperatrix diuino igne succensa tanta ad laudem dei perpetrasset et in ipsis partibus innumerabiles fere ecclesias et monasteria erexisset et in eis sedes episcopales deuotissime instituisset, ac omnia loca ad dei laudem et honorem rite, perfecte et laudabiliter perfecisset; tandem reliquit etiam hoc indicium[2] animi religiosi regina venerabilis: nam virgines quas Hierosolimis reperit deo sacratas, tanta deuotione curasse dicitur, vt dignum crederet si famulorum vteretur officiis. Namque ipsa manibus suis (habitu famule succincta) eis cibum apposuit, poculum porrexit, aquam manibus, immo et pedibus infudit, et orbis regina, mater imperatoris, famularum Christi se famulam deputauit. Interea filius eius Constantinus pietate fretus, Sarmatas, Gothos, aliasque barbaras nationes non tam armis, quam diuina virtute edomuit: et quantomagis se religiosum et humilem deo reddiderat, tanto amplius ei deus vniuersa subdebat; et non solum meritis ac religione sue pie matris Helene regine, sed et intercessione sanctorum se deo fieri commendabilem gestiebat. Sancta igitur (vt diximus) imperatrix, cum omnia que Hierosolimis agere constituerat consumasset ad votum, tandem infinitis et impreciabilibus ditata reliquiarum thesauris, ad filium suum Constantinopolim properauit. Profecta tamen antequam Constantinopolim veneret, ad terras et prouincias circa Indiam cum maximo ac nobili comitatu se transtulit: in quibus omnia templa et aras idolorum prout potuit destruxit, et pro his in laudem et honorem dei ecclesias et monasteria sumptuosissime ac deuotissime fundauit, et cultum diuinum in cunctis partibus illis per omnia reparauit et ampliauit, fidemque christianam pene

[1] E. stabularium. [2] E. iudicium.

elapsam exaltauit et glorificauit. Insuper et trium sanctorum Regum corpora, Iaspar videlicet, Melchior et Balthasar, a principibus et prelatis terrarum illarum non tam studiose quam miraculose impetrauit. Quibus, et aliorum variis suffulta reliquiis, gaudens Constantinopolim rediit ad filium, paulopost ad celestis regni transitura palacium. Que postmodum aliquot diebus elapsis valefaciens filio (quippe que obitus sui fuit conscia) ac limina deuotius visitans apostolorum, partem quoque crucis Christi cum maxima veneratione secum detulit et in basilica sancte Crucis, quam filius eius rogatu edificauerat, collocauit. Quibus gestis, quod reliquum tempus superuixit, ibidem sanctissime exegit; semper, quoad vixit, ortodoxe fidei acerrima protectrix fuit, et quam maxime pauperum et orphanorum curam gessit, quos vtique tanta prosequebatur humanitate ac charitate, vt vere omnium mater vocari mereretur. Beatissima igitur regina Helena Rome constituta, iam et annis et meritis matura, ad instar illius sanctissime Anne euangelice, filie Phanuel, a templo minime recedebat, sed ieiuniis et orationibus instabat die ac nocte: cupiebat enim dissolui et esse cum Christo, ipsumque videre regem regum in decore suo. Nec est illa felix virago frustrata desiderio suo: dispersis namque suis in pauperes Christi thesauris, dominicisque munita sacramentis, erecta oculorum acie vidit celos apertos, et Ihesum stantem cum angelorum multitudine, crucemque illius fulgore ineffabili choruscare. Qua sacra visione ad celestia ardentius inuitata, inualescente morbo tandem (regni temporalis amministratione prescisa, cui petente filio atque senatu, flagitantibus quoque populis, se pluribus iam annis viriliter ac strenue immiscuerat), felix et inter reginas predicabilis et victoriosa, nec absimilis illius sancte prophetisse Delbore que populum Israel tam strenuiter iudicauit et gubernauit, via lauicana decimoquinto kalendas septembris dulcius migrauit ad Christum. Cuius sacrum corpus a summo pontifice lachrymantibus populis condigne traditur sepulture; cui postea filius eius Constantinus mausoleum [1] erigens in porph[i]retico sepulchro, corpus eius (vt dicitur, Constantinopolim translatum) honorificentius collocauit; nunc tamen Venecias in ecclesia pulcherrima eius nomine dedicata humatum iacet, innumeris hucusque clarens miraculis. Anima vero ipsius in celum per angelos est deducta, diuine visionis gloria cum beatis spiritibus perhenniter fruitura. Que et pro nobis miseris preces dignetur effundere, quatinus eius sacris meritis, presenti Iordanis incolatu felici cursu transmisso, mereamur celestia penetrare. Amen.

[1] E. mansoleum.

¶ [1] De sancto Henrico [2] heremita.

EX preclaro Danorum genere Henricus heremita originem duxit. Est enim Coket insula quedam in orientali Northumbrie plaga, per sexdecim stadia infra occeanum posita, a fluuio Coket non longe decurrente nomen trahens, que [3] magno antiquitus monachorum collegio pollebat. Cum autem ad annos adolescentie perueniens amicorum ductus consilio vxorem ducere et matrimonio consentire moueretur [4], nuptiarum imminente die coniugalis copula a domino per visum ei interdicitur; castum immaculatumque ab hoc seculo se custodire, atque ad insulam in Anglia nomine Coket, diuinitus sibi paratam, scruiturus deo cunctis diebus vite sue, proficisci iubetur. Qui statim relictis omnibus, parentibus suis et amicis, et que in mundo habere videbatur, apud Tynemutham viginti miliaribus a prefata distantem insula nauigio applicans, impetrato prioris assensu insulam adiit; et edificata parua edicula, in magna vite abstinentia deo seruire cepit. Aliquibus annis per singulos dies panem exiguum et aquam gustans, ter demum in septimana cibum sumpsit; et tribus os ad loquendum reserauit. Per quatuor enim ante obitum suum annos, ordeum molari lapide in farinam redactum, aqua conspersum, in massas rotundas formauit, sole desiccauit, et esuriem suam temperare consueuit. Cum enim peregrinationis gratia Dunelmum proficiscens, cimbam, qua Were flumen transire posset, paratam non inueniret; fusa ad deum prece, nauicula, resoluto quo ligabatur funiculo, ab altera ripe parte ad littus in quo sedebat, applicuit; quam cum socio quodam intrans, sine remige confestim transductus est. Instigante totius mali incentore, maxima contra eum sue carnis temptatio adeo inualescebat, vt mori mallet quam sic laboriose contra stimulos carnis reluctari. Monachus insuper insule curam habens, verba aspera, contumelias, et obprobria quotidie sibi inferre non cessabat. Immensam tamen eius humilitatem, sanctitatem, ac deuotionem continuam tandem admirans, pedibus eius prostratus precibus ac lachrymis veniam suppliciter implorauit. Qui cum magna cordis leticia eum a terra eleuans, quicquid in eum commiserat alacriter indulsit: et quasi vnanimes effecti, spirituali dilectione extunc coniuncti sunt. Inter hec enim legati a parentibus et amicis ad eum missi rogauerunt eum quatinus terram natiuitatis sue, parentes, amicos, et patriam illico visitare dignaretur. Quibus ille nullatenus acquiescens, pro vita eterna et Christo patriam temporalem [et] cognatos cum mundo penitus se reliquisse asserebat. Illi autem dice-

[1] Ed. in Act. SS. Boll. Ian. II. p. 424. The Saint is buried in Tynemouth, with S. Oswin. [2] T. De seruo dei H. et h. [3] om. in T. [4] T. E. moneretur.

bant loca solitaria nonnulla ac deserta in terra sua magis apta, que voluntati eius exposita aduentum eius expectabant. Ille enim naturali amore terre sue illectus nunciis fauorabiles aures inclinans, et monitis fere acquiescens, in crastinum tamen quod deo placeret se facturum promisit. In nocte vero sequenti multa in animo reuoluens, et quid sibi vtilius foret ignorans, ad crucem in eius oratorio erectam conuersus cum lachrymis orare cepit dicens: 'Domine Ihesu Christe fili dei viui, qui primi hominis ruinam gloriosi sanguinis tui precio reparans, a supercelestibus ad terram descendere dignatus es, et carnem sumens de virgine, hostiam pro redemptione generis humani obtulisti, te adoro, te inuoco, quatinus michi peccatori et misero pietatis et miserationis tue non desit suffragium; et quod bonitati tue fuerit acceptum, temeritati mee spiritus tuus aspirare dignetur.' Hec et alia illo cum gemitu et lachrymis prosequente, crucis imago in voces resoluta humanas respondit dicens: 'Dilecte mi, iam pridem in terra natiuitatis tue, cum decor mulieris et nobilitas tuam mentem alliceret, misericorditer a nuptiis reuocaui, celeste desiderium cordi tuo inserui. Ab illa enim die ad beatitudinem vite predestinatus es eterne, et in libro vite nomen tuum scriptum non delebitur in seculum. Viriliter age et confortetur cor tuum; in his que cepisti perseuera, et loci huius solitudinem vsque ad finem vite tue nullatenus derelinquas.' Cum enim hec proferret imago, tanquam loquentis hominis labia moueri videbantur. Vir autem dei cum lachrymis et gratiarum actione solo prostratus, iterato cepit inuocare dicens: 'Domine Ihesu Christe salus et redemptio mea, spes vnica mea, iube etiam vt nec volens ab hac insula discedam.' Nec mora, vigiliarum et orationum instantia fatigatus cum sopori membra daret, confestim quasi gladii horrore percussus, vix inchoatum sompnum interrumpere coactus est. Manibus vero ad genu iniectis, grauissima egritudinis molestia ibi se tactum aduertit: que de die in diem inualescens in vlcus maximum excreuit, et sanies quotidie inde non modica emanauit; interius demum computrescens fetorem intollerabilem exalabat. Proprio tamen labore viuens, et quotidiano operi insistens, agellum suum excoluit, terram non sine baculo sustentatus aperiens. Cumque operis instantia fatigatus aliquantulum respirare vellet a labore, lapidi insidens, genu morbidum contra solem exponebat. Tunc putredinis sublatentis generatio praua, vermium videlicet copia, contra solis ardorem ad exteriora scaturire cepit. Et cum in terram prorepentes caderent, recolligens eos dixit: 'Redite, redite, et immundam nature vestre originem, que vos hereditabit, consumite.' Dedit autem dominus agriculture sue in terra sterili fructus incredibilis incrementum; et quanto acrius et miserabilius vis egritudinis inualitudinem corporis perurgebat, hilaris tamen et in omni tribulationis angustia deo gratias agens semper permanebat. Vir enim iste non solum presentia et prope posita, sed etiam futura et absentia

diuinitus edoctus videre et predicere consueuit. Contigit enim vt monachus insule custos, oratorium eius ingressus, coram altari eum amarissime lachrymantem reperiret. Cumque causam tanti fletus inquireret, ait: 'Germanus et vterinus[1] meus malignantium seuitia in solo patrio interemptus est, indultumque est michi a domino vt pro eius anima michi liceat penitere. Iccirco per te, dilecte mi domine, religiosis et laicis interitus fratris mei innotescat, vt elemosinarum et orationum suffragiis adiutus, a pena et peccati laqueis absoluatur.' Cum enim die quadam naues mercibus onustas veloci transire cursu conspiceret, in proximo illis naufragium imminere, astantibus predixit. 'Numquid aspicitis, inquit, monstrum illud quod nauigantes insequitur?' Illi vero mulieris effigiem post naues supra mare eminentem se videre fatentur. 'Ista, inquit, in proximo mare concutiens, tempestatem maximam excitans, naues, quas aspicitis, paucis euadentibus submerget.' Nec mora, venti subito concitantur, fit fragor vndarum, tempestas valida inualescit; cuius impetu naues sabulo et scopulis illise et penitus confracte, cum his que gestabant, per littora dissipantur. Contulit ei quidam manitergium vnum, et elapsis aliquot diebus iterum venit ad eum. Cui et ait: 'Num adhuc, inquit, sedasti iram coniugis tue, que tibi pro munusculo michi collato molesta fuit? Ecce munus ipsum habeat sibi, dummodo tibi in posterum quieta fiet.' Multos a remotis partibus ad ipsum accedentes, abdita sua et occulta eis obiiciens, tanquam oculis corporeis euidenter perspexisset, acriter arguere consueuit. Monachum quendam de Tynemutha[2] visitationis gratia ad illum accedentem, arguere cepit dicens: 'Caue tibi, frater, vt circumspectius et magis sobrie tecum agas. Vide ne grauetur cor tuum in crapula et ebrietate, et deum tuum offendas, sicut nuper temulentus offendisti.' Designauitque ei locum et noctis horam quando crapulatus a potu turpiter se gessit. Cum enim doloris ingrauescente molestia egrotaret, solus in edicula sua, nullius requisito adiutorio, dici algorem et noctis prolixe fastidium[3] transigebat. Et cum mortis hora appropinquaret, armoniam mire dulcedinis vocum, 'te deum laudamus' alternantium, vir quidam in aere audiuit, donec hymni series penitus compleretur. Interim monachus sonitu tintinnabuli audito accurrens, funiculum cum tenentem, et super lapidem residentem inuenit, et candelam, quam ipse expers ignis ante mortem diuinitus accenderat, ardentem vidit. Cumque mortuus deprehenderetur, exuto quo inducbatur cilicio, et corpore a vermibus et sorde aqua mundato, subito instar niuis resplenduit, nec cicatricis vestigium nec pristine egritudinis in carnis superficie deprehendi potuit. Tante venustatis et splendoris erat facies eius, vt quasi alterata non posset agnosci; et dormienti magis quam mortuo multo similior apparebat.

[1] E. vtrinus. [2] E. tynemuthā. [3] T. fastium.

Monachi enim de Tynemutha[1] cum ad sepeliendum corpus eius congregati, ad monasterium suum transferre temptarent, parochiani vicini tantum amittere thesaurum formidantes, congregata multorum copia vim deferentibus inferre, et in sua ecclesia seruum dei sepelire inito consilio nitebantur. Et ecce mare spaciosum nebulam subito euaporans, vmbras palpabiles et tenebras inducens, congregatum populum per inuia quo nesciebant oberrare coegit. Cumque in quadam ecclesia cum corpore serui dei excubias celebrarent, apparens vir dei in sompnis, vt in aurora cum corpore festinatam propter populum superuenientem arriperent fugam, cuidam admonuit. Quo facto, cum magno honore non longe a corpore sancti Oswini regis et martyris, versus meridiem in latere parietis arcuato sepelitur. Contigit enim adhuc viuente seruo dei sacerdotem quendam infirmitate maxima depressum, quasi ad extremum vite spiritum deduci. Cumque velut exanimis decumberet, vidit vir dei malignorum spirituum cateruam aspectu horribilem, ad rapiendam sacerdotis animam paratam, totam domum, in qua languidus iacebat, circumuolantem. Et exurgens a cella sua, concito gradu ad domum infirmi properauit. Aspiciensque cuneos spirituum, interrogauit eos cur sic pessimi conuenissent. Illi vero nimis improbe respondentes dixerunt: 'Vt animam huius, qui hactenus opera mortis compleuit, nobiscum illico ad infernum rapiamus.' Tunc seruus dei illis in virtute sancte trinitatis precepit, vt opera sua iehenne digna sibi seriatim exponere maturarent. Qui horride conclamantes, multa facinora et innumerabilia delicta, eum accusantes, in medium protulerunt. Vir autem dei opus quoddam virtutis, quod infirmus quandoque egerat, obiiciens, que demones improperauerant in statera iussit ponderari: bonumque illud exiguum omnibus obiectis malis in immensum plus in statera ponderauit. Demones autem perturbati nimis et per merita serui dei quasi confusi, velut musce per aera euanuerunt. Egrotus vero cito conualescens, miraculum vbique propalauit, et vitam suam in melius reformans, in timore domini spiritum emisit. Quibusdam in mari nauigantibus, et aeris ingruente intemperie, equoris vnda ita commota est, vt omnibus mortem potius quam vitam minaretur. Inter quos quidam viro dei Henrico quondam familiaris et valde dilectus, deuotis clamoribus cepit eum inuocare dicens: 'O domine mi, famule Christi, in cuius ministerio totiens desudaui, in tanto mortis periculo michi subuenire ne differas.' Et ecce mox assistens ei, in hec verba prorumpens dixit: 'Reuera tu michi adherens quondam placuisti familiariter obsequendo; impetraui ergo ab eo qui ventis imperat et mari, tuam et qui tecum sunt salutem.' Sedatoque mari, ad portum optatum prospere peruenerunt. Correptus est vir quidam ab eo quia quadragesimali tempore debitum

[1] T. tinemutha.

subtrahens vxori, ab ea se continere velle disposuit; et secretum quod nulli indicauerat, vir dei venienti patefecit, dicens: 'Quia thorum vxoris tue minus discrete contempnis, in loco contemptibili et sordido teipsum cito reperies.' Nocte vero quadam expergefactus vir ille, repperit se nudum in stabulo fetido infra equorum pedes reclinatum. Quem postea seruus dei corripuit quia a thoro coniugis sue sine spiritualis consilio patris abstinere presumpsit. Dicebat enim non a domino, sed immundo spiritu suggerente, temeritatis huius presumptionem sibi nequiter accidisse; et ideo talis potestas spiritibus immundis super se data fuit, vt eum ad loca immunda sic dormitantem transportarent. Obiit autem seruus dei Henricus anno domini millesimo centesimo vicesimo, septimodecimo kalendas februarii.

¶ *Narratio*[1].

Illis diebus quidam religiosus a terra sancta rediens, in quadam maris insula virum sanctum inclusum inuenit, cum quo colloquium habens talia audiuit: 'Sunt, inquit, vicina nobis loca que grauissima flammarum euomunt incendia, vbi pro meritorum qualitate diuersa anime patiuntur tormenta; ad quorum semper exaggeranda supplicia innumerabiles deputantur demones, qui intollerabiles eorum penas quotidie renouant et ad rediuiua eos supplicia indesinenter instaurant. Quos frequenter querulis lamentationibus eiulantes audiui quod orationibus et elemosinis quorundam frequenter anime dampnandorum de manibus eorum eriperentur; et maximam de cluniacensi cetu et eorum abbate Odilone querimoniam faciunt, quia per eos sui iuris vernaculos sepe perdunt. Quamobrem per nomen dei te obtestor, vt sanctis fratribus illis denuncies vt orationibus et elemosinis sedulo insistant, et de manibus inimicorum animas suppliciis vexatas educant.' Quibus seriatim intellectis, idem abbas in monasteriis suis omnibus, post festum omnium sanctorum in psalmis et elemosinis et missarum solempniis omnium in Christo quiescentium memoriam instituit.

¶ *Narratio*[2].

Contigit aliquando sanctum Hugonem abbatem eucharistiam prebuisse cuidam leproso, communioni omnium corporaliter subtracto. Qui tumentibus labiis et vlceroso ore corpus domini iniuriose masticans, porciunculam importuna sercatione reiecit, nausea ac spuma horribili sequente. Miles Christi Goderannus, qui aderat, sacramenta domini sui indigne agitari considerans, quod diligebat celeri[3] obsequio collegit. Et ecce vir magnanimus manus vtrasque supponens sacramentis viuificis, vomitum nauseantis egri in ore suo proiecit, letalibus coleris coherentibus fideliter absorbens. Qua in re magister pius

[1] Ex Vinc. Bell. XXIV. 105. [2] Ex Vinc. Bell. XXVI. 6. [3] E. sceleri.

stupefactus et herens[1], discipuli perfectione attonitus, Laurentii craticulam tolerabiliorem fuisse indubitanter asseruit. Hic denique Goderannus ad episcopatum Sanctonicum assumptus, quo altius conscendit eo latius virtutibus refulsit.

¶ De sanctis Hewaldo nigro et albo martyribus[2].

CVm autem Willebrordus pater venerabilis cum sociis suis de Anglia ad Frisiam veniens multos ad fidem conuertisset, horum secuti exempla duo presbiteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro eterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciam Antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem predicando Christo acquirere possent. Erant autem vnius ambo, sicut deuotionis, sic etiam vocabuli: nam vterque illorum appellabatur Hewaldus; ea tamen distinctione vt pro diuersa capillorum specie vnus Niger Hewaldus, alter Albus diceretur. Quorum vterque pietate religionis imbutus, sed Niger Hewaldus magis sacrarum litterarum erat scientia institutus. Qui venientes in prouinciam illam, intrauerunt[3] hospitium cuiusdam villici, petieruntque ab eo vt transmitterentur ad satrapam qui super eum erat, eo quod haberent aliquid legationis et cause vtilis quod ad illum deferre deberent. Non enim habuerunt regem idem Antiqui Saxones, sed satrapas plurimos sue genti prepositos, qui ingruente belli articulo, mittunt equaliter sortes, et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, huic obtemperant; peracto autem bello, rursum equalis potentie omnes satrape fiunt. Suscepit ergo eos villicus, et promittens se mittere eos ad satrapam qui super se erat, vt petebant, aliquot diebus secum retinuit. Qui cum cogniti essent a barbaris quod alterius essent religionis—nam et psalmis semper atque orationibus vacabant, et quotidie sacrificium deo victime salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam—suspecti sunt habiti, quia si peruenirent ad satrapam et loquerentur cum illo, auerterent illum a diis suis et ad nouam christiane fidei religionem transferrent, sicque paulatim omnis eorum prouincia veterem cogeretur noua[4] mutare culturam. Itaque subito rapuerunt eos, et interemerunt: Album quidem Hewaldum veloci occisione gladii, Nigrum[5] autem Hewaldum longo suppliciorum cruciatu et horrenda membrorum omnium discerptione; et eos[6] occisos in Reno proiecerunt. Quod cum satrapa ille quem videre volebant audisset, iratus est valde quod ad se venire volentes peregrini non permitterentur; et mittens occidit vicanos[7] illos omnes, vicumque incendio consumpsit. Passi sunt autem prefati sacerdotes et famuli Christi quinto nonas octobris; nec martyrio

[1] V. B. huiusmodi. [2] From Beda H.E. V. 10. [3] E. intrauerant. [4] E. in nouam. [5] Bed. Nigellum. [6] Bed. quos. [7] E. vicaneos.

illorum celestia miracula defuerunt. Nam cum perempta eorum corpora amni[1], vt diximus, a paganis iniecta essent, contigit vt hec contra impetum fluuii decurrentis, per quadraginta fere milia passuum ad ea vsque loca vbi illorum erant socii, transferrentur[2]. Sed et radius lucis permaximus atque ad celum vsque altus omni nocte supra locum illum fulgebat, etiam paganis qui eos occiderant intuentibus. Sed et vnus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis cui nomen erat Tilmon, qui de milite factus fuerat monachus; indicans quod eo loco eorum posset corpora inuenire vbi lucem de celo terris radiasse conspiceret. Sicque inuenta eorum corpora, iuxta honorem martyribus condignum recondita sunt; et dies passionis vel inuentionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus dux Francorum Pipinus, vbi hec comperit, misit, et ad se adducta eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia Colonie ciuitatis iuxta Renum. Fertur autem quia in loco quo occisi sunt fons ebullierit, qui in eodem loco vsque hodie copiosa fluenti sui dona perfundit[3].

[MS. T. adds: *Narratio*[4].

Senex quidam erat solitarius in heremo et dicebat in se ipso quia perfectus esset in uirtutibus, et orauit dominum dicens: 'Ostende michi, domine, que[5] est perfeccio anime, et facio.' Volens autem deus humiliare cogitaciones eius, dixit ei: 'Vade ad archimandritam illum.' Et uenit ei uox antequam ille ad eum ueniret, dicens: 'Ecce ille solitarius uenit ad te; dic ergo ei ut tollat flagellum et uadat ut pascat tibi porcos.' Veniens ergo senex pulsauit ad hostium, et ingressus est ad archimandritam illum. Et cum se salutassent, sederunt. Et dixit senex: 'Dic michi quid faciam ut sim saluus.' Et ille: 'Tolle flagellum et uade pasce porcos.' Hii autem qui eum nouerant et audierant de eo, cum uidissent quia porcos pasceret, dicebant: 'Vidistis illum solitarium de quo audiebamus? ecce desipuit cor eius, et a demonio uexatus pascit porcos.' Videns autem [deus] humilitatem eius, quia ita pacienter sustinebat obprobria hominum, precepit eum iterum redire ad locum suum. [6]Dixit quidam senex: 'Cum cogitacio superbie aut elacionis intrauerit, scrutare conscienciam tuam si diuina mandata omnia custodisti[7], si inimicos tuos diligis, si gaudes in aduersarii tui glorificacione et si contristaris in minoracione eius, et si cognoscis te inutilem seruum, et si omnium peccatorum te deteriorem esse scias: quia huiusmodi cogitacio tua uniuersa resoluet.']

[1] T. ampni. [2] E. transferentur. [3] Bed. profundat. [4] From Vit. Patr. 963. [5] V. P. quid. [6] Cf. ib. 963. [7] V. P. custodis.

¶ De sancta Hilda virgine et abbatissa[1].

Religiosa Christi famula Hilda, abbatissa monasterii quod dicitur Streneshalch, post multa que fecit in terris opera celestia ad percipienda premia vite celestis de terris ablata [est][2] anno domini sexcentesimo octogesimo, quinto decimo kalendas decembris, cum esset annorum sexagintasex. Quibus equa portione diuisis, triginta-tres primo[s] in seculari habitu nobilissime conuersata compleuit, et totidem sequentes nobilius in monastica vita domino consecrauit. Nam et nobilis natu erat, scilicet filia nepotis Edwini regis, vocabulo Hererici; cum quo etiam rege ad predicationem Paulini episcopi primi Northanhumbrorum fidem et sacramenta Christi suscepit. Que cum relicto habitu seculari deo seruire decreuisset, secessit ad prouinciam Orientalium Anglorum, erat namque propinqua regis illius; desiderans exinde, si quo modo posset, derelicta patria et omnibus quecunque habuerat, [in][3] Galliam peruenire atque in monasterio Cale peregrinam pro domino vitam ducere, quo facilius perpetuam in celis patriam posset promereri[4]. Nam et in eodem monasterio soror ipsius Hereswida, mater Aldwlfi regis Orientalium Anglorum, regularibus subdita disciplinis ipso tempore coronam expectabat eternam. Cuius emulata exemplum et ipsa, proposito peregrinandi annum[5] totum in prouincia prefata retenta est. Deinde ab Aidano episcopo ad[6] patriam reuocata, accepit locum vnius familie ad septentrionalem plagam Wiri[7] fluminis: vbi anno vno monasticam[8] cum perpaucis sociis vitam agebat. Post hec facta est abbatissa in monasterio quod vocatur Hertheia[9], id est 'insula cerui[10],' quod videlicet monasterium factum erat non multo ante a religiosa Christi famula Bega[11], que prima feminarum fertur in prouincia Northanhumbrorum propositum vestemque sanctimonialis habitus, consecrante Aidano episcopo, suscepisse. Prelata igitur regimini[12] monasterii illius famula Christi Hilda, mox hoc regulari vita per omnia, prout a doctis viris discere poterat, ordinare curabat. Nam et episcopus Aidanus, et quique nouerant eam religiosi, pro insita ei sapientia et amore diuini famulatus sedulo eam visitare, obnixe amare, diligenter erudire solebant. Cum ergo aliquot annos huic monasterio, regularis vite institutioni multum intenta preesset, contigit eam suscipere [etiam] construendum siue ordinandum monasterium in loco qui vocatur Streneshalch: quod opus sibi iniunctum non segniter impleuit. Nam eisdem, quibus prius monasterium, etiam hoc disciplinis vite regularis instituit, et multam ibi iustitie, pietatis, et castimonie ceterarumque virtutum, sed maxime pacis et charitatis, custodiam

[1] Abridged from Beda H. E. IV. 23, with additions (perhaps from a life by Joscelin). [2] om.; Bed. abl. transiuit. [3] om. [4] Bed. mereri. [5] E. per a. [6] om. in T.; Bed. in. [7] E. weri; T. wiri. [8] Bed. monachicam. [9] Bed. Heruteu, now Hartlepool. [10] Cf. Bed. III. 24. [11] Bed. Heiu (who was wrongly identified with Bega by the author of the Vita S. Bege). [12] E. regimine.

docuit; ita vt in exemplum primitiue ecclesie nullus ibi diues, nullus esset egens, sed omnibus omnia essent communia, cum nichil cuiusquam esse proprium videretur. Tante autem prudentie ipsa erat, vt non solum mediocres quique in necessitatibus suis, sed etiam reges ac principes nonnunquam ab ea consilium quererent, et inuenirent. Tantum lectioni diuinarum scripturarum suos vacare subditos, tantum operibus iusticie se exercere faciebat, vt facillime viderentur ibidem, qui ecclesiasticum gradum apte subirent plurimi posse reperiri. Quinque vero ex eius monasterio episcopi electi sunt: scilicet Bosa, Acca[1], Ostforus, Iohannes, et Wilfridus, singularis meriti omnes et sanctitatis viri. Non solum enim[2] beata Hilda, quam omnes qui nouerant ob insigne pietatis et gratie meritum[3] matrem vocare consueuerant, in suo monasterio vite exemplum[4] presentibus extitit; sed etiam pluribus longius manentibus, ad quos industrie ac virtutis eius rumor peruenit, occasionem salutis et correctionis ministrauit. Oportebat namque impleri sompnium quod mater eius Breguswida in infantia eius vidit: Que, cum vir eius Herericus exularet sub rege Britonum Cerdico, vbi et veneno periit, vidit per[5] sompnium quod[6] quasi subito sublatum eum quesierit cum omni diligentia, nullumque eius vspiam vestigium apparuerit. Verum cum solertissime illum quereret, vidit quasi[7] se repperire sub veste sua monile preciosum; quod, dum attentius consideraret, tanti fulgore luminis refulgere videbatur, vt omnes Britannie fines illius gratia splendoris impleret. Quod nimirum sompnium veraciter in filia eius, de qua loquimur, expletum est: cuius vita non sibi solummodo, sed multis bene viuere volentibus exempla operum lucis prebuit.——[8] Cum autem monasterium apud Streneshalch, id est Whiteby[9], construere inciperet, tanta ibidem multitudo serpentium[10], propter densitatem veprium et solitudinem heremi, fertur fuisse, vt vix quisquam illis diebus in prefato loco ob virulenta serpentium[10] impedimenta posset habitare. Horum terrore virgines sancte plurimum consternate, extra cellas egredi non audebant, nec ad quotidiani victus subsidia aquam haurire. Beata igitur Hilda se in terram prostrauit ad orationem, dicens: 'Ihesu Christe fili dei viui, qui discipulis tuis dixisti: "quicunque dixerit monti tollere et mittere in mare[11], et non hesitauerit in corde suo, fiet ei;" peto te per omnipotentiam diuine maiestatis tue, vt si acceptaueris nos tibi in hoc loco seruire, exosam infestationem serpentium[10] hinc digneris amouere, iubeasque eos maritimis rupibus perpetuo inherere: Nec cuiquam illorum vltra sit fas quemquam ledere nec in perniciem cuiusquam hominum vel bestiarum virus infundere, sed quicunque eos amodo[12] viderit vel manibus attrectauerit, non serpentium[10]

[1] Bed. Aetla, Wendov. Hedda. [2] Bed. vero. [3] om. in Bed. [4] Bed. exemplo. [5] E. in sompnum. [6] om. in Bed. [7] vidit quasi om. in Bed. [8] The next 2 mir. are wanting in Beda; they are mentioned in Ms. Lansd. 436. [9] T. whitebi. [10] E. serpentum. [11] T. mari; E. mare. [12] E. ammodo.

doleat astuciam [1], sed lapidum innocentiam perpendat: obtineat serpens rigorem lapidis, sed lapis nesciat maliciam serpentis. Sit itaque effigies in lapide, sed venenum sit in serpente. Conuerte ergo, queso, serpentes qui huius loci confinia incolunt, in solidissimam lapidum naturam, quatinus illorum deinceps non metuentes insolentiam, cum pace et tranquillitate tibi soli domino liberis mentibus seruiamus, qui es super omnia benedictus deus in secula seculorum.' Cumque omnes respondissent amen, circumquaque serpentes ex rimulis terre confluere et apud littora maris certatim serpere et sine mora per deuexa montis sese precipitare, omnes astantes viderunt; vbi mox velut lapides diriguerunt [2]. Ex illa vero die in prouincia illa nemo se vnquam hac clade lesum sensit. In cauernis saxorum, vbi serpentes corruerunt, lapides inueniuntur, in quibus ita proprie exprimuntur eorum figure, vt nil penitus conformitati serpentis, quantum ad expressam speciem, desit vel nature. Lapillos quasi ad imaginem serpentinam expressos inspicis: sed nulla arte humani ingenii sic posse insculpi facile aduertis; lapis manibus palpatur, sed nichil nisi serpens cogitatur. Quidam ex famulis beate Hilde, qui custos erat agrorum, subito aduenit et voce querulosa, vnde molestabatur palam exposuit, videlicet quod sata fratrum et sororum a multitudine auium consumpta, et pedibus conculcata, in nichilum fere redigerentur. Cui virgo sancta respondit: 'Si nolueris, vt asseris, hanc tibi crebro suscitent molestiam, et nobis tantam ingerant iniuriam, vade protinus et eas pariter sub custodia includendo coherce; nec eas, donec multetur presumptio, vspiam euolare permittas.' Ille autem ab ea se irrideri putabat, et non sine rancore a virginis presentia recedens dixit: 'Num enim in ventum verba effundis et quod impossibile est et nature non admittit ratio, michi iniungis? Vadam enim secundum verbum tuum, et, si potero, quod precipis faciam; sed quam inefficacia sint que michi iniunxeris, in reditu meo vtique experieris [3].' Ad agros igitur [4] pergens, aues velut arenam innumerabiles, que sata consumpserant, inuenit. Quas vt vidit, in hanc vocem proculdubio prorupit: 'Ite, ait, et secundum iussionem domine mee infra eius includamini septa: quia hoc est quod vobis debeo facere ex obedientia.' Nec mora, statim quo iubebantur ire ceperunt, et seipsas nemine cogente, sed prefato famulo sequente, intra septa incluserunt. Quo facto custos agrorum animo vehementer consternatus, rei ordinem sancte Hilde enarrauit. Que statim accedens, auibus omnibus libertatem auolandi quo vellent concessit. Sed cum omnis turba volucrum per licentiam sancte virginis abisset, repente vna, que relinqui videbatur, mortua inuenta est. Cui cum beata Hilda preciperet vt sine dilatione surgeret et coalites suos absque mora apprehenderet, illico auis mortua reuixit et

[1] T. hastuciam. [2] T. dirriguerunt. [3] E. expergeris. [4] T. ergo; E. igitur.

imperantis sermonem agili volatu compleuit.——[1] In eius monasterio fuit frater quidam diuina gratia specialiter insignis, qui[2] carmina religioni et pietati apta facere solebat, ita vt quicquid ex diuinis litteris per interpretes disceret, hoc ipse post pusillum verbis poeticis, maxima suauitate et compunctione compositis, in Anglorum lingua proferret; cuius carminibus multorum sepe animi ad contemptum seculi et ad appetitum sunt vite celestis accensi. Alii enim post illum in gente Anglorum religiosa poemata facere temptabant, sed nullus ei equiparari[3] potuit. Non enim ab hominibus, neque per hominem institutus, canendi artem didicit, sed diuinitus adiutus gratis canendi donum accepit. Vnde nichil vnquam friuoli et superuacui poematis facere potuit: sed ea tantummodo que ad religionem pertinent, religiosam eius linguam decebant. In seculari siquidem habitu vsque ad tempora prouectioris etatis constitutus, nichil carminum aliquando didicerat. Vnde, cum in quodam conuiuio letitie causa decretum esset vt omnes per ordinem cantare deberent; cum sibi citharam appropinquare cerneret, surrexit, et egrediens, membra sopori dedit. Et ecce, astitit ei quidam per sompnum[4], et eum salutans ac suo nomine appellans, 'Cedmon, inquit, canta michi aliquid.' 'Nescio, inquit, cantare: et ideo de conuiuio recessi.' Rursum ille qui cum eo loquebatur, ait: 'Attamen cantare habes.' 'Quid, inquit, cantare debeo?' Et ille: 'Canta, inquit, principium creaturarum.' Quo accepto responso, statim ipse cepit cantare in laudem dei conditoris versus, quos nunquam audierat, quorum iste est sensus: 'Nunc laudare debemus auctorem regni celestis, potentiam creatoris et consilium illius, facta patris glorie: quomodo ille, cum sit eternus deus, omnium miraculorum auctor extitit, qui primo filiis hominum celum pro culmine tecti, dehinc terram custos humani generis omnipotens creauit.' Hic est sensus, non autem et ordo ipse, verborum que dormiens ille canebat. Neque enim possunt carmina, quamuis optime composita, ex alia in aliam linguam ad verbum sine detrimento sui decoris ac dignitatis transferri. Exurgens autem a sompno, cuncta que dormiens cantauerat, memoriter retinuit, et plura verba deo digni carminis adiunxit. Perductus autem ad sanctam Hildam; cum doctores quidam exposuissent illi quendam sacre scripture sermonem, optimo carmine quod iubebatur compositum reddidit. Mox ergo abbatissa amplexa gratiam dei in viro, secularem illum habitum relinquere et monasticum suscipere propositum docuit. Ille vero, que de sacra scriptura audiendo discere poterat, quasi mundum animal secum ruminando in carmen dulcissimum conuertebat, suauiusque resonando doctores suos vicissim auditores sui faciebat. Canebat autem de creatione mundi et origine humani generis et tota Genesis historia, de egressu Israel de Egypto et ingressu in terram repromissionis, de aliis plurimis sacre scripture historiis, de incarna-

[1] Bed. IV. 24. [2] B. quia. [3] B. eum equiparare. [4] *al.* sompnium.

tione domini, passione, resurrectione et ascensione, de spiritus sancti aduentu et apostolorum doctrina. De[1] terrore futuri iudicii et horrore pene iehenne[2] ac dulcedine regni celestis multa carmina faciebat. In quibus homines ab amore scelerum abstrahere, et ad dilectionem et solertiam bone actionis excitare curabat. Erat enim vir multum religiosus et humilis, et aduersus illos qui praue agere solebant, zelo magni feruoris accensus. Et factum est vt, qui simplici ac pura mente tranquillaque deuotione domino seruierat, etiam tranquilla morte mundum relinquens ad eius visionem veniret[3], illaque lingua que tot salutaria verba in laudem conditoris composuerat, vltima quoque verba in laudem ipsius, sese[4] et spiritum suum in manus eius commendando, clauderet. Qui etiam prescius sui obitus extitisse ferebatur. Cum enim sancta Hilda multis annis prefato monasterio prefuisset, placuit domino sanctam eius animam longa infirmitate carnis examinari, vt, iuxta exemplum apostoli, virtus eius in infirmitate perficeretur. Per sex igitur continuos annos eadem molestia laborare non cessabat. In quo toto tempore nunquam ipsa vel conditori suo gratias agere, vel commissum sibi gregem et publice et priuatim docere pretermittebat. Nam suo predocta exemplo monebat omnes, et in salute accepta corporis domino obtemperanter seruiendum, et in aduersis rerum siue infirmitatibus membrorum fideliter domino agendas gratias esse. Septimo igitur sue infirmitatis anno, conuerso ad interna[5] dolore, ad diem vltimum peruenit. Hora autem exitus eius a corpore, in alio longius posito monasterio quedam sanctimonialis femina[6] audiuit subito in aere notum campane sonum, quo ad orationes excitari solebant cum que[7] earum de[8] seculo fuisset euocata; apertisque, vt sibi videbatur, oculis, aspexit, detecto domus culmine, fusam desuper lucem omnia repleuisse; viditque animam prefate dei famule in ipsa luce comitantibus ac ducentibus angelis ad celum ferri. Et statim exurgens nimio terrore perterrita ad abbatissam currit que prefuit monasterio eodem anno a sancta Hilda constructo nomine Haconos[9]—et tresdecim miliaribus[10] a monasterio Hilde distabat—nuncians, beatam Hildam, illarum omnium matrem, iam a seculo migrasse, et, se aspectante, cum luce immensa ducibus angelis ad eterna gaudia ascendisse. Venerunt autem diluculo fratres a loco vbi defuncta erat, eius obitum nunciantes. Eadem etiam nocte cuidam virgini obitus illius in visione apparuit, que animam eius cum angelis ad celum eleuatam conspexit. Obiit autem quinto decimo kalendas decembris.

[1] Bed. Item de. [2] Bed. gehennalis. [3] T. E. venerat. [4] Bed. signando sese. [5] Bed. interanea. [6] Bed. nomine Begu. [7] E. que; T. quis corr. to que; Bed. quis eorum . . . euocatus. [8] E. de hoc. [9] Bed. Hacanos. [10] E. milaribus.

¶[1] De sancta Hildelitha virgine et abbatissa[2].

Berkinga monasterium, multorum sanctorum dinoscitur esse sacrarium. Plerumque enim super hunc locum quodam familiari respectu celum videtur apertum, et claritatem quam anime possident in celis effundere quodammodo ostenditur corporibus glorificandis. Ad magnam igitur gloriam hoc spectat beate matris Hildelithe, quod sola inter tot celestes velut preciosissima gemma excipitur, sola inter sua sidera velut clarissima premonstratur, sola post beatam Ethelburgam sanctitatis titulo solempnizatur. Vt autem pretereamus posteritatis merita; tempore quo beatus Edmundus martyrium pro Christo passus est, tota sanctarum virginum congregatio cum sua matre in hac sancta ecclesia a paganis est concremata. O quam recolenda pietas, vbi mater illa diuine familie, decurrente plumbo ardentis monasterii, vtrasque manus ad celum eleuans, et cum lachrymis omnes confortans, dixit: 'Sustinete, filie dilectissime, transitorium istum ignem, quo ad perpetuum currimus brauium. Iam nobis celum reseratur, iam palma martyrii et sempiterna gloria momentaneo dolore mercatur.' Iste enim virginales martyres cum superioribus virginibus velut plebs siderea vna commemoratione sine certa lugubratione et nomine recoluntur. Beata vero Hildelitha a gloriosis gloriosissima pretenditur. Hec enim virgo sancta non solum a Dunstano, Ethelwoldo, et Elphego digna veneratione est celebrata, verum etiam a multis sanctis antiquis sanctitas eius est predicata: et si nobis, ob culpam incurie vel ob premium fidei, ipsius miracula vel scripturarum indicia defecerunt, illi proculdubio clamantibus virtutibus hanc nouerunt qui primitus ante combustionem sacrorum voluminum per totam insulam per Danos factam, in lucernam omnium eam extulerunt, diemque suum sanctissimum esse sanxerunt. Huius itaque virginis gloriose instantiam et vigilem curam supra gregem sibi commissum breuiter tangit Beda venerabilis[3], confisus de cetero quod descriptus liber vite sancte Ethelburge, de quo hec et alia preclara exceperat, ad testimonium sanctitatis eius sufficeret. Adeo diuina charitate erat plena, et omnium virtutum doctrix et formula, in vigiliis, abstinentiis, benignitate, clementia, ceterarumque virtutum summa; ita animabus et corporibus prouidit necessaria, vt coram deo et hominibus incederet sine querela. Cetera vero vita vel merita beate Hildelithe latent nostra[4] tempora; quibus credimus non defuisse miraculorum testimonia, quamquam magis in fide, que per dilectionem operatur, quam in miraculis sanctitas sit comprobanda. Omnia tamen eius sacra gesta celo credimus esse descripta, tanto ibi clariora quanto hic obscuriora: cuius vita cum

[1] Ed. mostly in A. SS. Boll. March III. p. 485; cf. Beda IV. 10. [2] et abb. om. in T. [3] Beda IV. 10. [4] E. vestra.

Christo abscondita, clarior tandem apparebit cum ipso in gloria. [1] Successit enim beate Ethelburge in officium abbatisse, et vsque ad vltimam senectutem eidem monasterio strenuissime, et in obseruantia discipline regularis et in earum que ad communes vsus pertinent rerum prouidentia, prefuit, et exhortatione materna et conuersatione angelica omnes ad celestia trahens. [2] Tres enim femine cece ad patrocinia trium sanctarum virginum simul conuenientes, singule ad singulas sunt illuminate: vna videlicet ad sanctam Ethelburgam, altera ad sanctam Hildelitam, tertia ad sanctam Wlfildam [3].

¶ *Narratio* [4].

Sancto enim Pachomio apparuit diabolus in specie mulieris pulcherrime. Quam ille cernens, et phantasma esse agnoscens, orabat multum, vt euanesceret. Cui illa, propius astans, ait: 'Quid superflue laboras? potestatem accepi a domino temptare quos volo.' Ad quam ille: 'Quid vis esse?' Et illa: 'Ego sum virtus diaboli, et caligine voluptatis mortifere mortales inuoluo: sed tuis vel tibi, propter Christum qui humanatus est, appropinquare non possum, Sed nunquid ita semper erit? Veniet tempus post obitum tuum quando prout libuerit debachabor inter eos quos nunc orationibus tuis munis.' Sanctus ait: 'Et quis scit [5] si meliores tunc erunt qui illos corroborent. Nam tu prescire nil omnino preuales quod est solius dei.' Et illa: 'Plurima tamen [futura] ex precedentibus cognosco. Omnis enim rei principium tendit ad augmentum prius, deinde ad detrimentum vergit: sic et in hac vestra [6] professione, vt conicio [7] fiet. Nam inter initia sua signis et virtutibus roborata succreuit. Cum autem senescere ceperit, aut temporis diu[tu]rnitate lassescens [8] aut negligentia torporis [9] deficiens, ab incrementis propriis minuetur.' Post hec Pachomius instanter orabat vt sibi dominus reuelaret qui status monachorum post se futurus sit. Qui per visionem sibi factam edoctus est quod monasteria quidem multipliciter dilatarentur, et nonnulli pie et continenter viuerent, plurimi vero negligerent suamque salutem perderent, maxime vero per negligentiam prelatorum, quibus primatum tenentibus ambitiosa lite quis eorum presit contenderent. 'Et reprobabuntur boni prepositi, et mali eligentur. Et tunc omnia pene que diuinis regulis subnixa sunt, humanis commutabuntur illecebris.' Tunc Pachomius exclamans ad dominum ait: 'Heu me, quia frustra laboraui! Si enim tam peruersi erunt qui futuri sunt prepositi, eorum subditi quales erunt?' Tunc apparuit

[1] Beda IV. 10. [2] Cf. S. Ethelburga.

[3] Antiphon in T.:

Ad tumbam dilecte Hildelithe dominus soluit compeditos, erigit elisos, sanat egrotos, luminat cecos, exaudit supplices (MS. suplies), credulos: per quam dignetur infirmitates nostras sanare et tenebras illuminare. Ora pro nobis. (Collect destroyed.)

[4] Cf. Vinc. Bell. XVIII. 47; Vit. Patr. 267. [5] E. sit. [6] E. nostra. [7] E. conuicio. [8] T. E. lacescens. [9] T. E. corporis; VP. negligentie torpore.

ei mirabili fulgore quedam ymago spineam portans coronam, dicens ei: 'Confortare, Pachomi, quia posteritas tua vsque in finem non deficiet, et qui inter eos pie et continenter vixerit, amen dico requiem sortietur.'

¶ *Narratio*[1].

Eo tempore, secundum Bedam, Sebba rex Orientalium Saxonum, vir multum deo deuotus, floruit. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus, piis elemosinarum fructibus plurimum intentus; vitam priuatam et monasticam cunctis regni diuitiis et honoribus preferens, quam et olim, si non obstinatus coniugis animus diuortium negaret, relicto regno subisset. Cum autem triginta annis placitis deo operibus regnasset, infirmitate correptus, vix impetrato vxoris consensu, ab episcopo londoniensi habitum religionis suscepit, et summam pecunie maximam pauperibus erogandam episcopo[2] attulit, nihil omnino sibi reseruans. Qui cum diem mortis sibi imminere sentiret, accito ad se episcopo, consolatoriam, quam viderat, narrauit ei visionem. Vidit enim sibi assistere tres viros claro indutos habitu, quorum vnus dixit quod anima eius sine vllo dolore cum magno lucis splendore tertio die esset egressura de corpore. Die vero post hec tertia, quasi leuiter obdormiens sine vllo sensu doloris emisit spiritum. Et parato sarcophago, inuenerunt corpus mensura palmi longius esse illo. Cumque quid inde agerent hesitando quasi attoniti starent, subito, astante episcopo et filio regis eiusdem et turba hominum multa, inuentum est sarcophagum illud congrue longitudinis, vt a parte capitis ceruical interponi posset, et a parte pedum mensura quatuor digitorum corpus excederet. Sepultus est autem in ecclesia sancti Pauli apostoli.

¶ De sancto Honorio archiepiscopo et confessore[3].

BEato archiepiscopo Iusto ad celestia translato, sanctus Honorius pro illo est in presulatum electus, qui erat vnus ex discipulis beati pape Gregorii, vir magne reuerentie et in rebus ecclesiasticis sublimiter[4] instructus. Qui ordinandus venit ad Paulinum, et occurrente sibi illo in Lindecolnio[5], dorobernensis ecclesie consecratus est antistes. Cui etiam papa Honorius misit pallium et litteras, in quibus decreuit[6] vt cum dorobernensis vel eboracencis antistes de hac vita transierit, is qui superest consors eiusdem gradus, habeat potestatem alterum ordinandi loco eius qui transierat sacerdotem; ne sit necesse ad romanam vsque ciuitatem per tam prolixa terrarum et maris spacia pro ordinando archiepiscopo semper fatigari. 'Inter plurima,

[1] Ex Beda IV. 11. [2] Bed. vocabulo Valdheri qui Erkenwaldo successerat. [3] Ed. in Act. SS. Boll. Sept. VIII. p. 710. Abridged from Goscelin's Vita in MS. Cott. Vesp. B. XX, Harl. 105, Harl. 652 (an amplification of Beda II. 18 ff.). [4] T. sullimiter. [5] Bed. Lindocolino. [6] Bed. decernit.

inquit memoratus papa, que redemptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prerogare, illud etiam clementer collata sue pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affectus[1] vnanimam[2] dilectionem quadam contemplatione alternis[3] aspectibus representat. Pro quibus maiestati eius gratias indesinenter ex[s]oluimus, eumque votis supplicibus exoramus vt vestram dilectionem in predicatione euangelii elaborantem et fructificantem, sectantemque magistri et capitis sui sancti Gregorii regulam, perpeti stabilitate confirmet et ad augmentum ecclesie sue potiora per suos[4] suscitet incrementa: vt fide et opere, in timore dei et charitate, vestra acquisitio decessorumque vestrorum, que per domini Gregorii exordium pullulat[5], conualescendo amplius extendatur . . .' Tali itaque huius sancti pape fauore ac testimonio liquide patet hunc beatum Honorium gregoriane institutionis discipulum, hoc est apostolice vite et perfectionis dignum fuisse emulum. Nec illud etiam parue glorie preconium est quod per sanctum Felicem, a se ordinatum Orientalium Anglorum presulem, illam quoque ad Christum conuertit gentem. Beato vero Felice mortuo, loco eius ordinauit Thomam diaconum eius, de prouincia Girwiorum. Hiis temporibus turbatis rebus Northanhumbrorum, perempto rege Edwino, beatus Paulinus, assumpta secum Ethelburga regina, rediit Canciam nauigio, atque a beato Honorio honorifice susceptus est. Rex vero Edbaldus sorori sue Ethelburge dedit villam Limming[e] nominatam, in qua ipsa monasterium construxit, et a beato Honorio velamine consecrata, mater plurimarum virginum et viduarum facta est. Que post vite sue obitum sepulta est ibi idibus decembris. Paulinum vero episcopum roffensem constituit, qui ibidem finem vite dedit[6]. Sic [ergo][7] dux strenuus ac peruigil dominice milicie, aliis velut in acie diuina cadentibus alios subrogare certabat, ne scilicet seuo[8] hosti locus irrumpendi pateret, ne leo rugiens et querens quem deuoret, gregem domini sine defensore inuentum vastaret. Non solum [autem][9] altioribus, verum etiam inferioribus custodiis ecclesiarum fidelis et prudens dispensator domini prospiciebat, et omnia vt omnium solicitus procurabat. Ordinabat parochias[10] et cetera clericorum officia, docens omnes vt in omnibus se exhiberent sicut dei ministros, et plebem dei tam suauitate et patientia erudirent quam doctrina, tam pie conuersationis exemplo illustrarent quam exhortatione paterna; quatinus et christiani adhuc rudes in fide, et gentes adhuc incredule, diuini amoris attraherentur dulcedine, quam terroris austeritate. Sic enim deus sanctum Honorium fide purissima, conuersatione amabili, signis et virtutibus multis in terris ditauit, vt tanquam lucerna ardens et lucens huic regno effulserit, vt errores multos hereticorum euacua-

[1] *al.* affatus. [2] E. vnanimem. [3] E. alterius. [4] Bed. vos. [5] T. pululat. [6] add.: In cuius locum Hon. ordinauit Ithamar. [7] T. ergo; E. igitur. [8] E. seue. [9] so T., om. in E. [10] T. parrochias; G. parrochianos.

uerit, vt innumerabiles paganorum ad deum conuerterit, miserias multas hominum[1] orando, consolando releuauerit, et tota vita eius quasi speculum cernere cupientibus resplenduerit. Sibi parcus et Christi pauperibus largus, seruiens domino in spiritu humilitatis et officio totius charitatis, certabat inter illos annumerari quos beatificat sententia Christi: 'Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.' Studebat sibi et omnibus vigilare; orando, psallendo, excitando, omnes secum in occursum domini preparare. Sicque de huius mundi ergastulo ad patriam claritatis eterne transiuit, pridie kal. octobris, anno domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, et in monasterio apostolorum Petri et Pauli cum patribus suis sepelitur. Elapsis post hec multis annis, cum eius reliquie de terra eleuarentur, hora qua eius cripta cum effodiente sarculo aperta est, tam ingens odoris suauissimi fragrancia illico erupit, vt quicunque tunc sancto illi officio presentes aderant, odore illo respersi cum magna cordis deuotione laudes deo proclamarent. Derogabat quidam emulus huic sancto, preferens illi quendam secularis opulentie episcopum qui ecclesiam dei multis opibus et ornatibus extruxerat, cum istum[2] tale aliquid vtilitatis in vita sua fecisse nullum vestigium sit. Quod vbi eius loci prior nunciatum egre ferret, nocte subsequuta cuidam seniori quidam venerabilis in visu astitit, ita preclare lucens sicut sol, dicens: 'Quare ille talis hesterno die sanctum dominum[3] Honorium abusiua lacerare voluit detractione in pontificis laudati prelatione? Cur hiis relatis prior ex sacro euangelio non respondit: quia omnibus largitionibus diuitum copiosis plus due minute valuerunt euangelice paupercule apud iudicem iustum?' Hinc[4] [ergo][5] datur intelligi, huius paupertas quanto preciosior fuerit diuitiis seculi apud dominum, non auri probatorem sed fidei. Hic transitoriam huius mundi pompam respuens, et celestis regni gloriam semper desiderans, nunc cum domino regnans, dominum nobis propitium in hoc esse[6] seculo semper exorat[7].

[¶ *Narratio*[8].]

Anno gratie millesimo centesimo octuagesimo primo apud Rotham, secundum Vincentium, monachi de ecclesia beate Marie a quodam burgense pecunia accepta mutuo, eidem nomine pignoris cortinas ecclesie tradiderunt. Instante vero postea festiuitate sancte Marie, ne ecclesia destitueretur suo ornatu, rogabant monachi burgensem vt cortinas eius concederet, restituendas[9] statim post festum. Qui respondit quod ille cortine circa lectum vxoris in puerperio decubantis tendebantur, nec inde possent aliquatenus amoueri. Transacta igitur festiuitate, nocte proxima beata virgo vxori sue apparens ait: 'Vir tuus peccatum grande commisit, nec impietatis sue excessus relinqui poterit impunitus. Tertia itaque die morietur filius tuus, et vir tuus

[1] T. hominum multas. [2] E. iustum. [3] T. domini. [4] E. Huic. [5] E. igitur. [6] G. et in futuro. [7] G. exoret. [8] From Vinc. Bell. [9] T. restituandas.

die octauo, penas iuxta merita percepturus. Tu autem proficiscere ad ecclesiam meam apud Bethleem, et conspectis ibi tribus sepulchris, tibi medium eliges. Interim vero omni feria quarta circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, et decurret ab ore tuo et naribus sanguis; et vsque ad nonam sabbati velut mortua permanebis, et tunc tibi spiritus tuus restituetur.' Hiis dictis, beata virgo disparuit: et mulier viro suo sompnium enarrauit. Qui fidem non adhibens, vna cum filio, vt predicitur, debitum mortis persoluit. Mulier autem summo pontifici cuncta per ordinem confessa est: qui in hiis certior fieri volens, duodecim matronis eam commendauit, precipiens vt cum illa deficiente spiritu obdormiret, plantis eius ferrum infigerent, et de sanguine ab ore et naribus fluente aliquas vestes intingerent. Quibus vt iussum fuerat completis, nec in perforatione plantarum est mota, nec infectio vestimenti a sanguine in sabbato, reuerso spiritu eius, poterat apparere[1].

¶ De puero Hugone a iudeis crucifixo[2].

ANno autem domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, circa festum apostolorum Petri et Pauli, Iudei Lincolnie puerum vnum furati sunt, nomine Hugonem, octo annorum etatem habentem. Et cum ipsum in quodam conclaui secretissimo lacte et aliis puerilibus alimentis nutrirent, miserunt ad omnes fere Anglie ciuitates in quibus Iudei degebant, et conuocarunt de vnaquaque ciuitate aliquos Iudeorum, vt, in contumeliam et obprobrium Ihesu Christi, interessent sacrificio suo Lincolnie. 'Habebant enim, vt dicebant, quendam puerum absconditum ad crucifigendum.' Et congregatis multis Lincolnie, constituerunt vnum Iudeum pro iudice, tanquam pro Pilato. Cuius iudicio et omnium fauore affectus est puer diuersis tormentis. Verberatus est vsque ad cruorem et liuorem, spinis coronatus, sputis et cachinnis lacessitus, et[3] a singulis punctus cultellis[4], potatus felle, derisus probris et blasphemiis; et crebro ab eisdem frendentibus suis dentibus Ihesus pseudo-propheta vocatur[5]. Et postquam diuersimode illuserant ei, crucifixerunt, et lancea ad cor pupugerunt. Et cum expirasset puer, deposuerunt corpus de cruce, et, nescitur qua ratione, euiscerarunt corpusculum: dicitur autem quod ad artes magicas exercendas. Mater autem pueri, filium absentem per

[1] Collect in T.:

Intercede pro nobis, sacerdotum Christi dignissime, Honori pater piissime, ut cuius apud deum uirtus enituit magna, tua nos clemencia redimat a peccatis benigna. V. Amauit eum dominus.

Sancti nos, domine, Honorii confessoris tui atque pontificis commemoracio uotiua letificet et sue nos beneficiis intercessionis attollat, per.

[2] Ed. in Act. SS. Boll. 27, Iuly VI. p. 494; abridged from Matthaeus Paris. An Old French poem on the subject was ed. by Fr. Michel, 1834; English ballads in Halliwell Contributions to Early Engl. litt. 1849.

[3] MP. et insuper.

[4] MP. cultellis qui dicuntur anelatii.

[5] MP. vocatus.

aliquot dies diligenter quesiuit: dictumque est ei a vicinis quod vltimo viderunt puerum quem quesiuit ludentem cum pueris Iudeorum sibi coetaneis, et domum Iudei cuiusdam [1] intrantem. Intrauit igitur mulier subito domum illam, et vidit corpus pueri in quendam puteum precipitatum. Et caute conuocatis ciuitatis balliuis, inuentum est corpus et extractum. Mater autem pueri, querula et clamosa [2], omnes ciues, immo [3] omnes [4] conuenientes [5], ad lachrimas et suspiria prouocauit. Erat autem ibidem nobilis quidam [6] nomine Iohannes [7], vir quidem [8] circumspectus et eleganter litteratus, qui ait: 'Audiuimus quod quandoque [9] Iudei in obprobrium Ihesu Christi domini nostri crucifixi talia non sunt veriti attemptare,' et capto vno Iudeo, in cuius domum intrauit puer (ipse Hugo) [10] ludens, et aliis ideo suspectior, ait illi: 'Miser, nescis quia te festinus manet interitus [11]? totum aurum Anglie non sufficeret ad ereptionem vel redemptionem tuam. Verumtamen dicam tibi, licet indigno, qualiter poteris vitam tuam saluare et membra, ne mutileris. Vtrumque tibi saluabo, si quecunque in hoc casu perpetrata [12], sine falsitate aut fraude [13] mihi pandas.' Iudeus igitur ille, nomine Copinus, sic credens viam inuenisse euadendi, respondit dicens: 'Domine Iohannes, si dictis facta compenses, pandam tibi mirabilia.' Et animauit eum et incitauit ad hoc eiusdem Iohannis [14] industria. Et ait Iudeus: 'Vera sunt que dicunt Christiani, Iudei fere quolibet anno vnum puerum in iniuriam et contumeliam Ihesu crucifigunt: sed non quolibet anno comperitur, nam occulte hoc faciunt, et locis abditis et secretis. Hunc autem puerum, quem Hugonem vocant, inmisericorditer nostri Iudei crucifixerunt; et cum obisset, et mortuum abscondere vellent, in terra obrui non potuit nec abscondi. Perutile [15] enim reputabatur corpus insontis augurio: ad hoc enim euiscerabatur. Et cum mane putab tur absconditum, edidit illud terra et euomuit, et supra terram inhumatum apparuit. Quo viso, Iudei multum abhorrentes, cum illud in puteum proiecissent; (deo volente) nec tunc occultari potuit. Nam mater pueri improba omnia perscrutando, corpus inuentum balliuis intimauit.' Iudeo itaque, precepto prefati Iohannis vinculis mancipato, canonici ecclesie lincolniensis corpusculum sibi tradi petierunt, et tanquam preciosi martiris venerabile corpus et sanctum honorifice terre tradiderunt. Iudei vero decem diebus puerum infra sua habitacula clausum tenuerant, vt tot diebus lacte pastus atrocia perfidorum tormenta fortius tollerare posset. Increpauit autem rex Iohannem prefatum quod tam flagitioso [16] vitam, quam dare non poterat, pollicebatur. Cumque Iudeus videret se nullo modo mortem euadere posse, ait: 'Imminet mihi mors mea, nec potest mihi

[1] E. cuiusdam iudei. [2] E. cl. voce. [3] MP. in uno. [4] om. in MP. [5] T. conuenientes omnes. [6] E. nomine quidam. [7] MP. Ioh. de Lexintona. [8] T. E. quidam. [9] MP. quandoque quod. [10] ipse Hugo om. in T. [11] E. interritus. [12] MP. aguntur. [13] MP. sine falsi stamine. [14] E. ioannis. [15] MP. Inutile (!). [16] T. flacioso.

dominus Iohannes perituro suffragari. Nunc omnibus vobis veritatem pandam. Morti huius pueri, de qua calumpniantur Iudei, consentiebant omnes fere Iudei totius Anglie, et cuiuslibet fere ciuitatis quidam electi, ad pueri illius immolationem quasi ad paschale sacrificium conuocabantur.' Et cum hoc et alia deliramenta palam enarrasset, ad caudam equi ligatus, ad patibulum trahitur et aereis[1] cacodemonibus in corpore et anima presentatur. Alii vero Iudei, huius facinoris participes, quater viginti et vndecim Londonias ducti carcerali custodie tradebantur. Facta demum per iusticiarios regis inquisitione diligenti, decem et octo de nobilioribus Iudeis vrbis Lincolnie pueri martirio consentientibus, equis ad patibulum sunt tracti et postea suspensi, ceteris in arcta[2] custodia reseruatis.

[Ms. T. adds: *Incidencia*[3].

Presbiter quidam commissam sibi cum magno timore domini regebat ecclesiam: qui a tempore ordinis accepti presbiteram suam ut sororem diligens, set quasi hostem cauens, ad se propius accedere nunquam sinebat. Anno quadragesimo ordinacionis sue grauiter febre correptus, ad extrema deductus est. Set cum eum presbitera sua conspiceret solutis iam membris morti uicinum; si quod adhuc ei uitale spiramen inesset, naribus eius apposita curauit aure dinoscere. Quod ille senciens, cui tenuissimus inerat flatus, quanto adnisu[4] ualuit erupit dicens: 'Recede a me, mulier: adhuc igniculus uiuit, paleam tolle.' Illa recedente, concrescente uirtute corporis, cum magna cepit leticia clamare dicens: 'Bene ueniunt[5] domini mei: quid ad tantillum seruulum uestrum estis dignati conuenire? Venio, gracias ago.' Et astantibus, quid hoc esset querentibus, ait: 'Num hic sanctos apostolos conuenire [non] uidetis? Petrum et Paulum apostolorum principes nonne aspicitis?' et hiis dictis spiritum emisit[6].]

¶ De sancto Hugone episcopo et confessore[7].

Sanctus Hugo genetricis solatio cum [prime][8] necdum etatis metas excessisset orbatus [est][9] collegioque regularium clericorum vna cum genitore sociatur, ac fere octennis erat cum militie spiritualis tyro-

[1] Boll. aeris. [2] T. arta. [3] cf. Gregor. Dial. iv. 11. [4] T. ad nisum. [5] G. veniant.

[6] Collect in T.:

Hic insignis hostia puer immolatus, Hugo celi gloria celse coronatus, A Iudeis perfidis martir cruciatus, Nostros reddat placitos Christo famulatus. V. Posuisti domine super c. eius.

Deus qui beatum puerum Hugonem martirem tuum, a Iudeis in contumeliam et obprobrium Christi dilecti filii tui crucifixum, indiciis miraculorum honorare uoluisti; concede nobis meritis eius et precibus peccatorum ueniam et gloriam sempiternam, per.

[7] Abr. from the Magna Vita by Adam, a contemporary, in MS. Digby 165 and Paris Bibl. 5575, ed. by I. F. Dimock, Rolls' Ser. 1864, an abbreviation of it in Pez Bibl. ascetica Ratisb. 1733, X. 389, Migne 153; another life in Surius VI. 387; a metrical life was ed. by Dimock, Linc. 1860. [8] om. [9] Vit. sociatus.

cinia subiret. Boni quippe parentis pro eo inuigilante solertia, prius docetur militare deo, quam addisceret viuere mundo. Sic demum infantile corpus flagella pedagogi attrectant, sic discipline [compedes][1] motus in eo pueriles coercent, vt et virtutibus vitia preteriret, et tota vita eius esset vnum et iuge martirium. De seipso aliquibus referre solebat: 'Ego mundi huius gaudia nunquam attigi, iocos nunquam didici, nunquam sciui[2].' [3]In grannopolitano[4] territorio in quodam cenobio canonicus regularis factus, ecclesiasticis litteris imbutus est. A ludendi iocandique vanitate mentem suspendens, honestis exercitiis se immiscuit. Coeuis suis frequenter ludentibus, sibi talia paterne dulcedinis instillabant hortamenta: Solebat enim sibi dicere pater suus[3]: 'Non te, inquit, dulcissime fili, alliciat stolida leuitas sociorum. Sine illos: sorti tue istorum studia minus conueniunt.' Addebatque: 'Hugonette, Hugonette, ego te Christo nutrio: iocari non est tuum.' Vigebat enim ingenii acumine magno, quo velotius, queque vellet, addisceret. Hugone autem adulto, pater eius, qui in eodem cenobio sub regulari disciplina vixit, crebris cepit vrgeri incom[m]odis: quem filius suus, quamdiu vixit, ducebat, portabat, vestibus et calciamentis tegebat, lectum ei sternebat, et in omnibus sedule ministrabat. Zelo tandem arctioris religionis ductus, ordinem cartusiensem ingressus est. Ibi enim stimulo carnis sue grauissime temptatus, carnem suam vigiliis et mira abstinentia domabat. Promotus tandem ad ordinem sacerdotii, quantum creuit ordine, tantum profecit sancta deuotione. In altaris enim[5] officio ita versabatur, ac si visibilem manibus contrectaret dominum saluatorem. Domabat enim corporis membra vigiliis, ieiuniis, flagellis, et iuxta morem ordinis vsu cilicii, et potu aque cum arido pane. Tanta demum carnis temptatio, cum procurator domus factus fuisset, subito exorta est, vt mallet iehennalibus interim tradi penis, quam tantis vrgeri flammis. Tam ingens pugna, tam forte certamen fuit, quod [solius][1] diuine non dubitetur virtutis fuisse quod non cessisset, sed viriliter resistendo triumphum reportaret. Viro dei tandem, prostrato nec superato, non victo sed fatigato, tenuis obrepsit sopor: et ecce, vidit virum qui illum susceperat ad ordinem illum, nomine Basilium, vultu angelico radiantem sibi astare et dicere: 'Quid [tibi][1], inquit, est, fili charissime? Cur ita iaces pronus in terra? Surge, et velle tuum fiducialiter loquere.' Et cum temptationem suam ei reserasset, mox patefactis nouacula quam manu tenebat visceribus eius, quasi strumam igneam inde visus est exsecuisse et longius extra cellam proiecisse. Expergefactus vero, in corde et in carne se repperit immutatum. Cuidam familiari suo querenti vtrum aliquem postea senserit in carne sua motum: 'reuera, inquit, quod aliquem senserim non nego, sed simplicissimum, et quem non minus contempnere quam comprimere esset facillimum.' Cum

[1] om. [2] *al.* sitiui. [3–3] Iohn of Tynemouth here blunders, past mending, in abridging the Vita. [4] *al.* Gratianopolitano; i. e. Grenoble. [5] om. in T.

autem fama viri dei ad aures regis Henrici Anglie peruenisset, misit nuncios Cartusiam, vt eum priorem Withamie, in episcopatu bathoniensi, constitueret. Qui statim fratribus ait: 'In medio vestre sanctitatis tam diu conuersatus, monitis et exemplis vestris adiutus, nunquam [uel][1] per vnum diem animam meam custodire sciui: vnde miror quomodo ad regendas aliorum animas mitti longius debuissem. Qualiter instituere nouam domum sufficerem, qui antiquorum instituta seruare nequiui? Puerilia sunt ista que audio, et nec deliberationis tante spacio aliquatenus digna.' Tandem vero, licet multum renitens, prior Withamie factus est. Factum est autem vt deficerent[2] sumptus ad edificia construenda: et mittens Hugo semel atque iterum fratres ad regem, [cum][3] nihil preter promissiones et verba reportarent, assumpto[4] quodam fratre nomine Gerardo ad curiam profectus est. Quos rex benigne excipiens, blanda locutus, bona pollicitus, causam dilationis excusans, celerius omnia perficienda promittens, sumptus tamen non contulit, nec quando esset collaturus certius intimauit. Tunc frater Gerardus regem durius cepit arguere, inter cetera dicens: 'Totum vobis regnum vestrum, domine rex, quietum cedo et ad nostram potius cartusiensem heremum vobis valefaciens mox redibo. Putatis vos gratiam nobis exhibere si vestro nos vel pane sustentetis, cum eo penitus non egemus? Verum melius[5] nobis est ad saxa nostrarum confugere Alpium, quam ad talem hominem habere conflictum qui totum quod pro sua suggeritur[6] salute, tanquam perditum arbitratur. Habeat igitur[7] citius amissurus, et cui nescit ingrato relicturus, opes quas tantum amat; nec Christus hiis dignatur, nec quisquam bonus christianus, participari.' Hec et satis duriora Gerardo prosequente, tanto vice regis Hugo suffusus est rubore, vt totus inhorresceret et vix confusionem cordis sui toleraret. Monebat fratrem modestius effari, talibus parcere aut penitus silere. Verum [is][8], vt erat conscientie purioris, iam dictis alia atque alia quibus principem corrigeret aut erudiret superaddit. Interea vero rex nec vultum[9] mutauit nec verbum edidit, immo tacitus et tranquillus dicentem sustinuit, quousque vniuersa que mente conceperat ore parturiret. Habito post hec aliquamdiu silentio, priore vultum pre confusione deprimente, rex conuersus ad Hugonem ait: 'Nunquid [et][8] tu abire disponis et cedere nobis regnum nostrum?' Et complexus eum, cum iuramento ait: 'Per salutem anime mee, dum vixero, tu a meo regno non discedes. Tecum enim partiar consilia salutaria, tecum et studia anime mee necessaria.' Et mittens confestim sumptus, opus cum summa instantia compleri iussit. Contigit enim regem Henricum cum magna classe sua, orta tempestate in mari pene naufragari. A prima enim vigilia noctis mare intumescens, seuientibus[10] ventis, naues nunc astris inserere, nunc immergere abisso laborabat. Rex

[1] om. in E. [2] E. deficeret. [3] T. E. et. [4] E. assumpta. [5] *al.* satius. [6] *al.* geritur. [7] Vit. sibi. [8] om. [9] Vit. vultus. [10] *al.* furentibus.

tandem hiis malis pressus[1], in hec verba prorupit: 'O, inquit, si vigilaret nunc cartusiensis Hugo meus, si secretis intenderet modo precibus, si cum fratribus suis diuinis interesset officiis, non ita in longum mei obliuisceretur deus.' Tunc altius ingemiscens ait: 'Deus omnipotens, cui seruit prior Withamie in veritate, illius interuentu ac meritis nobis, in tanta pro peccatis nostris angustia iuste deprehensis, clementer miserere.' Ferunt quidam [etiam][2] eum vouisse quod si ad portum incolumis perueniret, eum ad pontificalem gradum promoueret. Nec mora, pelagi fragor, ventorum turbo subsedit et euanuit; cadunt fluctus, redit aura lenior, fretum funditus complanatur, naues optato potiuntur littore, referunt vniuersi gratiarum actiones diuine clementie. Vir autem dei, constructis edificiis, tempus omne quod sompni sola necessitas sibi vendicasset[3], orationi aut lectioni, meditationi vel spirituali collationi indulgebat, vel exhortationi. Nunquam lectulus eum tenuit vigilantem: mox vt membra stratum excepisset[4], et ipsa sopor pariter excipiebat; [si][2] quando excitaretur a sompno, confestim vel ad orationem surgebat, vel sub momento rursus in soporem soluebatur. Contigit enim vt cum rege quodam tempore familiarius agens, de penuria librorum intersereret mentionem. A quo admonitus vt conscribendis libris insisteret, membranas sibi deesse respondit. 'Et quantum, inquit rex, tibi vis conferri ad supplendum hunc defectum?' 'Vna, inquit, marca argenti diu sufficiet.' Rex vero ad hec subridens ait: 'O quam immoderate grauas nos!' iussitque, fratri[5] qui cum eo erat decem marcas numerari[6]. Promisitque [etiam][2] bibliam[7] ei se transmissurum: et sub multe recompensationis pollicitatione bibliam pulcherrimam a priore Sancti Swituni petiit, et impetratam Hugoni transmisit. Cumque postea monachus quidam Wintonie illuc aduenisset, et ab illo bibliam domus sue fuisse didicisset, ait: 'Itane dominus rex ecclesiam vestram fraudauit libro vestro? Crede mihi, frater, restituetur vobis bibliotheca vestra; sed et fratribus vestris deuote supplicamus quatinus nobis, defectum codicis sui eos sustinuisse ignorantibus, humiliter dignentur indulgere. Si vero librum recipere non acquiescis, ego ei restituo qui hunc nobis destinauit.' Tandem monachus cum difficultate vix librum recipiens, ad domum suam rediit. Waltero tandem, lincolniensi episcopo, in archiepiscopum rothomagensem electo, de consensu regis in episcopum lincolniensem electus, cum magna instantia et difficultate vix consensit. Cum enim ei fuisset electio nunciata, respondit quod pontificalis officii non susciperet dignitatem, nisi prioris Cartusie preuenisset assensus[8]. Qui cum fuisset obtentus non sine graui labore solempnium nunciorum, et nunciatus ei fuisset, dixit quod ad regimen ecclesie lincolniensis non accederet, nisi prius ei de canonicorum vnanimi et libera

[1] E. pressis. [2] om. [3] Vit. minime vind. [4] E. excepissent. [5] E. frater. [6] E. munerari. [7] Vit. bibliothecam. [8] In the Vita, he first insists on election by the Chapter.

voluntate constaret. [1] Decanus igitur Lincolnie cum maioribus capituli sui accessit ad locum cui preerat vir sanctus: qui inter prima colloquia sic eorum sibi gratiam comparauit, quod eum patrem ac pastorem habere deuotionis affectu feruenter optabant: et tunc primo consensit. Prima nocte qua in episcopatu suo dormiens quieuit, audiuit vocem dicentem sibi: 'Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo[1].' Processu vero temporis summum regis forestarium, contra libertatem ecclesie debachantem, districte conuenit et excommunicauit. Quo audito, rex vehementer contra eum motus est. Vacante interim quadam prebenda, rogauit eum rex vt ad instantiam suam cuidam [aul]ico[2] suo eam conferre curaret. Qui litteris perlectis ait: 'Non aulicis, sed potius ecclesiasticis ecclesiastica oportet beneficia conferri personis. Habet dominus rex vnde recompenset[3] in temporalibus pro temporalibus sibi militantium laborem.' Quibus auditis nimis offensus rex, ipsum protinus accersiuit: et in nemore quodam residens, magnatibus, in modum corone considentibus, precepit vt nullus accedenti episcopo assurgeret, nullus aduenientem salutaret. Nec mora, adest ille, salutat regem et consedentes: sed nullus eum resalutat. Quo viso, accessit episcopus propius, manuque leuiter scapulis cuiusdam magni ducis, qui regi assidebat, imposita, locum sibi iuxta regem fecit. Facto autem aliquantulum silentio, rex tandem, vultum erigens demissum, dari a quodam assistentium acum sibi precepit cum filo. Quo facto, suere cepit manu propria lesum panniculoque inuolutum leue sue digitum. Hoc videns episcopus, et sui causa silentium factum esse cognoscens, conuersus ad regem hiis verbis totam cordis eius erectionem tumidam elisit, dicens: 'Quam similis es modo cognatis tuis de Phalesia[4]!' Hoc quidem[5] telo, blando et leui, sed mirum in modum penetrabili et preacuto, rex precordialiter traiectus, conserit digitos, soluitur in cachinnum, ore supino in terram deponens ceruicem[6], risibusque diutius frena laxabat. Mirabantur assidentes supra modum et stupebant sub tali articulo improperium tale tanto principi ab homine tali fuisse intortum. Et admirans rex viri confidentiam, palam dixit: 'Num, inquit, intelligitis cuiusmodi nobis contumeliam[7] barbarus iste intulerit? Ego vobis dictum illius explanabo. Constat genitricem proaui nostri Willelmi Conquestoris de stirpe mediocri traxisse originem ac de Phalèsia[4] oriundam. Municipium hoc arte pelliparia celebrius excolitur. Quia vero me suere digitum meum derisor iste conspexit, iccirco cognatis [me] meis phalesiensibus similem esse improperauit.' Cumque rex modeste eum arguisset de forestarii excommunicatione et [aulici][2] ad prebendam non acceptatione, et ille rationabiliter ad omnia respondisset, placatus rex, orationibus sancti episcopi se recommendauit, et speciali beniuolentia eum de reliquo deuote am-

[1–1] om. in Vit. [2] T. E. clerico. [3] Vit. compenset. [4] Vit. Falesia (i.e. Falaise, in Normandy). [5] *al.* quasi. [6] E. seruicem. [7] E. contumeliam nobis.

plexatus est. Singulis autem annis semel aut bis apud Witham venire consueuit, vbi more aliorum in cella solitaria manebat, que semper ei absque habitatore vacua seruabatur; in qua meditabatur et orabat, reficiebatur cibo et sompnum capiebat. Inde ad publicum quandoque progrediens, celestibus quodammodo radiis ex consortio sermonis domini cornutam gerere videbatur faciem. Cum autem quodam die sabbati apud Bukkedene [1], manerium suum, missam celebraret, inter manus eius hostia eleuata in verum corpus Christi a quodam clerico, Iohanne nomine [2], conuersa videtur. Apparuit enim in forma infantis paruuli, diuino quodam nitore atque candore super estimationem hominis nimium decori. Finita missa, accessit ad episcopum, secrete dicens: 'Domine, in crastino post festum omnium sanctorum, cum psalterium in ecclesia quadam decantarem, vox quedam subito auribus meis illapsa [3] est dicens: "Surge, inquit, fili et episcopo lincolniensi ex parte dei quantotius intimare stude quatinus cantuariensem moneat diligenter archipresulem vt pariter secum vigilantius intendat ad corrigendum statum cleri et ecclesiarum. Nimis enim offenditur diuina maiestas per ea que indesinenter fiunt a rectoribus ecclesiarum et ministris earum. Sacerdotes enim et aliorum graduum persone omni vitiorum genere, maxime luxurie sordibus fedati, sacramentum indigne et irreuerenter tractantes, quantum in se est polluere non verentur. Ecclesie ad regendum indignis traduntur personis, et more prediorum ad firmam relinquuntur, turpisque lucri gratia sub annuo [4] censu locantur ad questum; de cura animarum et refocillatione pauperum nullus est sermo. Hec et hiis similia tam minorum quam maiorum precordiis dominantur. Hinc grandis furor et ira dei tam populo imminet, quam vniuersis pariter habitatoribus terre huius." Cumque hec secundo audisse[m] [5], et ad domum reuersus lecto [m]e dedisse[m] [6], tertio eadem replicari audiui [7]. Cui statim respondi [8]: "Et quomodo verbis meis, qui etate et ratione infirmus sum, fidem habere poterit?" Tunc is qui loquebatur ait: "Fidem verbis tuis habebit, cum ea que super altare coram ipso celebrante perspexeris intimabis." Cum enim hodie misse vestre interessem, in manibus vestris corpus domini nostri Ihesu Christi sub specie infantis paruuli [9], bis supra calicem a vobis eleuatum, indignis licet oculis euidenter conspexi.' Hec clericus ille fluentibus per genas lachrimis prosequebatur. Vir autem [10] domini vbertim inter hec flebat, et extergens oculos clerici, osculatus est eum, dicens: 'Nulli omnino, que vidisti reuelare presumas.' Preterea diligentius eum hortari studuit vt religionis habitum suscipiens deo seruire tota mente maturaret. Asserebat non esse conueniens vt qui talia vidisset et audisset, in seculi vanitate versari deberet. Qui monitis eius acquiescens et monasticum habitum sus-

[1] = Bugden, Hunts. [2] Ioh nom. om. in Vit. [3] E. elapsa. [4] E. animo. [5] T. E. audisset. [6] se dedisset. [7] audiuit. [8] respondit. [9] E. peruuli. [10] *al.* quoque.

cipiens, in magna vite sanctitate et abstinentia deo iugiter[1] seruiuit. Cum enim rex Anglie Richardus contra regem Francie in rebus bellicis occupatus fuisset, et diffinitum esset vt prelati, comites, et barones trecentos milites in expensis suis per annum regi exhiberent, asseruit constanter vir dei, lincolniensem ecclesiam ad seruitium militare domino regi exhibendum solum in terra Anglie teneri, extra regnum vero[2] nil tale ab ea deberi. Id ipsum vero sarisbiriensis[3] episcopus dixit. Quod cum ab archiepiscopo Huberto, Anglie custode, regi relatum esset, rex in ira et[4] furore magno omnia que episcopi erant, quantotius iussit confricari, saresbiriensem vero proscribi. In res vero viri dei nemo presumpsit manus extendere: dum et offensam eius metuunt[5], et anathema illius quasi capitale supplitium reformidant. Ad regem tandem accedens, et eum missam audientem inueniens, salutauit eum. Ipse vero verbum non respondit ei, sed cum illum parumper toruis fuisset oculis[6] intuitus, faciem ab eo auertit. Cui episcopus constanter ait: 'Da mihi osculum, domine rex.' Qui magis auertit aspectum ab eo, vultumque et caput in partem aliam declinauit. Tunc episcopus circa pectus vestem illius fortiter constringens, iterum dixit: 'Osculum mihi debes: quia de longinquo ad te venio.' Tunc rex ait: 'Non meruisti vt osculer te.' Qui fortius concutiens eum per capam, quam stricta tenebat manu, confidenter dixit: 'Immo merui'; et adiecit 'Osculare me.' Tunc ille admiratus fiduciam constantie, paululumque subridens, osculatus est eum. Aderant enim ibi duo archiepiscopi, et episcopi quinque: quos ipse directe pertransiuit, quamuis ei locum parassent, ac secus cornu altaris gressum figens, demissis in terram luminibus diuinorum tantummodo celebrationi animum intendebat. Quem interea rex non parum curioso et pene continuo aspectu considerabat. Et cum pacis osculum sacerdos cuidam dedisset archiepiscopo, qui regi pacem oblaturus[7] esset, rex ei vsque ad gradus obuius processit, sumptumque pacis accepte signum cum humili reuerentia episcopo lincolniensi per oris sui osculum porrexit: Itaque[8] princeps illustrissimus venerationis obsequium, quod sibi archiepiscopus deferre parabat, ipse potius episcopo sancto exhibere studuit. Cum vero post missam pauca sed fortia, quod in illum nihil deliquisset euidenti ratione ostendisset, retorsit rex crimen offense in archiepiscopum, qui sibi de eo sinistra sepe suggesserat[9]. Placato itaque rege, apprehensa manu eius a sede sua ipsum eleuans pertraxit seorsum vsque ad altare, sicque eum secretius alloquutus est: 'Noster, inquit, parochianus es, domine rex, nobisque incumbit pro anima tua, quam dominus cruore suo redemit, in tremendo iudicio respondere. Volo igitur mihi dicas qualiter se habeat status interior anime tue, vt auxilium, prout superna aspirauerit gratia, possim adhibere.' Cui cum rex conscientiam suam sibi

[1] T. iugiter deo. [2] T. extra vero r. [3] T. saresb. [4] E. et in. [5] Vit. met. incurrere. [6] E. oculus. [7] *al.* allaturus. [8] *al.* Ita. [9] *al.* suggessisset.

bonam esse fere in omni[1] nisi quod odio laboraret hostium quos infestos nequiter[2] pateretur, respondisset, episcopus ait: 'Si per omnia deo placueris, facile tibi inimicos pacatos efficiet, aut subiiciet expugnatos. Verum tibi cauendum est vt[3] auctori tuo in aliquo nequaquam iniuriosus existas, aut in proximos quicquam iniquum committas. De te vero, quod mestus loquor, iam publicus rumor est quod nec maritali thoro fidem seruas, nec ecclesiarum priuilegia, in preficiendis maxime rectoribus earum, illibata custodis, quodque pecunie interuentu quosdam ad regimen animarum promouere soles. Quod, proculdubio, si verum est, pax tibi a domino concedi non potest.' Sicque regem de variis diligenter admonuit et instruxit, [et] de aliis quidem se penitus excusantem, de aliis opem intercessionis sue sedulo flagitantem, cum benedictione dimisit. Rex quoque postea cum suis de viro dei loquens et virtutem animi eius multa laude attollens, dixit: 'Si enim tales, qualis iste est, passim essent et ceteri episcopi, nullus contra eos regum aut principum attollere presumeret ceruicem.' Vix episcopo in Angliam reuerso, idem rex contra regem Francorum impetu facto, captis multis optimatibus illius ipsum in fugam egit. Huius autem triumphi seriem mox sancto viro significans, vt pro eo, sicut ceperat, orare dignaretur suppliciter exorat; nomina quoque et numerum fortium quos ceperat litteratorie expressit. Hanc autem victoriam meritis sancti viri celitus regi concessam[4] multi indubitanter asscripserunt[5]. Cum autem per quandam villam sanctus episcopus transitum faceret, inuenit demoniacum mirabiliter oculos in girum rotantem, os nunc in hanc nunc in illam partem miserabili rictu contorquentem. Nunc linguam in immensum ab ore protendebat, nunc dentibus stridebat; hiatu faucium immanissimo patulum gutturis meatum, ac si quoddam ingens baratrum et intuentibus horridum demonstrabat. Facto autem super eum sancte crucis signo, dictoque 'in principio' euangelio Iohannis, aspersa super eum aqua benedicta perfecte vir ille liberatus, in posterum vitam in melius studuit emendare. [6]Vir sanctus domos leprosorum per quas transitum faciebat ingredi consueuit; quam humilitatem Willelmus cancellarius lincolniensis videns, experiri voluit vtrum propter excellentiam huius operis elatio tangeret animum viri iusti, et[7] dixit: 'Martinus leprosum osculando sanauit: vos leprosos quos osculamini non sanatis.' Cui episcopus ait: 'Osculum Martini leprosum sanauit: osculum vero leprosi animam meam sanat.[6]' Erat autem mulier quedam spiritum, vt videbatur, habens phitonicum, que indicauit passim furta a quibuscunque admissa, et occulta queque detegebat maleficia. Si vero a quouis corripiebatur, importuna lingue volubilitate arguentem quasi stupidum reddebat et elinguem: sicque omnes verbositatis affluentia opprimebat, vt nullus eam euincere aut ei silen-

[1] *al.* omnibus. [2] *al.* nequiter infestos. [3] Vit. ne: nequaquam om. [4] T. E. concessum. [5] Vit. affirmabant. [6–6] om. in Vit.; cf. Surius. [7] om. in T.

tium valeret imponere. Ad quam cum accessisset sanctus episcopus, quasi cum indignatione obiurgans habitantem in ea demonem dixit: 'Age, inquit, o infelix, quid nosti diuinare nobis?' Preferens autem clausum pugnum, extremitatem stole sue in eo tenuit implicitam, dicens: 'Dic, si quidem nosti, quid habeat inclusum manus ista.' Et statim velut exanimis corruit ad pedes eius muliercula, paulo ante procax et ceruicosa. Aufugerat[1] enim agitator internus qui male vexauerat[2] eam. Et cum debilis aliquamdiu iacuisset, inquisiuit qualiter diuinationis peritiam accepisset. Que respondit: 'Nescio diuinare; sed misericordiam iugiter imploro.' Cumque imposita manu capiti eius pro ea breuiter orasset, precepit ei de omnibus peccatis penitentiario puram facere confessionem, et data benedictione dimisit eam. Intimauit autem exoniensis episcopus sancto Hugoni quod demon quidam in specie iuuenis abuti consueuerat quadam infelici muliercula in sua diocesi[3] constituta, que tam sibi quam aliis deuote confessa, ieiuniis et variis carnis afflictionibus membra sua fere vsque ad internitionem perdomabat, sed nihil contra improbum amatorem prorsus conferebat. Cui sanctus ait: 'Si enim iste[4] contra peccatum contritione cordis, confessione oris, et corporis afflictione deletum[5], erigitur, nil aliud superesse video nisi vt oretur pro ea instantius apud clementiam redemptoris.' Quod cum exoniensis cum innumeris se fecisse diceret, sanctum virum pro ea suppliciter exorare flagitabat. Cui ille: 'Hoc enim non ego tantum, sed quisque fidelium deuotissime facere debet.' Post hec digressis ab inuicem episcopis, et non multo post occurrentibus, inquisiuit sanctus qualiter res se haberet circa ouiculam gregis sui quam pestifer ille lupus immaniter laniarat. Cui ille non solum ereptionem, sed ordinem[6] satis mirabilem exposuit in hunc modum: 'Adiuta, inquit, orationibus vestris, dudum illa euasit probrosum iugum seruitutis. Cum enim die quadam incestus ille demon incredibili eam vexasset libidine et pene exanimem reddidisset, abcedens euanuit, et illa dolori et merori addicta sola remansit. Et ecce quidam in specie iuuenis ad eam ingrediens, causam tante mesticie inquisiuit. Qua nil respondente, ille ait: "Scio vereque noui quia nequam ille afflixit te, sed nec mirum: est enim peruersus admodum et malignus. Verum si consiliis[7] meis acquiescere volueris, nunquam de cetero ad te accessum habere poterit." Ad hec illa plurimum exhilarata respondit: "Nihil est, inquit, sub celo quod non libens facerem, dummodo ab eius accessu saluari possem." "Mecum ergo, ait ille, fedus amoris inire ne dubites: quecunque optaueris tibi prestabo, nihil tuis exigam votis contrarium, nihil non delectabile seu amabile tibi inferam." Quod cum illa fideliter sponderet, herbam quandam non procul a domo sua crescentem monstrauit ei, dicens: "Tolle herbam istam et in sinu tuo reconde, ac circumcirca in domo tua sparge[8]. Dum autem

[1] T.E. Affugerat. [2] Vit. vegetauerat. [3] E. deocesi. [4] Vit. ista. [5] om. in Vit. [6] Vit. ereptionis ordinem. [7] Vit. desideriis, etc. [8] E. sperge.

hoc feceris, in promissis me veridicum tunc probabis." Quod cum illa fecisset, venit demon, et astans prope fenestram qua intrare solebat, et introspiciens, dixit ad illam: "Quidnam est istud horridum et putridum quod in hac ede sparsisti? Proiice quantotius longe a te et a domo tua inuisum gramen quod tibi applicuisti." Illa vero dissimulante, nunc minis nunc blandiciis vt herbam eiiceret, quam se horrere diceret[1], instantius exorabat. Et cum se contemptum videret, minax et furibundus recessit. Nec multo post affuit alter, dicens: "Vera[2]-ne esse didicisti que tibi loquutus sum? Nunc ergo, dum tecum secretius loquar, amoue herbam illam: et post discessum meum resumes, quia illa[3] conseruaberis ab insidiis hostis tui." Ad hec illa: "Venies, inquit, si velis ad me: sed herbam istam vita comite nunquam reiiciam a me." Quid plura? Post[4] preces, post minas, post blanditias circumuentum a muliere se videns, in auras inanes demum euanuit. Mulier vero in[5] fide et deuotione ac bona conuersatione melius, quam herba illa, armata, in dei timore vitam postea duxit honestam et quietam. Vocatur autem herba illa grece yperichon, latine vero 'herba perforata' siue '[herba] sancti Iohannis' dicta est. Venenum enim specialiter consumere dicitur, siue[6] bibita siue alio modo sumpta. Valet etiam morsui animalis venenosi[6], si trita et aquis temperata patienti detur in potum. [7]Cum autem sanctus Hugo febribus grauissimis vexaretur, suis ait: 'Cernimus enim manifeste quod in breui flebilis sit futurus status ecclesie anglicane. Mori igitur nobis melius est, quam viuere et videre imminentia gentis huius mala et sanctorum. Nam proculdubio in posteris Henrici regis impleri[8] necesse est quod scriptura dicit[9]: "Spuria vitulamina non dabunt radices altas," et "ab iniquo thoro semen exterminabitur." Sed et rex modernus Francorum sanctum genitorem suum Ludouicum[10] vleiscetur in sobole preuaricationis, que thorum immaculatum repudiauit eiusque emulo Anglorum regi impudica adhesit. Quamobrem gallicus ille Philippus regiam Anglorum ita delebit stirpem, quemadmodum bos herbam solet vsque ad radices carpere. Nam a Gallis tres ipsi[us] nati [iam] abrasi sunt, reges videlicet duo, et vnus dux. Quartus, qui superest, curtam habebit pacem ab eis.' Facta namque ab omnibus peccatis suis pura confessione, cum eucharistia ad ipsum deferretur, obuiam nudis plantis, cilicio, tunica et cuculla vestitus, processit a lecto et genua flectens suppliciterque adorans diutius orauit. Refectus autem vite eterne dapibus, gratias egit deo, et addidit: 'Ne vero fiscus solito rapiat, vniuersa que habere videor indigentibus erroganda do et lego[11] domino nostro Ihesu Christo.' Cum autem archiepiscopus eum visitans suggereret[12] vt si quem forte verbo vel

[1] Vit. dicebat. [2] T. vere. [3] Vit. qua illesa. [4] Vit. Et iste, sicut ille prior, post, etc. [5] Vit. iam. [6–6] Vit. siue bibitum s. a. m. sumptum aut e. morsu virulenti a. inflictum. [7] Cf. Vita, p. 332. [8] E. implere. [9] Sap. iv. 3; iii. 16. [10] E. ludiwicum; T. ludouicum. [11] Vit. delego. [12] E. surgeret.

facto lesisset, veniam petere meminisset, et, quia suos sepe animos acerbe prouocasset qui [1] spiritualis pater et primas eius haberetur, cordis [2] penitudo venieque necessaria videretur postulatio; ita respondit: 'Sane, dum conscientie nostre abdita queque reuoluo, quia vos sepe ad iras prouocauerim euidenter inuenio. Quod tamen inde penitendum mihi sit non perpendo, sed quia sepius et instantius hoc ipsum non egerim mihi dolendum scio. Sed et crebrius solito, si diutius [uobiscum] [3] vita ducenda restaret, idipsum me facturum, sub oculis cuncta inspicientis dei firmissime propono. Memini namque quia ea que tacere non debuissem, [queque] [4] a vobis si dicerentur equanimiter non [5] audirentur, sepe ignauiter suppressi. sicque uestram [6] potius quam patris qui in celis est offensam declinaui.' Dixit autem vir iste inter cetera: 'Odio, inquit, seu amore, siue [7] spe vel timore persone aut rei cuiuscunque nunquam a veritate iudicii me scienter exorbitasse memini; si iudicando deuiaui a recto, hoc proprie ignorantie, aut certe assidentium, crimen fuit.' Anno autem domini millesimo ducentesimo sexto, in octauis beati Martini, sanctus Hugo, plenus bonis operibus migrauit ad dominum. Et cum de Londoniis ad Lincolniam corpus sanctum deferretur, in manibus puerorum cerei quatuor iugiter ardebant, quos nec ventorum spiramina nec ymbrium stillicidia ullatenus [8] extinguere valebant. Cum autem apud Bikeleswade deuenirent, et in ecclesia per noctem illam sanctum corpus ponere vellent, in introitu ecclesie turba comprimente brachium hominis cuiusdam confractum est. Qui ad domum delatus, et demum in soporem tenuem resolutus, vidit episcopum brachium suum manibus contrectantem, et post paululum, data benedictione, ab ipso recedentem. Euigilans autem vir ille brachium omnino sanatum inuenit. Apud Stanford [9] quoque [4] vir quidam vite innocentis bonisque studiis deditus, arte sutoria sibi et familie sue victum querens; hic capite sub feretro immerso, oculis ac manibus in celum erectis in hunc modum orare cepit: 'Gratias tibi ago, pater misericordiarum et deus totius consolationis, quia misertus es mei et [in tantum] [4] consolatus es me vt [10], quod in hoc mundo super omnia concupiui, corpori sanctissimo serui tui corpus meum tot peccatis obnoxium quiuissem adiungere et ei qui fideliter tibi seruiuit meruissem approximare. Deprecor igitur te, omnipotens deus, vt in hac nocte animam meam cum anima istius sancti in requie perenni, vbi eam esse non dubito, iubeas collocari.' Nec mora, ad domum rediit, confessionem et testamentum fecit, eucharistiam recepit: et mox spiritum in pace emisit. Cum autem in ecclesia lincolniensi corpus sanctum poneretur [11], mulier quedam multis annis cecitate percussa, oculorum lumen tacto eius corpore sacro perfecte consequuta est. Dum enim matrona quedam iuxta [12]

[1] E. et, T. quia. [2] Vit. unde c. [3] om. in E. [4] om. [5] E. a nobis non. [6] E. nostram. [7] E. sine. [8] E. nullatenus. [9] T. Stamford. [10] T.E. et. [11] E. puneretur. [12] E. iuxtum.

sanctum corpus insisteret [precibus][1], fur quidam bursam eius, solidos aliquos [2] continentem, repente incidens, cecitate percussus est. Et cum huc atque illuc tanquam ebrius abire [3] temptaret, nec valeret, delictum suum palam confitens et loculum matrone restituens, lumen oculorum amissum recepit[4].

¶ De sancto Iltuto abbate et confessore[5].

SAnctus enim Iltutus filius fuit nobilissimi militis nomine Bicani, mater eius Rieinguilida[6] filia regis[7] Britannie Minoris extitit. Hic enim a parentibus litteris commendatus, ad[8] iuuenilem etatem veniens, militie animum dedit. Tante enim erat memorie, vt audiens magistri sententiam vna vice, cordetenus omni tempore retineret[9]. Audiens autem Arthuri regis consobrini sui magnificentiam, illum visitare decreuit: et ab ipso cum honore receptus est. Tandem ad regem Morganensium[10] veniens, curiam eius sub ipso rexit secundus a rege factus. Contigit die quadam, cum duceret familiam regalem venando per territorium sancti Cadoci, illa quiescens misit ad abbatem Cadocum cum rigidis verbis vt sibi prandium dirigeret; sin autem, vi[11] cibum tolleret. Cumque sanctus dei quod sufficeret remisisset, familia discumbens voluit prandere: sed apposita[12], caruit comestione[13]. Nam pro illicita petitione et sacrilega offensione tellus iniquam turbam deglutiuit. Iltutus vero militum princeps, quia inique petitioni consentire noluit, viuus euasit—et nec in loco in quo fuerat familia pastum expectando, affuit, sed procul abierat accipitrem tenens. Et videns quid [de][14] sociis actum erat, timuit; ad sanctum Cadocum accelerans, genu[15] flexo consilium emendandi ab illo postulauit quod deliquit. Ille vero consilium dedit illi, secularem habitum deserere, et in toto vite sue spacio propter eternam retributionem summo creatori seruire. Ille vero verbis sancti assensum prebens, cum sopori membra dedisset, vidit angelum domini, qui inter cetera ei dixit sic[16]: 'Miles olim fuisti a regibus[17] honoratus: sed nunc regi regum precipio vt seruias, ampliusque transitoria non diliges. Nam insidiator adest qui te conatur illudere, te dampnare desiderans toto posse[18]. Te videt, tu non vides eum corporali lumine; nisi caueas et te protegas, destruere te poterit. Hic leone seuerior[19],

[1] om. [2] *al.* aliquot. [3] Vit. adds nutando. [4] Collect:

[O] quam grata dei pietas, pia gracia quanto Fenore retribuit meritorum premia sanctis, Eternaque breues mercede remunerat actus. Hec indeficiens Hugonis gloria pandit. V. Elegit sibi dominus uirum de plebe, Et claritatem uisionis eterne dedit illi.

Deus qui beatum Hugonem confessorem tuum atque pontificem eminencia meritorum et claritate signorum excellenter ornasti, concede propicius ut [eius] exempla nos prouocent et uirtutes illustrent, per (Sar. Br.).

[5] Abr. from the Vita in MS. Vesp. A. XIV. ed. Rees. [6] so V.; T. Riemguilida, E. Rieniguilida. [7] Named Anblaud in MS. Vesp. [8] T.E. et ad. [9] E. reteneret. [10] sc. Poulentum. [11] E. in. [12] MS. V. velle. [13] T.E. commestione. [14] om. in E. [15] E. et genu. [16] T. sic ei dixit. [17] E. regionibus. [18] V. toto conamine. [19] V. sevior.

volatili velocior, veneficus inuisibilis rapit et retrahit, raptaque reddere respuit, punit punibiles [1]. Die enim crastina cum surrexeris, ad siluestrem vallem [2] versus occidentalem plagam, vbi mansionem habebis, gressus tuos dirige.' Quo mane facto, et mansione apta inuenta, Dubricium landauensem episcopum adiit, qui tonsis capillis eius coronam benedixit, et ad locum suum eum remisit. Constructa itaque ecclesia, Iltutus vigilauit ieiunando assidue, et orabat sine intermissione; laborabat propriis manibus, in alienis laboribus non confidens. Nocte media aquam frigidam intrauit, et inde ad ecclesiam pergens et genua flectens, summo conditori preces fundebat. Cum autem rex [3] illius prouincie die quadam venationi insisteret canesque suos post ceruum vnum instigaret, ille exagitatus fugam petiit, cubiculum sancti Iltuti introiuit, et humano quasi more ab illo querendo refugium ante pedes sancti fatigatus procubuit. Canes vero expectantes stupefacti a latratibus [cessabant] [4]. Et admirans rex latratus silentium, venit, et canes mitigatos et ceruum domesticum inuenit. Iratus rex quia seruus dei sine licentia sua ibi habitare presumpserat, ceruum petiit, Iltutus tamen reddere noluit. Rex tandem humilitatem viri dei considerans et miraculum, non intrauit ad eum, sed ceruum sibi diuinitus datum libenter eidem concessit. Cumque regem esurientem ad prandium Iltutus inuitasset, ministrum ad stagnum misit; qui piscem mire magnitudinis rethe captum, coram rege apposuit. Sed quia sal appositum mense non erat, gustare noluit. Iltutus vero, panem et sal illa hora non habens, orauit dicens: 'Effector omnium creaturarum atque donator [5] potest efficere, si gustaueris, domine rex, vt in gustato pisce habeas quod habere affectas.' Hoc audito rex comedens, diuersorum ciborum sapores in vna specie habuit, et gustata aqua ab Iltuto sibi propinata, diuersos liquores in illius haustu sentiebat. Tunc tradidit rex Iltuto, iussu angeli sibi apparentis, totum illum locum, ad construendum inibi monasterium. Confluebant ad sanctum Iltutum discipuli plurimi: inter quos fuerunt Sampson, Paulinus, Gildas, et Dauid. Constituit enim quinquaginta fratres, qui continuam animarum memoriam haberent. Affligebatur enim crebra equoris inundatione et fluuiali appropinquante alluuione [6]: vnde fusa ad deum prece, precepto angeli domini mane surgens venit ad mare cum baculo: et cepit mare fugere velut esset animatum sensibile. Quando vero littus siccatum apparuit, cum baculo pupugit: et fons limpidissimus de terra erupit; et licet prope pontum sit, aquam tamen claram et dulcem semper emittit. Nec est reuersum mare ad solitum vsque in diem hodiernum. Autumpnali tempore inceperunt volucres messem sancti Iltuti decerpere et fere vacuatis spicis deserere. Hoc comperto, discipulis suis alternatim singulis diebus segetem custodire precepit. Sampson vero, vnus discipu-

[1] E. punibulis; T. punibilis. [2] sc. Hodnant. [3] V. rex Merchiaunus prenomine Vesanus. [4] T. E. expectabant. [5] V. don. donandorum. [6] T. illuuione; V. cimiteris.

lorum, cum teneret vicem suam, et incolumem intactamque segetem seruare non posset, diuinum consilium et auxilium querit: et datum est illi diuinitus agitare volucres sine volatu. Temptabant enim volare, nec poterant: compellitque illos[1] ante se abire, quasi domestica[2] quadrupedia spontanea voluntate. Coacti ad ostium[3] venerunt, et ostio aperto sine mora intrauerunt. Quo die crastina cognito, Iltutus libertatem volandi quo vellent eis concessit, et ne amplius segetem suam tangere presumerent interdixit. Hoc diuulgato miraculo, missis legatis in dolensem episcopum [Sampson] eligitur; et cum a Dubricio, landauensi episcopo, diaconatum reciperet, apparuit pontifici et Iltuto abbati columba niue candidior, super caput iuuenis in ordinatione sua sedens[4]. Cumque multis annis sedem dolensem in Minori Britannia Sampson rexisset, post finem vite sue posito in sarcophago corpore eius, subito ventus validus commouit et leuauit illud ad mare, et transito mari ad ostium Iltuti venit: et ille in loco honorabili cum hymnis et canticis illud collocauit. Coniunx enim quondam beati Iltuti[5] casta viuens, quotidie hora nona in pane ordeaceo et aqua soluebat iciunium. Que vice quadam visitare volens Iltutum, vidit illum operosum fossorem pro assidua fossura lutulentum per faciem, macies quoque attenuauerat faciem eius. Inquisiuit ab eo suaue colloquium: audienti inquisitio displicuit inquisitusque nullum responsum reddidit; noluit videre illam nec videri. Et cum propter visitationem incongruam visum oculorum amisisset, rogatus tamen Iltutus diuinum implorauit auxilium, quo pristinum recuperare posset visum: et exauditus est, mulierque ad locum suum rediit. Prepositus[6] cuiusdam regis[7], cuius vita omnibus erat abhominabilis, abbatem Iltutum frequenter offendebat et clerum suum, multa iniuste direpta a domino suo rege exigi fingebat, illo tamen inscio[8] et sine eius precepto. Omnibus irascebatur, et omnes mala imprecando illum oderant. Omnipotens igitur dominus fecit illum quasi ceram mollitam et liquefactam ardore igneo liquescere, nec vsquam in mundo comparuit. Quo audito offensus rex, furore nimio sanctum Iltutum interficere, et clerum destruere cogitauit. Vir igitur dei, locum dans ire, perrexit ad quendam fluuium[9], et in speluncа secreta per annum latitauit, omni nocte super frigidam petram iacens. Hora autem nona singulis diebus mittitur illi celitus panis vnus ordeaceus et vna particula piscis; vicinoque de fonte aquam hauriens sitim extinxit. Vbique in siluis, saltibus et latebris inquisitus, deo protegente inueniri non potuit. Legatus interim quidam Gilde historiographi illuc transiens cimbalum eneum, a Gilda compositum et sancto pontifici Dauid transmissum, deferebat: et ecce sine humano motu cimbalum clare sonare cepit. Quo audito Iltutus exiens, pulchritudinem illius et

[1] so V.; E. aues illas; T. illas. [2] V. domita. [3] T. hostium. [4] V. considens. [5] V. nomine Trinihid. [6] V. nomine Cyblim. [7] sc. Meirchiaun. [8] E. nescio. [9] V. Eugenni fluminis marginem.

sonum admirans, quo deferretur didicit. Cum autem sanctus Dauid cimbalum in manibus teneret, et nullum sonum redderet, inquisiuit si a quoquam in via probatum vel tactum fuisset. Et audito quod factum fuerat, ait: 'Scio quod magister noster Iltutus illud affectans petere noluit, sciens illud mitti ad me. Reuertere ergo ad speluncam, et cimbalum ex parte mea magistro meo conferre stude.' Quibus auditis, venerunt monachi et abbatem Iltutum cum gaudio ad monasterium reduxerunt. Prepositus[1] regis in arcendis pascuis pecorum et armentorum aduersari sepe et offendere sanctum dei et fratres non timuit: pecora quandoque per triduum claudens exire non permisit. Iltutus autem deum iugiter exorauit vt ad cor rediens correctus ab iniquitate conuerteretur. Cumque vitam emendare contempneret, tellus os suum aperiens deglutiuit eum. Quo audito rex offensus, sanctum Iltutum aut interficere aut de suo dominio[2] penitus expellere volens, armatus de castro egressus ad portam monasterii venit. Et dum ad homicidium perpetrandum paratus staret, terra absorbuit eum. Aggrauatus demum Iltutus a multitudine confluentium et in orationibus suis impeditus, tribus annis in spelunca quadam mansit, omni die hora nona celestem pastum ab angelo sibi delatum sumens. Nocte quadam duo latrones gregem porcorum viri sancti furati sunt: et cum estimarent rectam tenere viam, per totam noctem vagantes in aurora ad monasterii portam inuenti sunt. Et cum idem facinus nocte secunda presumpsissent, et sicut prius in aurora redissent, rex celestis in lapides duos, vsque hodie in miraculi testimonium ostensos, corpora eorum transmutauit. Volens Iltutus visitare ecclesiam que est in Monte Tumba, fratribus precepit vt totum monasterii frumentum excussum in granariis poneretur. Post peregrinationem rediens cum videret multos inedia afflictos, dominum suppliciter exorauit: et ecce allatum est diuinitus frumentum vsque ad portum in Minori Britannia optatum; vnde se tota patria virtute dei pauit, et ad seminandum suffecit. Transito post hec mari ad monasterium suum venit; et cum finis vite appropinquaret, ad Minorem Britanniam regressus, apud ciuitatem dolensem clarus miraculis et signis atque prodigiis celebris, terre corpus, spiritum quidem deo commendauit, octauo idus nouembris. Anglorum rex Edgarus, bachanti furore commotus, commouit exercitum suum propter Morganensium inobedientiam, atque illuc adducens, violando sanctorum territoria et ipsa templa, nullam villam a depopulatione immunem reliquit. In hac itaque inuasione ablata fuit nola sancti Iltuti ab ecclesia sua, et ad Angliam a quodam predone perlata. Remeante enim exercitu ligata est nola circa collum equi cuiusdam, qui in monte quodam cum ceteris exercitus equis herbam carpebat. In meridie vero dum rex in tentorio quiesceret, visum est regi quod quidam terribilis miles suum pectus lancea perforasset; et grauiter rex excitatus suspirans,

[1] V. nomine Cefygid. [2] E. correptus; V. corrigeretur et. [3] E. de sua domo.

quod viderat enarrauit, imperauitque exercitui[1] deo et sancto Ituto raptam reddere predam: emendationem delicti promisit, et in honorem eiusdem sancti ecclesiam edificari iussit, et seruitoribus loci territorium totum concessit. Hec tamen promissio regis et voluntas anime sue tantum proficere videbatur: nam post malum incolis perpetratum nono die ab hac luce migrauit. Prefatus interea equus nolam deferens, nullo compelliente cum toto armento equestri, nole dulcedinem sequente, Sabrinam transiuit et vsque ad Ituti ecclesie ianuam peruenit. Ibi enim nola illico super saxum cecidit; et ex casu vnius partis fracturam vsque hodie in miraculi memoriam apparentem ostendit. Et cum singuli fratrum singulos equos accepissent, et de valoris inequalitate discordia orta fuisset, die crastina viderunt equos omnes equales, et nullum alium in valore precellentem.

[MS. T. adds: ¶ *Narratio*[2].

Quidam frater stimulabatur cotidie a cogitacionibus suis per annos nouem, ita ut metu ipso desperaret de salute sua, et adiudicauit semetipsum dicens: 'Perdidi animam meam: et quia perii, uadam ad seculum.' Qui cum abiret, uenit ei in uia uox dicens: 'Temptaciones quas in nouem annis sustinuisti, corone tue sunt[3]. Reuertere ergo in locum tuum, et subleuabo te a cogitacionibus malis.' Vnde cognoscitur quia non est bonum desperare [de] se aliquem pro hiis que in cogitacionibus ueniunt. Hec enim cogitaciones magis coronam nobis prouident, si eas bene superare et pati nos contingat.]

¶ De sancto Indracto et sociis eius martiribus[4].

POstquam vero beatus Patricius populum hiberniensem ad fidem Christi in signis et prodigiis conuertisset, Britanniam mari transito aduenies, apud Glastoniam in senectute bona vitam feliciter consummauit. Hibernienses enim, quia de Roma sanctus Patricius missus eis fuerat apostolus, vrbem Glastoniam, orationis ac deuotionis gratia peregrini crebro visitare solebant. Erat enim in Hibernia regis cuiusdam filius, nomine Indractus, litterarum studiis imbutus, virtutibus insignitus, et omnium morum honestate coram deo et hominibus conspicuus: et vt gaudia possidere mereretur celestia, regales delicias et mundi blandimenta cum suis concupiscentiis penitus calcare, et omni affectu fugere deliberauit. Assumptis ergo secum nouem consortibus, cum sorore sua, nomine Dominica, peregrinationis gratia versus Romam iter arripuit. Cumque prospero nauigio in Britanniam ad portum nomine Tamerunta appulsi fuissent, per longum ibi tempus in dei seruitio vitam arctissimam ducentes,

[1] E. exercitum. [2] Cf. Vit. Patr. 903. [3] VP. erunt. [4] Ed. in Act. SS. Boll. 5 Febr. I. 696. Abridged from the Passio by Will. Malm. in MS. Digby 112, fol. 95 12th cent., with various additions; cf. Iohannes Glaston. Chron. ed. Hearne, p. 101. [5] FG. illuc excurrere coepit atque redeundo Gl. frequentare.

oratorium, in quo orationibus iugiter vacarent, construxerunt. Indractus vero baculum peregrinationis sue ibidem in terram fixit: et sine mora radices, frondes et folia, in conspectu omnium, produxit [1], et in maximam quercum et vmbrosam processu temporis excreuit. Fecit quoque stagnum quoddam paruulum, de quo pisces iuxta numerum certum quotidie sumpsit: et nec plures nec pauciores, sed absque numeri diminutione pisces in stagno semper inuenit. Accidit enim vt vnus sociorum suorum temptationi diabolice acquiescens, piscem vnum quadam die furari presumeret: et offenso domino, quousque pisces omnes defecissent, vnus quotidie de numero diminutus est. Quo viso vir dei Indractus obstupuit, et moram suam in loco illo deo vlterius non placere timens, vnanimi fratrum consensu sorori sue valefecit, et Romam cum sociis celeriter properauit. Rediens autem in Britanniam, versus Glastoniam ad sanctum Patricium ire et preces deo fundere disposuit. Illis enim diebus Yne rex Westsaxonum in villa nomine Pedret curiam suam tenuit, cuius ministri in villulis per circuitum dispersi erant. Inter quos erat quidam iniquitatis filius, nomine Hona: [qui] [2] Indractum virum dei et socios a Glastonia discedentes explorans, peras eorum pecunia repletas crudelis lictor existimabat. Cumque non procul a Glastonia serui dei recedentes in lectis [apud Shapwike] [3] quiescerent, minister sathane prefatus cum suis complicibus domum, in qua innocentes dormiebant, violenter ingressus, extractis gladiis illos iugulare non timebant: et assumptis corporibus sanctis, in profunda quadam fouea, ne reperiri possent, illa absconderunt. Rex autem Yne nocte quadam nimio ventris dolore vexatus, (vt noxias deliniret [4] ac forte mitigaret angustias) cameram exiuit: et respiciens in celum, vidit columpnam quasi ignis perspicuam, a loco in quo corpora sancta abscondita erant in celum tendentem [5]; cuius splendor suos oculos, quocunque eos verteret [6], sequebatur. Cumque per tres noctes eandem visionem perspexisset, quibusdam secum assumptis, venit ad locum, et inuentis martirum corporibus, cum magno honore apud Glastoniam ea sepeliri fecit. Indractum vero ad sinistrum cornu altaris, ex opposito feretri beati Patricii, et socios suos per pauimenti circuitum ponunt. Interfectores autem innocentium cum ceteris ibidem astantes, a demonibus arrepti, tam immaniter sunt cruciati, quod carnes proprias adhuc viui lacerabant, cum magnis clamoribus post modicum miserabiliter vitam finientes. Mulier quedam ydolis ab infantia seruiens, nullis predicationibus ad viam vite conuerti valens, cum columpnam a rege visam super sanctorum corpora vidisset, ad corpora sanctorum appropinquare non audens, cum confessis sacerdoti peccatis suis baptismi gratiam consequuta fuisset, ad locum sanctorum cum magna deuotione properabat: et ibi [7], quod viderat, palam cunctis enarrans, octoginta vtriusque sexus

[1] E. perduxit. [2] om. [3] apud Sh. om. in T.; cf. Ioh. Gl. [4] E. deleret; T. deliniret. [5] E. tendentes. [6] E. verterent. [7] T. E. et vbi.

fidem Christi suscipere fecit. Rex enim Westsaxonum filium habens [1] incurabili morbo percussum : quem cum ad sanctorum sepulchra adduci precepisset, pristine mox sanitati restituitur. Diues quidam sanctorum sepulchra visitare assuetus, vice quadam vxorem cum paruulo filio vix loqui valente, nomine Guthlaco, ad tumbam sancti Indracti [2] [duxit] [3]. Et cum vigiliis fessi dormire cepissent, apparuit infantulo vir exurgens a leua parte altaris pulcher et decorus, clericali tonsura decoratus, et porrigens librum infantulo, ait : 'Vis, inquit, in hoc legere, fili mi?' Illo vero se velle concedente [3], confestim [4] eum docuit. Puer autem expergefactus a sompno, rem matri, vt viderat referebat. Cumque clerici puero codicem porrigerent, ipse statim legebat, et sine lingue titubatione, que legerat exponebat.

Narratio [5].

Quodam monacho [girante] in ciuitate cum puella iuuencula, et petente elemosinam, quidam illos videntes scandalizati, nunciauerunt sancto Iohanni elemosinario quod ille monastice vite mulierem habens derogaret. Tunc sanctus, volens prohibere peccatum, iussit mulierem flagellari, monachum vero verberari et in carcerem retrudi. Quo facto, apparuit ei per visum nocte monachus, ostendens ei dorsum suum ex flagellis putrefactum [6], et dixit : 'Ita placet tibi [7], domine patriarcha? Certe, in hac vice, vt homo, errasti.' Et hec dicens recessit. Mane autem vir sanctus memor visionis misit pro monacho, qui erat in carcere, et fecit eum expoliari coram se, vt dorsum eius videret, si ita esset vt in sompnis viderat. Quo facto, dei voluntate solutus est amictus quo erat indutus, et cecidit : et omnes viderunt eum esse eunuchum. Tunc vir sanctus ait, ignoranter se peccasse in deum et in eum ; monens [8] tamen non ita oportere monachum circumducere mulierem ad scandalum videntium. Ille vero humiliter rationem reddebat, dicens : 'Nuper cum essem Gaze, exeunte me de vrbe hec mulier occurrit, dicens se esse hebream et velle fieri christianam ; contestans etiam me verbis horribilibus vt [9] eam perire non dimitterem. Timens ergo [10] iudicium dei, sumpsi eam, et baptizaui, et girabam cum ea simplici corde modicum exposcens sumptum, quo introducerem eam in monasterium.' Tunc sanctus, narrata visione, protulit centum nummismata, daturus ei. Ille autem nihil accipere volens, ait : 'Monachus, si fidem habet, horum non indiget ; et si hiis eget, fidem non habet.' Hoc maxime omnibus qui audierunt fidem fecit quod seruus dei esset [11].

[1] r. habuit. [2] T. yndracti. [3] T.E. venit [4] E. consedente. [5] T. confestum. [5] Cf. Vinc. Bell. XXII. 110. [6] E. putrifactum. [7] E. tibi placet. [8] E. mouens. [9] VB. ne. [10] E.erga. [11] Antiph. very short, but only (leta)mini is readable. Collect :

Largire nobis quesumus, domine, beati Indracti martiris tui sociorumque eius meritis, stipendia salutis eterne, ut casta semper pectora baiulantes, laudes tue clemencie referamus letantes, per.

¶ De sancto Iohanne de Beuerlaco episcopo et confessore [1].

BEatissimus enim Iohannes archiepiscopus eboracensis, intra Anglorum confinia natus et educatus, cum adhuc puerili pubesceret euo, Theodoro cantuariensi archiepiscopo instruendus committitur. Qui illum omni probitatis more instruxit, atque sanctarum prudentia scripturarum edocuit. Cumque iam bene imbutus diuersorum librorum esset litteris, rura passim regionis peragrauit plurima, verbum dei plebi seminans. Postquam enim episcopus Eata venerabilis cursum humane vite compleuit, deo disponente et Alfrido rege annuente presulatus suscepit honorem idem Iohannes in loco qui Heghstoldisham [2] vocatur, Tina fluuio a parte australi subtus decurrente. Multos autem diaconatus ordine, et presbiterii sanctificauit honore: de quorum collegio sanctus [3] Beda extitit, qui multa apostolice fidei cultoribus scripsit vtilia.——[4] De sancto enim Iohanne plura virtutum miracula qui eum familiariter nouerunt dicere solent, et maxime vir reuerentissimus Berthunus, diaconus quondam eius, sed postea abbas monasterii quod vocatur Deirwode, id est 'Silua Deirorum——,' modo vero Beuerlacus appellatur; de quibus aliqua memorie tradere vtile duxi. Est autem locus [5] quidam vno miliario et dimidio ab Hagustaldensi ecclesia, interfluente Tine amne separatus, habens oratorium sancti Michaelis, in quo vir dei sepius, et maxime in quadragesima, manere cum paucis, orationi ac lectioni vacans [6] operam dare consueuerat. Cum autem incipiente quadragesima ibidem mansurus aduenisset, iussit suis querere pauperem aliquem maiori infirmitate vel inopia grauatum, cui illis diebus elemosinam facere posset,—sic enim semper facere solebat. Qui adduxerunt ei adolescentem quendam mutum a natiuitate, sed et scabiem et furfures habentem in capite, vt nil capillorum nasci valeret. Quo ingresso, apprehendit eum et signum sancte crucis lingue eius imprimens, loquelam perfecte restituit ei [7], medicoque capitis eius curam commisit. Et adiuuante benedictione ac prece antistitis [8], nata est cum sanitate cutis, venusta species capillorum. Factusque est iuuenis limpidus vultu et loquela promptus, capillis pulcherrime crispis, qui ante fuerat deformis, pauper, et mutus. Cum autem monialis quedam in monasterio Vetadun [9], cui tunc Hereburga abbatissa prefuit, in prouincia eboracensi posito, fleubotomata esset in brachio, tacta est infirmitate doloris repentini, quo mox excrescente, adeo brachium in tumorem versum est, vt vix duabus manibus complecti posset, et iam quasi moritura videretur. Cum autem episcopus horam minutionis cognouisset, ait: 'Multum insipienter et indocte

[1] Abridged from Beda, V. 2 ff., and the life in MSS. Corp. Chr. Coll. Cbr. 161, Tib. D III, (which life is compiled from Beda and Folcard's Vita in MS. Faustina B IV); with additions from the Miracula in A.SS. Boll. 7 May II, p. 179. [2] E. hegstoldisham. [3] T. sanctum. [4] Cf. Beda. [5] Bed. mansio. [6] Bed. quietus. [7] T. ei perf. rest. [8] E. antistis. [9] E. Vetadim.

fecistis in luna quarta flebotomando. Memini enim Theodorum archiepiscopum dicere quod periculosa satis sit illius temporis flebotomia, quando et lumen lune et reuma occeani in cremento[1] est.' Et benedixit eam episcopus: et statim dolor recessit et tumor, et valitudini virgo restituta est. [2]Cum enim reuerentissimus Wilfridus episcopus post longum exilium in episcopatum esset hagustaldensis ecclesie receptus, et sanctus Iohannes, defuncto Bosa viro multe sanctitatis et humilitatis, episcopus pro eo Eboraci esset substitutus;[2] ad consecrandam ecclesiam rogatus aduenies, misit de aqua illa benedicta vxori cuiusdam comitis, infirmitate grauissima quasi ad mortem languenti, precipiens vt de illa gustaret, et vbicunque dolorem inesse sentiret, de ipsa aqua [se][3] lauaret. Quo facto, sana surrexit, et vires se recepisse sentiens, leta episcopo poculum obtulit. Rogatus a quodam comite vt visitare dignaretur [puerum][4] suum infirmum et benedicere, intrauit, et vidit eum, mestis omnibus, iam morti proximum, positumque loculum iuxta eum in quo sepeliendus poni deberet: et benedixit eum. Sedente post hec ad mensam episcopo, misit puer ad dominum suum, rogans sibi vinum mitti, quia sitiuit. Gauisus ille quia bibere posset, misit ei calicem vini ab episcopo benedictum. Quem vt bibit, continuo surrexit: et induens se, intrauit et salutauit episcopum, dicens, quia ipse quoque delectaretur manducare cum eo et bibere. Residebat, vescebatur, bibebat, et letabatur, quasi vnus ex eis. Famulus enim Christi Herebaldus, in clero sancti episcopi aliquando conuersatus, postea vero abbas monasterii quod est iuxta ostium Tine fluminis effectus, miraculum in se ipsum factum in hunc modum narrauit: 'Cum enim in primo adolescentie tempore in clero illius degerem, sed animum perfecte a iuuenilibus illecebris non cohiberem, contigit die quadam, nos iter agentes cum illo deuenisse in viam planam et amplam, aptamque cursui equorum. Ceperuntque iuuenes, maxime laici, postulare episcopum vt cursu maiore equos suos inuicem probare liceret. Cum magna demum instantia illis acquiescens, "Facite, inquit, si vultis, ita tamen vt Herebaldus omnino se abstineat." Porro ego diligentius obsecrans vt et mihi certandi cum illis daretur copia, nequaquam impetrare potui; lasciuo tamen superatus animo[5], ludentibus me miscui et simul cursu equi contendere[6] cepi. Quod dum agerem, audiui illum post tergum mihi cum gemitu dicentem: "O quam magnum ve facis mihi sic equitando!" Et ego audiens, nihilominus ceptis vetitis perseueraui[7]. Nec mora, dum feruens equus quoddam itineris concauum magno impetu transiliret, lapsus decidi, et mox velut mortuus[8] sensum penitus motumque omnem perdidi, atque fracto pollice, capitis quoque iunctura soluebatur. Vomebam autem sanguinem, eo quod

[1] T.E. incremento. [2–2] precedes in Beda the last passage. [3] T.E. eam; cf. Beda. [4] T.E. filium; Bed. unum de pueris eius. [5] E. animo animo. [6] E. concendere. [7] Bed. institi. [8] Bed. emoriens.

interanea essent ruendo conuulsa. Episcopus autem de casu meo et interitu dolens, capiti meo manum [im]posuit [1] et signo crucis me signauit. Cumque, fusa oratione, me sedentem et loqui valentem videret, diuino instinctu admonitus, interrogauit me an me esse baptizatum absque scrupulo nossem. Cui cum nomen presbiteri a quo me baptizatum noueram dixi: "Si ab illo, inquit, sacerdote baptizatus es, non es perfecte baptizatus: Noui namque eum, quia, cum esset presbiter ordinatus, nullatenus, propter ingenii tarditatem, potuit catezizandi vel baptizandi ministerium discere; propter quod ab huiusmodi presumptione ministerii, quod regulariter implere nequibat, omnino cessare precepi." Quo dicto, eadem hora me cathezizare ipse curauit: factumque est vt exsufflante illo in faciem meam, confestim me melius habere sentirem. Vocauit autem medicum, et dissolutam mihi emigranei iuncturam componere atque alligare iussit: et accepta eius benedictione conualui; et nec multo post baptismi gratiam consequutus sum.' [2] Sancto enim episcopo presente, vas vino plenum ad terram de manibus incaute tenentis cecidit et medium crepuit, vinum tamen, quod intus erat, illesum permansit. Iuuenem quendam mortuum inter alios sacro crismate liniuit et de morte ad vitam restituit. Demonium similiter a quodam expulit; et infirmos vbicunque repertos sanos suis precibus et benedictione effecit; et quotquot vestimentum cum fide tangere poterant, celerem sanitatem infirmitatis sue se suscepisse gaudebant [2]. Exactis autem in vtraque sede, hagustaldensi videlicet et eboracensi, annis triginta tribus, cum pro senectutis grauitate minus episcopatui administrando sufficeret, ordinato in episcopatu eboracensi cum totius populi electione Wilfrido presbitero suo, ipse in monasterio suo in Silua Deirorum siue Beuerlaco, consilio abbatis Brithuni [3] in omni sanctitate permanens vsque ad obitum suum, nonas maii migrauit ad dominum [4]. Sepultus est autem in porticu Sancti Petri eiusdem monasterii, anno [5] domini septingentesimo vicesimo primo.—— [6] In porticu Sancti Michaelis eboracensis dum adhuc superstes orationi vacaret, spiritus sanctus in columbe specie, radium solis candore vincens, ante eum super altare resedit. Cumque multi in ecclesia stantes hanc lucem stupefacti cernerent, diaconus nomine Sigga ad ostium porticus currendo festinans, vidit episcopum in oratione stantem, et porticum sancti spiritus fulgore intus inflammari velut igne. Moxque facies eius, sancti spiritus ardore percussa est, et cutis in rugam maxille retracta. Quod sanctus episcopus diuinitus agnoscens, accito ad se diacono, faciem eius manu palpando saluti reddidit; precipiens ne hanc visionem patefaceret quamdiu in hac vita mortali superstes esset.——Post obitum suum multa pro ipso miracula ostendere vsque in hodiernum diem dignatus est dominus,

[1] T. E. posuit. [2–2] From MS. C.C.C.C. 161 (abr. from Folcard). [3] E. bruthuni. [4] T. ad dom. migrauit. [5] E. et hoc a. [6] Cf. C.C.C.C. 161, Chr. Brompt. 794.

inter que pueros duos cecitate a natiuitate percussos illuminauit; contractas mulieres binas gressibus restituit[1]. [2]Mulier quedam super feretrum sancti Iohannis crimen periurii committens, amens efficitur: sopori tandem dedita, videbatur sibi quod beata virgo Maria cum quodam episcopo, pontificalibus induto, eidem assistebat et os suum quodam panno tergens, sancto Iohanni dixit: 'Iohannes, remitte huic mulieri quod temere per te iurare non timuit.' Qui respondit: 'Ad preceptum tuum, domina, dimitto.' Et mox funiculus, quo manus mulieris erant ligate, in terram subito ruptus cecidit, et mulier expergefacta sanatam se sentiens, gratias deo egit. Anno autem domini millesimo tricentesimo duodecimo de tumba sancti Iohannis oleum emanare vsque in[3] horam diei sequentis tertiam non cessauit, et multos cecos, inde linitos, meritis viri sancti visum recipere fecit. [4]Infestantibus regem Ethelstanum Scotis in manu valida[5], congregato exercitu Beuerlacum adiens, ante tumbam sancti Iohannis prolixius orabat: et exurgens, coram clericis ecclesie nobilibusque multis ita cum magna humilitate affatur: 'O sancte Iohannes confessor gloriose, qui tot virtutibus et signis mirandis in terra prefulges, te suppliciter precor et exoro quatinus in hoc necessitatis articulo mihi subuenire digneris, vt per merita et intercessionem tuam, inimicorum meorum infestationem, te patrocinante, superare valeam.' Et extrahens cultellum suum de vagina, posuit illum super altare, dicens: 'Ecce vadium meum coram te pono: quod vita comite in reditu meo recipiens, ecclesiam tuam muneribus honorificabo et reddibus augebo, si mediante tuo auxilio superatis hostibus victor rediero.' Fecit autem rex quoddam vexillum de eadem ecclesia sibi preferri: et audito eius aduentu, Scoti Angliam deserunt et vltra mare scoticum se transferentes, eius aduentum expectant. Regi autem, fixis super ripam fluminis tentoriis, apparuit in visu quidam pontificalibus indutus, sic dicens: 'Ethelstane[6] rex, festina mane flumen transire: ego sum Iohannes episcopus: noli timere: ecce victoria in manu tua est, quam tibi nunciare veni.' Mane vero transita aqua et conserto graui prelio, multis Scotorum in ore gladii occisis rex letus effectus gratias egit deo. [7]Iterum vero quia rex Scotorum incompulsus contra eum surrexerat, congregato exercitu contra inimicos procedens, deum rogauit vt prece sancti Iohannis aliquod signum cuidens ostenderet, quo presentes et futuri cognoscere possent Scotos de iure Anglis debere subiugari. Vnde rex cum gladio suo percussit scopulum quendam iuxta Dunbar castrum: et vsque hodie ad mensuram vlne ex ictu cauatur. Rex itaque adepto de inimicis triumpho, rediens pacem sancto Iohanni ab omnibus tenendam instituit, quam infringere nulla ratione vllo tempore liceat. Vnum miliare ad hanc

[1] Here ends MS. C.C.C.C. [2] From an unknown source. [3] T. ad. [4] From the Alia Mir. II. in A.SS Boll. p. 179; cf. MS. Faust. [5] T. E. valido. [6] T. Adelstane. [7] In the Boll., the following happens on his return from the first campaign.

pacem tenendam metam statuens assignauit, et[1] qui hanc pacem in aliquo vel erga aliquem violare presumeret, octo libras ecclesie sancti Iohannis persolueret. Qui infra tres cruces lapideas ad introitum Beuerlaci ab eodem rege erectas pacem violaret, vigintiquatuor libras persolueret. Qui vero infra cimiterium pacem ecclesie infringeret, septuaginta duas libras persoluere artaretur pro satisfactione. Et qui in presentia reliquiarum nephas tale ausus fuerit committere, solius dei miserationi ac iudicio committendus sit et iudicandus, sicut enormis languor immensa curatione indigens[2].

¶ *Narratio*[3].

Illis diebus Cedwalla rex Occidentalium Saxonum, cum genti sue duobus annis strenue prefuisset, relicto imperio propter dominum regnumque perpetuum, Romam venit, hoc sibi glorie singularis desiderans adipisci vt ad limina apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano vite celestis patere ingressum : simul etiam sperans quia mox baptizatus, carne solutus ad eterna gaudia iam mundus transiret. Et factum est ita. Nam a Sergio papa baptizatus die sabbati pasche, anno domini sexcentesimo octogesimo nono, in albis adhuc positus languore corripitur, et duodecimo kalendas maii a carne solutus, beatorum regno in celis sociatur. Cui etiam tempore baptismatis papa memoratus Petri nomen imposuit, vt beatissimo apostolorum principi, ad cuius sacratissimum corpus a finibus terre pio ductus amore venerat, etiam nominis ipsius consortio iungeretur. Sepultus est autem in ecclesia sancti Petri apostoli, anno etatis sue tricesimo. [4](Iubente pontifice epitaphium in eius monumento, in quo et memoria deuotionis ipsius fixa per secula maneret, hoc modo scriptum est :

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
  Exuuias, proceres, menia, castra, lares,
Queque patrum virtus et que congesserat ipse,
  Ceudal[5] armipotens liquit amore dei,
Vt Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,
  Cuius fonte meras sumeret almus aquas
Splendificumque iubar radianti carperet hausto,
  Ex quo viuificus fulgor vbique fluit;
Percipiens[que] alacer rediuiue premia vite,
  Barbaricam rabiem, nomen et inde suum
Conuersus conuertit[6] ouans, Petrumque vocari
  Sergius antistes iussit, vt ipse pater
Fonte renascentis : quem Christi gratia purgans
  Protinus ablatum[7] vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
  Cuius consilium nullus adire potest!

[1] *al.* ut. [2] *al.* indiget. [3] From Beda, H. E., v. 7. [4] The following epitaph (Beda, V. 7) is om. in T. and Tanner. [5] E. Cedyal. [6] E. conuerti. [7] *al.* albatum.

Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni
Per varias gentes, per freta perque vias,
Vrbem romuleam vidit, templumque verendum
Aspexit Petri, mistica dona gerens.
Candidus inter oues Christi sociabilis ibit,
Corpore nam tumulum, mente superna tenet;
Commutasse magis s[c]eptrorum[1] insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.)

Cedwalle autem successit in regno Yne rex de stirpe regia; qui cum triginta septem annis regnasset, relicto imperio ad limina beatorum apostolorum pontificante Gregorio profectus est, cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius a sanctis recipi mereretur in celis. Illis enim diebus plures de gente Anglorum, nobiles, ignobiles, laici, clerici, viri ac femine, certatim Romam, anime sue salutis gratia vel instructionis causa, proficisci consueuerunt: quod magne virtutis ac meriti tempestate illa estimabatur[2].

¶ De sancto Iohanne de Brydlyngton confessore[3].

SAcratissime recordationis Iohannes prior Brydlyngtoniensis, cuius votiua celebritas mirifici splendoris radiis vniuersalem perornat ecclesiam militarem, velut columpna inflexibilis in fidei base firmiter radicata cunctorum mortalium caducam flexibilitatem consolidat et supportat gratiosi solaminis interuentu. Hic floride iuuentutis exorta primordia perornans virtutibus, excussis abditis vitiorum viam aggressus timoris deifici, alterius Tobie imitabilia amplexans vestigia, spei et charitatis fructibus maturescens, sacri flaminis insigniter celebratur sacrarium singulare. Crescente itaque temporis interuallo, a piissimis parentibus enutritus studiisque imbutus liberalibus, in breui coeuos precurrens veloci cursu brauium adeptus est dialetice peroptate. Non solum vero in amplexu scientiarum applaudens, immo celestibus intellectualiter suspirans auidius, dum Oxoniis persisteret studiosus, omissis frequenter altercationibus sophismatum inquisitiuis templum sui spiritus supremo principi dedicauit, in dei et proximi

[1] E. septrorum. [2] Collect in T.:

Aue doctor nobilis presul Eboraci, Dux iure laudabilis, tutor Beuerlaci: Precibus nos erue ab hoste fallaci, Saluans a carceribus infernalis laci. V. Ora pro nobis.

Deus cuius uirtu . . . . . (pon)tifex miraculorum . . . . . gare supplicantibus no . . . . . cionis tue graciam petimus, ipsius . . . . . uiciorum inquinamento eici . . . . . .

(Deus qui nobis hodie migra)cionem beati Iohannis con(fessoris tui atque pontificis) celebrare concedis, (da ecclesie tue digne de eius pre)lacione gaudere et (exemplis) eius et precibus adiuuari, per (cf. Sar. Brev.).

[3] This life is wanting in T. It is ed. in Surius 10 Oct. 'ex quodam MS. codice mutato stylo pressius et contractius.' Bale VIII. ascribes it to George Riplay. The text is complete, and not a mere abridgment.

feruore feruido deuote suspensus, vt quidem veridicorum constudentium relationibus audiuimus, in etate iuuenili deo cordialiter deditus, contra illatas sibi iniurias, minas et opprobria mitis, pacificus et quietus. Leuitates et insolentias continue declinauit, magis militare cupiens omnium creatori, quam friuolis et vanis occupationibus tempus suum expendere vitiose. Tanta virtutum proximitate precipue enutritus, feliciter natus feliciusque educatus in comitatu eboracensi iuxta maritima loca occeani commoditatibus preuilegiata et non multum distancia a prefati monasterii situatione, completo biennio in Oxonia festinantius repedauit ad propria, vbi magis superfusa vnctione gratie quam magistrali informatione scientiam perquisiuit. Inde senectam induens in ipsa sua iuuentute, quod etati maturiori defuit supplementum contulit conuersatio virtualis. Sicque propter scientie maturitatem et morum laudabilitatem, quidam opinione mundana famosus, diuitiis abundanter preditus, ipsum super filios suos magistrum disposuit et alumnum, non solum ad rudimentum subditorum, immo etiam ad exclusionem vitiorum. Considerans igitur tenellam lilii substantiam spinis pungentibus faciliter perforari, timens exasperatos aculeos lasciuie, temporalis vicesimo etatis sue anno religiose vite visitatus incendio, pallio virtutum perornatus, in Christi sempiterno seruitio proposuit militare. Intuens igitur quotidianis nutibus oculorum, inter mundiales diutinas lites et discordias seminari, memorialique prospiciens certitudine Abel et Cayn ab vno[1] patre genitos, columbam et coruum in archa insimul commorantes, Ysaac et Esau(!)[2] simul ludentes, a radice fontali propaginis humane virtuosos et vitiosos inuicem commisceri; presentisque vite militaris blandimenta noxia considerans et transitoria: mundiales curas despiciens[3] monasterium intrauit brydlyngtoniense[4]. Vbi cum gaudio gratanter receptus velut angelus celitus emissus, habitum suscipiens regularem, in morum probitate splendidus enituit, et velut sacri flaminis caloribus incalescens, nobiliter viguit in obseruantia regulari. Iuxta etenim tenorem tube dominice deum[5] totius cordis, totius et anime viscerosis viribus amplexatus, mente suspirans ad celica, omnia postposuit seculi ruinosa, vndique diuina gratia perlustratus. Erat enim humilis, obediens, charitate resplendens, mundum contemptnens, abstinentia rigidus, iustitia indutus, continentia perspicuus, vigiliis frequentatus, orationibus strenuus, spiritu feruidus, verbis prouidus et maturus, spei firmitate gaudens; et domino sine intermissione deseruiens, a vanis ludis abstinuit. Vano solatio repletis aliis vtpote taliter exercitatis, ipse aut orationibus aut studio frequentius insudabat, minimas religionis obseruantias nullo modo transiliens, quas in vltimo spiramine suis fratribus commendabat

[1] E. vnico. [2] r. Ismael? [3] E. despicies. [4] E. brydlyngtoniensi. [5] E. decem.

attentius obseruari. Tante etiam humilitatis firmamento fundatus c[ra]t[1], vt diuini seruitii consonam simphoniam cum omni cordis intentione persoluens[2], cuiuscunque alterius curam totis animi conatibus et exercitiis studiose perimpleret. Quem nominis sui signaculo tanta vicinalis gratie signauit affinitas, quod mundialium curialem incessum, humilitatis stipite radicatus, penitus recusauit. Virtualis igitur dignitatis dextera presignitus, precentoris[3], elemosinarii, et supprioris curas ordinabiliter dispensauit. Ab aliis quidem officiis, quibus fluxus seculares tempestuose influebant, ipsum ad tempus celestis dispensationis manus s[c]eptrigera preseruauit, ne per labiles lapsorum labores nouitas mentis, virtutum progenie perornata, false dilectionis degeneraret in tenebras. Sicque protector promptissimus, Noe preseruans de diluuio, Loth de celesti incendio, Isaac de imminente gladio, Ioseph de calumpnia mulieris et custodia carceris, Moysen ab Egyptiis, Raab de excidio ciuitatis, Ionam a periculo submersionis, Susannam a testibus falsis, Danielem a leonibus, tres pueros ab ignibus; tam regularem viuendi formulam a potestate seuientis seculi feliciter preseruauit. Interea accrescente tante bonitatis fama volatili per regionis spacia ampliora, contigit monasterii prepositum in manus confratrum prioratus officium resignare: Cumque validus omnium mutuusque consensus per voces singulas sancti spiraminis insufflatione in ipsum confluerent, tam catholicum dei athletam dignum reputarunt et debita electionis forma elegerunt, tanti oneris supportare laborem. Qui, prout fuit[4] spiritu humillimus, taliter responsum exarauit: 'Quid pigmeam insufficientiam proponitis erigere in structuram edificii militantis ecclesie? Quid cecitatis abisso submersum existimatis hostiles excubias ocularitur preuidere? Quid canem mortuum, non potentem latrare, putatis luporum insidiosas cautelas confringere? Numquid debite circumspectionis oculis preuidetis quod in defectu cinctorie[5] defensionis vineam domini fraudulenti vulpes demoliuntur et destruunt? Igitur mortifera clade ignorantie inuolutus, quamquam columpne ligatus diuersisque supplitiis laceratus, prefati officii non acceptarem excubias.' Quibus excusationis titulis in medium diuulgatis, in alium publicata est stabilitas electionis. Quem infra breuem annorum reuolutionem portione mortali clade percussum pestilentie, mors, humane conditionis deuastatrix, vital[em][6] dispositionem compescuit consummare. Volens igitur increate sapientie prouidentia salutaris lucernam, tanti luminis fulgoribus vndique perlustratam, virtutum vernantia mundare maculas tenebrarum et lucis sue radios oculis expandere mortalibus; secunda vice libera confratrum singulorum voluntate in gradum pristinum solempniter est electus, domino singula dispensante. Qui ponderis intollerabilem

[1] E. est. [2] E. persolueris. [3] E. pretentoris. [4] E. fuerit.
[5] E. tintorie. [6] E. vital.

considerans grauitatem, egre ad tempus sustulit spiritus estuationem; tandem diuini solatii hauriens perfusam dulcedinem, superna informatus gratia concipiens maiorem etatis maturitatem et prouidiorem discretionis deliberationem, consideransque, quanto laboriosior instantis peregrinationis incessus est, tanto per gratiam esset nobilior triumphus tirannidis infernalis, oneris iugum suspend[it][1] in humeris, confidens in clementia saluatoris. Confirmatus in gradu prioratus qualiter in agendis se gesserit, nostra modicitas sufficienter non euoluit. Namque famem reficit, nuditatem vestit, frigus temperat, dolorem solatur, fletus siccat, oppressos liberat, carceres reserat, gratiam conciliat, fedus perpetuat, sopit lites, differt prelia, auget indutias, egris salutem dat, seruis libertatem, menia dilatat, vsurpato pallio clementie crudelitatem spoliat, cunctas deprehendit nequitias ficte virtutis clamide coopertas, deruta renouat, struit edificia, agros fecundans[2] et horrea. Imitanter[3] cepit feruentius quieti contemplationis auscultare, cum conuentu peruigil horis nocturnis pariter et diurnis diuinis oraculis insistens tam studiose, vt auditis campanis ad seruitium, tali voce lamentabili, deditus negotiis seculi, sepius aures confratrum astantium occupauit: 'Nunc aspirat spiritus, alias prepeditus, ceteris cum comitibus ecclesiam frequentare': sic Rachelis amplexibus congaudens casto[4] feruore, quod Lye diligentiam non spreuit perimplere. Hoc igitur preclarissimum magnifice resplendentie sidus perspicuum, adueniente hora qua solaris claritatis lampas splendifera aurore nubilosas tenebras excutiens aureos radios visui sensitiuo terrestrium solitus est expandere, omni frigidissimo tempore glaciali, accensus feruido incendio principis siderei, dum missarum solempnia continue persolueret, mente exardescens estu amoris inexplicabili aliqua exuit vestimenta, gelantis frigoris propter interne affectionis dulcorem feruidum non sentiens asperrimum circumuentum. Ad cuius lucidissimam confirmationem, maximis frigoribus terre faciem preoccupantibus de sui capitis culmine fumus exalauit permaximus, ac si aqua suppositis faculis intentius ebuliret. O interminabilis virtutis deuotio! O gratia largiflua conditoris irrigans distillantes guttulas amoris! O animarum vniuersarum prestolata medela! quis vnquam audiuit talia presentis temporis vitali labente curriculo, dum principalis perlustrator etheree mansionis tam flagrantis pectoris solatiosum hospitium sibi thalamum dedicauit. En feruor intima perurens, declinans steriles in peccatis! qui fontali sapientia cuncta prospiciens[5] proprie essentie perpetuali speculo, huius cordis ortum deliciosum plantulis virtutum delicatis complantauit, lumine suo proprio fecundauit, et inter cetus angelicos post laborem perpetualiter quietauit. Tanto igitur sancti spiritus fulgore vehementer fuerat inflammatus, quod mente raptus in

[1] E. suspendens. [2] r. fecundat. [3] r. Intima? [4] E. cō. [5] r. prospicit?

ethera, corpus velut exanime in mirifico raptu, appetens naturaliter ex sua grauitate ad terram descendere, absque aliorum supportamine vix posset subsistere, obliuiosam incurrens viuacis anime conditionem. Nec a mentibus mortalium subsequentem veritatem stilus incultus congrue potuit absentare. Quadam die tante deuotionis festiuali ferculo saciatus, in capella sua celebrare missam proposuit, proprio capellano sibi assistente cum alio seculari. Premissis vero secretis orationibus et meditationibus in silentio, confestim sacerdotalia induit vestimenta: cumque an[h]elo pectore celestis patrie contemplaretur dulcedinem, omnia ad officium epistolare ordinarie perimpleuit. Secretius igitur proposuit capellano vt, ipso solo secum remanente, secularem excluderet de capella. Quo facto, adeo accensus fuerat in amore diuino post lamentabilia suspiria vt propter singularem singultum magis lachrime prorumperent quam verba in publicum personarent, eatenus quod propter adurentis dilectionis ardorem inflammatiuum velut alter euangelista Iohannes in sinu Christi deuote recumbens, tanto perfunditur imbre lachrimarum quod verbum[1] inter suspiria lachrimosa non valens fuit exprimere. Sed hoc non virtuti, sed infirmitati temptauit ascribere, nolens capellanum assistentem saliua vane glorie ipsius debitam deuotionem patulis auribus iactanter secularium presentare. Vnde vere mirabile, in tali dignitate summissionem tam humilem, in tanta virtute frontem vera paruitate summissum, hominem videre tanto meritorum grege compositum, vt vnita communitate congaudeant sublimitas humiliata et humilitas sublimata. Vere humilis, in contumeliis diligens, ingratos beneficiis opprimens, vanas laudes adulantium odiens, honores fugiens, ministrans cum minoribus, cum maturioribus socialis. Circa curam gregis sibi commissi vigilanter intendens, contra temptamina aduersarii suos subditos viuaciter animauit exhortationibus et exemplis bonis. Ad onus profecto acceptum pigritantes compescuit, religiose gradientes diligens cum fauore. Subditos diligenter edocuit a domibus officialibus mulierum excludere consortia, ne mente vacantes libidini, morosa continuatione a beatorum collegio fierent alieni. In refectorio prandium percepit, nisi notabilis causa hospitum prepediret; noctibus iacens[2] in dormitorio, matutinis insistens vigilanter, timens si aliter tempus expendisset[3], cum lampade vacua celorum sacra non gustaret conuiuia; egrotantes solicite visitauit, eis tempore congruo necessaria subministrans. Inter hospites solatiosus et sapiens, mature circumspectionis oculis cibaria distribuens, inter fercula deliciosa solo pane se reficere sepissime consueuit. In quo facto spargibilis iactantie fumum non affectans, voluit cibaria scindere, que priuate

[1] E. verborum. [2] r. iacuit. [3] E. expendissent.

ponens in vasculo, noluit in stomachum recipere, vero amore spiritus carnem maceratione castigans. Erat namque in verbis fructuosus, non friuola[1] audiens sed vtilia, scripture sacre feruidus degustator. Consuetudinem conseruans completis matutinis reliquam noctis portionem studio deuotionis ducere peruigilem, deo soli mentaliter conscius, assidue perscrutans actus quotidianos eiulatu flebili. Sic meditando et contemplando vsque ad tempus celebrationis misse in aurora nobiliter occupatus[2], prearmatus contra vitia, gratias omnium conditori insigniter ministrauit. Tante deuotionis igne preaccensus, virtutum culmine sublimatus, orationibus solertissime occupatus, benignitate repletus, vixit circumfuso[3] solatio perpetui iubili etheree regionis. Cuius modestam patientiam, maximis temptationibus comprobatam, consequens experientie aduersantia certissime declarabit. Vnus[4] de fratribus in eodem monasterio vitam professus regularem, indignationis stimulis superfluose exagitatus et commotus enormiter, in aula vbi prefata mansuetudinis columba cum circumstantibus communicauit familiaribus, protectus ascendit presumptionis clipeo, et inflatiuo inflationis spiritu plurima distorquens conuicia, benignitatis beatificum patronum comminationibus et querulosis clamoribus ad iracundiam prouocare nitebatur. Qui, simplicitate vt fuerat repletus columbina, fellia offensiue iracundie pocula prouocate declinans, cunctis circumstantibus infestinanter attonitis, minimo sermonis titulo non respondit. Vnus vero cum sancto familiarius in agendis preelectus, properanter subsequentia prorupit in verba: 'Cur tam grauia tamque patimini onerosa, dum solo verbo vinculi obedientialis hunc ad claustri gradum confestim potuistis remittere? En sententias defensoriis propugnaculis palliatas vndique circumuoluit. En de fouea hericii occulciorisque malicie latibulo innocentiam prosternens perflati tumoris sibilus[5] emanauit. Cur dehonestati honoris irreuerentiam non percipitis? Cur tante malicie sobolem non expugnatis?' Cui veridicum exemplar patientie ad instar beatissimi Iob, spiritualis sigilli ymagine defensorie consignatus, responsum regulare tale dedit: 'Cum, inquit, ignee tede exestuantes domorum tecta transcendunt, flammigeris alis altiora aeris penetrantibus, nunquid[6] mature deliberationi foret imputandum, tanti caloris vehementie combustialia superaddere plurima? Num qui ignem copiosum accenderet, domum consumendo combureret? 'Iste ad presens estuosissimo ire incendio palliato fronte incanduit, et si tali adustioni ignee superadderem faculas verborum comminantium, vehementius accensus in semitam rectitudinis non esset charitatiue reducendus. Sed subtractis tam immensi caloris iaculis, ad tempora reformationis deliberatorie veniemus.' Et hiis modificatis, immotus recedens

[1] E. friuula. [2] E. occapatus. [3] r. circumfusus? [4] E. Vnicus.
[5] E. sibulus. [6] E. nunquit.

Dauid. spiritualem citharam, consonantiam sacre scripture, insanie Saulis temperantem[1], manibus acceptauit: in qua sufficientia armonie deliramenta vesane inuidie exheredare didicerat. Quis, queso, tam dilate benignitatis constantiam non miretur, dum complexionis colerice scintillis eidem vitio naturaliter dispositus, nature iura transcendens, perfusione gratie sideree naturalis dispositionis errorem eliminans ruinosum[2], imitabilem Christi sectatorem se fidelissime comprobauit? Igitur scripturarum amator ardentissimus, probatissimorum doctorum ecclesie libros studiose perlegit, et perlegendo retinendos memorie commendauit. Sic dispensauit temporalia, quod connubii spiritualis cum Christo vincula non dissoluit. Ociositatem, cuiuscunque vitii nutricem, diligenter excutiens, pro instantis vite resolutione aut Marthe labori, vel Marie gaudio merori contemplabiliter desudauit. Accedente tempore vnus de confratribus a quodam mercatore pro non modica summa pecunie capam emit sumptuosam, qui postea venerabili conquestus est priori quod mercator ille, votiua firmitate dissoluta, intollerabilem sibi offerebat iniuriam. Cuius suspendendam superbiam et elationem pijssimus pastor elimare[3] disponens, considerans intime, sicut rubigo ferrum denastat, tinea vestem dilaniat, fel lactis dulcedinem infestat, venenum mellicum dulcorem amaricat, sic superbia religiosam humilitatem expugnat: vt supradictus religiosus a tam sumptuosi apparatus nouitate desisteret, manu corpori proprio iniecta talem ex premissis intulit conclusionem laudabilem: 'Nimii, inquit, valoris est capa precii sex solidorum ad inuoluendum tante putredinis cadauerum vilissimum': volens in hoc exemplificare vt spreto pallio superbie subiectus in patre informaretur humilitate virescere. Quidam etiam sibi suggesserant[4] instantius quod propter prelatie (dignitatem) penulas emeret preciosas, quibus mundi decorem ornatius induceret. Quibus pater humillimum intulit responsum: 'Pellicule, inquit, agnorum nostri corporis molem sufficienter clipeant a frigore:' noleus eorum persuasionibus vacuus reperqueri, qui secularis pompe vite triumphato in sui contemptu perseuerans, vires percepit adulterantis superbie damnatiuas. Hic igitur amantissimas diuine legis sententias exestuans, vitas patrum prouidissimorum perlegens excubanter, in illum scripture titulum ocularem porrexit aspectum quo cautelosus ille serpens antiquus tortuosa tirannide quendam solitarium visauit: visuali effigie. Quorum verborum tenorem venerabilis memorie Willelmus Sleghtholm[5] tunc temporis capellanus modo vero sanctitatis eminencia choruscus[6] miraculis idem monasterium condecorat et exuberanter adornat—discretius intuens, huius questionis modulum patri sanctissimo propalauit: 'Interioris hominis anxius intel[lectu] admiror non modicum quare anguis ipse tortuosus, sicut

[1] E. temperantiam. [2] E. rumosum. [3] r. eliminare? [4] E. sugesseran:. [5] r. Sleghtholmes. [6] E. choruscis. [7] E. intellu. [8] E. ipse.

antiquitus videbatur non videtur ab hominibus temporibus in modernis.' Cuius questionis ambiguum paternalis prudentia concito resoluebat. 'Antiquorum, inquit, patrum corda non vana sophisticaque gloria perlustrata, immo gratia celica diuinitus irradiata, fraudulosas inimici machinationes insidiose[1] cognoscentes, velut pugiles inuictissimi ferociter expugnarunt mortales excubias inimici: ideo difficillima tentationis prelia ipsis offerendo, similitudine prodigiali extraneatisque incursibus ipsos comminatorie tentauit in peccatis immergere. Sed quia ipsius placentie temporibus incursiuis paratius obedimus, ideo secretarum tentationum iaculis excitatos facit[2] subito subcumbere absque facie monstruosa.' Floruit igitur flos iste vernantie fragrans[3] in diuino iubilo odore suauissimo, eatenus quod propter celestis gustus dilatatam ampliationem, ad releuamen istius hominis Anglie perfectiores de finibus terre maturarunt audire sapientiam Salomonis: estimantes felici se statu remig[r]are[4] si tam dulcescentis[5] dei famuli eloquio potirentur. Inter quos quibusdam conquirentibus cur statum perfectioris religionis affectuose non appeteret, cuius obseruantiis inhiaret intimo cum sudore: Quibus prouidus pater respondit: 'In omni religione cuncti superne patrie incessabilia gaudia possumus contemplari et virtutibus increscere: sed fateor me presentis regule essentialia non debite perimplesse[6]. Igitur insolentie operam redderem, si, laxatis habenis incedens minima non obseruans, strictioribus ligamentis me connecterem ad altiora perimplenda.' Inter tam salutaria monita requisitus que regularum esset constantius adimplenda, confestim intulit voce consultatoria: 'Euangelium, inquit, Iohannis omnes regulas reformatione saluberrima antecellit vt domina.' O virum memoriter commendandum, inter tot procellose vite dispendia vicissitudine amoris sublimatum super astra, considerantem, quicquid presenti cursu percipimus in nihilum deueniet tanquam aqua decurrens, et sicut somnia transitoria peruolitabunt omnia: Preclara euangeliste carmina sibi pro viuendi formula exemplariter coaptauit. Sicuti et inter quatuor aurigas currus euangelici Iohannes aquilari volatu pre ceteris subtiliora trinitatis misteria pennis contemplationis fiducialiter[7] propalauit, sic nostris in temporibus alter euangelicus Iohannes celestium misteriorum singularis secretarius, supereminenti contemplationis volatu terrestria recusans se celestibus coaptauit. Ad cuius probabilem confirmationem veritatis subsequentis pariformitas elucessit. Namque cum diuersa maneria monasterio pertinentia visitaret, officio perurgente, diuertit ad quandam reclusam in comitatu Richemundie, vt inter tot immergentes occupationes communicatione delectabili animam interius inflammaret. Eadem vero reclusa, nocte precedente visione immarcessibili

[1] r. insidiosi. [2] E. faciunt. [3] E. flagrans. [4] E. remigare. [5] E. dulcestentis. [6] E. perimplisse. [7] E. fiducialitur.

confortata, huic patri glorioso eandem consolatorie exponebat. 'Prospexi, inquit, in nocte vmbrate caliginis, dum lunaris globus nostri hemisperii ascensum longe dissimulauit: et ecce aquila mirifici decoris alis expansis humiliter domum istam circumuolauit, in cuius rostri acucie breue pendulum efficaciter extendit, cuius scripture fecunditas nostrum taliter illuminauit intellectum: "Ihesus est amor meus."' Cuius visionis probatissimam reuelationem huic sanctissimo patri veraciter applicauit, et eum hanc esse aquilam, pro meritorum excellentia, maturius affirmauit, cuius intentionis stabilitas ab amore mundi in amorem dei stabiliter emigrauit. Cui sanctus: 'Intentionis nostre fuerat in accessu vt verbis interloquutoriis summo principi placeremus: sed iam nouiter experior, per tot verba inania vtilitatis vestigia auscultator vitiorum nostrarum mentium inania sibi nititur preparare.' Festinanter igitur recessit, quem recessum impatienter reclusa acceptans, pluries est conquesta quod inter mortalium conditiones vix talem repperit qui propter inprouidam laudationem concito recessu repetiit[1] remediationem. Intrepidus, inquam, rector animarum et moderator inuictus, contra monasterii terribiles oppressores clipeum exposuit fortitudinis. Vnde vere vocis enunciatione quidam funeree lamentationis ad tempus filius, excellentissimi ducis Lancastrie ministrator et seuissimus exactor, dominum suum, velut alterum Assuerum ipse infatuatus Aman, in sui reatus augmentum, in ruinam innocentis Mardochei scelerose prouocauit, et ex parte domini, spiritu inflatus ceruicoso, tante benignitati comminationes quamplurimas declaratorie expressauit in monasterii irrecuperabilem lesionem. Cui sanctus constantia armatus, ire stimulo non confractus, decoris diuini consonantia charitatiua[2] loricatus, tantam estus temperans vehementiam singula dubitabilia copiose relaxauit: et demum, premisso fortitudinis clipeo stabiliter communitus, in hec verba finaliter declinauit: 'Vide, inquit, ne pro sensuali affectione qua dominum familiarius amplexaris, propter venenatum morsum quo bona nostra quotidie dilanias et affligis, scelerosi finis in inferno patiaris angustiam.' Quibus plenarie consummatis recedens, solamen inperceptibilis luminis exoptauit. Cumque aurora noctis obscuritatem delebat et reuelato vultu mortalibus oculis lucis radios ministraret: qui primitus vultu supercilioso eleuate elationis Luciferum fuerat imitatus, mane lauatus effluentis latice contritionis, degustat mel dulciflue deuotionis; firmitate promittens infringibili, in posterum eidem monasterio fieri se perpetualem amicum. Quem sanctus superna gratia accensum considerans, federe amicitie benignius salutatum, in agendis amatorem reperit[3] perpetuum et fidelem. Sic intime consolationes[4] diuini spiraminis immutant animas peruersorum, ipsas virtuosorum vinculans in amore: qui

[1] E. reperiit. [2] E. charitatia. [3] E. reperiit. [4] E. consolationis.

primordialiter in ramis malitie suos instabiles cogitatus suspendebant inuido cum feruore.—Tante gratie rutilantia Iohannes volans vt aquila con[s]cendit ad sydera perpetue claritatis ; cuius accensam deuotionem comitante[1] vita plurima testantur[2] miracula, quorum aliqua in presenti duximus inserenda. Contigit preordinatiua manu cuncta prospere gubernantis, sanctissimo patre vigilanter contemplante prioratus excubias, quinque marinarios marine tempestatis voragine nauigantes contra fluctuum discrimina militare, qui placide quietis portum ignorantes omnimodam[3] diutine desperarunt. Tandem verbis eiulatoriis deflentes peccamina, animeque memoratiue reducentes gesta lucidissima peroptande supportationis sancti videlicet Iohannis, adhuc in corpore supra corpus notabiliter triumphantis, ipsius iuuamina incessabiliter inuocarunt. Et dum excellentem fidutiam in tante stabilitatis[4] anchoram posuissent, quidam eidem patri sanctissimo per omnia simillimus in lineatione corporea, eis visualiter apparuit in habitu regulari, et malum nauis manu stabiliens gratiosa, in optato littore nauem feliciter collocauit. Quinque siquidem viri, pro liberali refugio consolati, deliberato desiderio supradicto monasterio remotis impedimentis ouanter decurrunt, supradicti patris clementiam recentius[5] visitare. Cumque veloci passu ecclesiam ingraderentur, sancto patri obuiam processerunt : ipsumque cognoscentes per similitudinem in mari preuisam, quem visu corporeo nunquam primitus[6] cognouissent, pro tam gratiosa liberatione in tam pestifera crudelitate fluctuum pedibus prouoluti, singula ordinate recitantes, sibi gratias deuotissimas retulerunt. Sanctus tamen Iohannes ipsos ingeniose pacificauit, admonens ipsos deo debitas[7] gratias exoluere, nihilque sibi ascribere : nolens inanis glorie velamento labiliter resplendere. Igitur tante eminentie virtute preclarum felici statu celestium congaudemus celebrare, cum in huius miraculi priuilegio speciali quadam germanitate gratie connecti videatur cum sancto Nicholao sanctissimo confessore : qui ambo perlucide lucerne in mundo degentes concorditer bestiales motus corporis effugarunt, et eiusdem miraculi fama fluctus maris expugnarunt, nauigantes liberauerunt, et cum Petro in mari siccis pedibus ambularunt. Affectuoso igitur modulo ipsius exoremus suffragia, quatinus tante bonitatis iuuamine expurgati a fermento veteris nequitie, loti in natatorio penitentiali Siloe, siccis pedibus bonarum affectionum deuia declinantes, transgressa corrigentes, vere glorie in celestibus post laborem solatio perfruamur. Famam adhuc celebrem huius luminaris[9] inextinguibilis volens dominus efflorare[10] per secula, eandem nobilitauit miraculorum illustrium recordatione perpetua. Nam cum quidam famulus cum patre beatissimo colloquia confoueret, idem benignissimus pater de vxoris

[1] E. coïcante. [2] E. constanter. [3] r. omnimodam salutem? [4] E. stadilitatis. [5] E. retentius. [6] r. prius. [7] E. bebitas. [8] E. volens. [9] E. liminaris. [10] r. efflorere.

et filiarum valitura[1] familiariter perquisiuit. Cuius verbis famulus respondit: 'Vxor quidem conualescit: nimiaque senectute preuenta filiarum est solatio destituta, a qua partus fecunditatem vlterius visere non confido.' Ad hec sanctus: 'Reuertere, et irroret tuum hospitium riuulus indeficientis gratie; et qualiter vxor se habuerit mihi denunciare non formides proximo in accessu.' Post breuiorem temporalis reuolutionis circulum vxor materno fructu grauidata, duas in lucem filias educauit: quarum alteri post partum laboriosum excrescens gibbositas deformitatis radicibus faciem horribiliter occupauit. Contigit autem in reuersione ad monasterium eundem famulum cum prefate sanctitatis patrono familiare adire colloquium: a quo, prout superius, de vxoris perquisiuit et conualescentia filiarum. Cui famulus respondit: 'Vtinam, sanctissime pater, alteram filiarum quam vxor educauit terre sinus ab oculari aspectu absconderet: quia tante incom[m]oditatis anxietate gibbosa deformatur in facie, quod cunctorum[2] visui[3] irrecuperabiliter perhorrescit.' Cui sanctus ait: 'Ab originalis infirmitatis macula baptismali regeneratione depuratam horroris titulo non denigres: sed cito domum rediens, imponas digitum in principali vertice morbi, sicut nunc digitum tuo fronti impono; vtque sanitatem percipiat, continuo suffragiorum preconio celorum ianuas propulsabo.' Qui sanctissimo patri valefaciens, statim receptus in propria, consultationi sancte iussionis obediens digitum ad morbum apposuit ter: continuo tante horribilitatis macula difformis infra breuis hore spacium, faciem reddens letiorem, euanuit et discessit. Parentes vero prefulgida deuotionis facula luminati, pro filie sanitate pristina pium pastorem liberalissimis laudibus curarunt extollere. Quos sanctus increpanter redarguens compescuit, et ipsos perenni connectens silentio, diligentius commonuit ne tante gratie laudem mortalis vite periodo alicuius auditui insererent publicari, sed pro collate sanitatis miraculo lingue ligamenta soluentes, omnium plasmatori melos placentie ne cessarent concinere. Quis diuini amoris haustu fontali refrigeratum hunc sanctissimum confessorem perpetuo Helisei commertio in celicis non conformet, qui Giezi famulum suum emisit cum baculo ad suscitandum mortis iaculo fulminatum; cuius tamen in absentia rigor[4] funeralis non recessit: hic noster graciosus Heliseus familiari internuncio absque presentia corporali filiam reddidit sospitati famuli memorati. Alias vero dum feruentis deuotionis fasciculo calefactus sanctorum collegio mentaliter inhabitaret, mulierem febricitantem consolari peruenit: quam benedictionis habundantia plenarie reficiens, grauitatis infirme declinauit supplitia; et mulier dominum in sanctis suis benedixit propter exoptate salutis solatium. Inuehendus est calamus mentes audientium promptius informare quomodo prefatus veridicus palmes in horto paradisi cum angelis complantatus, granorum penuriam in vita

[1] = valitudine. [2] E. cunctoque. [3] r. visus? [4] E. vigor.

multipliciter effugauit. Accedente itaque tempore quo granorum multiplicitas recedere[t]. et parcitas eorundem consuetudinaliter inoleret, ad locum in quo grana annualia ab imbribus defensorie seruabantur personaliter maturauit. Dumque frumenti modicum repperisset aceruum, qui monasterii sumptibus non posset satisfacere, aduocato suffragio instillantis superni dixit stipendiariis: 'Istius grani portio-n[em][1] vigilantius custodite: cui deus largiflua manu munificentie augmentationem infundat, intraque spicarum loculos interioris grani multiplicationem in presenti renouare dignetur.' Collataque benedictione paterna, Marthe querelam actiuam in Maria vacante terminauit. Consideratque debita eiusdem mensuratione sub modio, non latuit placidissime eiusdem conuersationis miraculosa contestatio, dum frumentum benedictionis adipe inpinguatum suscepit decies incrementum. Postea conformis miraculi testatio sacrosanctum magnificat confessorem, cum paruum ordei cumulum alias in mensurationem consimilem augmentauit. Ex hiis igitur et aliis quamplurimis affirmationibus nostre fidei sedenti super Cherubin laudes debitas persoluamus, et ex interioribus cordis medullis sibi offeramus libamina collaudationis, qui tantorum miraculorum perlustratione mirifica, vitali labilitate nostrum sanctum decorauit, nosque in angularibus mundi tenebris desolatos exuberanti consolatione visitauit. Huius, inquam, miraculi gratificatio hunc Christi vestigialem imitatorem conformiter manifestat, dum vere assertionis indicio[2] Christus paucos panes miraculose augmentauit ad saturationem quinque milium hominum, huius viri sanctitas inaudita grana[3] multiplicauit et in rei familiaris vtilitatem beatius preparauit. Cuius manifesta probatione deductiue elici poterit quod cum Christo ardentius amato stabiliter adunitur in amore, celestis lampadis choruscatione perpetualiter confortatus. O spiritualis fortitudinis plantator egregie, qui in prelationis honore et experimentali solicitudine angustias laboriosas pro Christo tolerasti: nos miseros oculo impassibili prospitiens, lepra vitiorum pluries maculatos tuis sanctis subsidiis efficias nociua disperdere, vtilia complantare, vt qui gratiam tanti nominis contemplamur, vlterius non distinguamur mole grauaminis peccatorum. O gaudium salutis eterne, ecclesiam confortans nationis anglicane, que nouella proles expectata salute inter anxios ploratus[4] mesticie laudum preconia non cessat concinere, dum illustrata miracula nostre Europe extremitates exornant, preoccupant et letificant vniuersas. O primulam virenti folio gratie circumtectam, qui virescentis[5] miserie mundialis caduca solamina spernere consueuit, quem celestis agricola in horto paradisi delectabilis decentius complantauit, cuius odorabilis redolentia restaurat gradus rectissimos sospitatis: eius benignitatem piissimis suffragiis exoremus, quatinus post deserta exilii presentis

[1] E. portioni. [2] E. vero ass. iudicio. [3] E. gratia. [4] E. ploratos. [5] E. viricescentis.

vestigia nostrasque[1] animas perducat ad Abrahe solatia sempiterna. Ingruente peroptato tempore quo corruptionis carnee prelium immineret animaque gratiosa pro imperiali victoria nubes ethereas penetraret, hunc oriens ex alto visitans morbi pestilentialis signo euidenti in latere, ad celorum consortium inuitauit. Exinde fratribus aduocatis in cameram vbi pastor sanctissimus mortis angustiam expectauit, incepit increscente passione egritudinis in paucis eisdem consulere: videlicet vt humilitatis, vnitatis, et obedientie integra vincula conseruarent, charitatis ac concordantie nitore fulgentes vnanimes contiuarent in consiliis preuidendis, statuta regularia ac minimas obseruantias deuotius custodirent, et superueniente luctu sui interitus repentini tranquillitati[1] et confidentie, confratrem eligerent in pastorem, qui mutue[2] dilectionis et charitatis eloquio presentem gregem confortaret, dirigeret et conseruaret. Fundatus itaque in euangelio quod Christus reguli hospitium noluit intrare ne videretur diuitias honorare; consideransque diuitis epulonis cruciatus in inferno, et solatia Lazari[3] in sinu Abrahe quiescentis, amorem diuitiarum detestabiliter reprobauit, et earum contemptum in prelatia constitutus subditis exemplauit, verbis connectens subsequentibus: 'Auri affluentiam nostra bursa non continet, et supremo conditore gubernante cuiquam hominum in aliquo non indebitamur. Cognoscimus veraciter quod complacenter cunctorum aspectus non preuenimus: sed qualiter rexerimus, post recessum fidele percipietis inditium[4], et qualitercunque latratus inimicitie nostros actus reprobarunt, horum rubiginosum eloquium signa euidentia[5] expugnabunt.' Huis familiariter prosequutis in medio nabso (!)[6] indutus ad carnem cilicio[7], ingrauescente egritudinis morsu vipereo, acceleranter affectauit dissolui et esse cum Christo. Postea quidam medicus incontinenti cameram ingrediens vbi prefatus pastor tempora mortis expectauit, voce consolatoria taliter erumpebat: 'Pater benignissime, quamuis ingrauescentis morbi ferocitatem non potestis in sospitatem commutare, capiatis tamen antidotum[8], spiritum ad tempus reficere.' Cui sanctus: 'Si omnino debemus medicinam recipere, parati sumus humilius obedire'; intime recolens tenorem regule taliter imperantis: 'Fiat sine murmure de consilio medicine[9],' et sequitur: 'Faciat quod faciendum est pro salute.' Recepto itaque contra infirmitatis violentiam confortatiuo antidoto[10], experimentaliter percepit omnes spiritus interiores paulatim reuiuiscere. Egressis assistentibus, post pusillum istorum sermonum commendabili sapientia cepit alloqui capellanum: 'Modo percipio quomodo a cordis thalamo medicina collata egritudinis molestiam effugauit:' et confestim incumbentis horam resolutionis sibi paternaliter nunciauit. Hec igitur gemma radiis perpetue gratie perlustrata, tribus diebus continuis vsque ad horam

[1] E. tranquillitatis. [2] E. mutuo. [3] E. laxari. [4] E. iuditium. [5] E. euidentie. [6] r. nudam? [7] E. silicio. [8] E. antitodum. [9] r. medici? [10] E. antitodo.

superne limitationis frequentatis angelorum choris ac visionibus consolatoriis meruit confortari, adeo vt propter assistentium venerationem spirituum celestium, oculis clare cognitionis ac manibus benigne affectionis contemplans ad supera, pilium super caput sepissime deposuit ac in diuine laudis iubilo polaris celsitudinis consortia salutauit. Tanta vtique virtutum vernantia purpuratus, decem et septem annis officium prioratus floride gubernauit, et sexto idus octobris, sue expectationis temporalis in hoc deserto anno sexagesimo, aduenient hora primitus capellano diuulgata, morte coartante perpetui luminis felicitatem ingreditur, in seraphico contubernio perpetualiter congaudere. In firmamento igitur propugnantis ecclesie velut stella relucens perpetue claritatis, varios fulgoris radios exemplariter emittebat: Nam fulgore innocentie verus Abel resplenduit, quando dominus, eum premians in celestibus, 'ad Abel respexit et ad munera eius.' Erat enim Enok munditie, quando subtractis vitiis pari passu virtutum cum deo ambulauit, quem tulit diuina magnificentia in paradisi redolentia perpetue stabiliri. Hunc Noe spes verissima superius eleuauit, quando iuxta mandatum dominicum archam cordis lignis virtutum fabricauit, qua a diluuii infernalis fluctibus perpetuis gratuito libera[ba]tur. Hic Abraham per repromissionem eterne felicitatis duos filios enutriuit, idem monasterium perlustrantes imitatoriis eiusdem patroni vestigiis per miraculorum choruscationem. En Iacob laboris, qui moram faciens pro Rachele, Lye laboriosam actiuitatem non despexit. Iob et Tobias patientie, quando contra aduersantes inimicorum machinationes non peccauit labiis suis pro obprobrii commi-natione. Etiam Dauid humilitatis. Salomon sapientia, quoniam dominus sibi contulit cor sapiens super omnes suos predecessores. Ezechias penitentia, quando pro minimis peccatis maximam penitentiam sustulit fletu lamentabili lachrimarum. Susanna in castitate, dum luxum refrenans corporeum, perpetualiter ad diuinam placentiam ocularem conuertit aspectum. Iohannes Baptista in abstinentia, dum inter prandia delicata voluptatem appetitus compescuit et restrinxit[1], modicis et minime delicatis contentatus ad corporis nutrimentum. Igitur in nocte presentis exilii tam preclari luminis stellam prefulgide choruscantem deprecemur vt, sicut ipse in eternali fruitionis iocunditate cum sanctis patribus letetur in patria, nostre flexibilitatis aciem contra Olifernis tyrannidem faciat in pace victoriam adipisci, quatinus excluso sensualitatis vmbraculo, in lucis habitaculo post huius exilii terminum commaneamus. Huius igitur sanctissimi patroni a visceribus delicatis[2] soluto spiritu, benignitatis eius piissimo interuentu, prout consequentis processus[3] materia euidentius affirmabit, insignia virtutum inexplicabilia et egritudinum molestie relaxate auferuntur[4] gratiose. De pluribus namque obsessis corporibus effuga[ui]t

[1] E. restruxit. [2] E. dedicatis? [3] This Liber miraculorum is not preserved. [4] r. afferuntur?

demonia, paralisis morbo infirmatos restaura[ui]t sanitati, claudos restituit gressus beneficio condecora[ui]t, cecitatis tenebras exilio relegauit oculos visus claritate perornans, mortuos plurimos post triduum vita triumphante victorie roborauit propriis suffragiis, facies leprosa conspersione maculatas laudabiliter expurgauit, omniaque morborum genera posccntium deuotione preambula liberaliter effugauit. Et si singula que cunctipotentis brachium pro suo sancto in vita et post consummationem peregrinationis firmiter perimpleuit, scribere curaremus, fatiscentis lassitudinis genitrix morosa dilatatio vestros intellectus nimia ponderositate declarationis in dispendium prouocaret. Pauca tamen consequenter miracula presentialiter conscribentur, in quibus ipsi qui sancta deuotione nituntur feruescere aliqua ad morum edificationem poterunt[2] exemplari; plurima vero alia que dominus in sancti patrono operatus est et incessanter continuat operari qui cognoscere affectant[3], in eodem monasterio libros reperient quibus innumera beneficiorum genera conscribuntur. O immensurabilis infinitas tante maiestatis, qui tui gratissimi confessoris in hospitio cordiali altare reddientis sacrificii tue placentie [donis][4] perornasti, eius crescentibus meritis et interuentionibus mirificis confer solamen languidis, offer leuamen ruseris: quatinus labilium vitiorum excessibus emundati a tartareis tractibus perpetim liberemur. Omnesque [s]uum[5] monasterium benigne visitantes confouere virtuose digneris et a vitiis preseruare, ac cuiuscunque periculi imminentem aduersitatem ab eisdem mox procul remoueas; quatinus te deuote amplexantes tecum in celestibus perenniter vniantur. Tam prouidus igitur confessor magnificus senissima mortis morsura a seculo relegatus limina con[s]cendit perpetue hereditatis in celestibus anno domini M. CCC. lxxx., eodem imperatorie cuncta regente qui cum patre et sancto flamine regnat in maiestate per seculorum secula. Amen.

¶ [1]Sequitur extractio de libro antiquitatis Glastoñ. de sancto Ioseph ab Armathia, accepta de libro quodam per Theodosium imperatorem inuento in pretorio Pilati in Hierusalem.

Cumque dominus et completis omnibus que de eo fuerant prophetata, accessit Ioseph ab Armathia, ille nobilis decurio, ad Pilatum, vt [illegible] prodit historia, et petiit corpus Ihesu: et acceptum involuit sindone, et posuit in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat. Audientes autem ludei quod Ioseph corpus Christi[6] sepelierat, properabant apprehendere eum, cum Nichodemo necnon et

[1] E. fatescentis. [2] E. potuerit. [3] E. affectarunt. [4] om. [5] E. tuum. [6] This narrative was printed by T. It is ed. in part, with the Engl. translation printed by W. de Worde, a Skeat, Joseph of Arimathie, 1871 E. E. T. S.. It is taken, as originally arranged, from Johannes Glastoniensis Chronica ed. Hearne, 1720, p. 41, which is made up from Ev. Nicod., Will Malm. Antiq. Glast., St. Graal, and local traditions, cf. Usher, Brit. Eccl. Ant. 16. An Engl. local legend in stanzas with recent miracles, and collect, written ca. 1502 and printed by Pynson 1520, is reprinted in Skeat, p. 44. [7] Cf. Evang. Nicodemi. [8] H. Ihesu

aliis qui aduocati eius fuerant coram Pilato. Omnibus autem se occultantibus, hii duo memorati, Ioseph videlicet et Nicodemus, ostendunt se illis, dicentes: 'Quare contristati estis aduersum nos quia sepeliuimus corpus Ihesu? non bene egistis aduersus iustum, neque recogitastis quanta beneficia erga vos operatus est, sed crucifixistis eum, et lancea vulnerastis.' Audientes Iudei sermones istos, apprehenderunt Ioseph, et incluserunt eum in cubiculo, vbi non erat fenestra; et signauerunt ostium [1] Annas et Caiphas, et custodes posuerunt qui custodirent eum; Nichodemum vero liberum dimiserunt: quia ipse solus Ioseph corpus Ihesu petiit ac principalis incentor [2] fuit sepulture eius. Post hec congregatis omnibus per diem sabbati cum sacerdotibus et leuitis, cogitauerunt qua morte occiderent Ioseph. Et iusserunt principes Anne et Caiphe vt representarent [3] Ioseph. Et aperientes signa ostii, non inuenerunt eum. Missis autem vndique exploratoribus, inuentus est in ciuitate sua Armathia [4]. Hec audientes principes sacerdotum et omnis populus Iudeorum, gauisi sunt quia inuentus est. Et facientes congregationem magnam, scripserunt ad Ioseph dicentes: 'Pax tecum et omnibus qui tecum sunt. Scimus quia peccauimus in deum et te: dignare igitur venire ad patres tuos et filios: quia admirati sumus nimis de assumtione tua. Scimus enim quia malignum consilium cogitauimus aduersum te, et dominus liberauit te de maligno consilio nostro. Pax tibi, domine Ioseph, honorabilis ab omni plebe.' Et elegerunt [5] septem viros, amicos Ioseph, dicentes eis: 'Dum peruueneritis ad Ioseph, salutate eum in pace.' Et ita facientes viri illi dederunt ei libellum epistole. Cum [autem] [6] legisset epistolam, dixit: 'Benedictus dominus deus meus, qui liberasti Israel, vt non effunderet sanguinem meum. Benedictus deus qui protexisti me sub alis tuis.' Et osculatus est Ioseph viros, suscipiens in domum suam. Alia vero die ascendens asinum, cum illis venit Hierusalem [7]. Quod cum audissent Iudei, occurrerunt ei obuiam, dicentes: 'Pax in introitu, pater.' Quibus respondit: 'Pax vobis omnibus sit.' Et osculati sunt eum omnes; et suscepit eum Nichodemus in domum suam, fecitque ei conuiuium. Alia autem die conuenientibus in vnum Iudeis, dixerunt ad Ioseph Annas et Caiphas: 'Da confessionem deo Israel et manifesta nobis omnia que interrogatus fueris. Quia igitur contestati sumus [8] de eo quod sepelisti corpus Ihesu, et inclusimus te in cubiculo prope [9] diem sabbati; postera die querentes te non inuenimus, et admirati sumus nimio pauore vsque nunc cum te suscepimus: et coram deo manifesta nobis quid de te actum sit.' Respondens autem Ioseph dixit: 'Quando me reclusistis in diem parasceue, ad vesperum dum starem ad orationem die sabbati, media nocte suspensa est domus, in qua eram, a quatuor angelis [10]. Et vidi Ihesum sicut fulgorem lucis, et pre timore

[1] H. adds super clauem. [2] E. intentor. [3] H. presentarent. [4] E. in Arm. [5] E. eligerunt. [6] E. enim. [7] E. hierusulem. [8] H. fuimus. [9] H. propter. [10] r. angulis.

cedidi in terram: et tenens manum meam eleuauit me de terra [rosaque][1] perfudit me, et extergens faciem meam, osculatus est me, et dixit mihi: "Noli timere, Ioseph: respice in me, et vide quia ego sum." Et respexi, et dixi: "Raboni Helias." Et dixit mihi: "Non sum Helias, sed Ihesus, quem tu sepelisti." Et dixi ad eum: "Ostende mihi monumentum vbi posui te." Et tenens manum meam deduxit me in locum vbi sepeliui eum: et ostendit mihi sindonem, et faciale in quo caput eius inuolui. Tunc agnoui quia Ihesus est: et adoraui et dixi: "Benedictus qui venit in nomine domini." Et tenens manum meam duxit me in Armathiam, in domum meam. Et dixit mihi: "Pax tibi; vsque ad quadragesimum diem non exeas de domo tua. Ego autem vadam ad discipulos meos." Et his dictis disparuit.'—[2]Post hec fidei feruore animatus, nobilis Ioseph ab Armathia beati Philippi apostoli disciplinatui[3] se tradidit atque eius salubri disciplina[4] affluenter refertus, ab ipso cum filio suo Iosefe baptizatus est. Postea vero a beato Iohanne apostolo dum ipse predicationi Efesorum insudaret, beate perpetueque virginis Marie paranimphus[5] delegatus est, eiusdemque gloriose virginis assumptioni cum beato Philippo ceterisque discipulis interfuit. Atque ea que de domino ac de eius genitrice audierat et viderat, constanter[6] per diuersas regiones predicauit. Multosque conuertens et baptizans, tandem, quinto decimo post beate virginis assumptionem anno, cum memorato filio suo Iosefe, quem dominus Ihesus prius in ciuitate Sarath in episcopum consecrauit[7], ad sanctum Philippum apostolum Gallias venit. [8]Dispersis enim post ascensionem domini discipulis per diuersa regna orbis terrarum, vt testatur Freculfus[9] libro suo secundo, capitulo quarto, reg[n]um[10] Francorum predicandi gratia adiens Philippus[11] plures ad fidem Christi conuertit et baptizauit. Volens igitur beatus apostolus verbum dei dilatari, duodecim ex discipulis suis ad euangelizandum vite verbum in Britanniam misit: quibus charissimum amicum suum Ioseph predictum, qui sepeliuit dominum, vna cum filio suo Iosefe[12] prefecit[8]. Venerunt autem cum eis, vt legitur in libro qui 'Sanctum Graal' appellatur, sexcenti et amplius tam viri quam femine, qui omnes votum vouerunt[13] quod ab vxoribus propriis abstinerent, quousque terram sibi delegatam ingressi fuissent. Quod tamen preuaricati sunt omnes preter centum quinquaginta: qui iubente domino mare super camisiam ipsius Iosefes transeuntes in nocte dominice resurrectionis, applicuerunt in mane. Aliis autem penitentibus, et Iosefe pro eis orante, missa est nauis a domino, quam rex Salomon artificiose suo tempore fabricauerat vsque ad Christi tempora duraturam: in qua die eadem ad suos socios peruenerunt, cum quodam duce Medorum nomine Naciano, quem

[1] so H.; om. in E. [2] cf. Usher. [3] H. discipulatui. [4] H. doctrina. [5] E. pararumphus. [6] H. instanter. [7] H. consecrauerat. [8–8] cf. Will. Malm. [9] E. fretulfus. [10] WM. regionem. [11] E. philosophus; om. in H. [12] *al.* Iosephes. [13] H. vouerant.

Ioseph prius baptizauit[1] in ciuitate Sara[z][2], cum rege eiusdem ciuitatis cui nomen Mordraius. Cui dominus postea in visu apparens, manus et pedes perforatos, cum latere lanciato ostendit. Cui rex quasi multum compatiens dixit: 'O domine deus meus, quis tibi talia inferre presumpsit?' Et dominus: 'Hec mihi, inquit, fecit perfidus rex Nortwallie, qui seruum meum Ioseph, nomen meum in partibus suis predicantem, cum sociis suis carceri mancipauit, inhumanitus negans eis victui necessaria. Tu ergo gladio tuo accinctus ad partes illas properare ne differas, vt vindictam facias de tyranno, et seruos meos soluas a vinculis.' Rex autem euigilans et de visione exultans in domino, disposita domo sua et regno, iter cum exercitu suo arripuit, et deo ducente ad locum perueniens, regi prefato mandauit quatinus seruos dei liberos abire permitteret. Ille vero mandato eius nullatenus acquiescens, ei cum indignatione mandauit quatinus absque mora de terra sua exiret. Quo audito, rex Mordraius venit contra eum cum suo exercitu et duce Naciano supramemorato: qui ipsum in bello iusta vltione peremit. Tunc rex Mordraius accedens ad carcerem, Ioseph cum sociis suis in magno gaudio eduxit, narrans ei visionem [sibi] ostensam a domino super liberatione eorum. Tunc vniuersi gaudio magno repleti, immensas gratiarum actiones domino persoluebant. Post hec Ioseph cum filio suo Iosefe ac decem aliis sociis, peragrantes Britanniam, regnante tunc in eadem rege Aruirago, [3] anno ab incarnatione domini sexagesimo tertio, fidem Christi fiducialiter predicabant. Rex autem barbarus cum sua gente, tam noua audiens et inconsueta, nec paternas volens in melius commutare traditiones, predicationi eorum renuebat[4]. Quia tamen de longe venerant, visa vite eorum modestia, quandam insulam siluis, rubis, atque paludibus circundatam, ab incolis Ynswytryn, id est, 'insula vitrea' nuncupatam, in lateribus sue regionis ad habitandum concessit vnde quidam metricus: 'Intrat Aualloniam duodena caterua virorum: Flos Armathie Ioseph est primus eorum: Iosephes, ex Ioseph genitus, patrem comitatur: Hiis aliisque decem ius Glastonie propriatur.' Predicti igitur sancti in eodem deserto conuersantes, post pusillum temporis per archangelum Gabrielem in visione admoniti sunt ecclesiam in honore sancte dei genitricis et perpetue virginis Marie in loco eis[5] celitus demonstrato construere. Qui diuinis admonitionibus obedientes, capellam quandam, per circuitum virgis torquatis muros perficientes, consummauerunt, anno post passionem domini tricesimo primo, ab assumptione vero virginis gloriose quintodecimo, eodem autem[6] anno quo ad sanctum Philippum apostolum in Gallias venerant et ab eo in Britanniam missi sunt; ex deformi quidem scemate, sed dei multipliciter adornatam virtute. Et cum hec in hac regione prima fuerit ecclesia, ampliori eam dignitate

[1] H. baptizauerat. [2] E. Saram. [3] From Will. Malm., with the exception of the four verses. [4] *al.* consentire ren. [5] E. eius. [6] H. scilicet.

[dei filius][1] insigniuit, ipsam in honore sue matris principaliter[2] dedicando. Duodecim igitur sancti predicti in eodem loco deo et beate virgini deuota exhibentes obsequia, vigiliis, ieiuniis et orationibus vacantes, eiusdem virginis dei genitricis auxilio in necessitatibus suis refocillabantur. Quorum comperta vite sanctimonia, alii duo reges licet pagani, Marius Aruiragi regis filius, et Coillus Marii filius, vnicuique eorum vnam hidam terre concesserunt ac pariter confirmauerunt: vnde et adhuc duodecim hide per eos nomen sortiuntur. Effluentibus namque paucis annorum curriculis, sancti memorati carnis ergastulo sunt educti, inter quos et Ioseph sepultus est, et positus in linea bifurcata iuxta oratorium predictum. Cepit igitur idem locus esse ferarum latibulum qui prius fuerat habitatio sanctorum, donec placuit beate virgini suum oratorium redire ad memoriam fidelium.

¶ Hec scriptura reperitur in gestis regis Arturi.

Ioseph ab Armathia, nobilem decurionem, cum filio suo Iosephes dicto et aliis pluribus in Maiorem Britanniam, que nunc Anglia dicta est, venisse et ibidem vitam finiuisse, testatur liber de gestis incliti regis Arturi, in inquisitione[3] [scilicet] cuiusdam militis illustris dicti 'Lancelot de lac,' facta per socios rotunde tabule videlicet, vbi quidam heremita exponit Walwano misterium cuiusdam fontis, saporem et colorem crebro mutantis etc[4].

¶ Hec scriptura inuenitur in libro Melkini, qui fuit ante Merlinum.

Insula Auallonis auida funeris etc[5], milia dormientium accepit. Inter quos Ioseph de marmore, ab Armathia nomine, cepit somnum perpetuum. Et iacet in linea bifurcata, iuxta meridianum angulum oratorii, cratibus preparatis (!) super potentem adorandam virginem, sperulatis locum habitantibus tredecim. Habet enim secum Ioseph in sarcofago duo fassula alba et argentea, cruore prophete Ihesu et sudore perimpleta. Cum reperietur eius sarcofagum, integrum illibatum in futuris videbitur, et erit apertum toti orbi terrarum. Extunc nec aqua nec ros celi insulam nobilissimam habitantibus poterit deficere. Per multum tempus ante diem iudicialem in Iosaphat erunt aperta hec et viuentibus declarata. Hucusque Melkinus[6].

[1] om. [2] H. presencialiter, om. in Wm. [3] E. inquisitiones. [4] Joh. Gl. continues: ubi et scribebatur quod miraculum illud non terminaretur donec veniret magnus leo qui et collum magnis vinculis haberet constrictum. Item in sequentibus, in inquisitione vasis quod ibi vocant Sanctum Graal, refertur fere in principio, ubi albus miles exponit Galaat filio Lancelot misterium cuiusdam mirabilis scuti quod eidem deferendum commisit, quod nemo alius sine graui dispendio ne una quidem die poterat portare. [5] Joh. Gl.: Insula A. avida funere paganorum, pre ceteris in orbe ad sepulturam eorum omnium sperulis prophecie vaticinantibus decorata, et in futurum ornata erit altissimum laudantibus. Abbadare, potens in Saphat, paganorum nobilissimus, cum centum quatuor milibus dormicionem ibi accepit. Inter quos etc.—(The same passage, with an addition, is found in MSS. Titus D. VII. f. 29 and Arund. 220 f. 274. cf. Skeat xxi.) [6] Joh. Gl. adds some verses, and two genealogies showing Arthur's descent from Joseph.

¶ De sancto Ythamaro episcopo et confessore.[1]

PAuca de[2] miraculis beati Ythamari venerabilis episcopi, que vel ipsi vidimus vel ab aliis fida relatione accepimus, litteris mandare curauimus, vt in notitiam veniens per deuotionem animarum saluti proficiat, quod exterioribus signis de beati viri meritis pietas superna declarat. Sane de temporalis vite eius serie nihil nobis veterum diligentia tradidit, excepto eo quod venerabilis presbiter Beda in historia sua Anglorum, breue sanctitatis eius, immo sufficiens breuiter testimonium reddidit, hiis verbis: 'In ecclesia, inquit, roffensi beatus Paulinus moriens pallium, quod a romano papa susceperat, reliquit. In cuius locum Honorius archiepiscopus ordinauit Ythamarum, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita et eruditione suis antecessoribus equandum[3]. Verum ad intimanda huius sancti merita quid multis verbis opus est, quando et crebra virtutum operatio fidem dictis conciliat[3], et iam fama diuulgante nomen eius dulcifluum fidelis circumquaque populus mira deuotione concelebrat[4]? Tempore enim venerabilis Gundulphi episcopi, innouata roffensi ecclesia, beatus Ythamarus de loco vbi prius sepultus fuerat, in excelsam quandam testudinem ad aquilonem transpositus est. Erat autem in ecclesia illa monachus quidam, vir senex et eximie sanctitatis, cecitate percussus: [qui][5] ad tumbam sancti Ythamari cum lachrimis et gemitu preces fundens, exauditus est. Nam nocte in sompnis vir habitu candido et splendore vultus eximio ei astitit, dicens se ad clamorem eius euocatum, vt sibi mederetur, adesse: et oculos manu tangens, perfecte sanitati restituit. Quo audito, episcopus sancti Ythamari reliquias in presbiterium referri, et in loco decentiori thecam inestimabilis thezauri, vbi cunctis esset accessibilis, locari precepit. Quo in loco fideliter postulantibus prestante deo multarum facta sunt et ostensa signa virtutum. Egrotabat mulier quedam in ciuitate, et erat languor[6] fortissimus, ita vt vix in ea anhelitus[7] remaneret. Et cum beatum Ythamarum inuocaret, apparuit ei sopore [depresse][8] dicens: 'Vade, inquit, ad locum vbi requiesco, vt salutem ibi consequaris.' Cui cum respondisset[9], pre infirmitate se id facere non posse, iterum, ac tertio, eisdem est verbis admonita. Quod cum fecisset, sanitatis munere[10] donata, deum in sancto suo glorificauit. Maritus eiusdem mulieris post hec decidit in languorem: et cum ad beatum Ythamarum preces fudisset, quadam nocte in extasim rap-

[1] Ed. in Act. SS. Boll. June II. p. 291. Abridged from Mir. S. Ithamari in MS. Corp. Chr. Coll. Cbr. 161. [2] E. Pancade. Bed. II. 20; III. 14. [3] E. consiliat. [4] E. concelebratur. [5] om. [6] T. langor. [7] T. anelitus. [8] so T., om. in E. [9] E. respondisse. [10] E. muneri.

tus, putabat se pre foribus splendidissimi habitaculi assistere, quo sacerdotalis habitus et ordinis multitudo conuenerat. De quorum consessu[1] vir clarus assurgens venit ad eum ictuque leui virentis virge pectus sibi tetigit, et ait: 'Quid est quod languore deprimeris? Vade de cetero et sanus esto.' Tunc expergefactus vir, saluti redditum se sentiebat. A quodam presbitero infirmo inuocatus sanctus Ythamarus[2] per visum apparuit, manuque protensa, quasi medici functus officio, eum tetigit, et ait: 'Vide hanc nemini visionem dixeris, donec ad locum memorie mee peruenias.' Nec visio illa inanis fuit, quam salus velox secuta est. Episcopus roffensis Iohannes, per sanctum Ythamarum ab acerrimo oculorum dolore curatus, de priore theca preciosas sancti Ythamari reliquias in nouam et decentiorem, per manus religiosorum fratrum, quarto Idus iunii, cum hympnis et leticia transtulit; ipsoque die annua eius solempnitas, tum aliorum tum huius specialiter occasione miraculi, festiue decreta est celebrari. Plurimi vero febrium ardore vexati, vel oculis afflicti, et variis infirmitatibus laborantes, meritis sancti Ythamari sanitatis beneficio potiuntur. Quidam frater valida infirmitate pressus, cum sanctum Ythamarum deuotis precibus inuocasset[3], in sompnis vidit virum ignota facie ad ipsum introire, virgam manu habentem; eamque per spacia domus huc illucque circumferendo, multitudinem demonum, diuersis formis minaci vultu et truci aspectu infirmum contuentem, perturbauit. Sicque liberatus ab hora illa leuius habere cepit. Sed denuo rediens infesta illa multitudo irruit, domus spacia compleuit, rictu et aspectu terribili horrendum impetum facientes. Inuocato sancti Ythamari nomine, non eodem vultu quo prius, sed pontificalem habitu personam pretendens [rediit], albis indutus et nitenti desuper pallio opertus: oculi nitore eximii, facies candida: et quicquid intuebatur infirmus, gratie inestimabilis erat. Ad cuius presentiam mox spiritus immundi timide[4] profugiunt. At ille post eos baculum vibrans, habitaculum intrinsecus tertio circuit, et ab omni demonum spurcitia purgans, disparuit. Nec multo post tertia vice terribilis demonum multitudo infirmum infestans aduenit: et ecce quidam, cuius nec vultum nec habitum videre nec discernere poterat, crucem baiulans, omnes in fugam actos tumultuoso impetu precipitanter exire coegit. A die illa infirmus, plenam sanitatem adeptus, ab illusoribus nil incom[m]odi vltra perpessus est. Puer quidam debilitatem[5] incurrens, mutus et surdus effectus; ad tumbam sancti Ythamari deductus, perfecte saluti redditus est. Quidam valida egritudine vexatus, inuocato sancto Ythamaro, in excessu mentis vidit illum precipientem sibi vt pergeret ad ecclesiam beati Andree apostoli, vbi ei et sedes

[1] E. concessu. [2] E. Edmarus. [3] E. inuacasset. [4] T. timide, E. timidi. [5] E. debilitate.

honoris et quietis locus a deo prouisus est. Quo cum peruenisset, vidit personas quatuor decoris eximii, sanctos videlicet Petrum et Andream, Paulinum et Ythamarum: quorum vnus pontificaliter infulatus ante altare venit, quasi pro salutis sue impetratione[1] flexis genibus supplicauit. Tunc expergefactus, et sanitati redditus, deo gratias referebat.

([2]¶ *Narratio*[3].

Circa annum domini sexcentesimum vicesimum sanctus Paulus Leonensis episcopus, cum venisset ad domum sororis sue deo deuote, super littus maris Britannici sitam; rogatus ab ea precem ad deum fudit quatinus statuto fluctus maris coerceretur alueo, et terra optata aliquo sibi ampliaretur spacio. Cumque subito mare vndas [re]trahere, et terra sicca apparere cepisset, ab oratione pariter surgunt et ad ripam accedunt. Tunc Paulus sorori imperat vt in manibus lapillos ad maris marginem deferat et iuxta illam per spaciorum interualla dimittat. Mille namque passibus vel amplius per eius orationem terra aquis exhausta fuit. Oratione vero super ripam iterum completa, Paulus ad mare conuersus ait: 'Lapilli, quos in finibus tuis posui, sint in signum inter me et te, vt denuo[4] nunquam eos transgredi nec hec nostra territoria ingredi presumas.' Cuius sermonis imperium vsque hodie conseruat horridum maris elementum. Illis domum regressis, viderunt subito lapillos diuina virtute columpnas lapideas mire magnitudinis factos: et via quam eo die per medias illas columpnas incedentes tenuerunt, adhuc a Britonibus[5] 'semita Pauli' vocitatur.

¶ *Narratio*[6].

Circa annum domini nongentesimum quinquagesimum floruit in Anglia venerabilis Albinus, qui et Alquinus[7]; scientia clarus; qui mare transiit, Franciam adiit, quam sua doctrina totam illustrauit, orationes missales composuit, feria prima de trinitate, secunda de sapientia, tertia de spiritu sancto, quarta de charitate, quinta de apostolis, sexta de cruce, sabbato de sancta Maria celebrare instituit. Hic scientia et ingenio clarus, morum honestate conspicuus, studium quod a Grecis Rome olim translatum fuerat, Parisius aduexit. Cui etiam rex Carolus commisit monasterium sancti Martini turonensis, abbatis iure regendum. Nam monachi ibidem nimis in lasciuiam confluxerant, sericis vestibus induti. Vnde vno monacho aspiciente, duo angeli dormitorium illorum ingressi, omnes monachos, excepto

[1] E. imperatione. [2] The 2 Narr. are wanting in T. here; the first is given under Laurentius. [3] From Vinc. Bell. XXI. 123. [4] E. de vno. [5] E. baritonibus. [6] Abr. from Vinc. Bell. XXIII. 173. [7] E. aliquinus. [2–2] added.

illo solo qui angelos videbat, extinxerunt. Hic etiam Albinus, vt ait Vincentius in suo Speculo, et etiam Helynandus in sua Historia, a regibus anglis pro pace missus ad Carolum, apud eum resedit, cuius precipue magisterio ipse rex omnes artes didicit liberales. Hic omnium Anglorum post Bedam et Adelmum doctissimus fuit, et pluribus libris ingenii miraculum[1] fecit. Eminent enim libri sui de sancta trinitate, ad ipsum regem scripti. In quorum libro tertio, de quo responsoria et antiphone de trinitate videntur esse scripta[2], loquitur ita[3]: 'Adesto deus vnus omnipotens, pater et filius et spiritus sanctus: Doce fidem, excita spem, infunde charitatem. Velle mihi adiacet, sed hoc non a me sed a te, mundum et terras relinquere et celum petere. Sed imbecilla pluma est, velle sine subsidio tuo. Da fidei pennas, vt volem sursum ad te. [Hanc][4] fidem in te, per te, de te confiteor: Te[5] vnum in substantia, trinitatem in personis confiteor. Te semper idem esse, viuere, et intelligere, confiteor. Genitor, genitus, regenerans, o beata trinitas. Fons, flumen, irrigatio, o beata trinitas. Inuisibilis [in]visibiliter, visibilis inuisibiliter, visibilis [in]visibiliter, o beata trinitas. A quo, per quem, in quo omnia, o beata trinitas. Vita viuens, vita a viuente, viuificator viuentium, o beata trinitas. On a se, on ab altero, on ab vtroque, o beata trinitas. Verax pater, veritas filius, veritatis spiritus sanctus, o beata trinitas. Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil. Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo totum. Te inuocamus, te adoramus, te laudamus: Exaudi, exaudi, exaudi. Spes nostra, salus nostra, honor noster: Libera nos, salua nos, iustifica nos, o beata trinitas. O beata, et benedicta, et gloriosa trinitas: O vera, summa, sempiterna vnitas: Miserere, miserere, miserere nobis. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, in secula sempiterna, o beata trinitas.' Iussu quoque regis Caroli diuinam correxit historiam. Hic etiam successit sancto Adriano abbati monasterii sancti Augustini Cantuarie.)

¶ De sancto Yuone episcopo et confessore[6].

Ciuitate Frianeos, qua referunt sanctum Yuonem, et fratrem eius Athanatum[7], esse natum, regnauit pater eorum nomine Yomos, et regina Ysitalia mater eorum. Athanatus autem in nemore quodam heremiticam duxit vitam: per cuius merita dominus hactenus miracula multa operari dignatus est. Sanctus quoque Yuo, in qua ciuitate natus est[8] episcopus fieri meruit; et non multo post in ciuitate Asitania[9] ad archiepiscopatum assumptus, peruigil super gregem sibi commissum, deo deuote obsecundans, permanebat: donec

[1] VB. periculum. [2] VB. sumpta. [3] Cf. Alcuini Opp. Migne 101, p. 55. [4] E. habeam. [5] E. Confiteor te. [6] Abr. from the Vita in MS. Bodl. 285, a fuller form of the life by Goscelin in A. SS. Boll. 10 June II. 288, which wants the first passage and the miracles. Goscelin's life is based on an older life by Andrew Whitman, formerly Abbot of Ramsey. [7] E. Athanathum. [8] om. in T. [9] T. Asitania, E. Asitanea.

propter peccata populi tanta fames inualuit, vt mater filiam, et filium pater, multique prelati subditum sibi populum comederent. Religiosi proinde viri duodecim terram propriam relinquentes, regiones multas peregrinando transmeare elegerunt. Qui cum Romam peruenissent, consilio pape ab inuicem separati [1], dispositione dei sanctus Yuo cum Sithio nepote, et Iuthio [2] cognato suo, aliisque quibusdam Britanniam intrauit. Sanctus vero Athanatus ad heremum in qua prius degebat rediens, et vitam finiens; in quodam excelso monte corpus adhuc eius incorruptum permane[t] [3], monachorum collegio honoratur, et vnoquoque mense a monachis vngues manuum eius inciduntur, capilli tondentur, et ab omnibus per totam Grecie regionem honoratur et colitur.——Doctor apostolicus et veri solis nuncius, Yuo presul inclitus, in Persida ortus, finibus occiduis Britannie a domino est destinatus. Cumque terram propriam propter deum peregrinando reliquisset, multisque terrarum spaciis decursis Galliam cum suis intrasset, a rege et populo honorifice susceptus, nec vlla gratia terrena, quamuis assiduis precibus rogatus, ab ipsis retineri poterat, sed Britanniam ingrediens, in villa quadam tribus miliaribus ab Huntingdonia, nomine Slepe, vsque ad finem vite sue in uigiliis, ieiuniis, et orationibus deo iugiter seruiens, plenus bonis operibus vitam finiuit. Elapsis vero nonnullis annis rusticus quidam, vomere terram aperire temptans, in sarcophagum impegit: et spe lucri attractus, boues arantes [4] reuocat, et toto nisu [5] locum purgat. Et conuocatis aratoribus circumquaque positis, inuentoque sepulchro et aperto, episcopum pontificalibus indutum conspiciunt. Accersito [6] autem monacho ville preposito, nomine Elnothus [7], corpus decenter lotum ad ecclesiam deferunt et iuxta altare cum magna veneratione collocant. Sequente [8] vero nocte apparuit idem episcopus cuidam fabro Ezi vocato [6], statura procerus, facie candidus, specie uiuidus [9], oculorum acie flammeus, dicens: 'Quem, inquit, modo in tali loco miramini repertum, ipse sum Yuo episcopus, qui hic cum beatis sociis hactenus latui tumulatus. Denuncia [10] ergo abbati Rameseie Ednotho quatinus me cum eisdem sociis meis suo cenobio transferre festinet.' Cumque pauper [spiritu] [11] visa referre formidaret, apparuit ei iterum episcopus, atque tertio, negligentem acriter redarguens; et signum querentem episcopali virga pulsauit, dicens: 'Hoc signum habebis, quo nequaquam carebis nisi iussa nunciaueris.' Euigilans [12] vero, in loco in quo percussus fuerat, ac si ferro confossus fuisset, dolorem tantum passus est. Cum autem visa abbati [13] retulisset, sanitati restitutus est. Prepositus itaque predictus credere renuit, et rusticum velut fatuum repellens dixit: 'En viles cineres cuiuslibet sutoris transferre [14] et colere debemus pro sanctis?'

[1] E. separatim. [2] E. inthio. [3] so T., E. permanens. [4] Boll. herentes. [5] E. visu. [6] E. Accercito. [7] name om. in Boll. [8] T. Sequenti. [9] E. uiuidus. [10] Boll. Suggere preposito ut ipse nuntiet abbati; but cf. Matth. Westm. [11] om. [12] E. Euigulans. [13] Bell. preposito. [14] E. transferri.

Eadem autem nocte apparuit ei sanctus episcopus, dicens: 'Surge, inquit, surge quantotius: nam ego ille quem tu sutorem subsannasti, ocreas tibi durabiles paraui: hiis indueris, hiis domum in memoriam mei equitabis.' Ocreas strictissime eius informat cruribus, vt sedere viderentur facetius. Sic itaque concussus euigilat, et artissimus dolor tibias eius constringens, standi progrediendique[1] facultatem denegabat: et quindecim annis in compedibus sancti patris debilis permansit. Septimo vero die ante obitum eius apparuit ei sanctus Yuo splendido vultu et habitu, dicens: 'Iam tempus instat vt verbera quibus te corripui in remedium transeant sospitatis, et pro longa nocte incom[m]oditatis letissimum diem possideas eterne felicitatis. Septimo abhinc[2] die paratus esto; veniam te suscipere ad lucem de carnis hoc ergastulo.' Et factum est ita. Facta est [inuentio][3] sancti Yuonis anno domini millesimo primo, octauo kalendas maii; diesque translationis eius quarto idus iunii consecrata, perpetuo indicitur celebranda. Venerat autem ad Britanniam circa annum domini sexcentesimum. Est autem Slepe, villa antiquitus sic dicta, vbi corpus sanctissimi confessoris repertum fuisse dinoscitur, a Rameseie monasterio octo distans miliaribus, a burgo Huntingdonie tribus, super fluuium nomine Ouse[4] sita: modo vero 'villa Sancti Yuonis' est nuncupata. Abbas quoque Ednothus in loco inuentionis sancti episcopi ecclesiam construxit: Ipsius quoque tumbe media pars infra parietem, et media extra protensa[5] est, quatinus aduentantibus, tam obserrata[6] ianua quam aperta, aque gratia non deesset, que iugiter in eodem loco abundans, meritis huius sancti multis beneficia confert sanitatum. [7] Duo leprosi eadem aqua perfusi, perfecte sanantur, et ceci tres oculorum luci restituuntur.—— Adolescens de Venetia, consularis dignitatis, diabolico instinctu sororem grauidam interfecit: et ' penitentia ductum ferreis nexibus episcopus alligat, a scapulis ad renes ferro constringit, ventrem et brachia ferro accingit: sicque vinctus mundi peruagatur climata, sanctorum poscendo suffragia. Et ' apud sanctum Dionisium tandem deueniens, vinculum vnum sancti prece rumpitur: mareque transiens et ad tumbam sancti Yuonis perueniens, cum 'Magnificat' in vesperis cantaretur, et versus iste 'Et misericordia eius a progenie in progenies' diceretur, inuisibili virtute corripitur, totus a terra leuatur, terreque citius deponitur: rumpuntur ferrea ligamina, et vincula longius sunt excussa. Alii quoque quatuor ferro per episcopos in penitentia astricti, ad tumbam sancti Yuonis a vinculis sunt absoluti. Mulierem propter cecitatis plagam a viro derelictam, visu reddito confortauit. Adolescentem miracula sancti episcopi deridentem sanctoque detrahentem, curuatis genibus et rigidis, vsque ad

[1] E. progriendique; que om. in T. [2] E. adhinc. [3] T. E. translacio. [4] E. onse. [5] E. protense. [6] E. obserata. [7] From here ed. in Act. SS. Boll. June II. p. 288. [8] om. in Boll.

mortem ad ambulandum reddidit ineptum. Monacho famulos suos in eius festo operibus seruilibus insistere cogenti sanctoque conuicia inferenti apparuit, dicens: 'Tu, nunquid me nosti?' Ille vero tremens respondit: 'Non.' 'Ego sum, inquit, Yuo, quem nuper te nescire dixisti et festum meum colere volentes prohibuisti:' et dedit ei zonam, dicens: 'Ista zona precingere, et mei noticiam hoc signo amodo tene': et precingens eum, abiit. Expergefactus, quasi ferreo vinculo artissime se circumligatum sentit: Interius vitalium incisione[1] torquebatur, exterius, carne in putredinem defluente, venenosa tabe et inflatione vexabatur. Tandem, quod in sanctum commiserat, lachrimabiliter confitetur, tumbamque eius deuote visitans sanitatem reportauit. Cum monachus quidam, normam abhorrens, aufugere conatus esset, spiritus nequam eum inuasit; et circa mediam noctem, cum iam melius habere cepisset, duos ad se tetros homines venire conspexit, qui dicunt ei: 'Quia de loco isto fugere voluisti, te nobiscum ad inferni claustra rapientes deducemus.' Quo audito, concitus surgit, et Kyrieleyson clamando ad monasterium confugit. In domum infirmorum deducitur: et apparente sibi sancto Yuone et signum crucis super ipsum faciente, sanus effectus est. Ex tumba sancti Yuonis aqua perspicua, visu delectabilis, gustu suauis, sumentibus salubris scaturiens erumpit, surdis auditum, cecis visum, desperatis et in extremis agentibus conferens sanitatem. Puer quidam, a dominis suis mercatoribus vicem coquine sibi deputatam officiose adimplens, aquam de tumba sancti hauriens, olle imposuit, et ignem copiosum accendit: carnes tamen discumbentibus apposite, crude et sanguine plene sunt reperte. Res vt erat aperitur: aqua in olla omnino frigida inuenitur. Aqua enim tumbe sancti Yuonis, semper in eodem statu permanens, nescit occasum, nec aliquando patitur eclipsim. Et si quandoque in quantitate magna auidius sumatur, sumenti nunquam malum inducit, nec bibentis vterum inflat. Mulier quedam in tantum iuri diaboli fuit mancipata, vt idem malignus cum ea in specie leporis frequentissime coiret[2], ita quod in ipso coitu infelix illa, quod dictu[3] horrendum est, fluxum seminis per os, ad maiorem sui confusionem, euomeret. Confessa est tandem cum lachrimis priori loci delicta sua: et ab eo vasculum cum aqua sancti Yuonis accipiens, et de dei misericordia confidens, videt demonem in solita forma astantem, sed nullatenus accedere presumentem, comminantem tamen et increpantem, quia contra se murum aqueum erigere voluisset. Mulier vero, de potestate diaboli erepta nihilque confusionis preterite experta, incolumis et gaudens ad propria remeauit. Mulier quedam a natiuitate ceca, sanctorum per Angliam circumquaque terens limina, a beato Thoma martire rediens, sancti Yuonis petitura suffragia ville eiusdem prope site[4]

[1] E. inscisione. [2] T. cohiret. [3] E. dictum. [4] E. sithe.

appropinquans monticulo, fessa residens parumper dormire cepit. Cui duo preclari viri in habitu pontificali (vnus itinere, quo venerat, veniens, alter via qua itura erat) astantes, duos oculos valde lucentes, vt ei videbatur, in manibus gestabant: Quorum vnus vnum quem tenebat oculum, alter alterum capiti suo adaptabant. Expergefacta mulier oculos se percepisse ac visum gauisa est. Quod autem hoc miraculum beato martiri Thome sanctoque Yuoni sit asscribendum, nulli venit in dubium. Viri tres morbo ydropico inflati, aqua sancti huius hausta, sedato tumore sanitatem reportarunt.

¶ *Narratio*[1].

Quidam peregrinus a sancto Leonardo rediens, in Auernia[2] captus est, et querenti cur innocentem in carcere reclusissent, responderunt quod nisi se copiose redimeret, non exiret. Sequenti nocte domino castelli sanctus Leonardus apparuit et vt peregrinum suum illum[3] innocentem abire permitteret imperauit. Sed ille mane euigilans et visionem quasi sompn[i]um paruipendens[4], altera nocte similiter sompniauit. Verumtamen hominem relaxare non curauit. Tertia nocte beatus Leonardus peregrinum arripiens, extra opidum deduxit: et statim turris[5] cum media parte castelli corruens, oppressis plurimis solum principem ad sui confusionem fractis cruribus reseruauit.

¶ *Narratio*[6].

Quidam frater sedebat in heremo et seducebatur a demonibus per annos plurimos, ipse vero existimabat quia angeli sunt. Egrediebatur autem pater eius secundum carnem per tempus et visitabat eum. Vna autem dierum tulit bipennem secum, dicens 'quia reuertens afferam[7] mihi pauca ligna.' Et preueniens vnus demon dixit ad filium eius: 'Ecce diabolus venit ad te in similitudine patris tui, habens bipennem in sporta sua vt impugnet te. Tu ergo preueniens tolle illam bipennem ab ipso, et repugna illi.' Igitur pater eius reuenit secundum consuetudinem: et accipiens filius ipsius bipennem ab ipso, percussit eum et occidit. Et continuo adhesit ei spiritus malignus et suffocabat eum.

[1] Cf. Vinc. Bell. XXI. 12; Leg. Aur. p. 690. [2] T. E. Aluernia. [3] *al.* om. [4] E. peruipendens. [5] T. turrim. [6] Ex Vit. Patr. 1022. [7] E. auferam.

¶ De sancto Ywio confessore.

SAnctus enim Ywius, preclare stirpis Britonum religiosis parentibus, Branone videlicet patre Egidaque genitrice ortus, et lindisfarnensi prouincia nutritus est. Qui ab infantia litterarum rudimentis traditus, inspirante spiritus sancti gratia, coetaneos suos litterarum scientia transgrediens, a magnis doctoribus venerabatur. Nihil puerile dicto vel facto exercebat, sed crescente simul cum etate religione, diuinis obtemperans mandatis, non solum super hiis que feliciter, verum de non prospere sibi aduentantibus gratulabatur. Cum autem iam in iuuenili vernaret flore, a suis vtpote tanti heres patrimonii arma capere[1] crebro hortatus, terreno celeste preferens premium, quosdam sacri ordinis parentibus insciis conscendit[2] gradus. Paulo vero maturior vtroque parente orbatus, a sanctissimo lindisfarnensi episcopo Cuthberto, cuius erat discipulus, instructus, diaconatum suscepit. Frequens illi in monasterio nunc orationi insistend[i], nunc de domini mensa spiritualem cibum sumend[i] erat cura. Dum vero nihil de crastino solicitus erat, quicquid ad manum habere poterat, prout cuiusque necessitas exigebat quotidie pauperibus errogans alimoniam; in se delinquentibus veniam, algentibus indumentum, mestis solatium prebens; caducis eterna, terrenis mercabatur celestia. Celebrante autem quadam die solempni prefato presule, sanctoque Ywio diaconi vicem peragente, ecce quidam vi febrium oppressus, infirmos gressus baculo regens, post populi frequentiam oblaturus accessit. Cuius calamitati beatus compatiens diaconus, apprehensa manu proximum altari gradum scandenti, qui tante obsistebat imbecillitati, prebuit fulcimentum. Mox mirum in modum ad precipue simplicitatis viri tactum egritudo, quamuis vehemens, abscessit[5], pristine robur virtutis ad singula membrorum officia se adeptum letatur. Et prosternens[6] se; vir sanctus: 'Non meis, frater, sed presulis, inquit, sancti, cuius manum osculari desiderabas, meritis intercedentibus, superna pietas in te operata est.' Nec multo post, dum idem vir beatus epulis sobrie [functis][7] quadam die domi sederet, contigit vt pauper quidam diutina infirmitate vexatus, ita vt, decocta carne, rugosa tantum cutis nuda protegeret ossa, ad ianuam accederet: cuius condolens miserie, ab eo quid accipere vellet humiliter sciscitatus[8] est. Cumque a paupere id responsum acciperet: 'nullo delector, nullo tecum fruar cibo; potu tantum, que mei[9] torret interiora compesce flammam'; festinus siceram[10] afferens egeno dedit. Quo hausto, humeros curuatos pauper erigit, et sospitati redditus gratias deo egit. Sanctus autem Ywius timens ne sibi humani noceret aura fauoris, patriam omnino

[1] E. capre. [2] E. concendit. [3] T. E. insistendo. [4] sumenda. [5] E. accessit. [6] r. prosternenti. [7] T. functus; E. sumptis. [8] E. scissitatus. [9] r. mea. [10] E. ciceram.

suam fugiendo relinquere disposuit, et signo crucis se muniens, ad portum quendam iter direxit. Appropinquante autem eo septima die stationi nauium, quesierunt ab eo naute quo tenderet. Cumque responsum 'quo dominus eum vocare dignaretur, se pergere' eis dedisset, adiunxit: 'Si qui vestrum ad presens transfretare desiderant, precor vt in nomine domini cursus comitem et laboris participem me recipiant.' Cui dixerunt: 'Nisi nostrum ventus impediret cursum, iam diu Minorem applicuissemus Britanniam: et si illuc tendere cupis, quousque ad votum afflauerit aura, tibi necessaria ministrabimus.' Quo audito, vir sanctus benedicens dominum, vultu leticiam prodens ait: 'Descendamus ergo, fratres, et que necessaria sunt preparemus.' Et cum subito ventus desideratus fieret, et nauigare inciperent, orta tempestate grauissima naute desperantes, palmas ad celum tendere et auxilium a deo postulare ceperunt. Excitatus tandem vir dei Ywius, qui sopore[1] corpus fessum[2] recreauit, preces ad deum fudit: et tota maris commotio confestim conquieuit. Paraliticus quidam, nisi aliena manu cibum capere non valens, suis sacris precibus sanitatem recipere meruit. Interea vero dei famulus vigiliis iciuniisque assiduis corpus affligens, humilitatis et operum virtutis et totius honestatis omnibus exemplum se prebuit: et pridie Nonas octobris, in Minori Britannia feliciter ad gaudia in eternum mansura migrauit. Apud Wiltoniam diebus nostris corpus eius sanctum quiescens in magna veneratione habetur.

[MS. T, adds: ¶ *Narratio*[3].

Abbas Zenon cum sederet iuxta cucumerarium, suadebat ei animus suus dicendo: 'Tolle tibi unum cucumerem et manduca.' Qui respondit cogitacioni sue: 'Fures ad tormenta uadunt: proba ergo teipsum si potes ferre tormenta.' Et consurgens stetit in cauma quinque diebus, et dicebat quasi animus eius ad ipsum: 'Non possum portare tormenta.' Et ille respondit: 'Ergo non rapias et[4] manduces.' [5]Frater quidam ex nimia abstinencia infirmus et tussiens excreabat fleuma. Quo nolente, de sputo eius uenit super alium fratrem. Qui cum a cogitacione sua compelleretur dicere ei: 'quiesce iam et non excrees[6] super me': ut superaret cogitaciones suas, tulit quod excreauerat, et mittens in ore suo statim comedit illud. Et tunc cepit ad seipsum dicere: 'Aut non dicas fratri quod eum contristet, aut manduca quod horres.'][7]

[1] E. sopori. [2] T. fessum corpus. [3] Cf. Vit. Patr. 866. [4] VP. ut. [5] Cf. Vinc. Boll. XV. 88. [6] T. excreas. [7] Collect in T.:

Tua prece nos emunda atque deo nos commenda, O Ywie: Culpas dele, opem nobis fer medele. V. Ora pro nobis.

Deus qui preclarum confessorem tuum Ywium eterne beatitudinis excellencia sublimasti, quique deposicionis sue celebritate hodiernam diem nobis uenera-

Dominican Quarry

De sancto Iustinano martire et monacho[1].

Sanctus enim Iustinanus ex nobilissima Britannie Minoris prosapia originem duxit: qui a pueritia studiis litterarum traditus, et mirabili scientia inter clarissimos gentis sue doctores claruit. Suscepto enim sacerdotii gradu diuinum officium fideliter exequebatur: et tale tandem diuinum oraculum audire meruit: 'Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui.' Quod vir sanctus intelligens, adiunctis sibi quibusdam sociis, nauem coriis[2] contextam et viminibus conscendit, deum iugiter exorans vt ad terram eum adueheret in qua vitam solitariam ducere posset. Et tandem ad terram nomine Chormei[3] applicuit, vbi per aliquod tempus moram faciens, ceperunt iam multi eius exemplo mundum relinquere et ad sancti viri magisterium festinare. Sed in breui, sicut primo a deo ei mandatum fuerat vt de terra et[4] cognatione sua egrederetur, similiter secundo ei dictum fuit vt illam relinqueret mansionem. Tunc nauiculam ingressus, mari et ventis[5] se committens venit ad insulam que tunc insula Limeneia[6] vocabatur: in qua vir deo deuotus Honorius, regis Thefriauci filius, relictis que in mundo sunt, deo totum se exhibebat. Receptus itaque hospitio benigne, tanto [ille] pietatis excreuit ardore, vt locum suum et mansionem sancto viro traderet, vt[7] lucrandis Christo animabus absque vllo inuigilaret incom[m]odo. Videns itaque beatus Iustinanus locum viris religiosis aptum[8] et ab omni seculari strepitu remotum: 'petitioni tue, inquit, assentirem, si soror tua cum sua pedissequa[9] cubiculum habeat a nobis[10] remotum.' Quod quibusdam incredulis [nonnullis][11] vertebatur in derisum. Sed cum facundia et venustas sancte predicationis, et fulgor tante claritatis beato viro complaceret: 'pater, inquit, sancte, vt tua dulci et honesta perfruar[12] societate, sororem meam in aliam regionem transmittam.' Soror itaque beati Honorii, sumpta sanctorum virorum benedictione et licentia, in longinquas regiones ab[s]cessit. Ibique cum ad eum plurimi conuenirent, illuminati verbo fidei cum salute animarum redibant. Cum autem fama tanti viri ad beatum Dauid perueniret, nouitate et aduentu tanti viri exhilaratus, per nuncios eum euocans, vt ad se venire dignaretur suppliciter exorabat. Ille vero accelerans, a beato Dauid honorifice suscipitur: placuitque tam beato Dauid quam sancto Iustinano societate et orationibus hinc inde fulciri[13]: et suscepit cum sanctus

bilem statuisti: concede omnibus hec festa celebrantibus, huius sancti meritis dies suos in bono finire et post hanc uitam ueram et sempiternam inuenire, per.

[1] Ed. in A. SS. Boll. 23 Aug. IV. 635. 'The Life does not appear in any author anterior to John of Tinemouth' (Hardy). [2] E. coreis. [3] E. cormer; T. chormei. [4] E. et de; de om. in T. [5] E. venti. [6] E. lemeneia; now Ramsey island, cf. Camden, p. 838. [7] T. et. [8] T. aptum religiosis. [9] T. pedisseca. [10] E. a nobis; T. non. [11] T. adds nonnullis. [12] E. perfruas. [13] E. fulsiri.

Dauid in confessorem et vite sue post deum custodem. Et mansiunculas quas eligebat, tam in insula quam extra insulam, ei et fratribus ad ipsum confluentibus concessit. Quadam autem die, cum in insula orationi et lectioni operam daret, nauigantes quinque[1] in lembo quodam aduenerunt, et festinantes ad ipsum dixerunt: 'Ecce, quem amas, infirmatur, mandans vt ad ipsum postposita omni mora acceleres.' Ille autem, audita cari sibi in Christo infirmitate, ad lembum properauit, et psalmos psallere incepit. Cum autem remigando ad maris medietatem venisset, tunc demum eos facie eleuata conspexit deformiores quam homines quos videre consueuerat, et clare illos malignos spiritus esse intellexit. Tunc septuagesimum nonum psalmum manibus oculisque in celum eleuatis, scilicet 'Deus in adiutorium,' incepit. Et cum secundum eiusdem psalmi versiculum 'Confundantur et reuereantur[2] qui querunt animam meam' decantaret, tanquam corui nigri volantes euanuerunt. Sicque dei fretus adiutorio, in petra quadam ab infimo maris diuinitus eleuata ad terram euectus est, sanctum vero Dauid, quem maligni spiritus infirmum asserebant, sanum et incolumem inuenit. Videns igitur humani generis hostis a viro sancto se uictum, (et quod)[3] nec crebris assultibus attemptatum superare, nec malignis suggestionibus a diuino seruitio ipsum (valuerit)[4] segregare; alias artis sue dolose machinationes confinxit, virusque suum in viri sancti seruos tres infudit. Furore deinde serui correpti, non solum magistri sui monita salutaria contempnentes[5], quibus ipsos ad laborem exercendum hortabatur, ne vitam ducerent ociosam; verum in ipsum irruentes ad terram prosternunt, et caput eius crudeliter amputare non formidant. Loco vero quo sanctum caput super terram cecidit, fons irriguus aque limpidissime de rupe protinus scaturiens emanauit: Cuius aqua ab egrotantibus hausta salutem corporum confert vniuersis. Quidam nomine Ionas, in lacteo potu dato sibi veneno, ventrem mirabiliter in tumorem conuersum habuit: et sumpta aqua illa, ranam viuam statim euomuit, et totus tumor ventris euanuit. Illi vero iniquitatis filii post scelus iniquitatis commissum, se lepra percussos, et diuinam in se conuersam euidenter vltionem perceperunt. Progressi inde cum gemitu et planctu ad quendam scopulum pariter deuenerunt, qui vsque in hodiernum diem 'scopulus leprosorum' nuncupatur. Ibi postmodum ipsi lugubres, et corpora sua grauibus supplitiis torquentes, et mutuis verberibus flagellantes, in dolore pariter et erumpna quamdiu vixerant vitam in maxima penitentia concluserunt, et delictorum veniam meritis[6] sancti Iustinani consequi meruerunt. Magnis enim maiora succedunt miracula. Nam corpus beati martiris

[1] E. quoque. [2] E. reuerantur. [3] et quod om in T. [4] om. in T.
[5] r. contempnunt? [6] E. meriti.

capite truncatum illico surgens, et caput inter brachia sumens, ad littus maris descendit, et supra mare ambulans ad portum a nomine suo vocatum transmeauit, et in loco quo nunc ecclesia in honore ipsius dedicata consistit[1], cadens in terram iacuit, et ibidem sepeliri meruit. In eadem autem ecclesia qua corpus martiris sancti quiescit, saluator noster miracula multa ostendere dignatus est. Infirmi enim illuc accedentes, a quacunque detenti infirmitate, incolumes et sani, gratias deo referentes, ad sua redeunt. Sanctus vero episcopus Dauid passionem dilecti sui et omnem rei euentum non ignorans, diuina reuelatione admonitus, cum fratribus suis corpus sanctum ad ecclesiam meneuensem cum hymnis et canticis detulit, et in sarcophago nouo honorifice collocauit[2].

¶ De sancto Iusto archiepiscopo et confessore[3].

ORdinatus vir domini Augustinus[4] in apostolatum Anglie, et Ethelberto rege conuerso, misit Romam Laurentium presbiterum et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio, regem et gentem Anglorum fidem Christi suscepisse referrent, et multam quidem esse messem, sed operarios paucos. Destinantur igitur cum legatis [illis][5] eximii virtutum viri Mellitus, Iustus, Paulinus, et[6] Rufinianus. Beatus vero Augustinus ordinauit episcopos Mellitum Londonie, Iustum roffensi ecclesie. Nam Londonie rex Ethelbertus, vbi Sabertus nepos suus sub eo regnabat, ecclesiam beati Pauli; Rophi vero ecclesiam beati Andree apostoli condidit; et episcopis dona multa obtulit, et territoria ac possessiones adiecit. Verum mortuo Ethelberto et Saberto, Edbaldus[7] Ethelberti filius, et tres Saberti filii, a paterna pietate apostatantes ydolatrie cum suis populis dedere manus. Expulsus a Londonia Mellitus, venit Canciam ad beatum Laurentium et Iustum. Placuit in commune vt potius ardentem Sodomam fugerent, quam nec sibi nec rebellibus proficerent salutem[8]. ¶ Christi itaque exules Mellitum et Iustum pro iusticia persecutionem passos beatus Laurentius sequuturus[9] in ecclesia principis apostolorum cede[10] beati Petri apostoli edoctus oues commissas non relinquere, regi Edbaldo, vt in eius vita[11] exprimitur, plagas suas ostentat. Territus igitur rex ydola prophanat, Christo se mancipat, et Mellitum et Iustum ad sedes suas reuocat. Mortuo autem Laurentio, Mellitus successit; cui,

[1] E. consistet.

[2] Collect in T.:

Deus qui beatum Iustinanum martirem tuum celesti alimonia per columbam delata pauisti, da, quesumus, ut (eius) intercessionibus ad eterne beatitudinis gaudia uenire mereamur, per.

[3] Abr. from the Vita by Goscelin in MS. Vesp. B. XX (Harl. 105 and Harl. 652). Cf. Beda I. 27 ff. [4] E. Agustinus. [5] so T.; om. in E. [6] om. in T. [7] E. edbalbus. [8] G. reb. salutis prof. [9] T. secuturus. [10] E. sede; Bed. flagellis. [11] T. adds superius.

post quinquennium siderea via Laurentium[1] prosequuto, Iustus subrogatur. Qui priori ecclesie sue roffensi Romanum pro se consecrauit episcopum. Huic enim Iusto Bonifacius papa pallium direxit cum litteris commendatitiis, in quibus eum hortatur qualiter se inter suos habere debuerit. Suscepto autem pallio ordinauit sanctum consortem suum Paulinum genti Northanhumbrorum episcopum: quem ordinatum misit cum Ethelburga virgine, sorore regis Edbaldi, ad regem Edwinum, vt in vita eiusdem sancti Edwini superius liquet. Iustus itaque studebat totis nisibus magnificare dominum in sanctis suis mirabilem, qui post tenebras lucem, de timore fiduciam, de tribulatione illis leticiam confert. Prece, increpatione, promissione glorie, terrore iehenne, visceribus charitatis parturiens filios adoptionis, innumerabiles ad Christum conuertit. Hiis vero quos de apostasia reduxerat, amabiliter dicebat: 'Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.' Non parue sanctitatis testimonium estimandum est quod sanctus papa Bonifacius beatum Iustum apostolicis litteris commendat, eiusque meritis ac celorum premiis gentium conuersionem asscribat: cuius tenor talis est[2]: 'Dilectissimo fratri Iusto, Bonifacius. Quam deuote quamque etiam vigilanter pro Christi euangelio elaborauerit vestra fraternitas, non solum epistole a vobis directe tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens deus aut sui nominis sacramentum aut vestri fructum laboris[3] deseruit, dum ipse predicatoribus euangelii fideliter repromisit: "ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque[4] ad consummationem mundi[5]." Quod specialiter iniuncto vobis ministerio eius clementia demonstrauit, aperiens corda gentium ad suscipiendum predicationis vestre singulare misterium. Magno enim premio vestigiorum[6] vestrorum delectabilem cursum bonitatis sue suffragiis illustrauit, dum creditorum vobis talentorum fidelissime negociationis officiis vberem fructum impendens, ei[7] quod signare possetis multiplicatis generationibus preparauit. Hocque etiam illa uobis[8] recompensatione collatum est qua iniuncto ministerio iugiter persistentes laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis[9] et vestris vt proficerent meritis eorum est saluatio propinata, dicente domino: "qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit." Saluati ergo estis spe patientie et tolerantie virtute, vt infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata sui consequerentur misericordiam saluatoris. Susceptis namque apicibus filii nostri[10] Edbaldi regis, reperimus quanta sacri eloquii eruditione eius animum ad vere conuersionis et indubitate fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementie celestis

[1] E. laurentio. [2] Cf. Beda II, 8. [3] E. laboris fructum. [4] T. et v. [5] *al.* seculi. [6] *al.* fastigiornm.' [7] E. et. [8] E. nobis. [9] *al.* exspectastis. [10] E. vestri.

certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem, immo quoque vicinarum, vestre predicationis ministerio credimus subsequendam, quatinus, sicut scriptum est, consummati operis vobis merces a retributore omnium bonorum domino tribuatur, et vere per omnem terram exisse sonum eorum, et in fines orbis terre verba eorum, vniuersalis gentium confessio suscepto christiane sacramento fidei[1] protestetur. Pallium preterea per latorem presentium fraternitati tue benignitatis studiis inuitati direximus, quod videlicet tantum in sacrosanctis celebrandis misteriis vtendi licentiam imperauimus[2]. Concedentes etiam tibi, ordinationes episcoporum exigente oportunitate, domini preueniente misericordia, celebrare, ita vt Christi euangelium plurimorum annunciatione in omnibus gentibus que necdum conuerse sunt dilatetur. Studeat[3] ergo tua fraternitas, hoc quod sedis apostolice humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate seruare, intendens cuius rei similitudine tam precipuum[4] indumentum humeris tuis baiulandum susceperis; talemque te domini implorata clementia exhibendum stude, vt indulti muneris premia non cum reatitudine, sed cum com[m]odis[5] animarum ante tribunal summi et venturi iudicis representes. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.'

Ex hiis enim pape testimoniis magnifice pensandum est quanti meriti quanteque sanctitatis hunc beatum Iustum estimauerit, quod tam deuote tamque vigilanter pro Christi euangelio elaborauerit, quod pro iusticia exilium passus sit, et regem persecutorem ad fidem sua eruditione perduxerit. Sicque bonis operibus et miraculis et virtutibus plenus, quarto idus nouembris ad celestia regna sublatus[6] est; et corpus eius in monasterio apostolorum Petri et Pauli honorifice sepulture traditur.

Sed inter hec si quis querat signa quibus huius sancti declarentur merita, audiat irrefragabilia beati Gregorii testimonia ad sanctum patriarcham Eulogium scripta[7]. 'Tantis, inquit, miraculis vel ipse Augustinus, vel hii qui cum eo missi sunt, in gente Anglorum choruscant, vt apostolorum virtutes in signis que exhibent imitari videantur.' Nec illud decet silentio dissimulare[8], quod in ipsius sicut et ceterorum patrum translatione aperto eius sarcophago mira omnes astantes repleti sunt fragrantie suauitate. Verumtamen, vbi est apostolica vita, nil perdunt[9] merita, etsi desint[10] apostolica signa. Huius beatissimi sancti vitam, iusticiam, equitatem, et mansuetudinem totis viribus imitemur, praua et illicita opera vitemus, vt suis meritis omnis peccati macula a nobis eradicata, percipere cum eo mereamur eterne vite premia.

[1] E. fidei sacramento. [2] E. licentia impartimur. [3] E. Studebat. [4] E. precipue. [5] E. comidis. [6] T. sullatus. [7] Greg. Epist. (ed. Migne) VIII. 30. [8] T. disimulare. [9] T. E. produnt. [10] E. desinit.

[Ms. Tib. adds: *Narratio.*

Magus quidam notarium quendam ad locum in quem demones aduocauerat duxit, promittens ei quod multis diuitiis abundaret. Et ecce uidet q(uendam m)agnum ethiopem super excelsum tro(num sede)ntem et in circuitu eius alios ethiopes circa eum cum lanceis et fustibus stantes. Tunc ille magum predictum interrogauit dicens: 'Quis est iste puer?' Et ille: 'Domine, seruus uester est.' Cui demon: 'Si uis me adorare et seruus meus esse et Christum tuum negare, faciam te sedere in dextera mea.' Ille autem mox signum crucis edidit et se Christi saluatoris seruum esse libere exclamauit. Statimque ut signum crucis edidit, omnis illa demonum multitudo euanuit. Post hec cum quadam uice templum sancte Sophie idem notarius cum domino suo intrasset et ante saluatoris ymaginem ambo starent, uidit dominus suus predictam ymaginem super notarium fixos oculos habentem et ipsum attente respicientem. Quod uidens dictus dominus et admirans, iuuenem ex parte dextra stare fecit: et uidit quod ymago iterum uersus illam partem oculos uoluisset et super notarium fixos haberet. Rursumque fecit ipsum ire ex parte sinistra: et iterum oculos ymago uoluit et notarium ut prius respicere cepit. Tunc adiuratus a domino suo ut sibi diceret quid apud deum meruisset propter quod sic ymago eum respiceret: dixit se nullius boni conscium esse nisi quod Christum coram diabolo negare noluisset [1].]

De sancta Iuthwara virgine et martire [2].

VIrgo sancta Iuthwara, nobilibus natalibus orta, ab ipsa primeua etate, sancti spiritus gratia perfusa, operibus bonis indesinenter deo seruire studuit. Hec in paterna domo post obitum matris innocenter viuens, cunctis se amabilem exhibuit, et virtutes virtutibus cum processu etatis auxit; peregrinis domum patris sui frequentantibus cum omni deuotionis hilaritate obsequium impendit. Erat ei frater nomine Bana, et sorores tres: Eadwara sancta, sancta Wilgitha, et sancta Sidewlla, mentis eadem probitate deuote et virtutum operibus dedite. Defuncta vero matre Iuthware pater eius alteram, genere satis nobilem, vxorem duxit, sed felle amaritudinis instinctu diaboli mentem infectam habentem. Que corde venenoso dolos versare, commenta fingere infidelitatis, insidias parare cepit. Erat

[1] Collect in T.:

O sanctum pontificem Iustum, cuius iusticia sicut palma uictrici (sem)per uigore floret in conspectu domini, et sicut cedrus arbor (uir)tutum fragrancia m) multiplicans dilatuit. Hinc gloriam pan damus) Christo in secula. V. Ora pro nobis.

Da nobis quesumus, domine, beati Iusti confessoris tui atque pontificis semper adiuuari meritis, ut cum eo mereamur consortes fieri regni celestis, per.

[2] et mart. om in T.

enim Bana vir fortis viribus, et totius nequitie executor assiduus. Iuthwara virgo in sanctorum natalitiis, sumptis secum sociis, interesse diuinis curauit, noctes peruigiles ducens; studebat preterea ieiuniis, orationibus et elemosinis vacare, vt talibus obsequiis dedita, illecebras carnis vincens subiugaret. Mortuo tandem patre eius, pallor virgini ob vigilias crebras, ieiunia solicitudinesque in dies augetur[1]. Malignus igitur totius mali incentor nouercam virginis incitauit, venenum quo eam perderet inspirans. Que suppresso nequitie dolo et materno affectu simulato, virginem sanctam dulcibus alloquiis aggreditur, causas[2] palloris inquirens. Iuthwara, nihil mali suspicata, paterne necis detrimentum conqueritur, honores huius seculi non multum a se diligi, causas sui palloris pectoris dolores asserit. Hiis auditis, nouerca medicaminis solatium se quesituram mentitur; duas particulas recentis casei adhuc stillantis sumens, super vtramque mamillam eunti ad ecclesiam ponere suasit, vt medicina tali ab omni pectoris languore liberari[3] posset. Cum monitis eius virgo simplex circumuenta esset, Banam priuignum[4] nouerca adiit[5], sororem eius pregnantem concepto fetu mentitur, atque in argumentum fidei interulam puelle a pectore eius extrahere suadet, dicens eam profluente de mamillis lacte madidam fore. Qui iuuenili leuitate deceptus, sororem de ecclesia egredientem coram omni populo arripiens, de quo grauida esset inquisiuit. Cumque illa staret attonita et se grauidam negaret, interulam eius, vt doctus fuerat, extraxit. Quam madidam inueniens, impetu furoris inconsulte agitatus gladium extraxit et innocentis caput virginis amputauit. Nec mora, virgo sancta caput proprium suis manibus accipiens, de terra leuauit, et in ecclesiam vnde exierat, mirantibus cunctis, inoffenso gradu portauit. Ad comprobandam dilecte martiris sue sanctitatem, benignus deus fontem continuo de terra erumpere fecit vbi innocenter amputatum [caput] cecidit; et super fontem arbor quedam diuinitus crescere cepit. Elapsis post hec annis multis, contigit arborem illam nimio ventorum flatu super domum proximam cadere, ramorumque eius densitate ingrediendi facultatem omnibus denegare. Cumque dominus domus eam ramis priuare niteretur, statim diuinitus erecta iuuenem secum in altum tulit, qui herens in ramo, quem abscindere ceperat, vicinos ad auxilium clamoribus inuitauit. Qui confestim accurrentes, et gratias deo agentes, sancte Iuthware meritis hoc prouenisse asserebant. Cum mulier quedam filium toto corpore debilem peperisset, per visum admonita sancte virginis sepulchrum adiit, et filium sanitati restitutum gaudens recepit. Miles quidam claudus et baculis duobus sustentatus, ad sepulchrum sancte virginis deuotus[6] accessit: et gressibus reparatis, cum salute, gratias deo agens ad sua rediit.

[1] E. augentur. [2] E. atque c. [3] E. liberare. [4] E. preuignum. [5] r. adit. [6] E. deuote; T. deuotus.

[Ms. Tib. adds: *Narratio*[1].

(Vir sanctissimus) nomine Equicius cum in iu(uentute sua acri cert)amine carnis fatigatus a (deo continuis preci)bus remedium quereret, nocte (quadam assistente) angelo eunuchari se uidit (et omnem motum ex) genitalibus membris abscidi. (Atque ex eo) tempore ita alienus extitit a (temptacione ac si) sexum non haberet in corpore. (Quadam die sanctimonialis) quedam ortum ingressa et lactu(cam conspiciens, concup)iuit, eamque signo crucis be(ne-dicere oblita), auide momordit, et arrep(ta a diabolo pro)rsus[2] cecidit. Mox enim ut pa(ter Equicius portam) monasterii est ingressus, di(abolus ex eius ore clama)uit, dicens: 'Ego quid feci? sedebam (super lactucam: ue)nit illa et momordit me.' (Cui graui in-digna)cione, ut abcederet uir dei (precepit et locum in) dei famula ultra non ha(beret. Quod ita factum) est[3].]

¶ De sancto Kebio episcopo et confessore[4].

SAnctus enim Kebius de gente Cornubiensium extitit oriundus; pater eius, Salomon nomine, princeps milicie fuit. Cum enim sanctus Kebius septem esset annorum, litteris traditus, viginti annis in regione sua liberalibus disciplinis deditus fuit. Transito autem mari, apud Hillarium pictauensem[5] episcopum per quinquaginta annos manens, cecos illuminauit, leprosos mundauit, paraliticos, mutos, et demoniacos sanauit. Et gradu episcopali ab Hillario accepto, admonitus est ab angelo in suam patriam remeare. Quo cum peruenisset, rogatus est vt ipse veniret regnum Cornubie susceturus: potestatem tamen seculi presentis omnino accipere renuit. Venit autem post hec cum decem discipulis suis et de-scendit in pratum regis[6] Ethelici, tentorium suum illuc tendens. Et misit rex videre qui essent illi qui in pratum suum descendere pre-sumpserunt. Et reuersus nuncius dixit: 'Monachi sunt.' Et con-festim surrexit rex cum omni familia sua, monachos eiicere de terra sua. Et protinus cecidit de equo suo in via, et mortuus est equus eius, et cecus factus est rex et familia eius tota. Prostrauit autem se rex in faciem suam et dedit corpus et animam suam deo et sancto Kebio seruo eius. Et statim per orationem viri dei omnes

[1] From Vinc. Bell. XXII. 61; cf. Leg. Aur. p. 611. [2] *al.* protinus.

[3] Collect in T.:

Simile est regnum celorum sagene misse in mare etc.

added: In dorsetana prouincia in monasterio Schireburñ Iuthwara uirgo quiescit et colitur.

Deus qui beate uirgini tue Iu thware) cum uirginitatis gloria martirii (coronam) contulisti: concede propicius ut intercessione (eius et) auxilio a cunctis exuamur periculis et (cum ea) eterne uite participes fieri mereamur, per.

[4] Abr. from the two lives in MS. Vesp. A. XIV, fol. 86 and fol. 94, which are substantially the same, though varying in language; the former is ed. in Rees.

[5] E. pictanensem. [6] of Ethelicheaun, i. e. Eddlogan, in Gwent.

sanati sunt, et equus eius vite redditus est. Rex autem dedit viro dei duas ecclesias: et benedicto rege, venit Meneuiam, et inde transfretans in Hiberniam, in quadam insula[1] constructa ecclesia annis quatuor mansit. Consobrinus autem eius, nomine Kengarus, senex erat: cui vir dei vaccam cum vitulo emit, quia cibum alium propter senectutem manducare non poterat. Factum est autem vt vitulus vacce illius pergeret in messem diuitis (!) cuiusdam[2]: et venientes serui[3] eius vitulum ad arborem alligarunt. Et cum sanctus misisset vt solueretur, et preces eius deriderent, orauit dominum vt vitulus ad matrem rediret. Et exaudiuit dominus deprecationem[4] eius et mirabiliter vitulum ad matrem suam, cum arbore illa cui alligabatur, et cum radicibus suis, dimisit. Et apparens angelus sancto Kebio dixit: 'Vade de hac insula ad orientalem plagam.' Cui sanctus: 'Deleat deus diuitem illum de insula hac.' Et angelus: 'Sic erit.' Et veniens sanctus ad australem plagam regionis[5], et edificato oratorio, quadraginta diebus ibi mansit. Et audiens diues quia maneret ibi, misit ad eum: 'Perge, inquit, ad alium locum: mea est adhuc ista terra.' Tunc sanctus tribus diebus ieiunauit, vt deus ostenderet ei quid inde ageret. Cui angelus ait: 'Perge ad orientem.' Et veniens ad orientalem plagam, septem diebus ibidem mansit. Quod audiens diues ille, venit ad virum dei et dixit: 'Perge ad alium locum.' Tunc sanctus ait: 'Deprecor deum omnipotentem vt ostendat mihi quid faciam.' Cui angelus: 'Perge ad dextram[6].' Quo cum venisset, venit adhuc diues et dixit: 'Kebi, perge trans mare.' Tunc sanctus iratus dixit: 'Deleatur nomen tuum ab hac insula.' Tunc sanctus Kebius iussit discipulis suis vt inscisis lignis, lembum fabricarent. Quo facto, venit diues ille et ait: 'Intrate in lembum sine corio, si serui dei estis.' Et sanctus ait: 'Mirabilis deus in sanctis suis, deus Israel: ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi[7] sue, benedictus deus. 'Ponite, inquit discipulis, lembum supra mare.' Quo facto, ingressus est cum discipulis lembum corio carentem: et confestim tempestas valida venit in mare, et timuerunt valde discipuli eius, et fortiter sanctus Kebius deum rogare cepit. Cuius prece diuisit deus scopulum quendam in duas partes, et prosiliuit lembus sursum inter duos scopulos; et demum Monie insule applicuerunt. Tunc sanctus Kebius baculo suo percussit rupem: et confestim aqua largissime emanare cepit. Et misit discipulum suum nomine Caffo, vt ignem afferret. Qui cum a quodam fabro ignem peteret[8], renuit ipse dare, nisi in sinu suo portare vellet. Et posito igne in sinu eius, reuersus est ad magistrum suum, sine lesione vestis sue ignem portans. Perrexit rex[9] Venedocie die quadam ad montana venandi

[1] sc. Aruin in Vit., i. e. Aran? [2] Vit. Crubthir Fintam. [3] Vit. discipuli. [4] E. peprecationem. [5] Vit. reg. Mide. [6] T. dexteram. [7] T. plebis. [8] E. double: Qui cum a quodam fabro ignem afferret. Qui cum a quodam fabre ignem peteret. [9] sc. Mailgun.

gratia, et videns capream, molos[s]um suum instigauit vt occuparet eam. Que ad sancti Kebii casulam refugii gratia velociter cucurrit, rege eam sequente. Et ait rex: 'Dimitte illam.' Cui ille: 'Non dimittam, nisi dederis ei vite refugium.' 'Si non dimiseris, inquit rex, de terra mea te eiiciam.' Vir dei ait: 'Non est in tua potestate vt eiicias me de terra ista, sed in potestate dei est. Sed tamen dimittam tibi illam, si immolaueris deo omnipotenti et mihi totam terram quam circuierit ante molosum tuum.' Quod cum annuisset rex, sequutus est molosus illam per territorii circuitum, et reuersa est ad casulam sancti dei iterum. Ortus est postea conflictus inter regem et virum dei, sed ei resistere non poterat. Contulit ergo viro dei (!) castellum suum, deo et sancto Kebio in perpetuum. Vir tandem dei in senectute bona, operibus bonis plenus, sexto idus nouembris migrauit ad dominum.

[Ms. Tib. adds: *Narratio*[1].

Senex quidam sedens in spelunca habuit quendam discipulum probatum, quem cum uice quadam moribus instruxisset, grauatus est sompno. Cum autem diu sederet discipulus, compulsus est cogitacionum molestia recedere et dormire: et usque sepcies restitit (cogi)tacioni sue. Tandem euigilans senex inuenit eum assidentem sibi, et ait: 'Vsque modo non discessisti?' Et ille: 'Non; quia me non dimiseras, pater.' Senex dixit: 'Quare me non excitasti?' Et ille: 'Ne forte te contribularem.' Et dimisit eum senex. Et cum sederet solus, factus est in excessu mentis: et ecce quidam ostendebat ei locum gloriosum, et sedem in eo, et super sedem septem coronas. Interrogabat autem illum qui hec ostendebat, cuius essent hec. Et ille: 'Discipuli tui. Et locum quidem et sedem pro conuersacione sua[2], has [uero][3] septem coronas nocte ista promeruit.' Hec audiens, miratus est: et tremefactus discipulo dixit: 'Dic michi quid feceris nocte ista.' Et ille: 'Ignosce michi pater, quia nichil feci.' Senex autem existimans quia humiliando se non confiteretur, dixit: 'Crede, non quiesco nisi dixeris michi quid fecisti uel quid cogitasti nocte ista.' 'Ignosce, inquit, michi pater, nichil feci nisi tantum quod compulsus[4] motu cogitacionum mearum ut discederem et dormirem sepcies, set quia a te dimissus non fueram, non recessi.' Et intellexit senex quiaquociens restitit cogitacioni sue, (tociens) coronabatur a deo.]

¶ De sancta Keyna[5] virgine[6].

BEata enim Keyna virgo de regali prosapia in occidentali parte Maioris Britannie oriunda extitit. Cuius pater rex Breghenо-

[1] Cf. Vit. Patr. 903. [2] VP. adds: donauit ei deus. [3] T. enim. [4] VP. comp. sum. [5] T. Keina. [6] Ed. in Act. SS. Boll. 8 Oct. IV. p. 276. Same text in MS. Bodl. 240.

censium nomine Braghanus erat. Fuerunt autem regi illi filii duodecim et filie totidem, omnes deo placentes et vite sancte. Primogenitus eius erat sanctus Canochus; primogenita filia Gladus, mater sancti Cadoci; secunda Melari, mater patris sancti Dauid meneuensis archiepiscopi. Ceteris vero propter prolixitatem omissis, ad beatam Keynam stilum conuertimus. Antequam enim nasceretur, mater eius in visione vidit sinum suum mirra et balsamo plenum, et mamillas suas celesti lumine radiantes. Vidit et niueam se pro prole peperisse columbam. Cum vero enixam filiam mater diligenter educaret, mira quedam spiritualis gratie venustas in facie virginis apparebat, ita vt quandoque sicut nix, quandoque sicut solaris claritas refulgeret. Cumque ad annos nubiles peruenisset, et multi nobiles eam in coniugium affectarent; virgo sancta, virilem copulam omnino recusans, virginitatem suam voto perpetuo domino consecrauit. Ob hoc enim, que prius Keyna vocabatur, postea britannice 'Keynwiri,' id est 'Keyn virgo' dicta est. Proposuit tandem patriam deserere et locum desertum, vbi contemplationi vacaret, querere: et arrepto itinere, vltra Sabrinam veniens, repertis quibusdam locis siluestribus, a rege illius prouincie solitudinem illam in qua deo seruire posset expetiit: cui, quod petiit hilariter se concessurum respondit, nisi quia locus ille tanta serpentium multitudine repleretur, quod tam hominibus quam iumentis et feris inhabitabilis extitisset. Virgo vero constanter respondit, se confidere in adiutorio altissimi, et in eius nomine se velle et posse omnem illam virulentam[1] multitudinem effugare. Concesso igitur virgini loco, ad solitas preces se prostrauit et omnia illa mox genimina viperarum mortificata in lapidum duritiem commutauit. Lapides enim vsque hodie imaginem serpentinam exprimunt per campos et vicos, quasi arte lathomi sculperentur. Elapsis autem multis annis, cum fama sancte virginis vbique diuulgata esset, et visitatis multis, oratoria multa construxisset, sanctus Cadocus Montem sancti Michaelis peregrinationis gratia visitans, sanctam Keynam, materteram suam, ibidem repperit, et magno repletus gaudio, cum illam ad terram propriam reducere vellet, a populo terre permissus non est. Admonitione demum angelica virgo sancta ad patriam suam rediens, in quodam monticulo ad radices cuiusdam montis magni habitationem sibi faciens, fusa ad deum prece fontem de terra produxit, qui multis infirmitatibus meritis virginis sancte salutem prebuit. Cum autem, spiritu sancto reuelante, dies consummationis eius appropinquaret, vidit in visione noctis columpnam quasi igneam vsque ad lectuli eius pauimentum descendere—in nudo enim pauimento ramusculis arborum superiectis dormire solebat. Et angeli duo sibi apparebant; quorum alter reuerenter ad illam accedens, cilicium quo induebatur leniter[2] exuit, et casula bissina vna cum[3] tunica coccinea, cum clamide quoque[4]

[1] E. virulentem. [2] E. leuiter. [3] E. vna cum; T. et. [4] om. in T.

auro contexta[1] decenter illam ornans, dixit: 'Parata esto et veni nobiscum, vt introducamus te in regnum patris tui.' Que, cum pre gaudio flens angelos sequi vellet, euigilans sensit corpus suum febribus aggrauari et finem suum imminere: accitoque[2] sancto Cadoco ait: 'Locus iste est quem pre ceteris diligo: hic erit memoria mea: locum hunc sepius in spiritu, si licuerit, visitabo: licebit autem, quia dominus hunc michi locum iure hereditario possidendum concessit. Futurum est autem quod locus iste inhabitabitur a gente peccatrice, quam[3] ego violenter ab hiis sedibus extirpabo; iacebitque tumulus meus multis diebus incognitus, donec veniant alii quos ego precibus meis huc adducam, protegam et defendam, et in hoc loco benedicetur nomen domini in eternum.' Et cum anima a corpore egredi festinaret, vidit ante se angelicum exercitum, intra[4] celi palatium sine metu et periculo animam illius cum gaudio suscipere paratum. Quod cum astantibus indicasset, sancta illa anima [a][5] corpore soluta est, octauo idus octobris. Que cum egrederetur a corpore, subrisit sancta facies ipsius, roseum induens colorem, tantaque suauitatis fragrantia ex corpore virgineo procedebat, quod omnes qui aderant, se cum ipsa putarent in paradisi gloria collocatos. Sepeliuit autem eam sanctus Cadocus in oratorio suo, vbi in sancta conuersatione multis annis vitam artissimam et deo placentem duxit.

[Ms. Tib. adds: ¶ *Narratio*[6].

Duo fratres impugnati a fornicacione, abierunt et acceperunt uxores; postea autem dixerunt ad inuicem: 'Quid lucrati sumus quia deseruimus angelicum ordinem et uenimus in immundicia hac, et post hec in igne et tormentis uenturi sumus? Redeamus igitur ad heremum, et agamus de hiis que presumpsimus penitenciam.' Et cum suscepissent eos fratres, et per annum inclusissent, singulis diebus equaliter dabatur eis modicum panis et aque. Cum autem exirent, uiderunt senes unum pallidum et tristem nimis, alium uero robustum et clarum. Et interrogauerunt eum qui tristis et afflictus erat, dicentes: 'Quid excercitabas[7] cum cogitacionibus tuis in cella tua?' Respondit: 'Pro malis que feci penas[8] in quibus uenturus eram in animo reuoluebam; et (a) timore adheserunt ossa mea carni mee.' Alius autem interrogatus dixit: 'Deo gracias (re)ferebam quia eruit me de inquinamento mundi et de futuri seculi penis, et reuocauit me ad hanc conuersacionem angelicam: et reminiscens assidue dei mei, letabar.' Et dixerunt senes: 'Equalis est amborum penitencia apud deum.']

[1] T. texta. [2] que om. in T. [3] E. qm̃. [4] E. inter. [5] so T.; om. in E. [6] Cf. Vit. Patr. 882; Vinc. Bell. XV. 83. [7] T. excercitabaris. [8] T. quia penas.

¶ De sancto Kynedo[1] confessore[2].

EST enim terra quedam que antiquitus Letauia[3], nunc autem Minor Britannia nuncupatur: in qua princeps quidam ex regali progenie ortus, nomine Dihocus, filiam habuit pulcherrimam, quam sepe intuens, et illicito amore illectus, flammeis cupidinis telis acriter vrebatur. Instigante tandem demone eam cognouit, et in primo accessu pregnantem reddidit. Illis diebus Arthurus totam Britanniam regens cum curiam suam in natali domini in prouincia nomine Soyr teneret, principes sibi subiectos ad prefatum locum conuenire precepit: inter quos et princeps Letauie, regali iussui obediens iter arripuit, et filiam pregnantem secum adduxit. Completo autem tempore vt filia eius pareret, quasi vno miliario a palatio regis Arthuri in tentoriis affixis filium enixa est. Crus enim pueri suo femori proprio adherebat, nec illud aliquo modo erigere poterat; hoc significans quod sicut crus quod sub femore[4] est femori adherebat, sic filia que sub patre erat, patri suo carnaliter fuerat supposita. Cunabulo igitur quodam ex vimine contorto, cirpis agrestibus suppositis, iussu principis ministri puerum imposuerunt, et vas illud, puero sup[er]posito[5], in torrentem proiecerunt; a sacerdote tamen quodam, antequam in flumen proiiceretur, baptismi gratiam infantulus consecutus est. Fluuius autem tanquam eius nutrix ad maiorem fluuium cum detulit, nunc Lothur nuncupatum, et maior fluuius suo rapido gurgite vsque ad mare puerum velociter detulit. Nec mora, tam subito motu in se fretum estuabat quod yma abissi partibus superioribus permiscebat, validaque tempestas subito exorta est: et cunabulum super undarum[6] apices indissolutum et inuolubiliter vehebatur. Dum igitur puer iuxta littora in undis[7] agitaretur, ad insulam que britannice Henisweryn[8], latine 'insula turbe' vocabatur, appropinquabat. Et ecce subito aues marine quamplurime puerum circumuolabant[9], et vnguibus et rostris puerum ab vndis rapuerunt, et in aera eleuantes eum, vndique super et subtus eum tangere congaudebant. Diu huc et illuc volitantes, super rupem puerum statuerunt; cateruatim circumstantes, stratum quoddam[10] ex multiplici plumarum serie[11] composuerunt; serpentes et vermes a loco expellentes, ventos et grandines et niues vmbra alarum suarum remouebant. Dum vero paruulus in lecto suo sic iaceret, antequam nouem dies pertransisset, angelus domini ad eum descendit, et nolam quandam eneam secum afferens, illam iuxta os paruuli apposuit. Qui cum esuriret, sicut infans ad vbera matris se vertit, ita ad dictam campanam faciem suam torquebat. Ista autem campanula mamillam eneam ad modum particule muliebris mamille quantam[12] infantes

[1] T. Kenedo; E. Kynedo. [2] Same text in MS. Bodl. 240. [3] E. letania. [4] E. fere. [5] E. supposito. [6] E. nudarum. [7] E. nudis. [8] T. henyswerin. [9] E. circumuolebant. [10] E. quandam. [11] E. cerie. [12] r. quam?

lactantes[1] in ore suo submergunt, habebat. Quam in ore suo puerulus assumens, tanquam mamillam sue matris sugebat[2]: que dulcissimum puerilis alimenti saporem, omni lacte muliebri et mellis fauis desiderabiliorem, infantis ori reddebat, et vt manna antiquitus patribus, omne condimentum saporis prebebat. Cambrice enim vsque in hodiernum diem 'cloch tethauc' appellatur, quod 'mamillata campana' interpretatur. Sordes vero quas puer naturaliter in secessum emittit, ille nequaquam faciebat: subtilissimo enim cibo vescebatur, qui fecem non habebat. Talem namque in lectulo vitam ducebat, quousque completum erat tempus in quo naturaliter ambulare posset. Panni in quibus inuolutus erat, velut cortex circa arborem crescens, in circuitu pueri iuxta quantitatem eius et mensuram crementum recipiebant, nec aliquo senio panniculi affecti erant. Hiis siquidem peractis, contigit quod quidam[3] villanus, iuxta maritima mansionem habens, et liberis carens, dum die quadam iuxta littus maris ambularet, vidit a longe diuersa volatilia ad quendam locum glomeratim conuenire. Quo cum peruenisset, infantem gratum nimis ibidem inuenit: et eum ab auibus auferens, in vlnis suis ad vxorem suam detulit, dicens: 'O mulier, licet nobis fortuna hucusque multum aduersa extiterit, que diuturna sterilitate amisimus, huius infantis inuenti solatio nobis restaurata sunt. Tu lectum more parientium[4] ingredere, et te dicemus istum peperisse.' Quo facto, multorum subito pennatorum agmina ad tectum ruricole prefati vociferando concurrebant, et in duas turmas se diuidentia, vna pars lares inuadit et tegmen quo tegebatur rostris auidis et curuis vnguibus in terram prostrauit, altera pars in pecora illius agrestia impetum faciebat et ad littora maris precipitanter agitabat. Tunc vir et mulier stupefacti, deliberato consilio puerum, vbi inuentus fuerat, ad insulam prefatam detulerunt. Cumque infans in cubili ex variis plumis constructo esset repositus, statim tegmen a volatilibus prostratum super lares in suo situ repositum erat, et pecudes ad mare agitate ad pascua sua et loca a quibus erepte fuerant iam redierant. Cum autem beatus Kynedus[5] in maturiorem creuisset etatem, singulis diebus bis in die cerua siluestris grande vber et lacte tumens deferens[6] ad locum in quo campanula locata erat, et super illam, sursum euersam, astans, illam sese lactando implebat; et si quid residuum lactis in vbere relinqueretur, in concauitate petrarum illud dimittebat. Peracto autem puerilis etatis cursu cum ad iuuenilem statum deuenisset, molliora cibaria iam recusans, asperioribus cibari meditatur: et cum angelo multociens collocutus quo victu corpus suum recrearet, didicit et doctrinam accepit quod quanto magis essent asperiora, tanto deo magis placita. Quandoque ergo herbis vescebatur agrestibus, quandoque ex fructibus quibuscunque inuentis. Annis autem decem et octo

[1] E. lactentes; T. lactantes. [2] T. suggebat. [3] E. quidem. [4] E. perientium. [5] T. Kenedus. [6] E. differens.

in insula illa vitam heremiticam ducens, ab angelo litteris instructus est. Quibus completis, angelus domini dixit ad eum: 'O diuine scripture perscrutator, veritatis constans et immobilis amator: quia tibi sufficit gratia dei, te hanc sedem dominus deus tuus derelinquere disposuit, et aliam, quam tibi monstrabo, te adire[1] oportet.' Cui sanctus: 'Licet huius soli tanquam natalis dulcedine reuocor ad morandum, ad quemcunque locum me dirigas iter arripere paratus et presto sum.' Cui angelus: 'Locus est denso arundinum tegmine circumseptus, quasi miliario vno distans, diuino officio futurus ydoneus. Rumpe igitur moram et iter arripe[2] diligenter: deus enim tecum est[3].' Carpens igitur sanctus viam, in calore diei cum fatigatus se reclinasset, subito fontis purissimi riuus erumpens de terra arida emanauit, de quo ille bibens opus inceptum executus est. Cumque iterum fessus in terram se proiecisset, humus se aperiens fontem clarissimum dedit; et antequam ad locum ab angelo designatum deuenisset, in locis vbi lassatus membra quiete fouebat, fontes viginti quatuor tellus in planiciem decurrentes eduxit. Construxit enim cellam de viminibus, quam et arundine operuit; et in edificato ibidem oratorio angelorum sepissime milicia ipsum confortans conueniebat. Quidam laicus accessit ad eum vt ei seruiendo vita heremitica fungeretur. Quo benigne admisso, multis annis cum sancto vixit. Latrones nouem in prouinciam illam venientes, fame et siti afflicti dixerunt intra se: 'Est hic non longe sanctus quidam[4], qui omnes diligit et instruit, et tam fortes quam debiles reficit, egenos et vagos inuitat, etiam malefactoribus mitis est. Accedamus igitur ad eum, vt suffragetur inopie nostre.' Quo cum peruenissent, in hospitium placide recepti sunt. Accidit enim vt famulus viri sancti lanceas latronum foras dimissas intuens, et pulchritudinem admirans, vnam arriperet et in loco secreto occultaret. Egredientibus latronibus illis, quesiuit quidam a famulo viri dei si hastam suam vidisset. Ille vero iuramento asseruit se nichil cognouisse. Quo audito vir dei seruum suum vocauit, dicens: 'Amice, isti alienigene non ad nos declinauerunt vt res suas amitterent.' Cui ille: 'Clocula nostra mamillata hic apponatur, et super eam iurabo me rem istam non peregisse, nec aliquid inde cognouisse.' Et cum iurasset et cloculam illam manu tetigisset, confestim sensum amittens naturalem, horribili furore et mentis insania huc et illuc voluebatur. Et statim egrediens, et ad mare perueniens, vndas non abhorruit, sed super mare ambulauit. Quo pertransito, per montes et valles fruticosaque loca currebat, et versus Meneuiam, vbi sanctus Dauid sedem habebat, pergens, victu ferino vescebatur, herbas et radices comedendo. Septem annis moram fecit; cuius pili velut in bruto corpus vsque ad plantas tegebant. Peractis vero septem annis, in mentem sancti Kynedi[5]

[1] E. adere. [2] E. aripe. [3] so T.; E. tecum est enim. [4] E. quidem. [5] T. Kenedi.

incidit de seruo suo: et paterna pietate commotus in hanc orationem prorupit: 'Deus pie et misericors, cui proprium est misereri, reuoca impetum furoris tui, et seruum meum ad pristinum sui sensus statum digneris reducere, si vixerit. Sin autem, miserationis tue abundantia anime sue indulgeas.' Finita vero oratione, ecce famulus suus nutu dei reuocatus ad patriam[1], rediit, et, sicut prius, mari transito, oratorium sancti ingrediens et extrinsecus pilosus, seruum dei sic allocutus est: 'Serue dei, cui seruire maius est quam per totum mundum regnare, licet indignum me recipe in tuum: diuini furoris asperitas in me cessauit, et que merito abstulit, gratie sue fauore michi benignus concessit.' Cui sanctus: 'Que deus dimittit, nemo imputare tenetur, et quia deo satisfecisti, michi placuisti. Bene ergo veneris, et noli amplius peccare, et deum tuum criminis esse vltorem et indulgentie largitorem cognosce.' Ibi vero post hec diu moratus sanctissime vixit, ad nulla mala toleranda rudis. Quidam princeps nomine Morgantius terram, que nunc Glamorgantia dicitur, et terras affines vsque fluuium Waiam suo habebat dominio: et facta dissentione motus est quidam exercitus ad partes illas vbi sanctus manebat, captaque preda totius patrie reuersus est. Missus igitur famulus viri sancti, cloccam mamillatam in manu sua gerens a preda aliquid repetiit. Illi autem eum increpando deridebant et minas quamplurimas inferebant. Facta[2] autem lite maxima pro diuisione prede, exercitus mutuo letaliter se vulnerabat, nec ipsius dure pugne furor cessauit quousque omnes leto[3] traditi sunt. Quo viso, famulus sancti predam ad propria loca vnde exierat compellebat, et pauperes iniuste spoliati cum gaudio sua receperunt. Audiens autem princeps Morgantie quod deus meritis sancti viri mutua cede inimicos suos sic deleri permisisset, venit ad eum et gratias ei agens, rogauit vt quicquid vellet ab eo peteret, et sine dilatione optineret. Qui cum se nichil habere velle diceret, cum magna tandem difficultate vix petiit vt in refugium pauperum paululum terre ei daret. Cui princeps: 'Ascende mecum in montem.' Quo cum peruenissent, dixit: 'Quantum vis, ex circumspectis prouinciis tibi facito proprium.' Et ille: 'Quod nimium est non petam, vel quod heredes tui vel sequaces[4] debeant auferre. Est fluuius quidam hinc non longe decurrens: sit ille terminus possessionis mee.' Et factum est ita. Sanctus autem Dauid, Theliaus, et Paternus ad consolationem fratrum iter agentes, ad virum dei peruenerunt. Qui in eorum exultans aduentu, benigne illos suscepit et tanquam reuerendis patribus beneficia hospitalitatis ministrauit. Beatus autem Dauid vniuersalem synodum futuram edixerat, et sanctum Kynedum[5] illuc humiliter inuitare curauit. Qui ait: 'Ego merito membra habens curuata, societatem habere indignus, tantis viris indignior sum associari; et

[1] E. primam. [2] E. Fracta. [3] E. letho. [4] E. sequentes; T. sequaces. [5] T. Kenedum.

insuper ad iter aggrediendum potestas deficit naturalis.' Sanctus Dauid ait: 'Oremus Ihesum Christum vt membra tua ad iter nobiscum peragendum erigere dignetur.' Et fusa oratione ad dominum, crus a femore resoluitur, prout naturalis dispositio melius se habere debebat. Cumque ad viam carpendam parati pariter incederent, seruus dei Kynedus[1] fusa in secretis cordis sui ad deum prece, crus suum sicut prius femori adhesit. Tunc sanctus Dauid episcopus dixit: 'Cur nostram despicis societatem, cum nos tuo gaudeamus consortio? Cur nos relinquis, pater pie, in tua absentia sollicitos, cum tua presentia curarum nostrarum onus possemus[2] releuare?' Et cum mutuam dedissent salutationem, abierunt episcopi, et ille ad locum suum rediit.—Multa alia de confessore isto glorioso in vno solo loco Wallie scripta vidi, que vetustate quasi deleta legi non poterant. Terras vero relinquens, in celo premia percepturus migrauit kalendis augusti.

[Ms. Tib. adds: ¶ *Incidencia*[3].

Quidam namque romanus filium habuit quinque annorum, quem nimis carnaliter diligens tenerrime[4] nutriebat, atque idem paruulus, quod dictu graue est, mox ut eius animo aliquis[5] obstitisset, maiestatem dei blasphemare consueuit. Qui in hac mortalitate percussus uenit ad mortem: et malignos spiritus ad se uenire tremebundis oculis aspiciens, clamare cepit: 'Obsta, pater. Mauri, inquit, homines uenerunt, qui me tollere uolunt.' Et maiestatis nomen blasphemans, animam reddidit. Vt enim omnipotens deus ostenderet pro quo reatu talibus fuisset executoribus traditus, unde uiuentem pater suus noluit corrigere, hoc morientem permisit iterare, quatinus reatum suum pater eius agnosceret, qui paruuli filii animam negligens, [non][6] paruulum peccatorem iehenne ignibus nutrisset. Longobardi seuientes duos monachos in ramis unius arboris suspenderunt, et[7] eodem die defuncti sunt. Facto autem uespere, utrorumque spiritus illic apertis uocibus psallere cepit[8], et[9] qui eos occiderant, cum uoces psallencium audirent, nimium mirati perterriti sunt. Electi ergo, qui proculdubio ad uitam perpetuam tendunt, quid eis obest si ad modicum dire[10] moriantur? et est fortasse eorum nonnunquam culpa, licet minima, que in eadem debeat morte resecari. Nam uir dei contra Samariam missus, quia per inobedienciam in itinere comedit, hunc leo eodem itinere occidit. Set statim illic scriptum est quia stetit leo iuxta asinum et de cadauere non comedit[11]. Ex qua re ostenditur quod peccatum inobediencie in ipsa fuerat morte laxatum: quia isdem leo quem uiuentem presumpsit occidere, contingere non presumpsit occisum.]

[1] T. Kenedus. [2] T. possemus onus. [3] Ex Vinc. Bell. XXII. 87; cf. Gregor. Dial. IV. 18. [4] VB. remisse. [5] *al.* aliquid. [6] T. siue. [7] *al.* qui. [8] VB. ceperunt. [9] *al.* ita ut ipsi quoque. [10] *al* dure. [11] III Reg. xiii. 28.

¶ De sancto Kenelmo rege et martyre [1].

REx [2] Merciorum Kenulphus, anno domini octingentesimo nonodecimo, regni sui vicesimo quarto mundum relinquens, Kenelmum heredem reliquit, cui due erant sorores: Quendreda et Burgenilda. Hunc enim Kenelmum etate paruulum, sed animo ac pietate magnificum, in regem elegerat amor populi sui: sed Quendreda seuo liuore et regnandi ambitione stimulata, insidiabatur illi. Quem cum veneno extinguere non posset [3], eius nutricium et procuratorem, nomine Aschebertum [4], ingentibus premiis et spe consortis imperii in fraternum iugulum armare non timuit. Tali modo inuicem conciliati [5], parauerunt sagittas suas, vt sagittarent in obscuro rectum corde. Ea tempestate vidit Kenelmus per sompnium visionem, quam nutrici sue Wlwenne referens dixit: 'Visum est michi, o mater karissima, quod ante cubiculum meum arbor altissima vsque ad sidera stabat; me vero videbam stare in eius arduo vertice, vnde late poteram omnia conspicere. Erat autem pulcherrima et late effusis ramis speciosa, ab imo ad summum omnibus floribus refertissima. Videbam quoque innumeris luminaribus totam ardere: michi vero tres partes huius terre prona curuari deuotione. Cumque de tanta specula mirarer visionem, quidam meorum subter irruentes succiderunt arborem, et illa ingenti ruina cecidit. Ego vero protinus efficiebar auicula candida, et libero volatu ethera penetraui.' Vix elocutus fuerat visionem, cum nutrix pectus tundens talem erupit in vocem: 'Heu me, inquit, fili mi dulcissime, heu lactatio et nutrimentum meum suaue! ergone insidie tuorum, ergone maligna consilia sororis et nutricii tui preualebunt aduersum te? Heu, quam timeo, arborem illam succisam indolis tue presignare iacturam! verumtamen in auicula, qua penetrabas ethera, intelligitur ascensure tue anime gloria.' Aschebertus tandem, habita occasione sceleris maturandi, Kenelmum abducit in siluam gratia venandi, quasi oblectandum amore studii paterni. Cumque silue approximarent, tenellus septem annorum puer sompno pregrauatus equo delabitur, ibique recubans securus malorum totus soporatur. Tunc crudelissimus [6] nutricius foueam parat, in quam eum citius obruat. Puer tandem expergiscens prophetica fertur voce dixisse: 'Frustra hanc michi molitus es speluncam: non enim hic, vt cogitas, sed remotiori loco, vbi deus prouidit, occumbam. Vnde tibi certum dabit hec virga signum, si modo plantata frondeat,' et virgam quam manu gessit terre affixit. Hec eo dicente, statim radicata virga cepit frondescere, et

[1] Ed in A. SS. Boll. July IV. p. 300, from a MS. Rub. Vallis. Abr. from the Vita in MS. Douce 368. Corp. Chr. Coll. Cambr. 367, Bodl. 285; cf. Sar. Br.
[2] T. Kenulphus rex merciorum. [3] E. posset non. [4] T. ascebertum; E. aschebercum. [5] E. consiliati. [6] E. credulissimus.

vsque hodie ingens ibi fraxinus ostensa, in memoria beati Kenelmi celebris habetur. Tunc seuissimus artifex longius puerum abducit, in vallem profundam in ipsa silua, Clento vocatam. Cumque [1] tyrannus, iniquitatis filius, diuersa loca secreta curiosus quereret, sic eum increpare videbatur martyr ex voce dominica: 'Quod facis, fac citius.' Ibi igitur sub arbore spinea caput Kenelmi septennis absciditur, quod ipse protinus extensis palmulis excepisse memoratur. Asseritur etiam quod iam decollandus 'Te deum laudamus, te dominum confitemur' inceperit, atque in illo versu: 'Te martyrum candidatus laudat exercitus' iugulatus occubuerit, sextodecimo kalendas augusti. Illico autem impius persecutor cesum innocentem terra obruit, et ad domum festinus rediit. Deinde [2], qui celo teste martyrium pertulit, celo teste reuelatus et declaratus fuit. Nam fulgida lucis columpna de celo super locum effusa, sepius ostensa est. Quem enim ab humana noticia abscidere [3] nitebatur [4] inhumanitas beluina, illum hominibus prodebat pecualis diligentia. Candida namque bos vidue cuiusdam pascuis relictis publicis ab alto monte ad infimum sepulti monumentum decurrit: inseparabilis ibi adhesit, mira oblectatione diuinitus attracta et illecta, vt nullius inde instantia auelli posset. Quotiens vero ad domum reducta extitit, totum armentum duplo lactis copia superabat, tam salubri circa sanctam glebam pascebatur herba et gratia. Miroque modo quod vesperi detonsum erat, mane abundantius inueniebat [5]. Hinc autem locus idem 'vacce vallis' appellari consueuit. Empto Quendreda per fratricidium regno potita, tali edicto omnes terruit vt si quis Kenelmum requireret vel indicaret, vel etiam de eo verbis tractaret, sine dilatione capite plexus penam [6] patiens lueret [7]. Verum prefulgida [8] lucerna, que obfuscabatur in Anglia, clarius emicuit in arce mundi Roma. Nam cum Leo papa iunior missarum solennia celebraret, ecce columba super niuem candida palam apparuit, [que] [9] niueam membranam aureis litteris anglice inscriptam rostro ferens super altare beati Petri deposuit, et abscessit. Papa vero cum tremore respiciens nouam cedulam ignotis verbis ac litteris editam, populis diuersarum nationum demonstrauit: inter quos erant Anglici sacram epistolam legentes, talem interpretationem continentem: 'In Clento vacce valle iacet Kenelmus regius natus, sub [10] spina capite truncatus [11].' Tunc papa, postposito feminearum minarum terrore, mittit cum Anglis fidelibus legatos [12] cardinales cum litteris et potestate apostolica ad archiepiscopum Dorobernie Wilfridum ceterosque pontifices Anglorum, quatinus de indigno latibulo in ecclesiam martyrem transferrent

[1] E. Cōque. [2] *al.* Denique. [3] *al.* abscondere. [4] E. vitebatur. [5] *al.* inueniebatur. [6] E. capitis pl. pena; T. capite pl. penam. [7] E. luerit; *al.* capite plecteretur. [8] E. perfulgida. [9] om. [10] *al.* iacet sub. [11] At the bottom, T. gives the English text: (In Clent) cou-dale under ane thorne lis Kenelm kyngis barn heued byreued. [12] E. ligatos.

Kenelmum. Cum autem corpus eius de terra esset eleuatum, fons viuus inde emersit, qui in riuum effluens multis inde gustantibus salutem impendit. Corpore enim de silua delato, maxima turba cecorum, surdorum, claudorum, et variis morbis detentorum curata est. Altercantibus autem pro corpore Glouerniensibus et Wigorniensibus, complacuit tandem parti vtrique vt populus qui in crepusculo sequentis diei prior euigilasset, sanctum Kenelmum, quasi diuinitus datum sibi[1] auferret. Glouernienses itaque vigilantiores cum sacra gleba iam quindecim miliaribus euasere[2], antequam alii a sompno excitati, et rubore ac ira succensi, tota celeritate post eos sequerentur. Quos vbi eminus fugientes aspexerunt[3], inuocato sancti Kenelmi suffragio, per angustam semitam euadentes inter frutecta se protegebant. Cumque non procul a monasterio winchecumbensi labore sitique grauissima cum corpore sancto fessi sederent, opem sancti Kenelmi humili deuotione implorabant: Nec mora, fons viuus, et vsque in hodiernum [diem][4] iugiter manans[5], sub quadam petra erumpens, sitim potantium ex eo extinxit. Stabat tunc Quendreda in solario quodam, et multitudinem respiciens cum triumpho fraterne glorie venientem, ira et indignatione cepit tabescere. Accepto autem psalterio, quodam prestigio, non cantare pro illo studuit sed incantare contra illum centesimum octauum psalmum, quatinus a fine ad caput, ab vltimo versu ad primum peruertendo eum, fraterne felicitati efficeret perniciosum. Veruntamen in ipsam redundauit, deo volente, maledictum suum. Cum enim a fine ascendendo hunc versum volueret ore venefico 'hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum,' continuo sibi vtrique oculi suis sedibus extirpati, super ipsam quam legebat paginam ceciderunt. Adhuc autem ipsum psalterium argento paratum, huius correptionis cruore maculatum, prebet indicium. Ipsa vero infelix post paululum interiit. Quam ferunt nec in ecclesia nec in campo sepultam posse teneri; sed quendam infantem lucidissimum apparentem cuidam iussisse in quodam profundo loco semoto eam proiici. Tempore regis Canuti quidam Danus partem ruris sancti Kenelmi auferre temptauit: iudicaturque vt dies ille cum viginti quatuor super corpus sancti Kenelmi ius suum sacramento probaret. Cumque hoc facere se ingereret, subito dei virtute repulsus retrogradus abscessit, et quasi vasto ictu obrutus supinus concidit. Sicque terra sancto adiudicata, aduersarius domum deductus, qui terram alienam inique auferre temptauit, omnia possessa cum seculo iure amisit. Matrona quedam festum sancti Kenelmi obseruare contempsit, et in prandio sedens, indigna quedam verba in sanctum intorsit, nec quicquam operis intermitti imperauit: 'Pro Kenelmo, inquit, nescio quo, fructum diei non perdemus.' Vix verbum emisit, et ecce vtrique oculi excussi in terram ceciderunt, et

[1] Boll. sibi datum. [2] Boll. euaserant. [3] B. prospexerunt. [4] om. [5] E. manens.

boues ad vehicula ducti[1] ligna et iuga excutientes ita dispersi sunt, vt deinceps inueniri non possent. Cecus quidam a natiuitate sepulchrum sancti visitans, contemplatur puerum speciosissimum sibi assistere, duo sidera prefulgida manu gestantem, et ea[2] oculorum sedibus sibi imprimentem. Nec mora, ad se reuersus, reseratis oculis vidit clare; mirabatur ignotas rerum species, mundi amplitudinem, lucis nitorem, et cetera que in mundo sunt. Quidam a natiuitate mutus, vidit sanctum Kenelmum cum cereo flagrante sibi aduenire, atque ita ardentem in os sibi patulum impingere: sicque exiliens, loquebatur recte, et que[3] prius tantum poterat audire, iam valebat proferre. Alium quoque mutum curauit linguamque habilem ad loquendum reddidit; quendam ferro accinctum liberauit, contractum gressibus restituit, cecum illuminauit; contractum talos natibus habentem impressos, manusque retortas[4], vt digiti retrorsum inhererent brachiis. Romam proficiscentem et vt ad sanctum Kenelmum redeat admonitum, membra gressui apta reddidit. Videbat enim puerum speciosissimum de altari descendere, aureaque virga quam manu gestabat ipsum tangere, et vt surgeret imperare. Quo facto altare conscendit, et scrinium suum subito intrauit.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[5].

(Sanctus Florencius) cuidam urso precepit ut oues sing(ulis diebus) ad pastum ducens, hora sexta reduceret. (Cuius) iussioni cum indesinenter obtemperaret, (quatuor fra)tres inuidie liuore excecati eundem (ursum) insidiantes occiderunt. Altera uero die (ad agrum) Florencius pergens, ursum occisum repper(it, et solli)cite inquirens, a quibus interfectus fuerat agnouit. Tunc se in lamenta dedit, facti[6] magis maliciam quam ursi mortem deplorans, et doloris magni stimulis accensus imprecatus est dicens: 'Spero in deo quia in uita ante oculos omnium ex malicia sua uindictam recipient qui nichil se ledentem ursum meum occiderunt.' Cuius uocem protinus ulcio diuina secuta est. Nam quatuor fratres illi qui ursum eundem occiderunt, statim morbo elephantino sunt percussi, ita ut membris putrescentibus interirent. Quod factum uir dei Florencius uehementer expauit, seque fratribus (mal)edixisse (pertimuit). Omni tempore uite suc flebat quia exauditus fuerat, se crudelem in eorum interitu clamabat homicidam. Diaconus quidam dum eundem Florencium uisitare intenderet, omnem locum in circuitu celle sue innumeris serpentibus plenum uidit. Cumque uehementer expauisset, clamauit dicens: 'Serue dei, ora pro me[7].' Eg(ressus uero) Florencius oculos ad celum et palmas (tetendit, orans dominum) ut illam pestem sicut sciret auferret. (Ad) cuius uocem

[1] Boll. iuncti. [2] E. eo. [3] Boll. qui. [4] E. retorcas. [5] Cf. Vinc. Bell. XXII. 77, Gregor. Dial. iii. 15. [6] VB. fratrum. [7] pro me *al.* om

subito celum intonuit et omnes (serpentes tonitrus) occidit. Et uir dei hoc uiso dixit: 'Ecce (occi)disti eos, domine, quis eos hinc leuat?' Mox(que ad) eius uocem tante aues uenerunt quan(ti) serpentes occisi sunt: que eos portantes singulos et long(ius) prohicientes, locum habitacionis illius mundum omnino a serpentibus reddiderunt[1].]

¶ De sancto Kentegerno[2] episcopo et confessore[3].

REx quidam in septentrionali Britannie plaga, paganicis implicatus erroribus, filiam ex vxore sua genuit speciosam, que sepius audita seruorum dei predicatione, ad agnitionem veritatis, ydolorum cultu penitus abdicato, meruit peruenire. Et licet baptismi gratiam nondum consecuta, viam tamen mandatorum dei mente deuota et humili custodire satagebat; orationibus crebris et elemosinis dedita, quantum ob[4] metum patris pagani licebat, ecclesiastice discipline et operibus bonis sedula insistebat. Marie virginis integritatem fecundam venerando admirans et diligens, presumptuosa audacia et quadam temeritate feminea in conceptu et partu illi assimilari et eam imitari desiderans, assiduis precibus regem celorum et dominum super hoc deprecari sepius cepit. Elapso demum temporis spacio inuenta est illa in vtero habens: et magnificans deum, desiderium suum adimpletum esse simpliciter credebat. Quod enim in ea natum est, de complexu humano suscepit: sed ipsa multotiens asseruit, et iuramento [se][5] constrinxit, quod[6] a quo, vel quando, aut quomodo conceperit, in conscientia non habebat. Populus enim diocesis sancti Kentegerni stultus et insipiens, ipsum de virgine conceptum et natum adhuc astruere non veretur. Sed quis aut[7] quomodo sator terram arauerit seu seuerit, cum domino dante benignitatem terra fructum optimum protulerit, absurdum sane diutius indagare arbitramur. Cum autem rex a filia minis et blanditiis quis eam grauidasset inquireret, omnis virilis consortii se expertem iureiurando protestatur. Offensus itaque rex, legem a maioribus suis promulgatam[8] preuaricari se nolle constanter affirmabat. Erat enim lex a diebus antiquis in gente illa seruata, vt puella

[1] Collect in T.:

Martir magne dei, puer alme Kenelme, superni, Deuotis famulis tua festa colentibus assis. Virgo sequens agnum pie laudas immaculatum, cernere quem tecum fac nos sine fine per euum. Ora pro nobis.

Presta quesumus omnipotens deus, ut sicut gloriosa beati Kenelmi innocencia glorie tue throno assistit coronata, sic tanti martiris precibus ecclesia sanctitatis luce nitescat decorata, per.

[2] E. Kentegrino; T. Kentegerno. [3] Ed. in A. SS. Boll. 13 Ian. II. p. 98. Abridged from the Vita by Iocelin of Furness, in MS. Vitell. C. viii. and MS. Archb. Marsh Dublin v. 3. 4 16, ed. in Pinkerton Vitae SS. Scotiae, 1789, p. 191, and Forbes The Lives of S. Ninian and S. K. 1871; a fragment of an older life in MS. Tit. A. xix. f. 76 is ed. by Forbes, p. 245, which is the basis of the legend of St. Thenew in Aberd. Brev. [4] E. ad. [5] om. [6] om. in T. Vit. [7] *al.* om. [8] T. E. prouulgatam.

in domo paterna fornicata et grauida inuenta, de montis supercilio precipitaretur, et corruptor illius capite plecteretur. Statuitur igitur puella iussu regis in montis fastigio, Dunpelder ab incolis vocato[1], vt deorsum[2] precipitata membratim dirumperetur[3]. Illa vero grauiter ingemiscens, et in celum suspiciens, redemptoris misericordiam et auxilium manibus in celum erectis cum multis lachrimis implorabat. Cum ergo de monte precipitata caderet, non est collisa, nec lesa, sed placido[4] lapsu et suaui ad terram descendit. Pagani enim magicis christianorum artibus hoc ascribentes, rege consentiente in nauicula parua de corio facta sine omni remigio per aliquot miliaria fortune et mari puellam solam et omni humano auxilio destitutam exponebant. Protegente tamen illo qui ventis imperat et mari, multo velocius ad portum alium nauicula percurrebat, quam a quouis velifico cursu[5], aut multorum remigantium propelleretur annisu. Egressa autem de naui puella in loco Collenros[6] dicto, angustie partus apprehenderunt eam: et sine obstetricis cuiusque solatio peperit. In eadem hora sanctus Seruanus, post matutinas orationi intentus, audiuit angelicos cetus melliflua preconia et laudes deo in aere resonare. Mane vero accedens ad locum, et visa matre cum filio, patria lingua dixit: 'Mochohe, Mochohe,' quod latine dicitur 'chare mi, chare mi'; et subiunxit: 'Benedictus qui venisti in nomine domini.' Suscepit ergo eos, et enutriuit, ac baptizauit, vocauitque matrem Taneu, et puerum Kientiern[7], quod interpretatur 'capitalis dominus.' Profecit ergo puer bone indolis in disciplinis litterarum et in exercitiis sanctarum virtutum[8], et pre cunctis consortibus suis in oculis sancti Seruani dilectus fuit: illumque Munghu, quod latine dicitur 'charissimus amicus,' ex consuetudine appellauit. Quo nomine vsque in hodiernum diem vulgus eum vocare et in necessitatibus suis inuocare crebrius consueuit. Videntes condiscipuli sancti primum[9] quod a patre spiritali plus omnibus amaretur, oderant eum, nec quicquam ei pacifice poterant loqui. Insidiabantur, conuiciabantur, inuidebant, et detrahebant illi. Quandam auiculam, ob ruborem corpusculi 'rubiscam' vocatam, de manu sancti Seruani alimoniam accipere, scapulis eius et capiti seu gremio insidere, oranti vel legenti assistere, alarum plausu et vocis sue sono affectum illi ostendere solitam inter se mutuo tractantes, caput a corpore auellunt, et extinguunt, Kentegerno absenti crimen imponere non verentes. Puer autem volucrem in manibus suscipiens, et caput corpori applicans, fusa ad deum prece signaculum crucis impressit: et auis vite reddita seni de ecclesia reuertenti more solito applaudens obuiam prosiliuit. Statuit autem sanctus Seruanus vt vnusquisque puerorum per septimane circulum, ne aliqua negligentia ob defectum luminis

[1] r. vocati. [2] E. dorsum. [3] T. dirrumperetur. [4] E. placito. [5] Vit. quam si velifero veheretur flatu. [6] i. e. Culross in Fife. [7] E. Kientieru. Wl. cyn = chief, teyrn = lord. [8] Vit. virtutum sanctorum. [9] Vit. Kentegerni; r. pueri?

diuino obsequio in noctibus eueniret, ignem diligenter dum dormitum irent subcinerarent. Accidit quadam nocte solempni, dum Kentegernus[1] puer vice sua ignem custodiret, [vt][2] condiscipuli sui, inuidia excecati, totum ignem infra monasterii septa clanculo extinguerent. Vigiliarum tempore Kentegernus ignem monasterii extinctum reperiens, ramum cuiusdam coruli viridis arripiens, in nomine sancte trinitatis data benedictione insufflauit: et confestim igne celitus emisso ramus ingentem flammam produxit et absque sui detrimento ardere cepit. Accensis autem candelis, lumen in ramo amplius visum non est. Cocus sancti Seruani inualescente infirmitatis molestia vitalem spiritum exhalans, iuxta morem sepelitur. Sequenti vero die, instigatione ac prece omnium discipulorum ac emulorum primum[3] sancti[4], senex Seruanus per sanctum et terribile nomen domini Kentegernum[1] adiurans, in virtute sancte obedientie imperauit vt in resuscitatione sui serui si[5] quid posset saltem attemptaret. Adolescens vero adiurationem exhorrens[6], de tumulo humum proiici iussit, et prostratus cum lachrimis misericordiam domini implorauit, dicens: 'Domine Iesu Christe, vita et resurrectio mortuorum[7], qui mortificas et viuificas, deducis ad inferos et reducis, cui vita et mors famulantur, qui suscitasti Lazarum quatriduanum: resuscita hunc mortuum, vt glorificetur nomen sanctum tuum super omnia in secula benedictum.' Nec mora, qui sepultus fuerat, a mortuis resurgens, reproborum supplicia et iustorum gaudia que vidit, postmodum enarrauit, multosque de malo ad bonum conuertit, et bonos vt in melius proficerent suis verbis confirmauit. Asserebat se rebus humanis indicibili dolore exemptum, et ante tribunal tremendi iudicis adductum: ibique vidisse plures accepta sententia in tartara precipitari, alios ad loca purgatoria destinari, quosdam ad celestia gaudia cum magna exultatione eleuari. Cumque sententiam suam tremulus expectaret, se esse illum pro quo dilectus domini Kentegernus[1] oraret, audiuit; et a quodam lucido viro ad corpus reduci, vite et sospitati pristine restitui iubetur, atque vt correctiori vite deinceps inuigilaret, ab eodem ductore suo sedulo commonetur[8]. Idem enim cocus habitum religionis assumens, et de virtute in virtutem proficiens, septennio superuixit. In cuius tumbe operculo, qualiter resuscitatus fuerat a sancto Kentegerno litteris exaratur. Sancta itaque Kentegerni[9] conuersatio, que multis proficiendi prebebat exemplum, emulis eius maioris odii erat seminarium. Intelligens ergo vir dei eorum inuidiam, simul et timens populi fauorem et honorem, loco cedere deliberauit: reuelatumque est ei propositum suum in oculis domini gratum fore et acceptum. Igitur clam recedens, ad Mallenam fluuium venit, que ex maris reumate influente alueum suum excedens, omnem transeundi spem

[1] E. Kentegrinus. [2] om. [3] r. pueri. [4] Boll. sanctus. [5] om. in Boll. [6] Vit extimescens. [7] *al.* tuorum. [8] E. commouetur. [9] E. Kentegrini.

penitus ademit. Dominus autem qui mare rubrum diuisit et populum Israel siccis pedibus per medium eius quondam eduxit, ipse Mallenam fluuium seruo suo diuisit, erantque quasi muri a dextris et a sinistris eius. Deinde brachiolum marinum per pontem transiens, repentino impetu aquas alueum implere et transitum cuilibet negare vidit. Locus autem ille in posterum intransmeabilis fuit, et[1] pons aquis maris deinceps contectus nulli vlterius transeundi prebuit facultatem. Mallena etiam fluuius cursum suum relinquens, in Ledonis fluuii alueum deinceps se retorsit; sicque duo fluuii vsque tunc diuisi a die illa commixti sunt. Et ecce sanctus Seruanus, seniles artus baculo regente fugientem secutus, supra ripam stetit, et eiulando clamans dixit: 'Heu me, fili karissime, lumen oculorum meorum, baculus senectutis mee: quare me deseris? cur me derelinquis? Recogita, queso, quomodo ex materno profusum vtero te suscepi, nutriui, docui, vsque in hanc horam educaui: noli derelinquere canos meos.' Sanctus vero in lachrimas resolutus dixit: 'Vides, pater, diuinum esse quod agitur, nec consilium altissimi immutare, aut voluntati non obtemperare[2] valemus.' 'Rogo, inquit Seruanus, vt, sicut ante fecisti, prece tua salum diuidas, denudes solum, vt solus pertransiens per siccum perueniam ad te. Efficiar enim tibi de patre filius, de doctore discipulus, et vsque ad finem vite comes indiuiduus.' Tunc sanctus[3] multo fletu madefactus ait: 'Regredere, queso, pater mi, et discipulos tuos doctrina et exemplo instrue et disciplina corrige. Retributor omnium bonorum retribuat tibi pro vniuersis beneficiis que michi exhibuisti. Bonum enim certamen certasti, cursumque iam consummasti. Ego [autem][4] pergam quo me misit ille qui me segregauit ex vtero matris mee.' Et sic mutua data benedictione, ab inuicem discesserunt. Sanctus autem Seruanus in senectute bona cito migrauit ad dominum. Procedens inde vir dei, in loco nomine Glasghu in multa abstinentia vixit: donec rex et clerus regionis cambrensis, cum ceteris christianis licet paucis, ipsum plurimum renitentem in pastorem et episcopum eligerent. Accito autem de Hibernia vno episcopo, more Britonum et Scotorum in episcopum ipsum consecrari fecerunt. Mos enim in Britannia inoleuerat in consecratione pontificum, tantummodo capita eorum sacri crismatis infusione perungere, cum inuocatione sancti spiritus, et benedictione, et manus impositione. Insulani[5] enim quasi extra orbem positi, emergentibus paganorum infestationibus, canonum erant ignari: ecclesiastica ideo censura ipsis condescendens excusationem illorum admittit in hac parte. Sanctus autem Kentegernus huius ritus errori, sicut infra dicetur, plenius satisfecit. Cathedralem sedem in vrbe glasguensi constituit, et magnam congregationem secundum formam primitiue ecclesie

[1] *al.* nam. [2] E. obtemptare. [3] E. Sanctus tunc. [4] so T.; E. enim. [5] E. Insulam.

viuentem ibidem ordinauit. Extendebatur autem diocesis sua secundum limites cambrensis regni, a muro scilicet illo famoso ad arcendum hostes a Britonibus a mari ad mare quondam constructo, vsque ad flumen fordense, id est, ad mare scoticum. Anno etatis sue vicesimo quinto consecratus est episcopus: et omni tempore vite sue post triduum, et multociens quatriduum [1], cibum sumpsit, panem scilicet et lac, vel caseum, aut butirum. A carnibus et vino, et omni quod inebriare potest, omnino abstinuit. Si vero in itinere, aut cum rege esset, a consueto rigore abstinendo se temperabat. Postmodum tamen ad sua regressus, quasi graue [2] crimen illud in se vindicans, abstinentiam ampliabat. Vtebatur ad carnem asperrimo cilicio; deinde melote ex pellibus caprinis confecto, et cuculla stricta, super quam alba candida contectus, stolam iugiter gestabat; et pastoralem virgam, non spericam et auratam ac gemmatam, sed de simplici ligno, tantum reflexam; habens in manu librum manualem, semper paratus ad ministerium suum, cum necessitas aut ratio deposcebat. Iacebat autem in saxo instar monumenti cauato, habens capiti lapidem, et proiectis aliquantis cineribus et cilicio substrato [3], potius sompnum hauriendo, quam carpendo, se a sopore excutiebat. Sicque hausto modice quietis sopore, nudum in aquis frigidis se immergens, totum psalterium decantabat. Hanc enim consuetudinem, nisi itinera aut egritudines prohiberent corporales, nec grando, nix, aut pluuia aliquatenus defraudare poterant; sed et tunc aliquo spirituali exercitio opus illud redimebat. Sopitus enim [4] erat in corpore suo stimulus carnis omnis: vnde et vice quadam discipulis suis simpliciter asseruit, non amplius ad speciosissime puelle visum vel tactum, quam ad durissimi lapidis [5], se stimulatum. In iudicando autem aut corripiendo non personam, sed causam attendebat. Omnis eius substantia, pauperum erarium [6] semper fuit. Multociens dum sacramenta diuina tractaret, columba niuea, rostrum quasi aureum habens, capiti eius insidere consueuit. Crebro etiam dum sacris astaret misteriis [7], nubes lucida obumbrauit caput eius. Aliquotiens non ipse [a]stare videbatur, sed columpna ignea, cuius fulgore intuentium intuitus obtunsi sunt. Dum vice quadam sacra misteria celebraret, nebula quedam odorifera totam ecclesiam impleuit, ineffabili suauitate omnes perfudit, et variis incom[m]odis laborantes perfecte sanitati restituit. Omni quadragesima a conspectu hominum separatus deserta loca petebat, solas radices herbarum in cibum sumens: aliquotiens vero totum illud tempus, domino virtutem tribuente, absque terreni [8] cibi [9] sustentaculo transigebat. In cena tamen domini multitudinis pauperum, et leprosorum, pedes cum lachrimis lauans et [10] tergens ac crebris osculis demulcens, eis postmodum in mensa

[1] E. quatriduanum. [2] E. genere. [3] *al.* subtracto. [4] *al.* ergo. [5] *al.* silicis. [6] E. errarium. [7] *al.* altaribus. [8] E. terrā; om. in Boll. [9] E. sibi. [10] Vit. et capillis t.

diligenter ministrabat. In die parasceues, plagis virgarum et nuditate et crebris genuflectionibus diem cum nocte continuauit. Sabbato autem sancto, et vsque ad horam resurrectionis dominice, tempore diuini officii excepto, in quodam sepulchro se flagellando latitabat. Nondum renatos in sua diocesi ad fidem conuertit, apostatas et hereticos sua doctrina sana ad sancte matris ecclesie gremium reuocauit; demonum simulachra vbique subuertit, non nullas ecclesias construxit, parochias[1] certis limitibus distinxit; et vbique lucrum animarum querendo proficiscens, non equo uectus[2], sed more apostolorum pedes ire volebat. Ne autem panem suum ociosus comederet[3], manibus suis in agricultura laborare consueuit. Et cum boues semel sibi deessent, ceruos de saltu in nomine domini ad se venire et loco boum terram arare precepit. Qui statim obtemperantes et mansueti effecti, terram arare, ad pascua ire, et ad opus consuetum redire solebant. Tandem in vnum de ceruis labore fatigatum lupus irruens suffocauit, et voracem ingluuiem[4] ex eius cadauere saturauit. Quo audito, sanctus Kentegernus[5], manum contra siluam extendens, dixit: 'In nomine sancte trinitatis precipio vt lupus qui michi dampnum intulit, satisfacturus sine mora accedat.' Et ecce, lupus de silua prosiliens, cum vlulatu corruit ante pedes eius. Cui sanctus: 'Surge, inquit, et in nomine Ihesu Christi precipio tibi vt loco cerui quem deuorasti, aratro applicatus ares ex integro quod restat arandum[6].' Lupus itaque verbis sancti obediens, et ceruo[7] copulatus, nouem iugera arando[8] explens, libere abire permittitur. Et cum multi conuenissent ad spectaculum, sanctus aperiens os suum dixit: 'Viri fratres, quid admiramini aspicientes verbum hoc? Credite mihi, antequam homo inobediens suo conditori existeret, non solum animalia, sed etiam elementa obtemperabant illi. Nunc vero ob ipsius preuaricationem omnibus in aduersa versis, leo lacerare, lupus deuorare, serpens sauciare[9], aqua submergere, ignis comburere, aer corrumpere, terra sepe ferrea effecta fame subruere consueuit. Et ad cumulum consueti mali, homo non solum hominem, sed ipse homo in seipso peccando contra seipsum sponte deseuit. Sed quoniam plerique sancti in vera innocentia, et pura obedientia, in sanctitate, dilectione, fide, et iusticia coram domino perfecti inuenti sunt, quasi antiquum ius et naturale dominium a domino recuperant[10], dum bestiis et elementis, morbis et mortibus imperare solent[11].' Et cum totam annonam pauperibus erogasset, assumpta arena, vice seminis in terram sparsit: et messis tempore triticum optimum terra producens, omnes hoc audientes deum in sancto[12] eius laudare et benedicere fecit. Dum enim victualia pro fratribus vice quadam non haberet, regem cambrensem

[1] E. perochias. [2] E. nectus. [3] E. commederet. [4] E. ingluuiam.
[5] E. Kentegrinus. [6] Vit. agelluli. [7] Vit. cum altero c. [8] E. orando.
[9] E. sāciare. [10] Vit. recuperabant. [11] imperabant. [12] T. E sanctum.

nomine Morken[1] adiit; penuriam suorum insinuans, vt suam inopiam illius abundantia, iuxta apostoli monita, subueniendo suppleret humiliter petiit. Ille vero ore blasphemo yronice dixit ad eum: 'Iacta curam tuam in domino, et ipse te enutriet, quoniam nichil deest timentibus deum, sicut ceteros am[m]onere[2] consueuisti. Tu vero, cum timeas deum, et mandata eius obserues[3], omnibus bonis, et victu etiam necessario indiges. Ego autem, qui nec regnum dei quero, nec iusticiam eius, omnia michi prospera et rerum affluentia (vt cernis) arridents[4]. Inanis est ergo fides tua, et falsa predicatio tua comprobatur.' At vir sanctus sacre scripture testimonio et rationum assertionibus et exemplis, multos iustos et sanctos egestate et siti in hoc seculo affligi, reprobos rerum affluentia, honorum fastigiis sepe sublimari asserebat[5]; pauperes vero diuitibus patronos fore, quorum beneficiis sustentantur, diuitesque pauperum patrocinio, sicut vites vlmi sustentaculo, indigere, euidenter edocuit. Tandem rex verba eius non ferens, sic respondit: 'Si confidens in deo tuo, absque humano suffragio omnia blada que cernis in horreis contenta, ad mansionem tuam transferre poteris, libenter annuo, et postulationibus tuis de cetero deuotus obtemperabo.' Sanctus autem dei, eleuatis in celum oculis et manibus, orationem cum lacrimis fudit ad dominum. Et ecce eadem hora fluuius Clud, subtus decurrens, subito intumescere, ripas transcendere cepit, et horrea regis integra cum farre vsque ad locum vbi sanctus manere solebat, nomine Mellingdenor, secum traxit. Ita illesa ab aquis omnia inuenta sunt, vt nec arista humecta apparebat. Instigante regem in odium sancti amico eius nomine Cathen[6], contumeliis et conuitiis furore commotus vice quadam ipsum affecit, et calce percussum ad terram prostrauit. A circumstantibus sanctus leuatus, omnem iniuriam patienter tolerabat. Cathen vero, mali huius incentor[7], cachinnans equum ascendit: et ante ianuam de equo corruens, fracta ceruice expirauit. Regis pedes tumor inuasit, tumori dolor successit, morsque dolorem subsequitur. Insurrexerunt contra sanctum filii Belial de cognatione regis Morken, conspirantes in mortem eius. Diuina igitur reuelatione admonitus, versus Mencuiam, vbi sanctus Dauid virtutibus floruit, iter aggreditur: iuxta Caerleun[8] multos ad fidem conuertit et ecclesiam construxit[9]; et cum sancto Dauid aliquantisper moram trahens, a rege terre illius Cathwallain[10] locum ad construendum monasterium accepit. Edificato autem apud Elgu cenobio, sedem episcopalem ibidem constituit. Subregulum quendam illi minas inferentem et de loco illo expellere cum iniuria nitentem, et cecitate a deo percussum, prece ad deum fusa sanauit, et adiutorem et protectorem in posterum habere meruit. Congregati sunt autem in monasterio illo nouies[11] centum et sexaginta

[1] T. markeu; E. markim; Vit. Morken. [2] E. amouere. [3] E. obseruas. [4] Vit. omnia mihi adiiciuntur prospera, omnium rerum arridet affluentia. [5] Vit. astruebat. [6] E. Catheu. [7] E. intentor. [8] T. caerleon; Vit. Karleolum. [9] *al.* Vita. [10] E. Cathwallam. [11] E. nonies.

quinque fratres, sub regulari disciplina, in magna abstinentia deo seruientes. Trecentos enim illitteratos agriculture et pecorum custodie extra monasterium deputauit, alios trecentos operibus intra[1] monasterium exercendis, et cibariis preparandis assignauit: et trecentos sexaginta quinque litteratos diuinis officiis iugiter celebrandis intitulauit, nec facile quemquam illorum egredi, sed tanquam in sanctuario domini assidue commorari instituit. Diuisit enim per turmas et conuentus collegium, ut[2] vno conuentu seruicium dei in ecclesia terminante, alter continuo intrans illud inchoaret, quo consummato alius sine mora introiret. Sicque turma vna exeunte et altera ingrediente, oratio sine intermissione ab ecclesia illa ad deum fiebat, et benedicendo dominum in omni tempore, semper laus dei in ore illorum resonabat. Erat inter illos quidam nomine Asaph, genere et specie clarus, ab ipso pubertatis flore virtutibus et miraculis fulgens, qui vitam magistri in omni sanctitate et abstinentia iugiter sequi satagebat. Et cum sanctus Kentegernus[3] more solito psalterium nudus persoluisset in aquis, nimio frigoris rigore correptus, iussit puero Asaph ignem quo calefieri posset sibi afferre. Qui festinans ad clibanum, et non habens in quo prunas deferret, viuos carbones in gremio suscepit: nulloque adustionis signo in veste apparente, coram sancto proiecit. Quem vir dei in posterum carum habens, curam monasterii illi delegauit, et in episcopatu successorem suum instituit. Seruo dei quodam die prolixius orationi intento, facies eius quasi ignea apparens, stupore et extasi circumstantes repleuit: Intuebantur enim faciem eius tanquam vultum angeli stantis inter illos. Completa oratione grauissimis lamentis se dedit. Et cum discipuli causam tristicie humiliter ab eo peterent, paulisper in silentio residens, tandem ait: 'Noueritis, filii karissimi, sanctum Dauid decus Britannie, patrem patrie, carnis carcerem modo egressum regna celestia penetrasse. Credite michi, quia non solum angelorum multitudo in gaudium domini sui illum introduxit[4], sed et dominus noster Ihesus Christus ei obuiam procedens ad portas paradisi, gloria et honore coronauit eum, me vidente. Scitote etiam quod Britannia tanto lumine orbata tanti patroni lugebit absentiam, qui gladio domini propter maliciam inhabitantium semieuaginato super illam, ne penitus vsque ad internitionem extractus percuteret[5], semetipsum opponebat. Tradens tradet dominus Britanniam exteris nationibus deum ignorantibus, (secta)[6] paganis, (et) ab indigenis euacuabitur insula; christiane legis religio vsque ad prefinitum tempus dissipabitur in ea, sed in pristinum statum immo meliorem miserante deo iterum reparabitur.' Vir autem dei septies Romam adiens, sancto Gregorio speciali Anglorum apostolo, totam vitam suam, electionem, et consecrationem, et omnes casus qui ei acciderant seriatim eno-

[1] E. infra. [2] E. et. [3] E. Kentegrinus. [4] *al.* deduxit. [5] Vit. ne penitus extractus usque ad i. p. [6] T. E. sed et a.

dauit. Sanctus vero papa illum virum dei et spiritus sancti gratia plenum intelligens, consecrationem eius, quam a deo nouerat prouenisse, confirmauit; ipsoque multotiens petente, et vix impetrante, que deerant consecrationi eius supplens, in opus ministerii a spiritu sancto illi iniuncti destinauit[1]. Occurrit autem viro dei clericus quidam peregrinus et eloquens, requisitusque quis esset et vnde venisset, predicatorem veritatis, et viam dei in veritate docentem se esse respondit. Quem, spiritu sancto reuelante[2], pelagiana heresi irretitum agnoscens, cum a via iniquitatis eum auertere non posset, vtriusque hominis interitum vicinum illi fore denuncians, a sua diocesi iussit eum expelli. Qui fluuium quendam transire temptans, aquis suffocatus ad tartara descendit. In cambrensi regno omnibus Kentegerni[3] inimicis diuersis cladibus et vario morborum genere consumptis, regionis incole viam domini relinquentes et tanquam canes ad vomitum reuersi, ad ydolatrie ritum prolapsi sunt. Celum igitur, terra, mare, et omnia que in eis sunt, subtraxerunt eis obsequium et consuetum adiutorium, famesque super terram multo tempore preualuit. Suscitauit tandem dominus regem nomine Rederech, a discipulis sancti Patricii in Hibernia baptizatum, qui in toto corde querens dominum, fidem Christi reparare in regnum studebat. Direxit cum litteris ad sanctum Kentegernum[4] nuncios, obsecrans per nomen domini et obtestans, ne pastor oues diu desolatas et sine custodia destitutas vlterius deserendo sui subtrahat curam: Indignum esse asserens, vt sponsus sponsam, pastor ouile, presul ecclesiam suam derelinquat, pro cuius amore animam ponere debet ne mercenarius fiat. Denunciauit etiam[5] defunctos esse qui querebant animam eius. Admonitione igitur angelica sanctum Asaph successorem suum constituit, et cum sexcentis sexaginta fratribus terram cambrensem repetere cepit. Cui rex cum ingenti multitudine obuiam processit, laudans deum. Quos cum sanctus benedixisset, ait: 'Quicunque saluti hominum inuident et verbo dei aduersantur, in virtute domini nostri Iesu Christi protinus[6] discedant, ne credi-

[1] T. and Tanner have a passage more: Clericus (quidam elegantis forme, magne eloquencie, multe literature, nacione Britannus, set in Galliis educatus, ad sacerdocium promouendus viro sancto oblatus est. Hunc cum vidisset, iussit archidiacono eum statim amoueri et a clero sequestrari. Videbatur enim oculis sancti quasi sulphurea flamma de sinu illius clerici procedere et intollerabilem fetorem naribus eius ingerere. Et circumstantibus dixit: 'Si sacri canones mulieres ob infirmitatem sexus, que nullatenus in vicio est, ad sacerdotalem gradum promoueri prohibent, multo magis viri sexus sui peruersores, nature abusores, qui in contemptum conditoris, in contumeliam sui, in tocius creature iniuriam quod creati sunt et [nati] exuunt et feminas induunt, a tam sacro gradu et officio penitus arceri debent. Nunquam legimus grauiorem uindictam deum excercuisse quam in illud monstruosum genus hominum in quibus illud execrabile flagicium primordialem sumpsit materiam. Nam ciuitates cum habitatoribus suis in igne propter ardorem libidinis, et sulphure ob illius abhominabilis uicii fetorem, subuertit.' In breui uero idem clericus repentina morte preocupatus interiit. [2] *al.* Vit. [3] E Kentegrini. [4] E. Kentegrinum. [5] T. eciam; E. et. [6] T. ut p.

turis aliquod impedimentum ingerant.' Quo dicto, sub nimia celeritate ingens laruarum multitudo, statura et visu horribilis, a cetu illo exiens, omnibus videntibus aufugit; ex quorum visione timor magnus et tremor omnes apprehendit. Confortans eos sanctus et corroborans, in quales crediderant denudauit, et ad credendum deo viuenti corda omnium astantium excitauit. Euidenti namque ratione ostendit ydola muta figmenta hominum vana, et igni potius quam numini deputanda [1]. Elementa etiam quibus inesse credebant numina, creaturas esse docuit, ex conditoris (dis)positione [2] ad vsum hominum et ministerium ac adiutorium esse plasmata. Woden vero, quem principalem deum crediderunt [3] et precipue Angli, de quo originem duxerant [4], cui et quartam feriam consecrauerant, hominem fuisse mortalem asseruit, et regem Saxonum, a quo plures nationes genus duxerant; 'huius, inquit, corpore in puluerem resoluto, anima in inferno sepulta eternum sustinet ignem.' Cumque multa ad fidem pertinentia in planicie campi, nomine Holdelm [5], plebi predicasset, terra in qua sedit, in oculis omnium creuit in monticulum altum, et manet ibi vsque in diem hodiernum. Omnes enim hec mirabilia videntes, in fide instructi baptismum susceperunt. Conuersis ad dominum Cambrie habitatoribus, celum dedit pluuiam, et terra prius sterilis protulit fructum suum. Rex itaque Rederech [6] dominium et principatum super vniuersum regnum obtulit Kentigerno [7], illumque regem, se patrie rectorem sub ipso, nominari voluit, sicut Constantinum sancto Siluestro fecisse cognouit. Sicque nominis sui interpretatio impletur: nam Ken [8] 'caput', tiern [9] albanice 'dominus' latine interpretatur. Regina, nomine Langueth, diu sterilis, prece famuli dei concepit et filium peperit; quem in memoriam facti [10] paterni sanctus baptizans vocauit Constantinum, qui patri succedens omnes predecessores suos diuitiis ac sanctitate precessit. Pictorum patriam, que modo Galwedia dicitur, ab ydolatria et prauitate heretica, doctrina sua [11] purgauit. Albaniam conuertit, ecclesias construxit, et monasteria multa fundauit. Misit ex discipulis suis ad Orchades, Norwegiam, et Yslandiam [12], luce fidei imbuendas. Vbicunque fere pergebat vel predicabat, cecis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquelam, furiosis sensum reddebat; demonia eiiciebat, paraliticos erigebat, leprosos mundabat, et omnes languores curabat. Multociens ex tactu vestimentorum suorum, et crebro ex particulis cibi et potus eius sumptis, multi egroti sanitatem consequuti sunt; aliquotiens etiam ex vmbra corporis eius, velut alter Petrus [13], infirmi curari meruerunt. Nunquam vel pluuia, niue, vel grandine vestimenta eius maduerunt. Nam dum aeris inclemencia ingruente imber inundans diffllueret et spiritus procelle in circuitu eius deseuiret, immobilis quandoque stans, quandoque gradiens, a cuiusdam

[1] Vit. aptiora. [2] T. E. expositione. [3] Vit. crediderant. [4] T. duxerunt. [5] E. holdelin. [6] E. redereth. [7] E. Kentegrino. [8] E. nanken. [9] E. tieru. [10] T. E. sancti. [11] Vit. et heretice doctrine contagione. [12] Vit. Ysalandam. [13] Vit. ut alius Petrus putaretur.

stille iniuria illesus semper extitit et intactus. Idipsum etiam turba discipulorum suorum in eius presentia suis meritis sepissime est experta. Contigit reginam, pulchritudine cuiusdam militis illectam, adulterium commisisse, et preciosum quendam anulum, ob immensum amorem sibi a rege commendatum, eidem militi contulisse. Qui anulum digito imprudentius imposuit; et rex per secretarium suum hoc aduertens, et iram dissimulans, accito milite venatum perrexit. Discopulatis canibus, et sociis per loca diuersa dispersis, rex solus cum milite iuxta ripam fluminis Cliid, in feruore diei soporis ac quietis gratia iter direxit. Fatigatus autem miles, et nihil mali suspicatus, extenso brachio dormire cepit. Conspecto itaque in digito eius anulo. rex turbatus vix manus a gladio et ab effusione sanguinis eius continens, anulum de digito suauiter extraxit, in flumen proiecit. et excitato milite ad suos rediit. Cumque vultu minaci minas et improperia inferens anulum a regina expeteret, et illa, secrete militi inuanum mittens, in medium proferre non posset; triduanis indutiis a nobilibus vix impetratis, carceri mancipatur. Regina autem lachrimosis precibus rem gestam sancto Kentigerno per nuncium exposuit, et ab illo vnico propitiatore suo salutem et auxilium postulauit. Sanctus autem pontifex ante aduentum nuncii totum agnoscens, nuncio cum hamo ad ripam fluminis Cliid festinare precepit, et piscem primo extractum, scilicet ysicium, qui et salmo dicitur, ad se reportare. Quo facto, et exenterato, anulum in ventre piscis repertum regine transmisit. et illa regi cum exultatione obtulit. Contristatus rex pro illatis regine iniuriis, et veniam flexis genibus petens, grauissimam vltionem in delatores se illaturum iurauit. Cui regina: 'Absit, inquit, domine mi, vt mei causa quicquam mali quisquam patiatur: sed tibi ex toto corde indulgeo, si omnem rancorem animi tui, sicut ego, accusatori meo remittas.' Cunctis ergo regine clementiam admirantibus, vocato Kentegerno illa reatum confessa, vitam suam de reliquo emendare curauit. Rex quidam Hibernie, audita regis Rederec[h] liberalitate et munificentia, ioculatorem in arte sua peritum mittens, temptare voluit si fame late diffuse veritas responderet. Cumque peracta quadam solempnitate munera speciosa ei rex conferret, et ille accipere renuens, talia in terra sua se satis habere posse assereret; requisitus quid vellet accipere, ait: 'Si vis, inquit, vt bene remuneratus recedam, detur mihi discus moris recentibus plenus.' Et timens rex ne honori eius et fame derogaretur si ioculator irremuneratus abiret, cuncta retulit episcopo sancto. Et, cum hiemis tempus esset, ad deum preces vir dei fudit et dumum moris recentibus plenum ostendit. Et tollens discum et moris implens, ioculatori dedit. Quo viso miraculo, post paucos dies, relicta arte sua melioris vite viam ingrediens, diuino se mancipauit obsequio. Sanctus Columba, qui ab Anglis Columkillus vocatur, in illo cenobio quod in insula Hii construxerat virtutibus clarus, sancti viri famam

audiens ad illum venire, visitare, videre et familiaritatem eius habere cupiebat. Et cum multa discipulorum turba de monasterio egressus, cum loco appropinquaret vbi sanctus episcopus manebat, in tres turmas omnes discipulos diuisit. Similiter et pontifex suis tripharie distinctis, cum canticis spiritalibus illis obuiam processit. In prima turma erant iuniores, in secunda prouectiores, in tertia senes decora canicie venerabiles; et[1] canebant dicentes: 'In viis domini magna est gloria domini,' et 'via iustorum recta facta est, et iter sanctorum preparatum est.' Ex parte sancti Columbe canebant: 'Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur deus deorum in Syon,' cum alleluia. Et ait Columba discipulis suis: 'Video columpnam igneam, in modum corone auree, in tertio choro super episcopum sanctum descendentem, et lumen claritatis celestis super eum.' Et appropinquantes adinuicem sancti, in amplexus mutuos et oscula sancta ruunt. Venerunt cum sancto Columba quidam filii Belial, ad furta et peccata assueti: de grege sancti pontificis pastore iniuriis affecto arietem rapientes, caput eius auferunt: aries vero concito gradu ad gregem currens corruit, et caput in lapidem mutatum manibus tenentis firmiter adhesit. Confusi ergo iniquitatis filii, ante pedes sancti Kentegerni prostrati veniam cum lachrimis postulabant. Qui benigne eos redarguens, ne vlterius fraudem, furtum, vel sacrilegium committerent admonuit, a reatu absoluit, et corpus arietis illis tradens ad sua remisit. Caput tamen in saxum conuersum in miraculi testimonium vsque hodie in eodem loco custoditur. In signum quoque mutue dilectionis alter sanctorum alterius baculum suscepit: et baculus quem sanctus Columba contulit episcopo, apud Ripun in ecclesia sancti Wilfridi[2] multo tempore in magna reuerentia habitus est. Cum crucem quandam mire magnitudinis lapideam in cimiterio glascuensi multi viri erigere non valerent, fusa ad deum sancti prece angelus in nocte de celo descendens crucem illam erexit, benedixit, sanctificauit, et recessit. Ibi enim virtute diuina sanitatem perfectam multi postea meritis Kentegerni consequi meruerunt. Aliam crucem in locis illis[3] de sola arena maris erexit; quam nulla aeris inclementia vsquam dissoluere valet: vbi variis languoribus grauati, furiosi et demoniis vexati sanantur[4]. [5]Fabricauit autem molendinum super fluuium Gladum[6], quod[7] nullam annonam furatam molere presumit, neque molam neque eius rotam post horam nonam sabbati[8], donec celebretur dominica dies, rotare aliquis potest[5]. Vir dei nimia tandem senectute confectus, cum neruorum compago pene emarcens dissoluta fuisset, quodam subligari lineo per medium capitis et desub mento circumducto mentum et maxillas sustentauit, vt ad proferendum que vellet expeditior redderetur. Demum conuocatis discipulis suis, de obseruatione sancte

[1] om. in T. [2] E. Wulferi. [3] Vit. in Lothwerverd. [4] E. sanauit. [5–5] om. in Vita; cf. Camerarius De fort. Scot. p. 85. [6] Cam. Cludam. [7] T. E. que. [8] E. subbati.

religionis, mutue charitatis [et][1] pacis, hospitalitatis, et [de][2] lectionis ac orationis instantia hortabatur eos; de sanctorum patrum decretis sancteque romane ecclesie institutis firmiter custodiendis, fortia dedit ac dereliquit precepta. Quidam autem, qui illum arctius dilexerunt, cum lachrimis prostrati dixerunt: 'Scimus, pater et domine, quia cupis dissolui et esse cum Christo; sed nostri, quesumus, miserere, quos in Christo parturisti. Quicquid humana fragilitate deliquimus, semper in conspectu tuo confitentes, ad arbitrium discretionis tue emendare curauimus. Pete ergo a domino dari nobis posse ex hac valle lachrimarum ad gaudium domini tui tecum commigrandi. Credimus enim quia quicquid petieris a deo, dabit tibi dominus. Indecens autem[3] nobis videtur vt pontifex sine clero, pastor absque aliquo de grege suo, pater absque filiis intret ad gaudia domini sui.' Sanctus [vero][4] pietate commotus, collecto flatu vt valuit, dixit: 'Voluntas domini de omnibus nobis fiat, et sicut melius nouit et ei placuerit, de nobis omnibus disponat.' Et ecce angelus domini cum ineffabili fulgore et claritate apparens circumfulsit eum, et dixit: 'Kentegerne electe et dilecte dei, exulta et letare, quoniam exaudita est oratio tua, et preparationem cordis tui audiuit auris diuina. Fiet enim tibi super discipulis tuis sicut vis. Cras egrediemini de corpore mortis huius ad vitam indeficientem, et dominus erit vobiscum, et vos eritis cum eo in perpetuum. Et quia tota vita tua in hoc mundo iuge fuit martirium, placuit domino vt mitiorem ceteris hominibus habeas vite finem. Fac tibi in crastinum calidum parari lauacrum, in quo ingrediens, absque angustia graui in manus dei reddes in pace spiritum tuum. Post te etiam fratres illi lauacrum ingressi, et mortis vinculis absoluti, in splendoribus sanctorum celestia regna tecum penetrabunt.' Recedente angelo, miri odoris fragrantia locum et omnes habitantes ir. eo inestimabiliter respersit[5]. In parato igitur lauacro vir dei ingressus, eleuatis oculis et manibus in celum, quasi in placidum resolutus sompnum, inclinato capite tradidit spiritum. Eleuato autem a discipulis de lauacro corpore sancto, singuli fratrum antequam aqua frigesceret in lauacrum immersi, ad ethereas mansiones cum patre sancto commigrarunt. Sanctus itaque Kentegernus[6] cum esset centum octogintaquinque annorum, anno episcopatus sui centesimo sexagesimo, signis preclarus et prodigiis idibus[7] Ianuarii migrauit ad dominum; ad cuius tumulum in glascuensi ecclesia cecis visus, surdis auditus, claudis gressus, mutis loquela, leprosis mundicia, paraliticis membrorum valitudo, furiosis sensus, restituuntur. Impii sacrilegi, periuri, et pacis ecclesie sue violatores, et sancti loci inquinatores, condigna pena plectuntur. Quidam de Glasgu vaccam nocte quadam furtiue abducens, vacca viua et ad pedes eius ligata, diuino nutu[8] extinctus reperitur. Multi quoque carnalis flagitii per-

[1] om. in E. [2] om. [3] om. in T. [4] T. E. enim. [5] E. resparsit.
[6] E. Kentegrinus. [7] T. idus; E. idibus. [8] E. vultu.

petrato contagio, pollutis gressibus locum sanctum temerare non verentes, quandoque repentina morte multati, sepe membris mutilati, aut incurabili morbo[1] puniti sunt.

¶ *Narratio*[2].

Circa infantiam sancti Kentegerni[3], ad quendam solitarium venit presbiter[4] cuiusdam basilice, vt consecraret ei oblationem ad communicandum. Veniens autem quidam ad illum solitarium, presbiterum grauiter accusauit. Qui cum iterum venisset ad eum, scandalizatus solitarius non aperuit ei. Et ecce vox facta est ad solitarium dicens: 'Tulerunt sibi homines iuditium meum.' Et velut in excessu mentis factus, vidit quasi puteum aureum et situlam auream et funem auream[5] et aquam bonam valde: Videbat autem et quendam leprosum haurientem et refundentem in vase: Et cupiebat bibere et non bibebat[6], quia leprosus erat ille qui hauriebat. Et ecce iterum vox ad eum dicens: 'Cur non bibis ex aqua hac? quam causam habet qui implet? Implet enim solummodo et effundit in vase.' In se autem reuersus solitarius et virtutem visionis considerans, vocauit presbiterum et fecit eum sicut prius sanctificare sibi oblationem.

¶ *Narratio*[7].

Erat quidam abbas et[8] hortolanus, qui omnem laborem suum expendit in elemosinam et tantum sibi retinebat quantum ad victum ipsius sufficeret. Postea vero sathanas immisit in corde eius dicens: 'Collige tibi aliquantam pecuniam, vt[9], cum senueris aut egrotaueris, opus habeas ad expensas.' Et collegit, et lagenam[10] [de][11] nummis impleuit. Contigit autem eum infirmari, et putrefieri pedem eius; et expendit quod collectum fuerat in medicos, et nihil ei prodesse potuit. Postea venit quidam de medicis expertis et dixit ei: 'Nisi incideris pedem tuum, totum corpus tuum putrefiet, et mortem vicinam inducet.' Illa autem nocte rediens in semetipsum et penitentiam agens de hiis que gessit, ingemuit et fleuit dicens: 'Memor esto, domine, operum meorum priorum que faciebam cum labore[12] in horto, ex quo pauperibus ministrabam.' Et cum hoc dixisset, astitit angelus domini et dixit ei: 'Vbi sunt nummi quos collegisti? et vbi est spes vana et cogitatio[13] de qua tractasti?' Ille respondit: 'Peccaui, domine: ignosce mihi, et amodo vlterius hoc non faciam.' Tunc angelus tetigit pedem eius: et statim sanatus est.

[1] E. rombo. [2] From Vit. Patr. 911. [3] E. Kentegrini. [4] E. bresbiter. [5] VP. aureum. [6] VP. poterat. [7] From Vit. Patr. 892. [8] abbas et added. [9] VB. ne. [10] E. laganam. [11] om. in E. [12] VP. laborarem. [13] vana et cog om. in VP.

¶ *Narratio*[1].

Venit abbas Ysaac in congregationem fratrum et vidit quendam ex fratribus culpabilem, et adiudicauit eum. Cum autem exisset ad heremum, venit angelus domini et stetit ante ostium celle eius, dicens: 'Non te dimitto intrare.' Illo autem causam querente, ait angelus: 'Deus me misit vt dicerem tibi: vbi iubes vt mittam illum fratrem culpabilem quem adiudicasti?' Et statim abbas penitentiam egit, dicens: 'Peccaui: ignosce mihi.' Et dixit angelus: 'Surge, ignoscet[2] tibi deus; et custodi de cetero ne adiudices quemquam priusquam deus adiudicet eum[3].'

De sancto Kiliano cum sociis suis martiribus[4].

BEatus Kilianus, genere Scotorum, nobilibus ortus parentibus, diuine tamen gratie factus est nobilitate clarissimus. Qui a pueritia liberalibus studiis traditus, simul cum litterarum incrementis diligenter viam cepit indagare veritatis. Tandem preueniente se gratia dei, spretis humanarum litterarum studiis omnibusque huius mundi illecebris, monasterium petiit, abnegauit seipsum sibi tulitque crucem suam [et] sequutus est Christum. In monasterio igitur positus, quante obedientie, quante fu[er]it vigiliarum et orationum instantie, vite terminus declarauit. Quamuis enim martirii palma[5] per gratiam magis quam per meritum constat, bonis tamen adimpletur operibus. Videntes igitur monasterii fratres in virtutum profectibus beati viri perseuerantiam, primo eum[6] per ecclesiasticos gradus [ad presbyteratus][7] officium precibus ascendere, deinde eiusdem monasterii regiminis curam sumere coegerunt. Ille autem, sciens perfectionem charitatis sine proximi dilectione perfecte stare non posse, passus est in propriis se aliquantulum minorari, vt fratrum prodesse posset vtilitati, imitatus apostolorum[8] consilium. Verumtamen cum fama sancti viri longe lateque crebresceret, metuens ipse ne popularis fauor maculam[9] sibi infigeret, cepit meditari qualiter notos et propinquos relinqueret peteretque longe positas terras, vbi obscurus fama et vilis genere posset haberi, quo liberius diuinis cultibus vacaret. Deliberatione

[1] Ex Vit. Patr. 910 (repeated). [2] VP. ignoscit.
[3] Collect in T.:
Alme presul Kentegerne laudum digne iubilo, Qui dum lumen tenebroso prebuisti populo, Lux scintillis splenduisti crebris in candelabro. Tibi laudes decantantes representa domino. Ps. M[agno]. Sacrosanctam Kentegernus seruans parsimoniam, Fame, siti et algore eius pauit animam, Dum (T. Et) in aquis decantaret frigidis psalterium Atque (r. Ac) cibo (quadriduano foueret corpusculum). (Ipsum omnes procla\memus cu(m precum instancia Vt de mortis torre ducat nos ad celi gaudia. Ps. Bened.) (Cf. Forbes p. C.)
[4] This text is wanting in T. It is abr. from the Vita in MS. Harl. 2801 (12 cent.), ed. in Canisius Ant. Lect. IV. 625, A. SS. Boll. Iuly II. p. 615; the Vita is ascribed to Egilward of St. Burchard, Würzburg. [5] E. palmam.
[6] E. cum. [7] om. in T. E. [8] Vit. apostolum, cons. om. [9] Vit. macule rugam.

itaque recedendi peracta[1], collectis sociis in quorum mentibus idem feruor dilectionis ardebat, ad vicinam Scotie Britanniam peruenit, qua[m][2] non longa nauigatione preteriens, Galliam attigit, qua permeata in prouinciam Germanie deuenit que ab incolis terre ipsius 'Orientalis Francia' vocitatur. Ibique in opido quod Wirtzburch eorum lingua dicitur, latina vero lingua interpretatur 'castellum .....[3]', cum[4] aliquo tempore sub silentio stetisset, Romam profectus est, et officio predicandi a papa recepto, episcopus ordinatus rediit, sociis eius, Columbano scilicet in Italia, et Gallo in Almania remanentibus. Iterum ergo Wirtzburch ingressus, cepit Christum predicare: ipsumque ducem Gosbertum, Dyane sacra colentem, ipsamque totam Orientalem Franciam conuertens baptizauit. Erat autem duci vxor nomine Geilana, quondam fratri suo maritata. Quod audiens Kilianus, tale s[cilicet] coniugium, ne fidei inicia[5] res illa perturbaret, quoquo[6] modo patiebatur. Sed postea ducem in fide roboratum secrete super huiusmodi alloquitur; dux autem, tale negocium differens, contra hostes tetendit. Quo absente mulier, futuri dissidii non ignara, Kilianum cum sociis suis in cella sua nocte fecit necari occulte, ibique in eodem loco, cum vestibus ac libris, ne aliquod eorum vestigium appareret, fecit sepeliri; immo etiam, ne occisi vnquam reuelarentur, stabulum equorum stratis plancis[7] ibidem super corpora sanctorum constituit. Mulier autem quedam nomine Burgunda, deo deuota, iuxta cellam eius habens oratorium, qualiter res esset gesta cognoscens, sed prodere timens, tandem in fine vite sue omnia dixit. Duce autem reuerso, et viros sanctos querente, vxor eius, causa peregrinationis solite iamdudum eos abiisse est mentita. Postea carnifices qui sanctos necauerant, furore arrepti, coram omnibus clamauerunt: 'Kiliane, Kiliane, cur nos[8] incendis?' Sic facto suo propalato expirauerunt. Nec[9] longe post ipsa Geilana a demonio arrepta clamauit: 'Iuste torqueor, quia viris sanctis tortores adhibui', et hiis dictis crudeliter interiit. Post multum vero temporis presbiter quidam nomine Attalongus, audi[uit][10] scolares[11] in spiritu sancto dicentes 'Kilianus signa multa fecit: de loco in quo indigne iacet tolli debet.' Attalongus autem quid scolares dicerent non attendit, et ob hoc nocte proxima visu amisso dominum sibi dicentem audiuit: 'Nisi credideris, non videbis.' Ille vero diligenter querens, et rei ordinem percipiens, ad corpora sanctorum recurrit: ibique lumen reperiens, aduocato Bonifacio mogontino archiepiscopo, corpora sanctorum reuelauit, et visum recepit (!).

[1] Boll. acta. [2] E. qua. [3] Supply virorum fortium, as in the Vita, or herbarum? [4] E. vbi cum. [5] E. iniciate. [6] E. quoque. [7] E. plantis. [8] E. nos non. [9] E. Hec. [10] E. audiens. [11] E. scolores.

¶ De sanctis Kyneburga[1] regina et abbatissa, et de Kyneswida[2] et Tibba virginibus[3].

REx Merciorum paganissimus nomine Penda liberos quinque christianissimos genuit, quorum tres, scilicet Peada, Wulferus, et Ethelredus, successiue regnantes, multa strenue et laudabiliter egerunt. Due autem Pende regis filie Kyneburga[4] et Kyneswida vocate sunt, Kyneburga vero regales nuptias viduali celibatu deo sacrauit, Kyneswida virginalem triumphum Christi thalamis intulit. Primo enim memorabilis regina, immortalis domini amore rapta, temporali regi suo et regno abrenunciare estuabat ac libera ceruice iugum Christi ferre, iam mortales indignata amplexus que deo adherebat, que mente in celis nupserat, eternique regni doti[5] anelabat. Acquisito demum regis consensu, melius spiritu quam antea carne coniuncti sunt: nam alter in fratrem, altera in sororem transiit. Confluunt ad eam[6] ducum et principum nate, vt dominam venerantes; pauperes vt collegam amplectebantur[7]; et tota[8] multitudo filiarum eam vt matrem habebat: que spreta liberorum carnalium propagine, multiplicius fecundata est in spirituali sobole. At Kineswida, adhuc immatura etate lactea, nondum sacrum velamen attigerat, sed quasi ad ianuam diuini cubiculi astans, vitam sororis et sanctimoniam ante habitum religionis induerat, et qualis futura esset, ante religionis ingressum monstrabat. Ipsa vero regina totius sanctitatis speculum, quibus visceribus sibi creditas animas Christo pepererit, charitatis sinu fouerit; quam peruigil obseruatrix et doctrix fuerit mandatorum dei et sancti propositi; quibus inter omnia lachrimis imploraverit illa solempnia concentus superni: lingua enodare non sufficit. Miseratrix erat egenorum, pia mater afflictorum, incitatrix ad elemosinas et misericordie opera regum germanorum. Cetera enim vite eius, virtutibus et miraculis gloriosa, in illa Danorum depopulatione fuerunt igne deleta, vel scriptorum negligentia nostra latent secula; que tota in illo celesti libro descripta sunt in memoria eterna. Post diuturnum igitur huius vite agonem et longam dominice familie dispensationem, in magna vite sanctitate ad stadii coronam peruenit. Est autem in orientali regionis plaga, non procul ab amne nomine Ven, locus dictus Dormundescastre, vbi monasterio edificato sancta Kyneburga, mundo contempto, multis congregatis virginibus abbatissa effecta est; a quo[9] locus ille nomen trahens 'Kyneburge castrum' vocabatur. Processu tandem temporis, pacem et charitatem Christi sororibus relinquens, inter luctuosa filiarum cantica morte soluta, inter angelorum choros migrauit ad

[1] E. Kyneswida. [2] Kyneswida. Title in T.: De sanctis Kyneswida et Kyneburga et Tibba virg. [3] Same text in Bodl. 240, p. 620. The Vita is probably by John of Tynemouth. [4] E. Kynesburga; T. Kineburga. [5] E. dote. [6] E. sum. [7] E. amplectabantur. [8] E. totam. [9] r. qua.

dominum. Translata vero ad celum sancta Kyneburga, Offa rex Orientalium Saxonum Kyneswidam affectauit in vxorem: et minis et promissionibus fratrum suorum coacta[1], gloriosam virginem Mariam suspiriis et oratione iugiter implorat, et quomodo hanc cathenam excutiat consilium salutare ab ea efflagitat. Adest tandem in extasi rapte virgo Maria immenso splendore circumfusa, dicens: 'Tuis, inquit, angoribus compassa et lachrimis, gratia consolationis tue veni ad te. Salutis consilium suadeo, seruande virginitatis consilium do. Nihil tibi salubrius quam in qua nata es puritate permanere, nihil sublimius quam filium meum sponsum habere, nihil beatius quam hic corruptionis mala nescire et in celo coronam incorruptionis possidere.' Ad hec virgo sancta respondens ait: 'Omnes, inquit, amici mei aduersum me appropinquauerunt et steterunt, et vim fecerunt qui querunt animam meam. Sed tu, domina, libera corpus meum a perditione, de lacu miserie et de luto, vt non infigar; libera animam meam de laqueo venantium, vt non capiar.' Talia cum singultibus et suspiriis cum eiulando profunderet, iterum gloriosa virgo Maria ei dixit: 'Noli, ait, timere, noli merere: ego filium meum interpellabo pro te, et ipse citius adiuuabit te.' Quo dicto, ab oculis eius euanuit. Hinc virgo Kyneswida fide armata, ad regem Offam nuncios misit: rescindit fedus, pactum abdicat, obsecrat, obtestatur, interdicit per tremendum nomen domini, ne ei vltra vim inferat, ne eam Christo auferat vel contra celi dominum pugnet, et ne virginitatis amatores angelos conturbet, sed se deo suo, cui se deuouerit, illibata libertate seruire permittat. Quo audito, deo auctore comprobat rex tale consilium, remandat virgini ratum esse votum suum. Sic ergo expedita virgo Christi, omni vigilantia deo seruire et mentem suam in omni munditia custodire curauit. Rex tandem Offa, dum oculis suis sanctitas prelucet virginis inuicta, diuitias a tenera puella repudiatas erubescere[2] cepit, subiectum se vanitati dolens, et se seruum regni sui reputans, relictis omnibus sequutus est dominum, et Romam peregre proficiscens, in monachum tonsoratus[3] est. Kyneswida vero vigiliis et orationibus ac bonis operibus vsque ad mortem iugiter deo seruiens, de corporis tandem ergastulo educta, venienti sponso inter angelicos concentus occurrit cum gloria; et in monasterio sororis sue est sepulta. Anno autem domini millesimo quinto reliquie sanctarum Kyneburge et Kyneswide et Tibbe ad monasterium de burgo sancti Petri cum magno honore sunt translate. Erat autem beata Tibba sanctarum virginum predictarum consanguinea, que multis annis in magna sanctitate solitarie viuens, deo spiritum commendauit. Que cuidam sancto viro apparens, inter cetera dixit: 'Ego ex superna festiuitate nostra descendi, diem transmigrationis mee tibi nunciare veni. Ista enim nox et dies beate

[1] r. coartata. [2] E. erubuscere. [3] T. tonsoratus; E. consecratus.

virginis Lucie est, in qua animam meam domino Ihesu Christo libaui.' Festiuitas vero sanctarum Kyneswide, Kineburge et Tibbe in monasterio burgi sancti Petri pridie nonas Marcii festiue recolitur; a quo quidem monasterio locus siue cenobium in quo virgines prefate vitam in magna sanctitate duxerunt, vix miliaribus duobus separatur, et modo ab incolis Castre nominatur.

[MS. T. adds: *Narratio*[1].

Margarita dicta Pelagia, pulcra et nobilis, cum cuidam adolescenti in coniugium data, nupciarum festa essent celebrata, uirgo deo inspirante considerans dampnum uirginitatis tantis plausibus comparari, prostrata in terram cum lacrimis omnia huius uite gaudia quasi stercora respuebat. Nocte autem illa a uiri co(nsortio) abstinens, et tonsis crinibus media nocte se deo recommendans, in uirili habitu ad quoddam monasterium uenit, et fratrem Pelagium se appellans, in monachum recipitur. Qui tam (sancte ac) religiose se gessit, quod defuncto sanctimonialium prouisore licet inuitus monasterio uirginum est prelatus. Dum ergo corporum necessaria et animarum pabula sedule ministraret, diabolus ei inuidens studuit qualiter prosperum eius cursum obiectu criminis impediret. Nam unam uirginem, que (pre) foribus erat, in adulterium traxit, et [tumescente utero] tantus pudor et dolor utriusque monasterii monachos et uirgines consternauit, quod solus Pelagius utpote earum (fa)miliaris atque prepositus sine iudicio et examinatione ab omnibus condempnatur. Qui foras cum ignominia pellitur et in quodam ru(pis specu re)cluditur, monachorumque seuerissimus sibi deputatur qui) panem ordeaceum et aquam tenuissime ei ministrauit. At ille omnia pacienter sustinens in nullo turbatus fuit, set gracias semper deo (refe)rens, per sanctorum exempla se continue confor(tabat.) Cum fi(nem suum adesse cognouisset, ab)bati et monachis (per litteras sic mandauit:) 'Nobili orta genere, (Margarita in seculo dicta fui), que ut pelagus temptacionum (transirem), Pelagius michi nomen imposui; (uir sum) non pro deceptione mentita, quod factis (ostendi); de crimine uirtutem optinui, peni(tenci)am innocens egi. Iam queso ut quam uiri feminam nescierunt, sancte sorores sepeliant, et sit expiacio uiuentis ostensio morientis, ut femine uirginem recognoscant quam calumpniatores adulterum iudicabant.' Hiis auditis monachis et sanctimonialibus ad speluncam currentibus, Pelagius a feminis femina, et uirgo intacta cognoscitur, et cunctis penitenciam agentibus, in monasterio uirginum honorifice sepelitur[2].]

[1] Cf. Leg. Aurea, p. 676. [2] Collect in T.:

. . . . . margarite a deo date et nobis . . . . dignemini adesse. Exultent . . . . . Propter iudicia tua domine.

Sanctarum uirginum tuarum Kyneburge, Kyneswide ac Tibbe, domine, supplicacionibus tribue nos foueri, ut quarum uenerabilem . . . . .

¶ De sancto[1] Lamfranco archiepiscopo et confessore[2].

Lamfrancus venerabilis cantuariensis archiepiscopus, ex nobili ciuium genere Papie oriundus, et in primeua etate patre orbatus, cum ei succedere deberet, relicta ciuitate, amore discendi ad studia litterarum perrexit[3], omnique scientia seculari perfecte imbutus rediit. Deinde Alpes transiens et in Normanniam veniens, et considerans quod mortalium captare auram vanitas est, statuit vt relictis omnibus Christum sequeretur, locumque adire disponebat vbi litterati non essent qui eum honori ac reuerentie haberent. Et transiens per siluam[4], incidit in latrones, qui cuncta que habebat tollentes, ligatis a tergo manibus, et caputio cape ante oculos admoto, abducentes[5] eum de via inter condensa frutecta dimiserunt. Talibus angustiis comprehensus, nescius quid ageret, suum infortunium lamentabatur, et in se tandem reuersus, dixit: 'Domine deus, tantum tempus in discendo expendi et corpus animumque in studiis litterarum attriui, et adhuc quomodo te debeam orare atque laudis officia [tibi] persoluere non didici. Libera me, domine, de hac tribulatione, et ego, te auxiliante, sic vitam corrigere et instituere curabo, vt tibi seruire valeam et sciam.' Surgente aurora, audiuit viatores iter carpentes, et cepit vociferando[6] ab eis auxilium petere. Qui accedentes, et eum soluentes, reduxerunt ad viam. Et cum petisset ab eis vt vilius et pauperius illius regionis cenobium sibi demonstrarent, responderunt: 'Vilius et abiectius monasterium nullum scimus quam istud quod in proximo edificat quidam homo dei,' et ostendentes ei viam, discesserunt. Cum autem Beccum veniret, forte tunc abbas extruende fornaci occupatus, ipsemet operabatur manibus suis: et accedens ad eum dixit: 'Deus te saluet.' Et abbas: 'Deus te benedicat.' Et addidit: 'Esne Lombardus?' Et ille: 'Sum.' Et iterum abbas: 'Quid vis?' 'Monachus[7], ait, fieri volo.' Tunc abbas ostendit ei regulam. Qua perlecta, respondit, omnia deo se iuuante libenter custodire[8]. Hec audiens abbas concessit ei quod petebat. At ille procidens in faciem osculabatur pedes eius. Abbas enim Herlwinus[9] gaudio repletus est non modico, quia credebat preces suas a deo esse exauditas: Nam quia sumptuum congerendorum necessitas illum extra claustrum demorari cogebat, nec erat qui presidere et religionem intus seruare posset, deum iugiter exorauerat vt sibi auxilium sufficiens ad omnia que agenda forent concedere dignaretur. Sicque in maxima humilitate et obedientia Lamfrancus per triennium deo seruiuit. Nec enim lectionem in ecclesia legere

[1] T. seruo dei; E. sancto. [2] Abridged from the Vita by Milo Crispinus, ed. Mabillon ii. 630, Boll. May VI. p. 823, with additions from Chronicles; a fragment of the same text in MS. Rawl. A. 294, f. 94. [3] E. perexit. [4] E. siluum. [5] E.T. adducentes. [6] E. vociferande. [7] E. Mon. autem. [8] Vit. servaturum. [9] E. Herwinus.

volebat, nisi prius eam cantor audisset. Quadam die dum ad mensam legeret, dixit quiddam [1] inter legendum sicut dicere debuit, quod non placuit presidenti et aliter dicere iussit: velut si dixisset docére media producta, vt est [2], et iste eadem [3] media correpta emendasset dócere, quod non est. Non enim prior ille litteratus erat. At vir sapiens, sciens magis Christo obediri deberi [4] quam Donato, dimisit quod bene pronunciauerat, et dixit quod non recte iubebatur. Nam producere breuem, vel longam corripere sillabam, non capitale nouerat [5] crimen: verum iubenti ex parte dei non parere, culpam non leuem esse sciebat. Quidam nobilis vir dedit beccensi ecclesie terram, ad quam missus est Lamfrancus, vt eam seruaret et instauraret. Dum enim de loco illo ad monasterium [6] regrederetur, detulit catum in panno inuolutum, post se ligatum ad sellam [7]. Et dum iter faceret, quidam adiunxit se illi: cumque simul pergerent, socius viator audiuit vocem cati, et cepit mirari et circumspicere vbi esset catus cuius audierat vocem. Tandem aduertit magistrum Lamfrancum illum post se ligatum ferre, et ait illi: 'Domine, quid portatis?' Respondit: 'Mures et rati valde nobis sunt infesti, et iccirco nunc affero catum, ad comprimendum furorem illorum.' Verum fratres qui iam adunati erant in loco illo, non multum litterati, nec religione instructi habebantur. Et cernens Lamfrancus fratrum inertiam, morum prauitatem et ordinis transgressionem; coniiciens [8] etiam aliquos sibi inuidere, qui sibi metuebant eum preficiendum fore: tedebat eum conuersationis inhoneste, et inhiabat ardenter ad solitarie dulcedinem vite [9]. Simulata igitur stomachi infirmitate, hortolanum [10] rogauit vt ei quotidie afferret radices quorundam carduorum, quas sibi asserebat afferre solutionis remedium. Hoc autem faciebat, vt corpus suum assuefaceret tali edulio quali vivere [11] disponebat in heremo. Cum ergo iam animum et corpus prepararet ad fugam, Herlewino abbati, nihil de hoc suspicanti, dum in lecto quiesceret, puer qui nuper obierat in veste candida apparuit, nepos suus. Cuius aspectu in nullo turbatus, sic eum affatur: 'Quomodo te habes, fili?' Et ille: 'Ego me, ait, pater, bene habeo, quia per dei misericordiam et tuam intercessionem ab omni tormento liberatus sum. Sed deus misit me ad te vt dicam tibi quia si non tibi prospexeris, Lamfrancum ad proximum non habebis. Solitariam vitam desiderat, et de monasterio egredi deliberat, quoniam mores et fratrum vita non sibi placent. Vide ergo quid tibi [12] facias: quia tibi non expedit vt te deserat.' Hiis dictis puer disparuit. Manc autem Lamfrancum asciuit [13], et secum sedere fecit. Cor enim [14] eius intimo dolore concutitur, vox intra fauces premitur, lachrime erumpentes dolorem [14] cordis

[1] E. quoddam. [2] E. ea. [3] T.E. eandem. [4] T. E. obedire debere; Vit. obedientiam deberi. [5] E. nouerit. [6] Vit. de monasterio ad locum illum. [7] E. cellam. [8] T. conniciens, Vit. contuens. [9] E. vite dulcedinem. [10] T. ortolanum. [11] E. in vere. [12] *al.* om. [13] E. accivit. [14] T.E. dolores.

aperiunt. Lamfrancus hoc videns in terram prosternitur, cur abbas sic ploret, aperiri sibi suppliciter precatur. Tunc abbas ait: 'Heu mihi, cui tale dampnum minatur deus! Ve mihi, qui meum consilium perdidi, meum adiutorium amisi! Multociens cum gemitibus deum rogaui vt virum talem mihi prestaret cuius consilio et auxilio locum istum emendarem et que essent deo placita monachorum vsibus instaurarem, et [quando][1], frater Lamfrance, huc te deus adduxit, preces meas exauditas credidi: nunc autem, nescio qua de causa, hinc discedere me relicto satagis, et ad deserta pergere cupis.' Lamfrancus, intelligens voluntatem suam detectam, et propositum cordis sui, quod occultum putabat, euidenter propalatum, abbatis pedibus illico aduoluitur, et qualiter sibi innotuissent talia, sciscitatur[2]. Quod cum abbas per ordinem explicasset, Lamfrancus nunquam ab eo se discessurum promisit. Tunc abbas ipsum priorem constituit, et interiorem monasterii ei curam commisit.

¶ *Ex cronicis*[3].

Lamfrancus ex omnibus Normannie monasteriis, paupertate loci et religione captus, Beccum preelegit, vbi etiam[4] ipsum Herlwinum[5] abbatem ad coquendos panes succinctum[6], et manus fimo fedatas[7] conspexit. Piger enim postea[4] monachatus homo[8], qui nesciret agresti opere victum querere, publicas scolas de dialetica professus est, vt sic egestatem loci scolarium liberalitate temperaret. Gloria laudis conflauit apud improbos viro inuidiam, intantum vt a vicinis capellanis dux Normannie Willelmus turbatus ediceret, Lamfrancum pro sua importunitate Normannia repellendum. Nam Herfastus quidam, ducis Willelmi capellanus, ante aduentum Lamfranci probabilis scientie estimatus, ad gimnasium[9] Lamfranci cum magna sociorum et equorum pompa peruenerat: tunc Lamfrancus, ex prima hominis collocutione intelligens quod prope nihil sciret, abecedarium[10] illi apposuit expediendum, ferociam hominis italica peritia sic eludens. Quo ille irritatus, per ducem Willelmum sic effecit, vt Lamfrancus omni Normannia submoueretur.

[11] Nec motus animi sui hac vindicta Willelmus sedare valens[12], villam quandam eiusdem monasterii voraci flamma consumi iussit. Sicque Lamfranco discedente: quia melior non habebatur, tripes quarto pede inutili equus illi tribuitur, et famulus vnus. Cum autem duci obuiaret, equo per singulos passus caput ad terram submittente, ducem salutat. Dux primo vultum auertit, sed diuina agente clementia, mox miserando respexit, et nutu beniuolentie aditum loquendi concessit. Tunc beatus[13] Lamfrancus ait dicens[14]: 'Tuo

[1] T.E. quoniam. [2] E. scissitatur. [3] Cf. Chron. Bromt. 968, Higden VII, 6, Will. Malm. G.P.I. [4] *al.* om. [5] E. helwinum. [6] E. suscinctum. [7] om. in Br. [8] W.M. Factus ergo ibi monachus homo. [9] T. gignasium. [10] E. abbecedriaum. [11] The following is again taken from Crispin's Vita. [12] T.E. volens. [13] om. in T.

iussu prouincia tua discedo pedes, hoc inutili occupatus quadrupede: [vel][1] vt iussioni tue parere queam, da mihi equum meliorem.' Cui dux subridendo ait: 'Quis ab offenso iudice, infecto illati criminis negocio, munera exposcit?' Tandem cum breuiter innocentiam suam exposuisset, in gratiam ducis receptus est, et ad oscula admissus. Cum multo enim[2] augmento restituenda promittuntur que dux nuper vastari iusserat. Huius autem offensionis causam fuisse aiunt quidam, quod Lamfrancus contradicebat nuptias[3] filie comitis Flandrie quam ipse dux sibi copulauerat matrimonio, quia proxima carnis consanguinitate iungebantur: vnde tota Neustria fuerat interdicta. Quapropter Lamfrancus iterum papam adiit: iam enim antea Romam petierat causa cuiusdam clerici nomine Berengarii, qui de sacramentis altaris aliter quam ecclesia tenet dogmatizabat—dicebat enim panem et vinum post consecrationem sacramentum tantum, non autem verum corpus Christi et sanguinem. Ipse enim Lamfranco quasi familiari suo litteras miserat errore ipso respersas. Qui enim illas legerunt, Lamfrancum talia sentire opinati sunt, et socium erroris diffamauerunt. Sed Lamfrancus Romam veniens praui rumoris a se maculam abstersit, fidem suam exposuit, et magis auctoritatibus, quam argumentis probauit. Hic [etiam][4] Berengarius contra catholicam fidem et sacram synodum postea scriptum edidit: cui Lamfrancus respondens, sub nomine epistole libellum elegantem composuit catholica veritate subnixum, et sanctorum patrum vndique auctoritatibus corroboratum. Ostendit etiam pape quia sententia contra ducem et eius vxorem lata, illos tantum grauabat qui eos nec coniunxerant nec separare[5] poterant: nam dux puellam quam acceperat, nullo pacto dimittere volebat. Hec audiens papa, dispensatione habita, coniugium concessit, ea tamen conditione vt duo monasteria construeret, in quibus religiose viuentes die nocteque deo seruirent et pro salute eius supplicarent. Sicque dux monasterium cadomense monachorum, et vxor eius monacharum, construxerunt. De priore quoque beccensi, Lamfrancus abbas cadomensis factus est; et regnante postmodum in Anglia duce Willelmo, ad archiepiscopatum cantuariensem promotus est. Quam inuite enim ad archiepiscopatum ascendit, patet in quadam epistola quam ad Alexandrum papam misit, in qua, post salutationem, sic ait: 'Cum de beccensi congregatione, in qua habitum religionis assumpsi, a principe Normannorum Willelmo abstractus cadomensi preessem cenobio, et postea dictus princeps, rex Anglorum factus, multis variisque modis archiepiscopum me laboraret efficere, cassatis tamen laboribus suis a me nullo modo potuit impetrare: quoadusque legati tui in Normanniam venerunt, episcopos, abbates, eiusdemque patrie nobiles (in vnum)[6] conuenire fecerunt, atque in eorum presentia, vt cantuariensem ecclesiam regendam susciperem,

[1] om. in E. [2] *al.* etiam. [3] Vit. nuptiis. [4] T.E. enim. [5] E. seperare. [6] in vnum om. in T.

ex apostolice sedis auctoritate preceperunt. Aduersus hos imbecillitas mearum virium morumque indignitas prolata in medium nihil profuit, excusatio incognite lingue gentiumque barbararum nullum apud eos locum inuenire preualuit. Quid plura? Assensum prebui, veni, suscepi: in quo[1] tot molestias, tot tedia, tantumque ab omni fere bono defectum mentis quotidie sustineo; tot in diuersis personis perturbationes, tribulationes, dampna, obdurationes, cupiditates, spurcitias, tantumque sancte ecclesie casum incessanter audio, video, sentio, vt tedeat me vite mee, doleamque plurimum me vsque ad hec tempora peruenisse. Mala siquidem sunt que in presenti cernuntur, multo vero deteriora ex istorum consideratione in futuro coniciuntur[2]. Et ne diu celsitudinem vestram, multis magnisque negotiis occupatam, prolixe orationis ambitu protraham; rogo quatinus, propter deum et animam vestram, sicut vestra cui contradici fas non fuit auctoritate me alligastis, sic quoque alligatum, abrupto huius necessitatis vinculo, absoluatis, vitamque cenobialem, quam pre omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis. Nec in huius rei sperni debeo petitione, quam tam pie, tam necessarie, tam iustis ex causis concedi mihi a vobis deposco. Quod si fortasse, considerata aliorum vtilitate, secus agendum mihique id denegandum esse decernitis; valde vobis cauendum atque timendum[3] est ne, vnde vos mercedem habere apud deum existimatis, inde -quod a vestris actibus semper procul sit- peccati periculum incurratis. Nullus est enim a me aut per me in hac terra animarum profectus; aut si vllus existit, tam paruus est, vt detrimentis meis comparari non possit.' Hiis verbis aduerti potest quam inuitus pastoralem curam suscepit, et quam libenter dimisisset eam, si concedere papa voluisset. Summus enim antistes factus, et in ecclesiis transmarinis vices apostolicas gerens, submittebat se suo quondam abbati[4] vt alius quiuis monachus; secundus vbique ab eo nisi ad missarum solempnia residendo, et manum illius, cum ab eo aliquid accipiebat, nisi raptim ille auertisset, osculando. Est autem beccense monasterium inter duos montes situm, super ripam fluuii qui Beccus dicitur, a quo et nomen accepit. Cum autem Lamfrancus veniret[5] ad descensum montis qui ipsi cenobio eminet, fertur anulum de digito extraxisse, nec postea, quamdiu Becci moratus est, nisi ad missarum solempnia, resumpsisse. Ad abbatis, iam senio incuruati, osculum accedens, tam magnus antistes ad pedes eius aduolui conatus est: verum illo econtra idipsum conante, longo vterque luctamine dum alterum sustentat, neuter expleuit quod satagebat. Ad mensam enim dextrorsum et sinistrorsum fratres cum archiepiscopo sedere, ac communi calice et scutella vna cum eo coguntur sumere cibum. In ecclesia cathedram episcopalem sibi

[1] E. qua. [2] T. conniciuntur, E. conuiciuntur. [3] E. timendum atque cauendum. [4] viz. during the abbot's visit to him in England. [5] viz. on a visit to the new church of Bec.

preparari noluit, sed in prioris sedem intrauit, dicens se adhuc esse priorem et nondum dimisisse prioratum. Lamfrancus itaque totam intentionem suam ad mores hominum corrigendos, ad componendum ecclesie statum conuertit; a fundamentis ecclesiam cantuariensem reedificauit, de Cadomoque quadros lapides transuehi faciebat, domosque ad inhabitandum sibi construxit prope ecclesiam, et omnia edificia muro alto et magno cinxit; ac ecclesiam ornamentis preciosis ditauit, terras ablatas ecclesie reuocauit et viginti quinque maneria restituit; xenodochia[1] duo ad pauperum sustentationem extra ciuitatem edificauit. In maneriis suis instituit prebendas dandas per annum pauperibus. Odo baiocensis episcopus, frater Willelmi regis, erat comes Cancie eo tempore quo Lamfrancus ad archiepiscopatum venit. Hic multis grauaminibus atterebat homines illius prouincie et cantuariensis ecclesie: cui Lamfrancus in faciem restitit, et homines a malis consuetudinibus quas Odo illis imponere voluit, liberauit. Anno autem domini millesimo septuagesimo in Angliam Lamfrancus intrauit, et quarto kal. septembris in archiepiscopum a suis suffraganeis consecratus est. Ipso quoque anno Thomas eboracensis electus[2], Cantuariam ex prisca consuetudine sacrandus aduenit: a quo cum Lamfrancus scriptam de obedientia sua, cum adiectione iurisiurandi, professionem exposceret, respondit Thomas, se id nunquam facturum, nisi prius de hac re auctoritates legeret, nisi testes huius antiquitatis assertores cerneret, quibus id iuste et rationabiliter sine ecclesie sue preiudicio facere deberet. Hoc autem ignorantia magis, quam spiritus elati pertinatia agebat: nouus enim homo et anglice consuetudinis penitus expers, verbis adulatorum plus equo et bono fidem adhibebat. Lamfrancus enim, quod postulauit, euidentibus rationibus ostendit: sed ille omnia aspernatus, non sacratus abscessit[3]. Quod rex audiens grauiter accepit, estimans Lamfrancum iniusta petere, et scientia magis litterarum quam ratione et veritate confidere. Sed Lamfrancus, redditis regi ad omnia rationibus, eius animum mitigauit. Itaque[4] regio edicto Thomas compulsus rediit, scriptam de obedientia professionem fecit et legit, in qua se in omnibus que ad christiane religionis honestatem[5] pertinent[6] obtemperaturum absolute promisit; et sic sacratus abscessit[3]. Post hec Lamfrancus cantuariensis et Thomas eboracensis Romam iuerunt, vt pallia a domino papa susciperent. Recepit autem Lamfrancus duo pallia, vnum honoris et alterum amoris. [7]Tantam itaque gratiam Lamfrancus promeruit, vt ambos itineris sui socios[8], Thomam scilicet eboracensem et Remigium dorcestrensem, baculis et anulis merito priuatos, officio restitueret. Primus namque presbiteri fuerat filius; secundus, cum esset monachus fiscanensis, Willelmo duci Angliam tendenti in multis opitulatus, episcopatum si dux vinceret pactus est.

[1] T. zenodochia. [2] antistes *al.* added. [3] E. abcessit. [4] E. Ideo. [5] Vit. cultum. [6] E. pertinet. [7] Cf. Bromton 970, Higden VII. [8] T. E. ambobus . . sociis.

¶ *Ex cronicis*[1].

Circa annum domini millesimum centesimum quintumdecimum Thurstinus archiepiscopus eboracensis cum obedientiam Radulpho cantuariensi archiepiscopo facere renueret, statuunt Remis ad concilium[2] concurrere pro terminatione cause: vbi papa primo promisit regi Henrico et cantuariensi Radulpho nihil contra dignitatem cantuariensis ecclesie statuere, immo tale priuilegium[3] videbatur concedere: 'Quecunque auctentica[4] et a predecessoribus nostris concessa habet ecclesia vestra, ea nullatenus imminuimus, sed inconcussa volumus obseruari.' Recedentibus vero nunciis regiis Thurstinum consecrauit, pallium ei tradens. Et licet rex indignatus terram suam Thurstino prohiberet, apostolicis tamen litteris perterritus est, in quibus comprehensum fuerat vt aut Thurstinum admitteret, aut ipse rex anathemati subiaceret, et cantuariensis officii dignitas suspenderetur. Quamobrem rex Thurstinum coactus admisit.

Cum quadam solempnitate rex Willelmus diademate et indumentis regalibus ornatus sederet ad mensam, et Lamfrancus iuxta eum; quidam scurra, videns regem auro et gemmis radiantem, exclamauit adulationis voce et dixit: 'Ecce deum video, ecce deum video.' Lamfrancus autem conuersus ad regem ait: 'Nolite talia pati impon[i] vobis[5]: non sunt hec hominis, sed dei. Iubete illum acriter verberari, ne vnquam audeat talia iterare.' Et factum est ita. Nouerat prudentissimus vir quod tertius Herodes ideo ab angelo percussus interiit, quia adulatorum verba, que quasi deo sibi acclamabant, non respuit, sed suscepit. Lamfrancus ecclesiam roffensem instaurauit et possessionibus ditauit. Monasterium sancti Albani restituit in pristinum statum, in quo posuit abbatem Paulum, cadomensem monachum. Lamfrancus enim ita fuit liberalis, vt diceretur nullum tam largum de Italia Lombardum[6] egressum fuisse. In vilitate habitus parsimoniam[7] tenuit: pauperibus ita erat dapsilis [ut][8] quingentas libras singulis annis in elemosinam errogasse dicatur. [9]Interea cum Lamfrancus ab Ancelmo abbate visitaretur, et inuicem de diuersis plura conferrent, conquestus est episcopus quod homines illius patrie colerent quosdam sanctos quos ille non affectaret, 'et maxime, ait, quendam Elphegum archiepiscopum, quem non solum inter sanctos, sed et inter martires numerare contendunt, cum constet illum non pro Christi fide, sed quia ab inimicis, a quibus captus tenebatur, se redimere noluerit, interemptum[10] fuisse.' Ad hec Anselmus[11] respondit: 'Certum est, inquit, quia is qui, ne leuiter peccando deum offendat, mori non dubitat, multo magis mori non dubitaret priusquam aliquo

[1] Cf. Higden VII, 15. [2] E. consilium. [3] E. preuilegium. [4] E. autentica. [5] T.E. imponere nobis. [6] T. lumbardum. [7] E. parcimoniam. [8] om. in E. [9] Cf. Anselm. [10] E. interemtum. [11] T. ancelmus.

graui peccato deum exacerbaret. Et reuera grauius est Christum negare, quam aliquem pro sua redemptione homines suos ablatione pecunie ipsorum [1] ad modicum grauare. Sed quod minus est Elphegus facere noluit; multo igitur minus Christum negaret, si vesana plebs ad hoc eum mortem intemptando constringeret. Vnde datur intelligi quanta vis iusticie pectus eius possederit, quando vitam suam maluit dare, quam spreta charitate proximos suos scandalizare. Nec immerito, vt reor [2], inter martires computatur, qui pro iustitia mortem sponte suscepisse predicatur. Nam et beatus Iohannes Baptista quem dei ecclesia precipuum martirem credit et veneratur, non quia Christum negare, sed quia pro defensione legis diuine veritatem noluit tacere, ad votum saltatricis capite plexus est. Et quid distat pro iusticia mori, vel mori pro veritate? Constat, testante sacro eloquio, quia veritas, et iusticia Christus est. Ipse enim dicit "Ego sum veritas," et apostolus "Christus factus est nobis a deo sapientia et iusticia." Qui ergo pro veritate et iusticia moritur, pro Christo moritur; qui autem pro Christo moritur, ecclesia teste martyr habetur. Beatus vero Elphegus eque pro iusticia, vt sanctus Iohannes pro veritate, passus est. Cur ergo plus de vnius, quam de alterius vero sanctoque martirio quisquam ambigat, cum par causa in mortis perpessione vtrumque detineat?' Audiens hoc Lamfrancus, rationem gratanter [3] approbauit, et sanctum Elphegum deinceps veneratus est. Postea relatum est ipsi Lamfranco quod abbas Anselmus vna nocte post matutinas veniens ad lectum suum inuenit in eo anulum aureum, quem prius Christi cruce [4] signauit [5], ne forte illusio demonis esset, et accepit eum. Quod cum audisset archiepiscopus, re[f]erent[i] [6] sibi respondit: 'Certissime scias, illum post me futurum archiepiscopum': et sicut predixit, ita euenit. Fuit enim Lamfrancus alacritate iocundus, humilitate submissus, in elemosinis largus, fide catholicus, christiane religionis reparator, pauperum sustentator, pupillorum protector, viduarum consolator; et anno episcopatus sui decimo nono, quinto kal. iunii, diem clausit extremum, et in ecclesia quam ipse edificauit [7], cum honore sepultus est.——[8] Hic Lamfrancus reuocabat [9] viriliter possessiones ecclesie sue alienatas, nam et preualebat in eo anime viuacitas et beati Dunstani in eum fauor diffusus. Nam quotienscunque in talibus cunctabundus differret sententiam, aderat Dunstanus sibi soporato, aduersariorum detegens versutias et euadendi ostendens semitas. Quinetiam aliquando egrotantem Lamfrancum, luctamen quod secum Dunstanus inisse videbatur, eripuit discrimini et restituit valitudini. [10] Lamfrancus etiam in confessionibus audiendis tam pius et affabilis extitit, vt manus sibi confitentium,

[1] T. ipsorum pecunie. [2] E. rear. [3] E. gratenter. [4] T. cruce Christi. [5] T. signans. [6] T.E. reuerenter. [7] so T.; E. edificabat. [8] Cf. Higden VII, 6 (Knyghton 2362). [9] E. reuocauit. [10] Higd. adds: Et ut ex vita Dunstani colligitur.

peracta confessione, oscularetur deuote, dicens: 'Manus iste hodie me beatum fecerunt.' Tempore quoque eius monachi cantuarienses, sicut omnes fere tunc temporis in Anglia secularibus similes nisi quod pudicitiam non facile perderent, venari, aucupari, et potibus indulgere consueuerunt, vt illos magis consules, quam monachos, pro famulorum frequentia putares. Horum insolentiam Lamfrancus aliquamdiu tolerauit: sciebat enim peritus animarum magister, consuetudinem a natura esse secundam, et repentina morum conuersione teneriores exacerbari animos: quapropter per interualla blande nonnulla submouens, cote virtutum rudes ad bonum exacuebat mentes, ita vt abdicatis adulterinis fetibus[1], vltronei geniales virtutum adoptarent successus. Hic nullum a se vnquam tristem dimisit, sed si quemquam subnubilum videret, causam impiger querebat, et medelam adhibebat. Roffense monasterium de quaternario clericorum numero vsque ad quinquaginta monachos, necessariorum sufficientiam affluenter[2] ministrando[3], instaurauit. Tres eius discipuli aliquando inter se dixerunt: 'Experiamur reuolutione foliorum, quis nostrum futurus sit abbas, quis episcopus.' Et inuenit Gundulphus: 'fidelis seruus et prudens' et cetera. Walterus inuenit: 'serue bone et fidelis' etc. Tertium vero socium nescio quid durum inuentum turbauit, sed[4] et si audiui, libenter oblitus sum, quia ingenue mentis est alienis non insultare malis. Quod cum Lamfrancus audisset, indubitanter pronunciauit Gundulphum fore episcopum, Walterum abbatem, tertium ad lubrica seculi deuoluendum. Et factum est ita: Nam Gundulphus factus est episcopus roffensis, Walterus abbas Eueshamie, tertius in vanum abiit[5]. Fatebatur enim Lamfrancus se deum rogasse vt aut febre aut[6] dissenteria[7] moreretur, eo quod memoriam non turbent nec loquelam impediant. Erat enim doctrina et sapientia famosissimus: cuius indicium erat quod dominus papa Alexander ei, Romam venienti, dignanter assurgeret, protestans se non illius archiepiscopio, sed magisterio litterarum honorem[8] deferre. Quapropter petiit papa vt cum ipse fecisset quod esset honoris, Lamfrancus faceret quod esset iusticie, videlicet vt se prosterneret vestigiis vicarii beati Petri.

¶ *Ex cronicis*[9].

Illis diebus comites Herfordie et Estanglie coniurauerunt contra regem Willelmum Anglie, et comitem Northumbrie Walleuum[10] ad consentiendum eis subdole circumuenerunt. Qui Lamfrancum adiit et, penitentia accepta, regem petiit, factionem denudauit, misericordie regis vltro se dedit. Vnde et rex quosdam exiliauit[11], quosdam profugauit, comitem Walleuum[10] post incarcerationem apud Wintoniam impie decollari fecit; et apud Crouland tumulatur. De quo testatus

[1] E. fecibus. [2] H. n. sufficientia affluentes. [3] om. in T. [4] *al.* quod. [5] T.E. obiit. [6] E. vt. [7] T. dissinteria. [8] H. sed litterature def. [9] Cf. Higden VII, 3, Chron. Bromton 974. [10] E. Wallenum. [11] H. exlegauit.

est Lamfrancus quod vere humana contagia defleuit; et felicem se fore dixit si post mortem illius frueretur requie. [1] Sextodecimo vero post decollationem illius anno, cum corpus eius a capitulo ad ecclesiam transferri deberet, omnino integrum, et caput corpori coniunctum, repertum est, filum tamen rubeum quasi pro decollationis signo in collo habuit. Crebrescentibus circa corpus eius miraculis, quidam monachus natione Normannus detractoria verba contra virum dei proferens, et ab abbate super hoc correptus pertinacia sua persistens, subita egritudine percussus post dies paucos interiit. Sequenti nocte cum idem abbas de hiis et aliis in lecto tractaret, sompno oppressus vidit sanctum Bartholomeum apostolum et Guthlacum confessorem, albis sacerdotalibus indutos, ad comitis tumulum assistentes: et erigens apostolus caput comitis corpori redintegratum, dixit: 'Acephalus non est'; cui sanctus Guthlacus, qui ad pedes stabat, respondit: 'Comes hic fuit,' apostolus autem inceptum versum perfecit dicens: 'At modo rex est.' Hic per annum Wintonie incarceratus, commissa sua defleuit, psalterium quotidie dixit et ad deum tota mente se conuertit, et pridie kal. Iunii capitalem sententiam subiit. In cuius decollatione contigit quod cum flexis genibus, oculis ac manibus in celum intentis, orationem dominicam incepisset, sed nimietate fletus ac singultus vocem eius interrumpente [2] ipsam complere non posset, post capitis amputationem cunctis audientibus clara et articulata voce eandem compleuit dicens: 'Sed libera nos a malo amen.' Cuius vxor Iuditha [3], que eum apud regem accusauerat, penitentia tandem ducta pannum sericum super eius tumulum obtulit: sed virtute diuina velut venti vehementis impulsu idem pannus longius proiectus est.

¶ *Narratio* [4].

Illis etiam diebus, regnante in Anglia Willelmo Conquestore, vix erat in Anglia princeps anglicus, immo, Anglis in seruitutem redactis, obprobrium erat vocari anglicus. Deus enim ad exterminium Anglorum, peccatis eorum exigentibus, preordinauerat [5] populum ferocem [6] et quadam scuitie singularis prerogatiua preminentem, quorum natura est [vt] cum hostes [suos] depresserint, ipsi se deprimant et sua in pauperiem redigant. In Anglia igitur iniusta thelonea [7] et pessime consuetudines illis diebus pullularunt; principes omnes auri et argenti cupiditate cecati adeo erant, vt quanto magis de recto loquebantur, maior fiebat iniuria. Qui iusticiarii vocabantur, caput erant omnis [8] iniustitie. Vice-comites et prepositi, quorum erat officium

[1] Cf. Vita Waldevi, Comitis, ed. Michel, Chron. Anglo-Normandes II, 99 (and Giles, Vita quorundam Anglosaxonum, Caxt. Soc.). [2] E. interrumpent. [3] E. inditha. [4] Cf. Chr. Bromton 980–1. [5] E. perordinauerat. [6] Br. adds Normannorum; om. et. [7] E. thelonia. [8] E. omnes.

iusticia et iudicium, furibus et raptoribus atrociores erant, et omnibus seuissimis seueriores. Rex ipse Willelmus cum ad firmam terras suas quanto carius [1] poterat dedisset, alii magis offerenti, et deinceps alii, semper negligens pactum et ad maiora studens, dabat, nec erat cura quanta iniuria pauperibus a prepositis fieret.

¶ [2] De sancto Laurentio archiepiscopo et confessore [3].

Assumpto ad celestia deo dilecto patre Augustino Anglorum apostolo, suscepit episcopatum famulus Christi Laurentius, quem ipse iccirco adhuc viuens ordinauerat ne se defuncto status ecclesie tam rudis ad [4] horam pastore destitutus vacillare inciperet; in quo et exemplum sequebatur beati Petri apostoli, qui, fundata Rome Christi ecclesia, Clementem sibi adiutorem euangelizandi simul et successorem consecrasse perhibetur—quod tamen exemplum nulli in posterum debet esse presumendum. Beatus vero Laurentius archiepiscopi gradu potitus, fundamenta ecclesie, que nobiliter iactata vidit, augmentare et pie operationis exemplis prouehere curauit. Non solum noue, que de Anglis erat collecta, ecclesie curam gerebat, sed et veterum Britannie incolarum, necnon et Scotorum populis pastoralem solicitudinem impendebat. Britones etiam et Scoti diem pasce non suo tempore obseruabant, sed a quartadecima luna vsque ad vicesimam pasce diem obseruandam putabant. Quibus, cum coepiscopis suis Laurentius exhortatoriam ad eos (!) scripsit epistolam, obsecrans eos et contestans vnitatem pacis et catholice obseruationis cum ea que toto orbe effusa est ecclesia Christi tenere. Anno autem domini sexcentesimo sextodecimo mortuo rege Ethelberto et a beato Laurentio sepulto, successit ei filius suus Edbaldus, qui magno [5] tenellis ibi adhuc ecclesie crementis detrimento fuit. Siquidem non solum fidem Christi recipere noluit [6], sed et adulterio pollutus vxorem patris habuit. Hoc enim vtrumque scelus [7] occasionem dedit ad priorem vomitum reuertendi hiis qui sub imperio sui parentis vel fauore vel timore regio fidem susceperant [8]. Nec superne flagella districtionis perfido regi castigando et corrigendo defuere, nam crebra mentis vesania et spiritus immundi inuasione premebatur. Auxit autem perturbationis procellam mors Saberti regis Orientalium Saxonum, qui tres filios suos, qui pagani perdurauerant, heredes reliquit. Ceperunt mox ydolatrie, quam viuente patre aliquantulum intermisisse videbantur, palam seruire, subiectisque populis ydola colendi liberam dare licentiam.

[1] E. carnis. [2] Abr. from Goscelin's Vita in MS. Vesp. B. XX, taken from Beda II. 4.; the miracles are ed. in A. SS. Boll. 2 Febr. I. p. 290. [3] T. episcopo; et confessore om. [4] *al.* vel ad. [5] E. magna. [6] E. voluit. [7] Bed. Quo utroque scelere. [8] E. susciperant.

Conuenere[1] itaque Canciam episcopi Mellitus et Iustus. cum Laurentio tractaturi quid in hiis esset agendum; decretumque est communi consilio quia satius[2] esset vt omnes patriam redeuntes libera ibi mente domino deseruirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Recesserunt igitur Mellitus et Iustus ad partes Gallie, rerum ibi finem expectare disponentes. Quos Laurentius Britanniam relicturus sequi volens, iussit ipsa nocte in ecclesia apostolorum Petri et Pauli sibi stratum parari. In quo cum post multas preces ac lachrimas ad deum pro statu ecclesie fusas ad quiescendum[3] membra ponens obdormisset, apparuit ei beatus apostolus Petrus, et multo illum secrete noctis tempore flagellis arctioribus afficiens, sciscitabatur apostolica districtione quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oues Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret. 'An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi, quos[4] mihi commendauit, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus et inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli?' Hiis beati Petri flagellis et exhortationibus animatus Laurentius mane facto venit ad regem et reiecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ostendit. Qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere; vt audiuit quia sue causa salutis episcopus ab apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus, multum extimuit: et anathematizato omni ydolatrie cultu, et abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus, ecclesie rebus quantum valuit in omnibus consulere ac fauere curauit. Reuocauit autem de Gallia Mellitum et Iustum, eosque ad suas ecclesias redire precepit. Diuinis preceptis se mancipare studuit, et in monasterio beati Petri in honore sancte Marie construxit ecclesiam et regia largitate[5] dotauit.——[6] Pergens beatus Laurentius in Scotiam, venit in quandam regionem vbi transitum sibi et sociis suis maris brachium negabat[7]. Cumque resideret in proximo colle nauem expectans, qui hodie 'collis Laurentii' vocatur, visum tandem nautam obsecrat vt transmittatur. Sed homo a diuina et humana pietate alienus preces supplicis dum refutat, superna indignatione non solum hiatus maris, sed celestis flamma mox impium cum sua naue[8] deuorauit. Quod videns vir dei, plenus fide et spiritu sancto mare tanquam campum ingreditur, et undosos montes ac si solidos pedibus calcans, in aliud litus siccis pedibus transducitur. In vico quodam euangelium [Christi][9] predicans cum nullum qui eum reciperet inueniret; cum exprobratione[10] expulsus, sub quadam sepe nocte illa requieuit: et splendor solaris de celis effusus testem domini circumfulsit et noctem illam sibi in

[1] E. conuenire. [2] T. sancius, E. sanctius. [3] E. acquiescendum. [4] E. quis. [5] om. in T.; Vit. dote. [6] From here ed. in Act. SS. Boll. Febr. I. p. 296. [7] Vit. vetabat. [8] E. naui. [9] om. in E. [10] E. exprobatione.

diem conuertit. Illum vero maligne[1] plebis vicum qui nuncium salutis exterminauit, iactum de superis fulmen cum omnibus suis subito conflagrauit, et in perpetuam solitudinem totum locum ipsum vt Sodomam pessundedit. Predicante viro dei vbique in Scotia[2] verbum dei, et fama eius late diffusa, sanctus Terenanus Hibernie archiepiscopus ad eum venit, vir tante sanctitatis vt tres mortuos suscitasse dicebatur[3]. Qui audiens beatum Laurentium de pasce obseruatione aliisque apostolicis institutionibus disputantem, dedit manus veritati, et suam gentem in posterum corrigere satagebat. Regressus tandem sanctus dei inuenit cuiusdam hospitis sui filium defunctum, patremque et matrem luctuosos valde, qui voce magna clamantes[4] dixerunt: 'O sancte Laurenti, resuscita filium nostrum, vt fidelius credamus in illum quem predicas Ihesum Christum.' Qui facta oratione, 'surge' puero dixit: statimque ille surrexit. Qui testabatur obnixe se a teterrimis spiritibus ad flammea tartara raptum: sed orante sancto[5] Laurentio a lucifluis angelis dei ad corpus reductum. Quo cum patre et matre et tota domo et cognatione baptizato[6], vir sanctus regionem penetrans, signa et documenta salutaria vbique ostendit, et iuxta quandam vrbem in locis arentibus fontem aque produxit, qui hactenus indeficienti[7] vbertate manare non desinit. In villa quadam nomine Forduna ecclesiam in honore ipsius post eius obitum incole condiderunt, que tanto sanctimonie candet priuilegio[8] vt nulla vnquam feminarum hanc intrare possit. Deo autem amabilis regina Scotie sancta Margareta, pia religione cum cereis aliisque sacris oblationibus cepit hanc velle intrare. Cui ad portam atrii occurrentes canonici instanter orant ne transgrediatur legem sacrosancti instituti, et offensam incurrat ibi presidentis patroni. At illa respondens se potius sacrum locum honorare[9] et exaltare velle, vrget propositum. Vix atrium attigerat, cum subito diris totius corporis stimulata cruciatibus exclamare cepit: 'Cito, inquit, me hinc[10] auferte: ecce iam morior.' Orantibus pro ea clericis, regina salute recepta ecclesiam [illam][11] cruce argentea et calice precipuo aliisque donis exornat, et sanctum Laurentium iugi veneratione inuocat, quem adire corpore nequibat. Anno autem domini sexcentesimo decimo nono sanctus Laurentius tertio nonas februarii relinquens hoc seculum, iuxta sanctum Augustinum sepultus est. Aduena saxonicus innatis tergo calcaneis, post innumera sanctorum quesita patrocinia venit in Angliam, et apud Westmonasterium diuinum accepit oraculum, salutem sibi querendam apud sanctum Augustinum Anglorum apostolum. Quo cum post triduum orationi-

[1] E. malignum. [2] E. scotiam. [3] Vit. perhibeatur. [4] T. exclamantes. [5] E. sancta. [6] Vit. adds: a s. Laurentio, a quo nomen impositum traxit Gilli Laurentius, quod interpretari potest filiolus Laurentii. Huic etiam natus filius Cheli dicebatur, a quo postea eiusdem b. patris Laurentii vita descripta affirmatur. [7] E. indefienti. [8] E. preuilegio. [9] E. honore. [10] E. huic. [11] om. in E.

bus institisset [1], tres angelice claritatis perspexit viros, superno splendore radiantes, quorum medius, statura procerus, cesariem habebat celesti niue dealbatam : aspectus eius dulcis et amabilis, vltra mortalem nitorem sua lumina exhibebat. Crucis vero signum quod in dextra ferebat, ineffabili splendore rutilabat. Qui a dextris eius erat, mediocrem staturam preferebat ; sinister autem lateralis Zacheum [2] preferebat statura. Omnium vero indumenta super humanum intellectum erant gloriosa. Appropinquantibus illis egro, qui in medio eorum erat dixit : ' Ite et solutis [3] natiuis neruorum nexibus eum in statum suum erigite.' Protinus dexter a capite, sinister a pedibus inuoluta membra extricant [4]. Cum autem eger exclamaret, sanitate recepta, singulos sanctos tumulos suos intrare conspicatur. Sanctus autem Augustinus erat in medio, a dextris sanctus Laurentius, et a sinistris sanctus Mellitus episcopus.

[MS. Tib. adds here : *Narratio* [5].

Illis quasi diebus sanctus Paulus leonensis episcopus cum uenisset ad domum sororis sue deo deuote, super litus maris britannici sitam, rogatus ab ea precem ad deum fudit quatinus statuto fluctus maris coherceretur alueo, et terra optata aliquo sibi ampliaretur spacio. Cumque subito mare undas retrahere, et terra sicca apparere cepisset, ab oracione pariter surgunt et ad ripam accedunt. Tunc Paulus sorori imperat ut in manibus lapillos ad maris marginem deferat et iuxta illam per spaciorum interualla dimittat. Mille namque passibus uel amplius per eius oracionem terra aquis exhausta fuit. Oracione uero super ripam iterum completa, Paulus ad mare conuersus ait : ' Lapilli quos in finibus tuis posui, sint in signum inter me et te, ut denuo nunquam eos transgredi nec hec nostra territoria ingredi presumas.' Cuius sermonis imperium usque hodie conseruat horridum maris elementum. Illis domum regressis [6], uiderunt subito lapillos diuina uirtute columpnas lapideas mire magnitudinis factos ; et uia quam eo die per medias illas columpnas incedentes tenuerunt, ad(huc a) Britonibus ' semita Pauli ' uocitatur [7].]

[1] Vit. Huc perreptus, post vigilatum triduum. [2] E. xacheum. [3] E. salutis. [4] E. extricauit. [5] Ex Vinc. Bell. XXI. 123. In E., same narratio precedes in S. Ithamar. [6] VB. Cumque reuerterentur.

[7] Collect in T. :

In transitu incliti patris Laurencii celi nobilitantur gaudiis, et nos prosequamur laudibus. Aue presul inclite, aue dei amice : concilia nobis regem nostrum, qui te nobis prouidit patrem pium. V. Ecce sacerdos magnus.

Deus qui beatum Laurencium . . . . . tuo predicatorem salutis ete(rne) . . . . . (tri)bue quesumus ut qui eius commemoracionem . . . . . (eius meri)tis et precibus a peccatorum (nostrorum) . . . . nexibus ab. . . . .

¶ De sancto Lethardo episcopo et confessore[1].

DIgnus deo antistes Lethardus[2], precursor et ianitor venturi Augustini in Anglia apparuit. Preuenit illum vt lucifer solem; parauit ei viam, ingressum et locum, vt ille pararet domino. Prodigus uigentis[3] anime non timuit ferinam gentilium barbariem, seculi principibus terribilem. Ipse dei famule regine Berte, dum Ethelberto regi adhuc gentili christiana a paterno regno Francorum mitteretur, dux, comes, doctor, seruator, ac totius pietatis instigator, a monstruosis ritibus munimentum, ab ydolatria sacrarium, a diaboli venabulis[4] obstaculum, in omni aduersitate patris erat solatium. Que etiam cum[5] eodem sancto patre[6], ac rege iam Christo sacrato consepeliri meruit. Nec illam arbitramur illaudabilem, nec pietate in deum carentem, sed religione, elemosinis, ceterisque moribus benignis[7] pollentem, que ex[8] christianis regibus ac populis nata tantum habuit institutorem. Inter prophanos Christi tulit obprobrium, in ecclesia ridiculum, in dei sui cultu ludibrium. In antiquissima sancti presulis Martini ecclesia sub vrbe sita, beato pontifice Lethardo[2] presidente, frequentabat regina missarum et orationum sacramenta cum suorum comitum familia christiana. Sanctissimus vero Lethardus, quis digne estimet quanta miracula per tot merita exhibuerit in vita, cuius tanta crebrescunt nostris temporibus post tot sui obitus secula; de quibus iniuria est memorie non commendare aliqua. Puella quedam a natiuitate ceca[9] ad ipsius tumulum accedens, meritis sancti Lethardi, fugatis oculorum tenebris visum recepit. Contractus quidam, solutis calcaneis et extensis tibiis mox pedes erexit et ambulare cepit. Abbas Abendonie[10] anulum regine Edgithe[11] casu fortuito perdens, vbique illum querens inuenire non potuit. Cum lachrimis demum et precibus Lethardi clementiam exposcit: et illico anulus, vbi orabat, reluxit. Matrona quedam parere non valens, angustiis partus pene exanimata, in ardui montis[12] supercilium, vt sibi in spiritu visum fuit, rapitur, et tetris demonum tenebris territa, ab immanissimis tortoribus eam rapientibus cum diris suppliciis torquetur. Iamque per arctum foramen rote illam extrudere atque detrahere, et in sulphureas[13] sui baratri abissos precipitare conantur. Cui in tanto timore et tremore iugiter saluatorem inclamanti, inestimabilis claritatis sidus eminus apparuit, quod quanto propinquius, tanto clarius radios suos effudit. Et ecce in medio illius chorusce lucis beatus Lethardus emicuit, qui pontificali auctoritate perditionis ministros exterminans dixit: 'Discedite,

[1] Ed. in Act. SS. Boll. 24 Febr. III. p. 475. Abr. from Goscelin's Translatio S. Augustini II in MS. Cott. Vesp. B XX, ed. in A. SS. Boll. May VI. 437. Cf. Chron. Thorn in Dec. Script. 1767. [2] E. Lethardus; T. G. Letardus. [3] T. uigentis; E. ingentis. [4] E. venabilis. [5] E. in. [6] T. sancto patre sancto; G. eidem s. patri suo, cum suo rege. [7] E. benignus. [8] T. E. et. [9] T. Puellam quandam . . cecam. [10] G. adds aurificii probatissimus. [11] E. egithe. [12] E. mortis. [13] T. E. sulphureos.

dampnati spiritus, in tartara vestra! quid vobis cum dei famula? quo illam raptatis?' 'Falso, inquiunt, nomine non fidei executione christianam vendicamus in nostra iura: nostra est pedissequa, nostra hereditabit tormenta.' 'Interdico, inquit episcopus, vobis omnem in ea potestatem: ocius discedite ab illa in vestre perditionis ergastula.' Ad eius enim imperium relicta captiua, omnes demonum mine, omnia machinamenta funditus exinanita euanuerunt. Mulier vero, resumpto spiritu, de beati Lethardi vultu et patrocinio letificata, prolem enixa est. Paraliticus quidam cum ad tumbam eius cum lachrimis[1] opem imploraret; sopore[2] depresso astitit pius pater, quid velit, quid eum tam importune efflagitet querens. Debilis, se sanitatem petere respondit. Et ille: 'Quando, inquit, debitas penas luitis, tunc supplices venitis: vbi desiderata obtinueritis, immemores et ingrati diuinis beneficiis cito terga vertitis.' Ad hec illo obnixius insistente et emendationem pollicente[3], misericors pater subintulit: 'Vna tibia sanatus liberaberis, cum altera abibis: quatinus pars sana te admoneat gratiarum bonitatis diuine, infirma redarguat ingrate negligentie; et cum tanto desiderio requiras sospitatem ablatam, discas non paruipendere collatam.' Surrexit ergo semisanus, vno crure erectus, altero relictus. Erat enim a renibus et infra ante curationem sancti totus paraliticus. In processione annuali rogationum vel letaniarum solet efferri scrinio aureo beati Lethardi corpus opiferum in benedictionem et prouentum[4] agrorum ac plebium. Cum aliquando a duobus fratribus corpus eius sanctum per campos veheretur, quedam mulier insani[a][5] capta, feretrum cum impetu tangens, pleno intellectu et ratione formatur[6].

Narratio[7].

Sanctus enim Pharo[8] meldensis episcopus ante susceptum antistitis gradum vxorem suam sacro velamine consecrari fecit. Quem hostis antiquus vice quadam in tantum temptationibus sue carnis illicitis allexit, vt vxoris sue recordatus amore simul et pulchritudine[9] ad hocusque perducitur vt eam ad se venire mandaret, primo, secundo ac tertio: et illa [eum] hoc agere distulisset, et animum antistitis quodammodo temptatum ab ea intellexisset, argumentosum excogitauit consilium quomodo pontificem a proposito abstrahere posset et suam castitatem conseruaret. Etenim ornatum abiiciens vestium, cesariem capitis totondit, et cilicio induta se contemplandam episcopo presentauit. Cumque in eam intenderet, exhorruit vehementer facinus se deliberasse animo illicitum, et sagacis femine prudentiam miratus est[10].

[1] E. lachrimis cum. [2] E. sopori. [3] E. pollicentem. [4] E. prouentuum. [5] T. E. insanie; G. morbo insanie. [6] G. reformatur. [7] Cf. Vinc. Bell. XXIII. 18. [8] E. Pharao. [9] VB. amoris s. et pulchritudinis.
[10] Collect in T.:

Lux decus angliaci, spes et augustissima regni, O Letharde, tuos defende

¶ De sancto Machuto[1] episcopo et confessore[2].

SAnctus enim antistes Macutus in Britannia Maiori[3] generosis parentibus ortus est. Mater vero eius nomine Deruel, soror Hamonis, patris sancti Sampsonis, extitit; et pater eius nomine Went, optime conuersationis vir, in sexagesimo sexto [vxoris][4] sue anno virum dei Machutum[1] genuit, in[5] valle que[6] dicitur Nantcarwan. In qua nobile monasterium situm erat, in quo Brendanus confessor Christi abbas[7] virtutibus floruit: vbi etiam mater sancti Macuti nocte vigilie pasce ad vigilandum veniens, filium [suum][8] eadem nocte peperit. Quem Brendanus baptizans, in filium spiritualem accepit, et quousque loqui et intelligere posset, enutriuit. In eadem autem nocte qua natus est sanctus Macutus[9], triginta tres sexus masculini cum eo nati sunt ex matribus illis grauidis que in vno comitatu equitantes cum matre eius ambulabant: et cum eo nutriti sunt. Non enim puerili more leuitatibus indulsit, sed magis in grauitate fundatus, velut esuriens fauce auida cibum diuine sapientie hauriebat. Dumque magis ac magis litteris sacris esset instructus, virtutem validissimam feruere in se testabatur. [Vt][10] cum alii discipuli rigorem frigoris in se habentes ingemiscerent, validissimum calorem se pati diceret[11]— et dum[12] in hieme condiscipuli eius pre nimio frigore dentibus stridebant, ipse pallium a se expulit. Vt pene omnibus horis illi putarent caput eius lauari, dum semper viderent guttas paruulas de fronte et[13] facie eius effluere. Et quia vallis illa Caruan in qua nutritus est Macutus, proxima est mari, contigit eum cum discipulis suis ludendi causa ad littus maris exire. Aliis tandem ante inundationem maris relicto ludo ad lectiones recurrentibus, sompno eum retinente in medio littoris super fascem alge solus remansit. Et ecce, quantum mare crescebat, tantum littus super quod puer sanctus dormiens iacebat, nutu dei exaltari videbatur. Sanctus itaque puer sonitu fluctus maris a sompno excussus, circa se aspiciens, secumque mirans et multa reuoluens, dixit: 'Domine deus omnipotens, qui non derelinquis sperantes in te, vbi positus[14] sum ego?' Cumque Brendanus quare Macutus non redisset a pueris solicitus quereret, et illi eum dormientem in littore dimisisse respondissent, vir dei, magno

patronus alumpnos, Protege, conserua, refoue, releua, rege, cura, Consignans Christo, tibi conciues faciendo. V. Ora pro nobis.

Deus qui beatum Letardum . . . . . equasti luminaribus, ipso . . . . . nostra quesumus misericordie tue claritate. . . .

[1] T. Macuto; E. Machuto. [2] Abr. from the Vita by Bili (c. 870) in MS. Reg. 13 A. X. and Bodl. 535, ed., with an anonymous life of the same time, by Plaine and de la Borderie, Rennes, 1884. Both lives rest on an older life. From the anon. life is derived the text in Du Bosc Floriac. Bibl. 1605, and Vinc. Bell. 21, 93, and the lives in Mabillon (=Sar. Br.) and Surius. Cf. Revue Celt. XI. 1. [3] Vit. quadrangula. [4] T. E. etatis. In the Vita, the mother is 66. [5] T. E. add: Nutriri fecit eum in. [6] E. qui. [7] E. et a. [8] om. in E. [9] E. macatus. [10] T. E. Et. [11] T. diceret, E. dicebat. [12] E. cum; T. dum. [13] E. a [14] E. posiust.

merore affectus, illum per littus cum pueris inuanum diu querens, rediit et officium mortuorum pro anima pueri cum magno merore peregit. Nec mora, nuncii a parentibus Macuti directi ad ianuam pulsantes, Macutum sanum et incolumem sicut ei traditus fuerat, cum minis a Brendano postulabant. Vir dei respondit: 'Iam non solum magnitudo doloris occupat me, sed[1] vestra legatione tedet me vite mee. Sed vos queso, ite et nunciate illis quod filius eorum cum patre in celis viuit in eternum.' Orante autem Brendano ad deum cum lachrimis, astitit angelus domini dicens: 'Brendane serue dei, noli timere: quia deus omnipotens, qui seruos suos in tribulationibus consolatur[2], puerum Macutum inter fluctus maris conseruauit, et vbi insula nunquam fuit, propter eius amorem vnam nouiter exaltauit, que nisi nauigio in eternum a nullo adiri[3] poterit.' Pergens igitur vir dei mane ad littus, puerum in superiori insule loco, odas deo canentem, aspexit: cui et dixit: 'Veni, electe dei, et da osculum nobis: quia ita ego hodie accipio conspectum tuum, quasi Lazarum quarto die de monumento resurgentem viderem.' Ille vero humiliter respondens dixit: 'Nolite mihi molestiam inferre sed saltem vna die in loco vbi misericordia dei me saluauit relinquite me. Et psalterium meum mihi remittite, et si alio modo non potestis, mittite illud in mare: et deus, qui saluauit me inter vndas maris, si placet illi me saltem vna die hic astare, mittet illud aquis intactum ad me.' Tunc Brendano psalterium tenente et in mare mittente, fascis alge, super quam[4] ille dormierat, occurrit et super se psalterium admisit, et ad locum vbi sanctus Machutus[5] deum orabat, aqua illesum pertulit. Tunc omnes fratres hoc miraculum aspicientes, prostrati in terram spacio trium horarum laudes domino in commune fuderunt. Crastina die nauiculam Brendanus misit et puerum ad terram atque monasterium reduci fecit. Cum autem puerum incolumem Brendanus parentibus commendasset, Macutus, quasi iracundia motus, atque omnia transacta reuoluens, ait: 'O magister, nonne, cum aliis fratribus euangelium predicares, audiui te dicentem: "nolite patrem vocare vobis super terram: vnus est pater vester in celis?"' Huiusmodi verbis cum magistrum, fratres parentesque admoneret, admirati sunt valde. Tunc parentes filium suum, fletu et lachrimis se mandentes, cum Brendano reliquerunt. Sanctus [vero][6] Macutus quotidie orationis gratia ad illam insulam[7] in nauicula exibat. Brendanus itaque, gratiam dei in Macuto considerans, rogauit vt gradum presbiteratus acciperet. Tunc ille indignum hoc gradu se esse humiliter confitens, et in iuuenili adhuc etate esse contestans, dixit: 'Magister, noli mihi molestus esse: quia non sum dignus hoc officium quod dicis suscipere.' Cui Brendanus: 'Noli dubitare: quia iuuenilis etas alicui non nocet, si fuerit mente perfectus; nec senilis etas alicui

[1] T. E. sed et. [2] T. consolacionibus c. [3] E. audiri. [4] *al.* quem. [5] T. macutus. [6] T. E. enim. [7] Vit. adds que usque hodie Rore vocatur.

proficit, si fuerit mente corruptus.' Acquiescente magistri rationibus Macuto, ex hora qua episcopus manum suam super caput eius leuare cepit, alba columba super scapulam eius dexteram [1], vsque ad horam qua officium compleretur, ab astantibus visa est; et officio completo in specie ignis cum magna claritate euanuit. Erat enim Macutus abstinentia assiduus, sobrius, vigiliis deditus, predicatione instantissimus. Inter hec autem incidit in mente Brendani, insulam quandam maris nomine Ymmam querere. Parata autem naue, cum Macuto et pluribus fratribus per mare nauigare cepit. Septimo tandem nauigationis anno ad quandam insulam venerunt in qua sepulchrum quoddam longissimum erat. Tunc sanctus Brendanus ait: 'O sancte Macute, pete a domino deo tuo, vt resuscitetur homo qui in hoc busto positus est.' Cui ille: 'Non ego, sed filius dei cui seruio, qui dum corporaliter in mundo esset, Lazarum de monumento quadriduanum iam fetentem suscitauit, ipse modo in celo spiritualiter sedens, hunc de sepulchro isto resuscitet.' Et cum hoc dixisset, ecce totus tumulus commotus est, et quasi homo quando de sompno surgit, sic, anima eius in eum intrante, viuus surrexit. Illis autem interrogantibus vbi fuisset, aut sub qua lege vixisset; in pena se fuisse, gentiliterque vixisse indicauit. Querentibus nomen eius, sibi nomen Mildu esse dixit. Et cum hoc dixisset, sancto Macuto ait: 'Ora pro me, pastor bone: quia credo per tuum me aduentum saluari. Baptiza me, redime me; et miserere mei.' Tunc Macutus baptizato eo, dixit: 'Nosti insulam Ymmam, quam longo iam tempore quesiuimus?' 'Ambulans, inquit, vix vna vice vidi, sed ventus validissimus atque tempestuosum mare me ab illa separauerunt.' Tunc omnes rogant illum vt iret cum illis ad eam. Ille anchoram in manu tenens, per profundum maris nauem preuenit. Illoque non valente illam inuenire, vento validissimo irruente maxima quedam corda anchore alligata in manu eius fracta est. Venerunt ergo iterum cum illo ad locum vbi inuenerunt eum, et [denuo] mortuum in suo tumulo reposuerunt. Cum autem in illo itinere cuidam insule appropinquantes pene siti deficerent, iussu Brendani Macutus assumpto vase per semitam paruulam pergens, fontem repperit. Et cum semel et iterum aquam ori porrectam pre amaritudine [2] gustare non valeret, benedicto fonte aquam suauissimam hausit, et in vase secum attulit. Qua a fratribus gustata, et omnibus quasi cibo et potu refectis, nullam omnino diminutionem limpha illa allata sustinuit. Die vero pasche, cum Macutus in quadam modica insula missam celebraret, commotus est locus: et omnes tremefacti vna voce dixerunt: 'O Brendane, ecce omnes perimus.' Tunc ille ait: 'O sancte Macute, ecce diabolus [3] se transfigurauit, vt multos in interitum ducat.' Et ille: 'O magister, nonne aliis me audiente predicasti quod quondam Ione prophete,

[1] E. dextera, T. dextram. [2] E. amaritudinem. [3] E. diabolus; T. domus; Vit. dusmus.

nolenti ad Niniuen pergere domino volente, cetus vitale sepulchrum prebuit? Ecce simili modo nobis in auxilium hic a deo preparatus est.' Tunc omnibus precepto eius in nauem intrantibus, missam compleuit, et ad nauem perrexit. Sicque prospere nauigantes ad monasterium suum regressi sunt.——Post hec vero Brendano parentibusque valefaciens, cum triginta tribus discipulis qui secum educati fuerant, ad mare perrexit. Et ecce nauis parata in littore stabat cum omnibus necessariis[1], et velum extensum in ea; nullusque in illa preter [Christum][2], qui omnia seruis suis prouidebat. Tunc illi deum laudantes cum gaudio nauem intrabant. Et cum nauigare inciperent, gubernator nauis interrogat illos quibus ex causis patriam parentesque relinquerent, aut in quam regionem ire vellent. Machutus[3] ait: 'Patriam relinquimus, vt vitam eternam deo seruientes capere valeamus; parentes dimisimus, vt ecclesiam matrem in terris, et deum patrem nobis inuenire mereamur in celis. Patriam Britonum expetere cupimus, si deus prosperum nauigium nobis, seruis suis, largiri dignetur.' Demum peruenerunt ad insulam que September[4] vocatur: vbi sacerdos quidam fideliter deo seruiens, nomine Festiuus[5], cum scola plurima habitabat. Illi vero qui in[6] insula erant vna voce clamabant: 'Nolite illa parte venire: quia serpens maximus ante vos est.' Cumque cogitarent in aliam partem nauem vertere, gubernator ait: 'Non legistis quod Christus in euangelio [dixit][7]: "Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici"? Nolite timere.' Dum ergo exirent, statim vt sonum eorum audiuit serpens obuiam eis exiuit, et per totam insulam auditus est sibilus eius. Tres namque pueros detestabilis illa bestia deuorarat. Tunc Macutus, signo crucis munitus, serpenti obuiam vadit, et extendens baculum quem manu tenebat super collum draconis, dixit: 'Vade, inimice hominum, nec vltra ad hanc insulam reuertaris: nec alicui christiano amodo nocere presumas.' Nec mora, serpens ad mare tremens exiuit, caput in terram inclinauit, et mare intrans, nusquam comparuit. Vir autem dei speluncam drachonis ingrediens, cuspidem baculi sui in illam posuit: et fons limpidissimus emanare cepit. Pergens autem ad ciuitatem nomine Aleth[8], que longo iam tempore fuerat deserta; tam in ipsa ciuitate quam per insulas et loca vicina monasteria, in quibus multe congregationes monachorum deo seruire noscuntur, construxit: et discipulos non solum a conspectu mulierum, sed etiam a colloquio virorum separare volens, per illa distribuit. Ipse vero cum suo discipulo Riuano in quadam spelunca iuxta ciuitatem heremitice viuens, preter panem et aquam oleraque sale condita cibum nullum sumpsit. Omnino ab aspectu hominum segregatus, lectum non habuit, veste qua in die vsus est etiam et[9] in nocte contentus erat, et

[1] E. adds suis. [2] T. E. deum. [3] T. Macutus. [4] = Ile de Césembre, near St. Malo. [5] E. festinus. [6] om. in T. [7] om. in E. [8] = St. Malo. [9] omit et.

Dominican College

cilicio asperrimo suam semper carnem domabat; mutumque crucis signaculo loqui fecit. Crebrescente per prouinciam fama eius, princeps Britannie Minoris nomine Iudicail cum sacerdotum consensu ad episcopatum Alethis eum eligere decernens[1], illum ad se accersiri iussit. Cumque palatium intraret, ecce homo demonium habens dentibus stridebat, nec prorsus, demone linguam eius occupante, loqui poterat. Tunc Macutus os eius tetigit: et statim loqui cepit. Cum autem Macutus Turonis sacrandus adiret, hora qua episcopi manus suas super caput eius posuerunt, columba super collum eius, cum caput ad benedictionem inclinaret, apparuit; et completa consecratione, omnibus videntibus in celum auolauit. Rediens autem Macutus ad ciuitatem suam, per annos fere quadraginta virtutibus et signis claruit: et post hec ad insulam nomine Aaron[2] cum discipulo suo Riuano veniens, aliquot annis [ibi] vixit. Post mortem autem prefati Iudicail princeps impius nomine Rewallus cum filios eius interfici iussisset, vnus eorum fugiens ad cellam Macuti venit. Quem princeps iniquus persequens, nocte puerum iussit expelli et occidi. Quo cognito, Macutus currens post impium et eiulans, vt parceret innocenti puero clamare cepit. Sed ille audita voce pontificis, antequam ad se accederet, interficere iussit innocentem. Et flens Macutus et eiulans imprecatus est dicens: 'Nullus, domine, ex semine eius in eternum super sedem eius sedeat, suppliciter rogo.' Die post hec tertia impius ille officium lingue oculorumque amittens, morte turpissima vitam finiuit. Vir dei inter vigilias continuis inediis se macerauit; equitans in itinere, semper de deo aliquid aut verbo contulit, aut psalmis intendit. Inter horas vero diurnas aut legendo aut scribendo aut operando creatori suo seruiuit. Nullum erat tempus quo non aut aliis prodesset aut sibi lucrum faceret. Quodam tempore, cum ad ecclesiam sedis sue orationis gratia procederet, facto signo crucis clausa ostia subito ei aperta sunt. Et adductum ad se paraliticum sanauit; fugato demone energuminum curauit. Cecum quendam mutum, surdum, et claudum sibi oblatum reddidit sanum. Clericus quidam ad eum veniens ad gradum presbiteratus promoueri petiit. Quem interrogans sanctus si castus esset et corpus suum intactum a mulieribus conseruaret, ille ab hiis se immaculatum esse, ac toto corde hactenus Christo famulari testabatur. Cui ille locum et tempus et mulierem cum qua peccauerat[3] exposuit. Tunc ille confusus ad sancti pedes[4] corruens, cum lachrimis peccata confitetur. Cum autem defunctum quendam resuscitasset, et eo post hec missam celebrante, lecto euangelio vinum defuit, et calix inueniri non potuit. Tunc facta prius oratione, sanctus vinum de aqua, et calicem de petra quadam, omnibus stupentibus fecit, et missam inchoatam cum debita reuerentia compleuit.

[1] E. discernens. [2] E. earon; T. aaron. [3] E. peccauerit. [4] T. pedes sancti.

In ciuitate Alethis contractum sanauit: mulieri mute loquelam reddidit; et leprosum mundauit. Vir quidam diues propinquam suam in vxorem ducens, a viro dei increpatus, insidias pontifici tetendit, et morti tradere deliberauit. Residens autem cum multis in mensa, pontificem blasphemare et multis iniuriis derogare cepit, et eleuans manum: 'sic, inquit, eum percuterem, si eum hic haberem.' Hoc dicto, manus eius exaruit, nec eam ad se retrahere potuit. Eo ad virum dei allato, licet a multis rogatus, pro eo orare noluit, nec cum eo communicare, donec illicitum coniugium relinqueret. Tunc ille incestum se relicturum, et quicquid vir sanctus ei preciperet adimpleturum, sub testificatione pollicetur. Episcopus autem misericordia motus, dedit ei penitentiam, et reclusum in magna afflictione tenuit. Pro eo quoque vna cum fratribus quotidie letaniam faciens, et pauperibus elemosinas multas largiens, a vinculo peccati eum absoluit et sanitati restituit. Assumptis sanctus Macutus secum septem discipulis, orationis gratia Romam profectus; cum captiuos vel pueros venales de terris longinquis illuc delatos videret, dato precio redimebat, et infideles instructos baptizabat. Rediens vero per mare, cum nauis orta tempestate pene submergeretur, omnes ad virum dei clamabant, vt pro eis dominum deprecaretur exorantes. Sancto vero de domini misericordia fiduciam eos habere et nihil diffidere admonente, apparuit sanctus Petrus apostolus, et blande alloquens ait ad eum: 'Serue dei Macute, noli timere: quia dominus tecum est.' Mox ad verbum eius sedata tempestate, et tranquillitate reddita, sani et hilares ad terram peruenerunt. Veniens vero ad portam ciuitatis Alethis, cecum et claudum elemosinam postulantes vidit: quibus et ait: 'Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, id est charitatis officium et pietatem orationis ad deum, hoc vobis prestare non differo.' Et facta super eos oratione, optatam sanitatem receperunt.——Cum autem Alethis ecclesiam quadraginta annis rexisset, et quorundam sceleratorum hominum grauiter iniurias ferret, maledicto et excommunicato populo qui per suas eum illuserant prauitates, cum quibusdam discipulis ad insulam in Aquitania[1] Agenis vocatam, et inde ad Leontium episcopum pergens; puerum submersum resuscitauit, et mulieri cece lumen oculorum prece sua restituit. Accesserunt ad eum sacerdotes a rege et senioribus de Britannia missi, rogantes vt ad illos quos excommunicans maledixerat venire dignaretur, quatinus cuius maledictionem pro sua perfidia acceperant, eius benedictionem recipere mererentur. Nam terra illorum per septennium infructuosa manente, incole siti et fame pro ariditate consumpti erant. Tunc vir dei misericordia motus, cum vrbis pagum ingrederetur, pluuia pergrandis de celo cecidit: et benedicto populo, et terra fecunditati reddita, ad Leontium episcopum gressum[2] maturauit. Et cum centum [triginta][3] trium esset

[1] E. aquitannia. [2] E. ingressum. [3] so T.; om. in E.

annorum, plenus omni sanctitate, septimo decimo kal. decembris celestia conscendit[1]. Eius corpus Leontius episcopus extra muros Sanctonice ciuitatis in loco qui dicitur Perdina honorifice sepeliuit, et super eius tumulum ecclesiam fabricauit. In eius enim obitu audita est vox a multis in aere, dicens: 'Macute, Macute dilectissime meus, veni: quia locus[2] tibi in sempiterna gloria paratus est, in quo cum sanctis omnibus[3] regnabis in eternum.'—Miserunt autem ciues Alethis ad regem nomine Filbertum nuncios, dicentes: 'Deprecamur, domine, vt nos non despicias, sed vel ex aliqua parte corporis sancti Macuti nostri votis ciuium nostrorum[4] satisfacere digneris.' Quibus rex ait: 'Si deo placet quod petitis, ipse tribuat vt inueniatis. Sin autem, sicut venistis ita et reuertamini.' Facto autem super hac re triduano ieiunio, cum quatuor clerici corpus sanctum eleuare vellent, caput vnius in manu remansit, et dextera manus in manu alterius; reliqua corporis pars nullo modo moueri potuit, nec quicquam ab eo separari. Statimque nuncii cum capite et dextera manu leti ad patriam suam redeuntes, in locis[5] congruis reliquias allatas cum honore reponunt. Rusticus quidam a vidua quadam cibum petiit; cui et illa ait: 'Sanctus Macutus scit quia nihil preter panem habeo.' Ille dixit: 'Siue plus sit siue minus, ego accipiam.' Et illa: 'Et quid putas tunc sanctus Macutus faciet?' 'Ille transmarinus est, inquit, modo in hac regione non est.' Et fracta quadam archa, panem secum tulit et abiit. Muliere[6] autem eiulante et sanctum Macutum cum lachrimis inuocante, panis manui rustici ita adhesit, vt nulla arte separari potuit. Cumque rediens mulieri satisfecisset, ad sanctum Macutum pro illo mulier preces fudit: et statim a vinculo quo erat ligatus liberatum se sensit. Vxor potentis cuiusdam ad quandam villam sancti Macuti veniens, quendam famulorum suorum ad querendum herbam pro equis misit. Cui cum vir quidam modicum quid dare vellet, et ille magis se vi extorquere diceret, ait: 'Et quid faciet tunc sanctus Macutus?' Et ille: 'Vade in hortum[7] tuum et fac illi pulmentum.' Et fracta sera, quantum herbe voluit secum tulit. Et ecce equus se mouere non valens in terram cecidit et ossibus omnibus fractis periit, et sessor[8] fracto collo expirauit. Quo audito, domina prefata virum illum qui sanctum domini inuocauerat, vt die crastina suspenderetur[9] in compedes poni iussit. Media nocte apparuit ei sanctus Macutus et absoluit eum, dicens: 'Vade: noli timere.' Deinde venit ad lectum illius domine, et tetigit eam baculo suo: et sine temporis interuallo defuncta est. Vir quidam vsque ad mortem languens, dum ad oratorium sancti Macuti deportatus quiescere vellet, vidit quendam virum nigerrimum sibi appropinquare: pre cuius timore promisit se sancto Macuto semper seruiturum, si eum a

[1] E. concendit. [2] E. loquutus. [3] E. omnibus sanctis. [4] E. vestrorum. [5] T. locis in. [6] E. Mulier. [7] T. ortum. [8] E. fessor. [9] E. susponderetur.

potestate huius liberaret. Dum hec cogitaret, inimicus ille accessit, et tenens gladium igneum membratim diuisit eum, singula membra parieti appendens. Nouissime caput eius cum torto[1] malleo contriuit. Et ecce subito sanctus Macutus adueniens diabolum expulit, membra omnia redintegrauit, et hominem sanitati restituit.——Die quadam sanctus Macutus cum suis discipulis in agrum causa putandi vineam pergens, capam in quodam vinee loco deposuit. Peracto autem labore cum vellet capam reinduere, inuentum est in ea cuiusdam auicule ouum. Quo cognito, vir dei prohibuit indumentum de loco amoueri[2], donec suos auicula pullos excluderet. Interim vero nulla aeris intemperies vel pluuia ipsum sacri presulis vestimentum contaminauit.

¶ De sancto Maglorio episcopo et confessore.[3]

SAnctus Maglorius, quasi 'magna[4] gloria,' merito tali refulget nomine, quod acquisiuit in opere. Hic in Maiori Britannia oriundus, genere spectabilis, sancti Sampsonis consors extitit. Qui etiam decedens eum in episcopatu dolensi[5] sibi constituit successorem. Vbi cum spectabilibus documentis simul et exemplis enitesceret, angelus ei in sompnis apparuit eumque admonuit vt pontificatus culmine relicto, ad remotioris loci latibula pergens, solitariam vitam duceret, vt monachorum gregem pascens, laudes domini licentius celebraret. Qui expergefactus gratias egit deo, et mandatum domini impleuit; et miraculis multis effulsit. Quidam comes leprosus famam eius audiens, et ad eum veniens, plenam sanitatem ab eo recepit. Huius terrarum magnitudo triplici continebatur diuisione: quarum vnam non integram sed dimidiam beato Maglorio contulit in munere. Has autem diuisiones copiosa multitudo auium, que mire magnitudinis et pulchre erant, frequentabant; captura quoque piscium abundabat[6]. Contigit ergo, cum beatus Maglorius portionem suam penetrasset, vt omnis auium et piscium congeries que alteri medietati[7] comitis inerat, fugam[8] iniret et sancti partem expeteret. Quod vxor comitis grauiter ferens, ei suasit vt illam vendicaret sibi, et alteram Maglorio daret. Cuius ille suggestionem nequam mox suscipiens, quod non debuit expleuit: factaque nepharie commutationis controuersia, subito aues et pisces ab illa parte [quam][9] comes auare sancto viro surripuerat recesserunt et mox ad dominum suum Maglorium reuersi sunt. Tunc comes apud se penitentia ductus, vtramque partem sancto Maglorio concessit; et tunc auium et piscium agmina vtramque partem sicut ante repleuerunt. Cumque virgo esset hic sanctus ab vtero

[1] T. dordo. [2] T. E. ammoueri. [3] A brief extract from the Vita in Mabillon I. 209 (and Surius). [4] Vit. magnus. [5] T. E. dolenti. [6] Vit. pullulabat. [7] E. meditati. [8] E. fuga. [9] om. in E.

matris sue, panem ordeaceum et viliora legumina, etiam parce sumebat, quarta et sexta feria ab omni pabulo abstinebat; corpus eius cilicio iugiter tegebatur, vestimentis[1] afforis mediocribus vtebatur: vinum et ciceram non bibens. Excubias noctis, cum fratres sopori se darent, clam ab eis sequestratus, super alueum maris peruigil ducebat. Denique in vigilia pasce, dum in ecclesia pernoctaret, angelus domini choruscus astitit obitumque suum imminere et dignam mercedem certaminis eum percipere dixit. Cumque ille hesitaret, ne diabolus forte in angelum lucis se transformasset, orationem diutissime protelauit: et angelus, de visione eum certum reddere cupiens, tertio eundem sermonem repetiit. De manu tandem ipsius angeli uiaticum[2] visibiliter accepit, et ab illo die, nisi causa ineuitabilis extitisset, vsque ad diem vocationis sue versiculum hunc in ore semper repetiit: 'Vnam petii a domino etc.'[3]: et nono kal. nouembris ad Christum migrauit.

[*Narratio*[4].]

Sanctus Basilius quadam die exiens de ciuitate, dixit discipulis suis: 'Filii, sequimini me, vt videatis mecum gloriam dei, et admiremur de discipulis[5] magistrum.' Cognouit hoc virtute spiritus sancti presbiter Anastasius, qui habebat vxorem quadraginta annis in virginitate cohabitantem; et ipse quotidie in pane et aqua ieiunabat preter sabbatum et diem dominicum. Qui dixit mulieri sorori sue: 'Ego vado agricolari: tu surge et adorna domum, et circa horam nonam vade obuiam sancto Basilio episcopo, qui venit diuertere in domum peccatorum.' Quod cum illa cum timore et veneratione fecisset, sanctus pater adueniens ait: 'Quomodo habes, domina Theogenia[6]?' Que expauens in vocatione nominis sui dixit: 'Bene, sancte dei.' Et ille: 'Vbi est dominus Anastasius frater tuus?' Que ait: 'Domine, vir meus est, et abiit agricolari.' Et superueniens interim Anastasius, osculatus est sancti pedes, dicens: 'Vnde mihi vt veniat sanctus dei ad me?' Cumque abissent in ecclesiam, iussu episcopi presbiter ad suum ministerium stetit. Et dum ministraret, vidit Basilius tempore eleuationis corporis Christi spiritum sanctum descendentem in specie ignis, et circumdantem presbiterum et altare. Post missam dixit episcopus sacerdoti: 'Enarra mihi que est vita tua.' Qui ait: 'Ego peccator sum, subditus tributis publicis, habens iuga boum duo, vnum ad ministrationem peregrinorum, alterum ad administrationem vectigalium, et est coancilla mea mulier ista, que ministrat pauperibus et mihi.' Et ait sanctus: 'Voca eam sororem tuam sicut et est, et enarra mihi virtutes tuas.' Et ille: 'Non habeo quicquam boni, et alienus

[1] T. uestimenta. [2] E. maticum. [3] Ps. xxvi. 4. [4] Ex Vinc. Bell. XIV. 80 (Vit. Pat. 306). [5] VP. discipuli. [6] VP. Theognia.

sum ab omni virtute.' Tunc duxit eum episcopus ad vnam de cellulis domus et dixit ei: 'Aperi mihi ostium.' Qui cum nollet aperire, dicens necessaria domus in cella illa esse; episcopus aperuit illud sermone: et inueniens ibi leprosum pluribus corporis membris defluxum, dixit: 'Et voluisti occultare thesaurum tuum illum?' Qui respondit: 'Vere furiosus est et iniuriosus: ideo timui ne forte laberetur in sermonem.' Cui episcopus: 'Bene in illum certasti; sed sine me nocte hac ministrare ei, vt [et] ego mercedem accipiam.' Tunc reliquerunt sanctum dei in cellula cum leproso et ostium clauserunt. Qui tota nocte super eum faciens[1] orationem, sanauit eum, et educens, reuersus est in ciuitatem.

¶ De sancto Malachia episcopo et confessore.[2]

SAnctus Malachias, cuius vitam scripsit sanctus Bernardus clareuallensis abbas, de Hibernia ortus est de populo barbaro; ibi educatus, ibi litteras edoctus est. Ceterum de natali barbarie traxit nihil[3], non magis quam de sale marino[4] pisces maris. Parentes tamen illi fuerunt genere et potentia magni, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. Erat enim homo in ciuitate ardmachana[5] sanctus[6] et austere admodum vite, qui cellam habens iuxta ecclesiam, seruiebat deo in ieiuniis et orationibus et obsecrationibus die ac nocte: Ad hunc se contulit Malachias, ab eo vite formam accepturus, seditque et ipse solitarius, sed intra paucos dies habuit imitatores multos exemplo sui prouocatos. Tandem ordinatus est sacerdos, anno etatis sue vicesimo quinto. Cui etiam episcopus[7] vices suas commisit seminare semen sanctum in gente non sancta, et dare rudi populo et sine lege viuenti legem vite et discipline. Cepit autem ille officium sibi iniunctum cum omni alacritate, sicut erat spiritu feruens, adimplere, barbaros ritus extirpare, ecclesiasticos plantare. Quicquid incompositum, indecorum, distortumque obuium habuit, non parcebat oculus eius; velut grando grossos e ficubus, et sicut pulueream ventus a facie terre, sic coram facie sua huiusmodi[8] nitebatur[9] totum pro viribus exturbare ac delere de populo suo. Horas canonicas iuxta morem vniuersalis ecclesie incolas illius prouincie, et etiam fratres in suo cenobio, cantare fecit, cum necdum in ciuitate seu in episcopatu vniuerso cantare vellent[10]. Deinde vsum confessionis, sacramentum confirmationis, contractum coniugiorum — que omnia aut ignorabant aut negligebant. Malachias denuo instituit. Et cum esset illi studium et zelus maximus circa cultum diuinorum et venerationem sacramentorum, ne forte de hiis aliquid constitueret

[1] E. superfaciens. eum em. [2] Abridged from the Vita by S. Bernhard ed. Opp. S. B. Paris 1007, IV; Opp. ib. 1839, I; Surius; Migne 182; cf. Vinc. Bell. [3] E. nichil traxit. [4] Vit. materno. [5] E. archinachana; T. archmacana. [6] sc. Imarius. [7] sc. Celsus. [8] T. eiusmodi. [9] E. vitebatur. [10] Vit. scirent vel v.

vel doceret secus quam ritus haberet vniuersalis ecclesie, Malcum [1] adiit episcopum, qui ipsum plenius de omnibus informaret. Hic erat senex plenus dierum et virtutum, et sapientia dei erat in illo. Natione quidem [2] Hibernicus, sed in Anglia conuersatus fuerat in habitu monastico [in] wintoniensi cenobio, de quo ad episcopatum lismorensem assumptus est. Ibi tanta ei desuper collata est gratia, vt non solum vita et doctrina, sed et signis clareret: nam puerum lunaticum in confirmatione sacra vnctione sanauit, surdo auditum restituit. Ad hunc cum venisset Malachias, benigne ab eo susceptus, aliquot annis cum eo [3] mansit. Accidit enim inter regem australis [Mumonie] [4] et germanum eius orta simultate, et fratre facto superiori, rex pulsus regno ad episcopum Malcum confugit; et dans locum ire, necessitatem in virtutem conuertit, priuatam eligens ducere vitam. Cumque episcopus regem suscipere debito honore pararet, abnuit ille, se malle inquiens tanquam vnum ex illis esse pauperibus fratribus qui illi adhererent, regium fastum deponere et communi paupertate fore contentum, expectare potius domini voluntatem, quam per vim recipere regnum; nec velle pro suo honore terreno sanguinem humanum [6] effundere, qui contra se clamet ad deum de terra. Quo audito, episcopus exultat, et deuotionem admiratus voto satisfecit. Traditur regi domus paupercula ad inhabitandum, et panis cum sale et aqua, per manum Malachie, ad victum. Per singulas noctes rex lachrimis suis stratum suum rigauit, sed et quotidiano aque frigide balneo male calentem extinguebat in carne libidinem; et [6] orando dicebat: 'Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte vniuersa delicta mea.' Et exaudita est oratio eius secus [7] quam intenderet ipse. Suscitauit enim deus spiritum vicini regis; qui videns que facta sunt, repletus est zelo, et miserans regni desolationem, et regis deiectionem, descendit ad cellam pauperis, suadet reditum: sed non persuadet. Instat tamen, spondet opem: et accedente mandato episcopi, et Malachie consilio, vix rex tandem acquiescit. Sicque multa facilitate pulsis predonibus, reducitur in sua cum exultatione suorum, regnoque restituitur suo. Mortua sorore viri dei, non pretereundam de ea vidit visionem. Huius siquidem sanctus carnalem exhorruerat vitam, et tanto zelo, vt se deuouerit non visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta, solutum est votum: et cepit videre in spiritu quam in carne noluit [8]. Quadam nocte audiuit per sompnum vocem sibi dicentem, sororem [9] eius stare foras in atrio, et esce [10] per totos triginta dies [nichil] [11] gustasse. Qui euigilans, cito intellexit cuius esce [12] inedia marceret: et diligenter discusso dierum numero quem audierat, ipsum esse repperit ex quo pro ea [13] panem et vinum [14] non obtulisset. Tunc ille,

[1] E. cum. [2] E. quidam. [3] E. ea. [4] i. e. Munster; T. E. Numidie. [5] E. huma nō. [6] om. in T. [7] Vit. etsi secus. [8] E. voluit. [9] E. soror. [10] T. E. ecce. [11] E. non; T. nichil. [12] E. esse. [13] E. eo. [14] Vit. de celo viuum.

qui sororis animam non odit[1] sed peccatum, preces ad deum pro ipsa fudit. Non multo post visa est illi peruenisse ad limen ecclesie, necdum tamen posse intrare, apparere etiam in veste pul[l]a[2]. Cumque ille in oratione perseueraret, vidit eam secundo in veste subcandida admissam quidem intra[3] ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertio tandem visa est aggregari[4] cetui candidatorum, et in veste candida. Vir dives et potens qui locum Bencor et possessiones eius tenebat, inspiratus a deo confestim in manus Malachie sua omnia dedit et se quoque ; et is auunculus[5] eius. Hic locus Bencor nobilissimum ante extiterat monasterium sub primo patre Congello, multa milia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Non solum in [Hiberniam Scotiamque][6], sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se sanctorum agmina effuderunt. E quibus ad gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens luxouiense monasterium construxit, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnum fuisse illud monasterium, vt succedentibus sibi inuicem choris continuarentur solempnia diuinorum, ita vt nec[7] momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus. Hoc namque a piratis destructum fuerat monasterium, et nongenti monachi interfecti sunt. Erat quippe ingens illius loci possessio : sed Malachias solo contentus loco sancto, omnes possessiones et terras alteri cessit, et monasterium edificauit. Quo in loco quidam infirmabatur : cui assistens diabolus aperte loquens suggerebat ne vnquam crederet mon[it]is[8] Malachie, sed, si intraret ad se, cultello eum occideret. Quo cognito illi qui ministrabant ipso infirmo prodente[9], verbum Malachie detulerunt. At ille solita arma orationis arripiens, inpauidus hostem aggressus[10], et infirmitatem fugat et demonium. Vacabat tunc episcopalis sedes quedam, et iam diu vacarat[11], Malachia nolente assentire, quem elegerant. Persistentibus tamen illis tandem cessit, accedente ad vim faciendam mandato magistri sui, necnon et metropolitani : et tricesimo etatis sue anno consecratus est episcopus Connereth. Cumque cepisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo dei se non ad homines, sed ad bestias destinatum : Nunquam[12] adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie, nusquam repererat [sic][13] proteruos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem imperitos, ad leges barbaros, ceruicosos ad disciplinam, impuros ad vitam. Christiani nomine, re pagani. Non decimas dare, non primitias, non legitima inire coniugia, non facere confessiones ; penitentias nec qui peteret nec qui daret penitus inuenit[14]. Sed nec in ecclesiis aut predicantis vox aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta domini? aut

[1] Vit. oderat. [2] T. E. pulchra. [3] T E. ad missam q. intrare. [4] T. agregari. [5] T. E. aduunculus. [6] T. E prefatas. [7] om. in T. [8] T. E monachis. [9] T. precedente, E. precedentes. [10] E. agressus. [11] so T., E. vacauerat. [12] Vit. Nusquam. [13] T. E. tam. [14] Vit. inueniri.

cedendum turpiter, aut periculose certandum. Sed qui se pastorem et non mercenarium agnoscebat, elegit stare quam fugere, paratus animam suam dare pro ouibus[1] suis. Et quamquam omnes lupi, et oues nulle; stetit in medio tamen luporum[2] pastor intrepidus, et cepit[3] monere[4] communiter, secreto arguere, flere per singulos, nunc aspere nunc leniter [conuenire][5], prout cuique expedire videbat. In quibus cum minus per hoc[6] profecisset, cor contritum et humiliatum offerebat pro eis, noctes totas peruigiles duxit, manus in oratione extendens. Et cum venire ad ecclesiam nollent, per vicos et plateas occurrebat, anelans[7] quem Christo acquireret. Sed et foris rura nihilominus et opida sepius percurrebat, cum sancto illo comitatu discipulorum suorum qui nunquam deerant lateri eius. Ibat et errogabat vel ingratis celestis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, se in hoc virum apostolicum probans. Blasphematus obsecrabat, iniuriatus scutum patientie opponebat, et vincebat in bono malum. Cessauit[8] tandem duritia, quieuit barbaries: recipiuntur vbique ecclesiastice consuetudines, contrarie reiiciuntur, reedificantur basilice, ordinatur clerus in illis, sacramentorum solempnia rite celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conueniunt plebes; postremo sic mutata sunt in melius omnia, vt hodie illi genti conueniat quod dominus per prophetam[9] dixit: 'Qui ante non populus meus, nunc populus meus.' Contigit post annos aliquot destrui ciuitatem a rege aquilonaris partis Hibernie: et Malachias, necessitate compulsus, cum turba discipulorum suorum exiit, numero centum viginti fratrum, et monasterium Ybracense construxit. Ibi occurrit ei Cormarcus rex—qui olim regno pulsus sub cura Malachie de misericordia dei consolationem accepit—se et sua omnia exponens ei; et animalia multa ad vsus fratrum, aurumque et argentum ad sumptus edificiorum regia liberalitate contulit, sedulus et officiosus intrans cum eis[10] et exiens, habitu[11] quidem rex, sed animo discipulus Malachie. Ibi vero vir dei in ordine vicis sue, coquine ministerio inseruiebat, et fratribus cum recumberent ministrabat; et in ecclesia, inter succedentes sibi inuicem fratres ad cantandum vel legendum, non se preteriri patiebatur, strenue implens officium loco suo tanquam vnus ex illis; sancte paupertatis non solum participem, sed et principem [se][12] exhibebat. Contigit autem archiepiscopum Celsum infirmari, et cognouit quia moreretur: et fecit quasi testamentum vt Malachias sibi succederet, eo quod nullus dignior videretur. Hoc presentibus indixit, hoc absentibus mandauit, et sancti Patricii auctoritate precepit.. Verum mos pessimus inoleuerat quorundam diabolica ambitione potent[um][13], sedem sanctam hereditaria successione

[1] E. omnibus. [2] E. loporum. [3] *al.* om. [4] E. mouere. [5] so T.; om. in E. [6] *al.* hec. [7] Vit. et perquirebat anhelus [8] *al.* Cessit. [9] Osee ii. 24. [10] r. cum eis intrans. [11] E. habita. [12] om. in E. [13] T. E. potenter . . occupantium.

[obtentum iri]. Nec enim episcopari patiebantur nisi qui essent de tribu et familia sua. Octo enim iam extiterant ante Celsum viri vxorati, et absque ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per vniuersam Hiberniam dissolutio ecclesiastice discipline, censure eneruatio, religionis euacuatio; inde illa vbique, pro mansuetudine christiana[1], seua introducta barbaries, immo paganismus[2] quidam inductus[3] sub nomine christiano. Nam, quod inauditum est ab ipso christianitatis initio[4], sine ordine, sine[5] ratione mutabantur et multiplicabantur episcopi pro libitu metropolitani, ita vt vnus episcopatus vno non esset contentus episcopo, sed singule pene ecclesie singulos haberent episcopos. Pro hiis ergo vehementer dolens Celsus curauit successorem habere Malachiam, eo quod per ipsum confideret posse explantari male radicatam successionem, qui charus esset omnibus, et quem omnes emularentur, et dominus erat cum eo. Nec frustratus est a spe sua: nam illo mortuo, substitutus est Malachias, non tamen mox, neque id facile. Ecce enim de semine nequam qui occupet locum, Mauricius nomine: qui per quinquennium, fretus potentia seculari, incubauit ecclesie non episcopus sed tyrannus. Egrotante autem Celso, apparuit Malachie longe posito mulier procerі[6] et reuerendi vultus. Percunctanti quenam[7] esset, responsum est esse vxorem Celsi; que ei tradens virgam pastoralem, quam manu tenebat, disparuit. Paucis decursis diebus, Celsus moriens misit baculum suum Malachie tanquam sibi successuro. Quem vt vidit, ipsum esse quem viderat intellexit[8]. Huius precipue recordatio visionis terruit Malachiam ne si, quod[9] diu satis dissimulasset[10], vltra renueret, diuine resistere voluntati videretur. Verumtamen ciuitatem non intrauit, quamdiu ille incubator[11] vixit, ne hac occasione contingeret mori quemquam ex hiis quibus vitam magis ministraturus veniebat. Illo[12] igitur celeri morte rapto[13] de medio, rursus Nigellus quidam, immo vere nigerrimus, sedem preripuit, quem Mauricius, dum viueret, sibi heredem statuit. Erat enim ex dampnata progenie Mauricii. Rex [vero][14] et episcopi et fideles terre nihilominus conuenerunt, vt Malachiam introducerent. Et ecce consilium malignantium ex aduerso: quidam de filiis Belial promptus ad maliciam, potens in iniquitate, sciens locum vbi pariter conuenire decreuissent, multis aggregatis sibi latenter vicinum occupauit collem eminentem e regione, vnde, illis tractantibus, isti repentino impetu super incautos irruerent et innocentes interficerent. Condixerant enim regem cum episcopo trucidare, vt non esset qui sanguinem iustum vindicaret. Res innotuit Malachie: et intrans ecclesiam[15], eleuatis manibus orauit ad dominum[16]. Et ecce nubes et caligo, sed et tenebrosa aqua in nubibus aeris, diem vertunt in noctem, fulgura

[1] E. christiane. [2] E. paganissimus. [3] T. E. ind. est. [4] E. enitio. [5] E. siue. [6] Vit. procere state. [7] E. qui nam. [8] om. in T., Vit. agnouit. [9] E. quid. [10] Vit. dissimularat. [11] E. incubatos. [12] T. Ille. [13] T. facto, E. rapto. [14] T. E. enim. [15] E. ecclesium. [16] E. deum.

quoque et tonitrua et horribiles[1] spiritus procellarum diem vltimum minabantur[2], vicinamque elementa intemptant omnia mortem. Oratio enim Malachie concusserat elementa, et solos tempestas[3] intercepit[4] qui querebant animam eius; solos turbo tenebrosus inuoluit qui opera tenebrarum parauerant. Ipse denique qui princeps extiterat tanti mali, fulmine percussus interiit, cum aliis tribus, quorum sequenti die inuenta sunt corpora semiusta et putrida arborum ramis herentia, vbi spiritus malignus[5] eleuans allisisset. Alii quoque tres semiuiui inuenti sunt, ceteris omnibus circumquaque dispersis. Anno etatis sue tricesimo octauo pauper Malachias Archmacam[6] totius Hibernie metropolitanus intrauit. Rege vero ceterisque qui introduxerant eum ad propria remeantibus, ipse remanet in manu dei: et remanent illi foris pugne, intus timores. Nam ecce viperea soboles, frendens et vociferans se exheredari, tota se intus et foris suscitat aduersus dominum et aduersus christum eius. Porro Nigellus, videns sibi fugam imminere, tulit secum insignia quedam sedis illius, textum scilicet euangeliorum qui fuit beati Patricii, baculumque auro textum et gemmis preciosissimis adornatum, quem nominant 'baculum Ihesu,' eo quod ipse dominus, vt fert opinio, eum suis manibus tenuerit atque formauerit, et hic summe dignitatis et venerationis in gente illa est. Ibat homo girouagus[7] et alter Sathanas, circuibat terram et perambulabat eam insignia sacra circumferens: que vbique ostendens venerabatur; seduxitque[8] multos, omnibus[9] suadens se episcopum esse debere. Virtute tandem diuina vias[10] eius vir dei sepiuit[11]: vt[12] malignus ille coactus sit reddere insignia, et in omni subiectione de reliquo requiescere. Quidam gratiam habens principum et regis, eo quod adulator esset et garrulus et potens in lingua, hic fauebat per omnia aduersariis Malachie; presenti resistebat in facie, absenti detrahebat[13], irreuerenter occurrens ei in omni loco: sed cito digna lingue procacis mercede donatus est. Intumuit et computruit lingua maledica[14], vermibus ex ea scatentibus et diffluentibus: quos per septem fere dies incessanter vomens, cum illis tandem miseram vitam expuit. Loquente aliquando Malachia et populum exhortante, mulier quedam infelix ausa est irrumpere[15] sermonem clamoribus improbis, non deferens sacerdoti et spiritui[16] qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, et spiritum habens in naribus, blasphemias contumeliasque euomebat in sanctum, dicens ypocritam et inuasorem aliene hereditatis, sed et caluicici illius[17] improperans. Et ecce versa est illa in insaniam, domino vindicante, et crebris vocibus clamitans se a Malachia suffocari, morte horrenda blasphemie peccatum luit. Malachias tandem constituit pro se Gelasium

[1] T. E. horribilis. [2] Vit. minitantur. [3] E. rempestas. [4] T. E. interfecit. [5] Vit. quemque. [6] E. archinacam. [7] E. gerouagus. [8] T. Seduxit, que om. [9] T. et o. [10] E. via. [11] T. sopiuit. [12] T. et. [13] et f. a detr. double in E. [14] E. maledicta. [15] *al.* interrumpere. [16] E. spiritum. [17] E. ipsius.

archiepiscopum, virum vtique episcopatu dignum, et ad suam parochiam[1] rediit. Cum autem Romam venisset Malachias, Innocentius papa eum honorifice suscipiens, mitram de capite suo imposuit capiti eius, sed et stolam cum manipulo dedit illi: et salutatum in osculo pacis dimisit eum. Et veniens Clareuallis ad sanctum Bernardum abbatem, et alta suspiria trahens quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere: 'hos, inquit, interim pro me oro vt retineatis: qui a vobis discant quod nos postmodum doceant. Erunt enim nobis [2] in semen, et in semine isto benedicentur gentes, et ille [gentes][3] que a diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum non viderunt.' Et dimissis ibidem quatuor clericis, profectus est. Qui probati et digni inuenti, monachi facti sunt[4]. Venit autem Malachias in Scotiam, et Henricum filium regis Dauid vsque ad mortem infirmitate depressum aqua benedicta aspersit, dicens: 'Confide, fili, non morieris hac vice.' Et die sequenti ab omni languore conualuit et sanitatem recepit. Orante autem viro dei, solutum est vinculum lingue puelle mute, et loquebatur recte. Oblatam sibi mulierem freneticam et funibus vinctam, coram omni populo crucis signo curauit. Mulier quedam in Scotia cum in cimiterio a viro dei benedicto orationis gratia pernoctaret, homo barbarus illam solam reperiens, libidine accensus in illam irruit. Tremefacta mulier et aduertens illum diabolico spiritu plenum, 'heus tu[5], inquit, miser, quid agis? Considera vbi es, reuerere[6] hec sancta, defer deo et Malachie seruo eius, et tibi ipsi parce.' Cumque furiis agitatus iniquis[7] non desisteret, ecce venenatum et tumidum animal quod bufonem vocant, visum est reptans exire deinter femora mulieris. Tremefactus homo resilit, et confusus statim abscessit[8]. A die primo conuersionis viri dei vsque ad extremum vite sue sine proprio vixit: non seruos, non ancillas, non villas, nec quicquam reddituum ecclesiasticorum secularium[9] vel in ipso habuit episcopatu[10]; nec domum propriam. Erat enim pene incessanter circuiens parochias omnes, euangelio seruiens et de euangelio viuens, sicut constituit ei dominus. Mense episcopali nihil prorsus constitutum vel assignatum erat vnde episcopus viueret. Cum exiret ad predicandum, cum peditibus pedes et ipse ibat episcopus et legatus. Forma apostolica hec, et inde magis mira in Malachia quo in aliis nimis rara. Ceteri prelati dominantur in clero: iste dum esset liber ex omnibus, omnium se seruum fecit. Illi aut[11] non euangelizantes manducant, aut euangelizant vt

[1] sc. Down, which see he now severed from Connor. [2] E. vobis. [3] om. in E. [4] T. adds: Postea uero cum iam sanctus esset in terra sua, misit alios. Qui cum assumpto habitu monastico eruditi et instructi fuissent, dato eis in patrem sancto fratre Christiano qui unus ex ipsis erat, emissi sunt]; et adiuncti sunt illis quanti sufficerent ad numerum abbacie. Que concepit et peperit filios quinque. (om. in Tanner). [5] T. heus tu, E. heu te. [6] E. reuera. [7] E. iniquus. [8] E. abcessit. [9] E. secularium ne. [10] E. episcopatum. [11] autem.

manducent: Malachias, imitans Paulum, manducat vt euangelizet. Illi fastum et questum estimant pietatem: Malachias hereditate vendicat sibi opus et onus. Illi cum accipiant decimas et primitias et oblationes, thelonia et tributa et alios redditus infinitos, soliciti sunt nihilominus quid manducent et quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis nec solicitudinis vllus est finis: Malachias nihil cupiens, de crastino tamen cogitare non nouit. Illi a pauperibus exigunt quod diuitibus dent: iste solicitat diuites pro pauperibus sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis hostiisque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres et menia ad celos leuant: Malachias non habens vbi caput reclinet, opus euangeliste facit. Illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem, et non suum: Malachias septus sanctorum fratrum collegio pedes circuit, portans panes angelorum quibus esurientes animas saciet[1]. Illi plebes nec agnoscunt: iste erudit. Illi potentes et tyrannos honorant: iste punit. Puellam mutam parentes in media platea transeunti viro obtulerunt, cum multa supplicatione rogantes vt ei subuenire dignetur. Qui fusa ad deum prece tetigit digito linguam eius, et sputum mittens in os, loquentem dimisit. Aliquis de nobilibus infensus regi, reconciliatus est per manum Malachie. Factum tamen securum et sibi non cauentem, rex captum in vincula trusit. Requirit eum Malachias a rege, cum magna turba discipulorum suorum. Et cum negasset rex, ait vir dei: 'Inique, inquit, agis contra dominum[2] et contra me et contra teipsum, pactum preuaricans. Credidit se homo fidei mee: si contingat eum mori, ego perdidi[3] eum, ego reus sanguinis eius sum. Noueris, me, donec liberetur, non gustaturum aliquid, sed neque istos.' Sic loquutus intrat ecclesiam et anxiis gemitibus deum interpellat vt iniuste detentum de manu preuaricatoris et iniqui eripere dignetur; et ea die cum nocte sequente in ieiunio et oratione perseuerarunt. Quo audito: vnde emolliri[4] debuerat, inde cor regis induratum est; et[5] fugam iniit. Cui insequens Malachias dixit: 'Eris cecus et non videbis: vt melius videas, et intelligas quoniam[6] durum est tibi contra stimulum calcitrare.' Sicque humiliatus rex; quicquid vir dei sibi iniunxit sedule complens, sanitati redditur. Mulierem quandam mutam[7] data benedictione dominicam dicere orationem iubet. Illa dixit, et populus dominum benedixit. Cuiusdam viri nobilis vxor cum infirmaretur[8] ad mortem, rogatus Malachias vt descenderet priusquam moreretur, infirmam oleo vncturus, descendit et intrauit ad eam. Quo viso exultat illa, spe salutis animata. Et cum pararet eam vngere, visum est omnibus differendum potius vsque mane.

[1] E. faciet. [2] E. deum. [3] *al.* prodidi. [4] E. emoliri. [5] om. in T. [6] E. quam. [7] om. in T. [8] E. infirmaret.

Et cum recessi[sse]t[1] episcopus, subito clamor factus est et planctus, eo quod mortua est. Audito tumultu, Malachias accurrit; et consternatus est animo, sibi imputans quod fraudata gratia sacramenti obierit. Et stans super eam, tota nocte in gemitu suo et fletu laborabat. Mane autem mulier aperiens oculos suos se erexit et episcopum salutauit. Fuit enim eadem[2] mulier spiritu iracundie et furoris in tantum repleta, vt non solum vicini et cognati fugerent consortium eius, sed et filii ipsius vix sustinerent habitare cum ea. Clamor fuit[3] et rancor et[3] tempestas valida, vbicunque erat. Dolentes filii traxerunt eam ad episcopum, lachrimabilem cum fletu querimoniam[4] deponentes. Vir autem sanctus fecit eam peccata sua confiteri: et iniungens penitentiam, orauit super eam vt deus omnipotens daret ei spiritum mansuetudinis: et[3] in nomine domini Ihesu Christi[3] ne vltra irascatur iubet. Sequitur tanta mansuetudo et tanta patientia, vt, que omnes exasperare solebat, nullis exasperari dampnis, contumeliis, afflictionibus valeret. Ego[5] autem istud superiori miraculo censeo preferendum: quia ibi exterior quidem, hic vero interior reuixerat[6] homo. Vir quidam secundum mundum[7] honorabilis, secundum deum timoratus, venit ad sanctum dei et conquestus est ei super sterilitate anime sue, supplicans vt sibi a deo gratiam impetraret lachrimarum. Et subridens Malachias, eo quod gratum haberet in homine seculari desiderium spirituale, suam maxillam maxille illius quasi blandiendo coniungens ait: 'Fiat tibi sicut petisti.' Tantos exinde et pene continuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius, vt illud scripture ei posse aptari videretur: 'fons hortorum[8] puteus aquarum viuentium.' Cum autem sanctus dei sacramenta offerret, intuitus diaconum ingemuit: et peracto officio percunctatus de conscientia sua confessus est, et non negauit, illusum se per sompn[i]um nocte ipsa. Cui penitentiam iniungens ait: 'Non debueras hodie ministrasse, sed verecunde te subtrahere sacris et deferre tantis diuinis misteriis[9], vt hac humilitate purgatus dignius exinde ministrares.' Alia enim vice sacrificante illo et orante hora sacrificii, diacono visa est columba intrare per fenestram in claritate magna; basilicaque cum episcopo refulget. Columba vero aliquamdiu circumuolans, tandem residet super crucem ante faciem sacerdotis. Post missam diaconus a Malachia conuentus, sub periculo vite iubetur nullatenus secretum prodere, quoad viueret ipse. Aliquando cum in Ardmaca esset cum quodam episcopo suo, de nocte surgens cepit memorias sanctorum qui in cimiterio Sancti Patricii multi[10] sunt, orando lustrare. Et ecce vnum de altaribus subito ardere conspiciunt. Et intelligens vir dei, signum esse magni meriti illorum quorum sub altari

[1] E. recessit. [2] Vit. item. [3] om. in T. [4] E. queremoniam. [5] sc. S. Bernard. [6] Vit. reuixerit. [7] om. in T.; Vit. seculum. [8] T. ortorum. [9] E. ministeriis. [10] *al.* que . . multe.

corpora [re]quiescerent[1], currens et se mediis flammis immergens, expansis brachiis aram amplexatur. Quid ibi fecerit, quidue senserit, nemo qui sciat; sed quod amplius solito celesti igne succensus ex illo igne exierit, fratrum qui cum eo erant tunc reor neminem esse qui nesciat.——Arrepto tandem itinere vt mare transiret, vnus fratrum flebili voce et vultu ait: 'Heu tu abis, et in quanta me quotidiana vexatione deseris, non ignoras, nec fers opem misertus mei!' Cui misertus episcopus, impresso pectori eius signo crucis: 'certus, inquit, esto te[2] eiusmodi nil passurum, donec redeam.' Erat [autem][3] epilenticus et cadebat frequenter: et ex illa die perfecte sanitati redditus, gratias deo egit. In ipso nauis ascensu accedunt duo qui familiarius ei adherebant, petentes aliquid ab eo. Quibus ille concessit. Et illi: 'Volumus, inquiunt, nobis promitti te in Hiberniam incolumem reuerti.' Tunc ille de promisso penituit, tristis tamen annuit, et nauem ascendit. Cum[que][4] iam fere medium iter equoreum peregissent, subito contrarius ventus nauem repellit et in terram Hibernie reducit. Descendens de naui, in quadam ecclesia pernoctauit et diuine consilio prouidentie letus gratias egit. Et nauem intrans, in Scotiam prospere applicans, per Angliam transiit, et tandem apud Claram Vallem deuenit. Qui a fratribus susceptus est tanquam verus ab occidente veniens visitans nos oriens ex alto. Die autem beati Luce euangeliste, missa in conuentu deuote celebrata, febre correptus lecto decubuit. Et ecce fratres omnes soliciti erant circa frequens ministerium: medicamenta perquirere, fomenta adhibere, sepius ad gustandum vrgere. Ad quos ille: 'Sine causa, inquit, hec: sed charitate vestri facio quicquid iniungitis. Oportet hoc anno Malachiam exire de corpore. Scio enim cui credidi, et certus sum non fraudabor reliquo desiderii mei, qui partem iam teneo: Qui me sua misericordia perduxit ad locum quem[5] petii, [terminum] que[m e]que[6] volui non negabit[7].' Denique inungitur et sumpto viatico ad lectum reuertitur. Iacebat enim in solario, nec sustinuit quod conuentus ad se ascenderet, sed ipse ad eos descendit, et tamen mortem in ianuis esse dixit. Obiit autem quarto nonas nouembris, anno domini millesimo centesimo quadragesimo octauo, [et] etatis sue quinquagesimo quarto.

[Ms. Tib. adds: *Narratio*[8].

Quidam cum filio suo ablactato factus est monachus. Qui cum factus fuisset iuuenis, ceperunt demones impugnare et sollicitare eum. Et dixit patri suo: 'Vado ad (seculum), quoniam non ualeo carnales concupiscen(tias) sustinere.' Pater autem consolabatur eum.

[1] E. quiescerent. [2] E. estote. [3] T. autem; E. enim. [4] so T.; que om. in E. [5] E. quam. [6] so Vit.; T. queque, E. qui que que. [7] T. E. negauit. [8] om. in E. [9] Cf. Vit. Patr. p. 879.

(Iterum) dixit: 'Iam sustinere non ualeo, pa(ter: d)imitte me red're ad seculum.' Pater a(utem dixit: 'Au di me, fili, adhuc semel, et tolle tibi (quadragi)nta panes et uade in heremo inte(riore), et esto ibi quadraginta diebus, et uo(luntas) domini fiet.' Qui abiit et mansit ibi, (laborans) et faciens plectas de palmis sic(cis, et pa nem siccum comedens. Et post uiginti (dies), ecce demon stetit coram ipso uelut mu lier) ethiopissa, fetida et turpis aspectu, (ita ut) fetorem eius sufferre non posset. Et (dixit): 'Ego sum que in cordibus hominum dulcis (appa)reo: set propter obedienciam tuam et la bore(m quem hic sustines, non me permisit deus (sedu cere te, set innotuit tibi fetorem meum.' (Ille autem) rediens nunciauit hoc patri suo. Cog(no)uerat hoc pater suus, et dixit: 'Si quadra(gin)ta diebus mansisses et usque in finem man(da)tum meum custodisses, maiora uidisses.']

¶ De sancta Margareta regina Scotie[1].

[2]MOrtuo Edmundo rege strenuissimo qui ab Anglis propter insuperabilem eius fortitudinem 'ferrei lateris' cognomen acceperat, Canutus rex, Anglie conquestor, filios eius Edmundum et Edwardum, propter socialem cum patre eorum initam confederationem, pre pudore ferire non valens, ad regem Sueuorum feriendos

[1] Ed. in Surius and Pinkerton, Vitae SS. Scotiae, p. 371; it is abridged from the Vita ascribed to Theodoric (or to Turgot ed. in A. SS. Boll. June II. 324, with an extract from Ailred's Genealogia Regum. [2] MS. T at the bottom of f. 11b has the following genealogy (cf. Ailred Genealogia Regum, Chr. Bromton, 967):

(Ethel)redus rex — ex prima uxore — genuit Edmundum ferreum latus; qui genuit Edwardum, qui in exilio positus ex Agatha im(perator)is filia genuit sanctam Margaretam postea Scocie reginam, et Christinam sanctimonialem in cenobio de (Rum)esey usque ad mortem regulariter uiuentem, et Edgarum Adeling sine liberis decedentem.

Ex secunda uxore Emma filia Ricardi ducis Normannie genuit sanctum Edwardum Confessorem regem Anglie. Hic Ricardus dictus 'sine timore' genuit Ricardum secundum, qui genuit Ricardum tercium, quem frater suus Robertus (ven)eno extinxit. Hic Robertus genuit Willelmum Anglie conquestorem.

Malcolmus rex ex uxore Margareta genuit:
- Edwardum, qui cum patre interfectus fuit.
- Edmundum, Edredum — non regnarunt.
- Edgarum, qui nouem annis regnauit.
- Alexandrum, qui sexdecim annis regnauit.
- Dauid, qui XXXIX annis regnauit, qui genuit
- Henricum comitem. Henricus genuit Malco lmum, qui regnauit XII annis'. Illi successit Willelmus frater suus XLVIII annis. Cui successit filius suus XXVI annis, qui genuit Alexandrum qui regnauit XXXVII annis. Huic sine liberis mortuo, per eleccionem et ut ferebatur iure successit consanguinitatis Iohannes de Bailolo.
- Matildam uxorem Henrici regis Anglie primi.
- Mariam comitissam Bononie.

transmisit; qui pietate motus, eos vlterius ad regem Hungarorum[1] Salomonem[2] vite reseruandos misit. Edmundo[3] vero sine liberis decedente, Edwardus frater eius Agatham imperatoris filiam duxit: ex qua sanctam Margaretam, postea Scotie reginam, progenuit. Que cum in primeua adhuc floreret etate, vitam sobrietatis ducere ac deum super omnia diligere cepit[4], in diuinarum lectionum studio se occupare et in his animum delectabiliter exercere. Suorum tandem magis quam sua voluntate, immo dei ordinatione, regi Scotorum Malcolmo[5] in coniugium copulatur. Sed quamuis ea que mundi sunt agere compelleretur, mundi tamen rebus ex desiderio inherere contempsit: Plus enim delectabatur bono opere quam diuitiarum possessione. Omnia que decebant prudentis regine imperio agebantur: eius consilio regni iura disponebantur, illius industria religio diuina augebatur. Nihil illius fide firmius, vultu constantius, patientia tolerabilius, consilio grauius, sententia iustius, colloquio iocundius. In loco vbi nuptie eius fuerant celebrate, in honore sancte trinitatis nobilem ecclesiam construxit, quam variis ornamentis preciosis decorauit: inter que ex solido et puro auro et argento[6] vasa non pauca fuisse noscuntur. Crucem quoque contulit quam auro et interlucentibus[7] gemmis vestiri fecerat: et in aliis quibusque ecclesiis deuotionis sue signa reliquit. Tanta ei inerat cum iocunditate seueritas, cum seueritate iocunditas, vt omnes in eius obsequio illam timendo diligerent, et diligendo timerent; et non solum in eius presentia nihil execrandum facere, sed nec turpe verbum quisquam ausus fuerat proferre. Liberos suos cum omni diligentia nutriri et honestis moribus institui fecit; et coram se sepius deductos fidem Christi docuit, et vt [eum][8] semper timerent diligenter admonuit. 'Timete, inquit, o filii, dominum, quoniam non erit inopia timentibus eum. Et si dilexeritis illum, presentis vite prosperitatem, et cum sanctis suis eternam reddet felicitatem.' Hec matris desideria, hec crebra admonitio, hec pro sua sobole quotidie fuerat[4] cum lachrimis oratio[9], vt suum creatorem

(Henricus) comes [filius Dauid] genuit
- Malcolmum, qui XII annis regnauit.
- Willelmum qui XLVIII annis regnauit.
- Dauid comitem de Huntingdoñ et Cestre, qui genuit
  - Joh. comitem qui obiit sine liberis.
  - Margaretam ux. Alani de Galwei, qui genuit
    - Deruergoil ux. Joh. Baillol, qui g(enuit Joh. Baillol regem Scotie);
    - Elenam comitissam Wintoñ.
  - Ysabellam ux. Roberti Brus, qui genuit Rob. (qui genuit Rob. regem Scot.).
  - A[l]dam ux. Henr. Hasting, qui genuit Henr., qui Joh.

Helena comitissa Wintonie genuit
- Comitissam de Ferrariis, que Rob., qui Joh.
- Helenam ux Rog. la Souche, que genuit Alanum.
- Elisabet comitissam de Boghan, que genuit Joh. Comin.

[1] E. hungariorum. [2] so Bromton; r. Stephanum. [3] E. Edmundum. [4] om. in Vit. [5] T. malcolmo; E. malcolino. [6] et a. *al.* om. [7] Vit. auro et argento intercurrentibus. [8] T. eum; E ipsum. [9] E. aratio.

agnoscerent, agnoscendo colerent, colendo in omnibus diligerent, et diligendo ad celestis regni gloriam peruenirent. Nemo illa ingenio profundior, nemo eloquio erat clarior. Regem ipsum ad iusticie, misericordie, elemosinarum, aliarumque opera virtutum accendit et cooperante deo obtemperatissimum effecit. Videns autem rex in corde regine Christum veraciter habitare, illam quoquo modo offendere formidans, votis eius et consiliis in omnibus obedire studuit. Que respuit ipsa, et ille respuere: et que amauerat, amore illius amare solebat[1]; et librum in quo regina orauit, manibus contrectare et osculo venerari delectatus est. Rege cum magno comitatu procedente, familiares eius quosque tanta censura cohercuit, vt nullus quicquam rapere, nec rusticos aut pauperes quoslibet opprimere vel ledere auderet. Tanto namque sancta regina facilius pompam omnem mundi contempsit, peccatorum maculam euasit, quanto tremens et pauens districtum iudicii diem ante mentis oculos sibi indesinenter presentabat. Crebro igitur confessorem suum[2] rogabat vt quicquid in eius verbo vel facto reprehendendum cognosceret, id reprehendens secreto illi indicare non dubitaret. Quod dum rarius et tepidius quam illa vellet faceret, importunam se illi ingessit; dormientem et velut sue salutis negligentem illum arguebat. 'Corripiat, inquit, me iustus in misericordia et increpet me: oleum autem, id est adulatio peccatoris, non inpinguet[3] caput meum.' Reprehensionem sui, quam alius deputare[4] poterat ad obprobrium, ipsa ad virtutis appetebat profectum. Malum cum videret, admonuit vt bonus fieret; bonum, vt melior existeret. Cum enim contra vniuersalis ecclesie sanctam consuetudinem multa in gente Scotorum illicita fieri perspexisset[5], crebra concilia[6] statuit, vt ad veritatis viam errantes Christo donante reduceret. In quo conflictu rex ipse adiutor ei precipuus residebat, quodcunque in hac causa illa iussisset, dicere paratissimus et facere. Qui quoniam perfecte Anglorum linguam eque vt propriam nouerat, vigilantissimus in hoc concilio[7] vtriusque partis interpres extiterat. Igitur regina, prefatione premissa vt qui cum catholica ecclesia in vna fide vni deo seruirent, ab eadem ecclesia nouis quibusdam et peregrinis institutionibus discrepare non deberent; Primo proposuit eos quadragesimale ieiunium non legitime obseruare, quia hoc non cum sancta ecclesia a feria quarta in capite ieiunii, sed sequenti septimana feria secunda consueuerant inchoare. Econtra illi: 'Ieiunium, inquiunt, quod agimus, euangelica auctoritate, que Christi narrat ieiunium, obseruamus per sex hebdomadas[8].' Et illa: 'Longe, ait, in hoc ab euangelio discordatis: legitur enim ibi[9], dominum quadraginta diebus ieiunasse, quod manifestum est vos non facere. Nam cum per sex hebdomadas sex dominici dies a ieiunio abstrahuntur, triginta tantum et sex dies ad ieiunandum remanere noscuntur. Non

[1] om. in Vit. [2] Vit. me. [3] T. E. inpinguat. [4] E. deputari. [5] T. perspexisset; E. conspexisset. [6] E. consilia. [7] E. consilio. [8] T. ebdomadas. [9] E. ibi enim.

ergo euangelica autoritate quadraginta, sed triginta et sex dierum constat uos[1] obseruare ieiunium. Restat itaque vt quatuor diebus ante quadragesime initium ieiunare nobiscum incipiatis, si dominico exemplo quadraginta dierum numero abstinentiam obseruare volueritis: alioquin contra ipsius domini auctoritatem, et totius sancte ecclesie vos soli repugnabitis traditionem.' Hac illi ratione veritatis conuicti, deinceps secundum morem vniuersalis ecclesie sua ieiunia inchoare ceperunt. Aliud proposuit regina, et iussit vt ostenderent[2] qua ratione die sancto pasche, secundum morem sancte et apostolice ecclesie, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumere negligerent. Respondent illi: 'Apostolus, inquiunt, de hiis loquens ait: "Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit." Vnde, quia nos peccatores cognoscimus, ne iudicium nobis manducemus et bibamus, ad illud misterium accedere formidamus.' Quibus regina: 'Quid igitur? inquit. Omnes qui peccatores sunt, sacrosanctum misterium non gustabunt[3]? Nemo ergo illud sumere debet, quia nemo sine sorde peccati, nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Si autem nemo illud percipere debet, cur domino dicente clamat euangelium "nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis"? Sed plane sententiam quam de apostolo profertis, secundum patrum intellectum aliter necesse est intelligatis. Non enim omnes peccatores sacramenta salutis[4] indigne sumere deputat. Cum enim dixisset "iudicium sibi manducat et bibit,"[5] addit "non diiudicans corpus domini"; hoc est, non separans illud in fide ab escis corporalibus iudicium sibi manducat et bibit. Sed et ille qui absque confessione et penitentia cum suorum inquinamento scelerum ad sacra misteria accedere presumpserit, ille, inquam, iudicium sibi manducat et bibit. At nos qui multis ante diebus, facta peccatorum confessione, penitentia castigamur, ieiuniis attenuamur, elemosinis et lachrimis a[6] peccatorum sordibus abluimur; in die resurrectionis dominice ad eius mensam in catholica fide accedentes[7], carnem et sanguinem agni immaculati Ihesu Christi, non ad iudicium, sed ad peccatorum sumimus remissionem, et ad salutarem percipiende beatitudinis eterne preparationem.' Hiis ab ea perceptis, respondere nil potuerunt, atque agnita deinceps ecclesie instituta in misterii salutaris perceptione obseruarunt. Preterea in aliquibus locis Scotorum quidam fuerant qui contra totius ecclesie consuetudinem missas[8] excelebrare[9] consueuerunt. Quod regina, zelo dei accensa, ita destruere atque annihilare studuit, vt deinceps qui tale quid presumeret nemo in tota Scotorum gente appareret. Solebant quoque, neglecta dominicorum dierum reuerentia, sicut et aliis diebus ita in illis laboribus insistere. Quod non licere, ratione pariter et auctoritate ostendebat. 'Dominicum,

[1] E. nos. [2] E. ostenderet. [3] E. gustabuntur. [4] E. salutis sacramenta. [5] E. addidit. [6] T. et. [7] E. ascendentes. [8] i. e. nundinas. [9] *al.* celebrare.

inquit. diem propter dominicam que in eo facta est resurrectionem in veneratione[1] habemus, vt[2] in eo seruilia opera iam non faciamus, in quo nos a seruitute diaboli redemptos nouimus. Hoc et beatus papa Gregorius affirmat, dicens: "Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum: vt si quid negligentie per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominice precibus expietur." Idem quoque pater Gregorius quendam propter opus terrenum quod die dominico[3] fecerat, districta increpatione feriens, eos quorum hoc consiliis egerat, duobus mensibus excommunicatos esse decreuit.' Hiis rationibus regine contraire non valentes[4], ita diem dominicum deinceps obseruabant, vt nec quicquam in eo operari auderent. Illicita etiam nouercarum coniugia, similiter et vxorem fratris defuncti fratrem superstitem ducere—que ibi antea fiebant, nimis ostendit execranda et a fidelibus velut ipsam mortem deuitanda. Multa quoque alia contra morem ecclesie inoleuerant, que in eodem concilio[5] dampnans de regni finibus extirpauit.——Cum enim de salute anime confessori suo[6], et de perennis vite loqueretur dulcedine, verba omnis gratie plena proferebat, tantumque inter loquendum compungebatur, vt tota in lachrimas resoluenda putaretur. In ecclesia nemo illa silendo quietior, orando nemo aderat intentior; nihil vnquam in domo dei seculare loqui, nihil terrenum agere, sed tantum consueuerat orare, orans lachrimas fundere. Per nimiam vero abstinentiam grauissime infirmitatis molestiam incurrebat. Quid [autem][7] illius pectore clementius, quid erga egenos benignius? Non solum sua, sed etiam seipsam, si liceret, pauperibus libenter impendisset. Omnibus suis pauperibus erat ipsa pauperior: illi enim non habentes habere cupiebant, illa vero que habebat[8] dispergebat. Cum autem in publicum procederet, miserorum, orphanorum, viduarum greges quasi ad matrem piissimam confluxerunt, quorum nulli ab ea sine consolatione abscesserunt[9]. Interdum, quicquid[10] esset, regis proprium egenis errogandum tulit: quam rex pietatis rapinam omnino acceptam semper et gratam habuit, et se nescire simulauit. Non solum egenis indigenis, verum etiam de omnibus pene nationibus suam munificentiam exhibebat. Innumerabiles captiuos dato precio libertati restituit quos de gente Anglorum violentia hostilis Scotorum in seruos redegerat; occultos exploratores per prouincias misit, vt qui duriori premerentur seruitute et inhumane tractarentur, eius liberalitate redimi possent. Heremitas et separatis cellis vbique inclusos Christo seruientes venerari, diligere, suo aduentu et alloquio crebrius visitare consueuit, et illorum precibus se commendauit, et quicquid petebant deuota impleuit. Cum principio noctis paululum quieuisset, ecclesiam ingressa, matutinas de [sancta][11] trinitate, deinde

[1] T. E. venerationem. [2] Vit. habeamus et. [3] E. dominica. [4] E. volentes. [5] E. consilio. [6] Vit. mihi. [7] T. E. enim. [8] T. habuit. [9] E. abcesserunt. [10] Vit. quodcumque illud esset. [11] so T.; om. in E.

de sancta cruce, postmodum de sancta Maria sola compleuit; hiis finitis officium mortuorum incepit; et post psalterium inchoauit, et ad finem perduxit. Dum presbiteri hora congrua horas canonicas celebrarent, ipsa psalterium vel inceptum finiuit, vel vno finito alterum incepit. Finitis [autem][1] horis, in cameram rediens, sex pauperum pedes lauit, et pecuniam illis dari iussit; et tunc parum se quieti ac sopori dedit. Mane facto surgens regina, infantulos nouem orphanos omni auxilio destitutos, prima diei hora ad se introductos, cibis mollioribus flexis genibus refecit, et cibos in ora eorum immisit. Inter hec trecentos pauperes in aulam consuetudo erat introduci; et[2] clausis ostiis, rex ex vna, regina ex altera parte Christo in pauperibus seruierunt, et cibos specialiter preparatos obtulerunt. Quo facto regina ecclesiam intrauit et prolixis precibus et lachrimarum gemitibus seipsam deo sacrificium immolauit; et ante maiorem missam, quinque vel sex priuatim missas audiuit. Ante refectionem viginti quatuor pauperes humiliter ministrando refecit. Comedebat enim vt tantum vitam seruaret, non vt delectationi acquiesceret. Refectio eius tenuis et sobria, incitabat esuriem magis quam restringebat[3]; gustare cibum videbatur, non sumere. Quadraginta ante pascha et natale domini diebus incredibili abstinentia se afflixit. Propter nimium igitur ieiunii rigorem, acerrimum vsque ad finem vite sue passa est stomachi dolorem: infirmitas tamen corporis virtutem operis debilitare non potuit. In sacra lectione erat studens, [in][4] orationibus persistens, [in][4] elemosinis indeficiens, in omnibus prorsus que dei erant se vigilanter exercens. Liber quidam euangeliorum gemmis et auro ornatus, in quo studere et legere solebat, custodis negligentia in aquam cecidit, et per diem et noctem, sine aliqua lesione et molestia vel dampno[5] permansit.——Vocato demum confessore suo Turgoto[6], secundo priore Dunelmie, vitam suam replicare cepit, et ad singula verba lachrimarum fluuios effudit. Tanta inter eius verba erat compunctio et fletus profusio, vt nihil procul dubio esset quod a Christo tunc impetrare non posset. Cumque de necessariis sermonem finisset, ita loqui cepit: 'Vale, inquit, ego post hec in hac vita diu non subsistam: tu vero post me [non][7] paruo tempore viues. Duo sunt que a te postulo: vnum, vt quamdiu vixeris anime mee in missis et orationibus tuis memineris; aliud, vt filiorum meorum ac filiarum mearum curam habeas, amorem impendas, deum precipue timere doceas, et cum in culmen terrene dignitatis quemlibet [ex][7] eis exaltari videris, illius maxime pater simul et magister accedas, admonendo et, cum res exegerit, arguendo, ne propter [momentaneum honorem in superbiam tumeat, ne deum per auariciam offendat, ne propter][8] mundi

[1] T. E. enim. [2] E. a. [3] Vit. restinguebat. [4] om. [5] E. dampna. [6] This name is supplied by Joh. of Tinmouth, on conjecture. The author of the Vita speaks in his own person. [7] so T.; om. in E. [8] om. in T. [9] so T.; om. in E. Ta.

prosperitatem eterne vite felicitatem negligat.' Per dimidium post hec annum, ingrauescente morbi molestia, raro de lecto surgere valuit; et quarto ante obitum[1] suum die, cum rex Malcolmus[2] in expeditione esset, tristior solito effecta est et assidentibus ait: 'Forte hodie tantum mali regno[3] Scotorum accidit quantum multis retro temporibus non prouenit.' Post aliquot dies nunciorum relatione, eodem die quo regina dixerat regem cum filio Edwardo fuisse occisum cognouerunt; quem ipsa, quasi futurorum prescia, multum prohibuerat ne quoquam tunc cum exercitu progrederetur. Quarto post mortem regis die, paulisper leuigata[4] infirmitate, missas auditura oratorium intrauit, et exitum suum dominici corporis et sanguinis viatico premuniuit. Et confestim prioribus aggrauata doloribus lecto prostrata, ad exitum crescente molestia vehementius vrgetur. Crucem Scotie nigram, quam semper in magna veneratione habuit, amplecti, deosculari, oculos faciemque illa signare crebrius curauit. Rediens interea de exercitu filius suus Edgarus cubiculum regine intrauit: quem illa de patre et fratre interrogat; sed ille quod verum erat dicere noluit, ne audita morte illorum continuo et ipsa[m][5] mori contingeret. Respondit, eos bene valere. At illa grauiter suspirans, 'scio, inquit, fili, scio,' et adiurauit eum vt veritatem rei non celaret. Ille vero coactus, sicut erant gesta exposuit. Quibus auditis, non peccauit labiis suis neque stultum quid contra deum locuta est, sed manus ad celum eleuans, in laudem et gratiarum actionem prorupit, dicens: 'Laudes et gratias tibi omnipotens deus refero, qui me tantas in meo exitu angustias tolerare, hasque tolerantem ab aliquibus peccati maculis (vt spero) mundare voluisti.' Sentiens autem regina mortem adesse, hanc orationem dicere cepit: 'Domine Ihesu Christe qui ex voluntate patris, cooperante spiritu sancto, per mortem tuam mundum viuificasti: libera me.' Cum diceret 'libera me,' liberata a vinculis corporis anima ad vere libertatis, quem semper dilexerat, auctorem Christum migrauit; felicitatis eorum particeps effecta, quorum virtutis sequuta est exempla. Faciem autem eius, que tota in morte palluerat, ita post mortem rubor cum candore permixtus perfudit, vt non mortua, sed viuens aut dormiens credi potuisset. Obiit enim quarto idus Iunii, et in ecclesia sancte trinitatis, quam ipsa construxerat, contra altare sepelitur.——[6] Cum autem Dauid, filius sancte Margarete, in curia regis Anglie Henrici primi moraretur, nocte quadam a sorore sua Matilde regina, que matris vestigia puro corde sequebatur, vocatus, ad thalamum eius accessit. Et ecce domus plena leprosis; et regina in medio stans, deposito pallio se lintheo[7] precinxit, et posita in pelui aqua, pedes eorum lauare, extergere, extersos vtrisque manibus constringere et deuotissime osculari cepit.

[1] E. abitum. [2] E. malcolinus. [3] E. regnum. [4] T. leuigate. [5] T. E. ipsa; *al.* ipsa moreretur. [6] Cf. Ailred Geneal. Regum. [7] E. lintheo se.

Cui ille: 'Quid agis, inquit, domina mea? Certe si rex sciret ista, nunquam os tuum, leprosorum pedum tabe pollutum, dignabitur tangere labiis suis.' Cui illa subridens ait: 'Pedes regis eterni quis nesciat labiis regis morituri esse preferendos? Ego certe iccirco vocaui te, frater charissime, vt meo exemplo talia operari discas. Sumpta proinde pelui, fac quod me facere intueris.' Ipse vero, culpa sua, subridens ad socios remeauit.

Narratio[1].

[Ms. Tib. adds:

(Bubu)lcus[2] quidam nomine Petrus cum in festo Marie Magdalene plaustrum iunxisset, et boues maledictis urgeret, protinus boues cum aratro a fulmine assumuntur, et ipse Petrus qui hoc imprecatus fuerat, supplicio atrociori torquetur. Nam (ignis eum arripuit adeo ut) carnibus et neruis tibie (consumtis ossa paterent et) a sua compage tibia sol(ueretur. Tunc ecclesiam b. uirginis adiens tibiam in) foramine ecclesie abscondit (et beatam uirginem Ma)riam pro sua liberacione (lacrymis et precibus rogauit). Et ecce beata uirgo cum (beato Ypolito apparens), eidem Ypolito ut Petrum (pristine sanitati restitueret) imperauit. Qui tibiam de fo(ramine accipiens loco suo quasi) surculum arbori in mo(mento inseruit. In) qua ins[i]tione[3] tantos do(lores sensit ut) suis clamoribus totam famili(am excitaret). Noua enim coxa mollior quam (uetusta ad pu)blicacionem miraculi eum claudicare coegit. Tunc iterum beata uirgo apparens iussit Ypolito ut quicquid curacioni deesset suppleret. Qui perfecte sanatus, recluso-rium in(tr)auit. Cui diabolus in specie nude mulieris (frequent)issime apparebat, et nudam se ei ingerens, quanto (ille) forcius resistebat, tanto illa ei impudencius incumbebat. Tandem stolam sacerdo(talem) collo eius cinxit, et mox diabolo abce(den)te cadauer putridum ibi remanens tan(tum fetorem exa)labat, ut nullus ambigeret quin (corpus ali)cuius mulieris fuisset quod diabolus (assumpsi)sset.]

¶ De sancta Maxentia virgine et martire.

BEata Maxentia, nobili stirpe progenita, patre videlicet quodam rege Scotorum nomine Marcolano, fide nobilior fuit: et quod in baptismi lauacro promisit, moribus adimplere curauit. Erudienda namque litteris, non solum prouisione parentum, sed superna dispositione, tradita, sanctoque spiritu inflammata, virginitatis honorem seruare cum studio conabatur. Cuius famam miramque corporis pulchritudinem audiens princeps quidam nomine Maxentius, gentilis ac barbarus, in amorem illius exarsit, et a patre, vt sibi desponsaretur,

[1] Cf. Leg. Aur. p. 503 (Vinc. Bell. XXVII. 9). [2] T. Bubulus. [3] T. inscisione, VB. insertione.

expetiit. Vt autem paternus assensus sibi innotuit, ad ecclesiam statim confugiens, virginitatis propositum quod mente firmauerat[1], deuotione tota domino commendauit: et nocturna tandem captans[2] silentia, comitantibus eam duobus, dumtaxat sui secreti consciis, sene videlicet Barbencio nomine, Rosebeaque[3] pedissequa, qui ad eius obsequium fuerant deputati, totam transcurrit insulam, et mare gallicum transiens, locum aptum in quo moraretur quesiuit. Cumque tandem ad Ysaram fluuium in pago Beluacensi peruenissent, et ipsum, vt fertur, diuina virtute absque nauigio transmeassent, illic virgo sancta post tanta terrarum marisque spacia tanquam passer de laqueo venantium erepta, in loco qui Pontus[4] dicitur cum suis deo seruire cepit, et incognitam se ibidem[5] latere credidit. Illius tamen stimulis qui cuncta perlustrans tanquam leo rugiens circuit querens quem deuoret instigatus prefatus Maxentius, congregata satellitum turba, portus marinos adeo perlustrauit, donec eam transisse cognouit: et quia lux in tenebris celari non poterat, deductus demum ad locum qui virgini prebebat hospitium, facile quod querebat inuenit. Quam aggressus, blandis vti cepit alloquiis, si quo modo posset eius propositum infirmare et consensum illius, multas sibi promittens diuitias, inclinare. Sed cum illa tam blandientem quam diuitias promittentem eque respueret, contempni se videns Maxentius, et pre ira iam seipsum non capiens, aduersus dei famulos concitatus, mori elegit nisi protinus vindicetur. Iniecta itaque manu pestifera virginis crines arripuit, flexaque ceruice, gladium vibrans caput a corpore separauit. Trucidantur deinde ferro eius Barbencius atque Rosebia; reddentes terre corpora, celis animas inferebant. Recedente autem ministro sathane, corpus sacre virginis, prout a fidelibus qui hoc a suis patribus relatu fideli acceperunt, [narratur], a terra consurgens caput proprium in manibus sumpsit et a loco martirii ad eum in quo nunc dei voluntate quiescit pendulis brachiis deportauit. Illic sane postmodum edificata est basilica, in qua meritis eius multa miracula leguntur ostensa: Nam et ceci ibidem sunt illuminati, leprosi mundati, demones ab obsessis corporibus effugati, mortui resuscitati. Hunc etiam locum Carolus qui tunc temporis regnabat, multum legitur dilexisse, magnisque muneribus honorasse[6].

¶ De sancto Mellito archiepiscopo[7] et confessore[8].

CVm autem sanctus Augustinus regem Ethelbertum ad fidem conuertisset, misit Romam Laurentium et Petrum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi suscepisse, et se

[1] r. formauerat. [2] E. captiuans. [3] T. Rosebia. [4] T. pontis. [5] T. ibidem se. [6] E. honerasse. [7] T. episcopo. [8] Abr. from the Vita by Goscelin in MS. Vesp. B. XX.; cf. Beda I. 29.

episcopum factum esse[1] referrent. Cui suggerenti multam quidem sibi messem esse[2], sed operarios paucos, misit idem Gregorius papa cum prefatis legatariis plures cooperatores ac verbi dei ministros, in quibus primi et precipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus; et per eos que ad cultum ecclesie erant necessaria, sanctorum etiam apostolorum ac martirum reliquias, necnon et codices plurimos. Tantum enim pro gente Anglorum sollicitus erat beatus Gregorius, vt beato Mellito, iam longius profecto, scriberet quatinus reuerentissimo Augustino nunciaret qualiter idola destruerentur, fana in ecclesias mutarentur, altaria construerentur, sacrificia vel conuiuia in dei laude et nomine agerentur. Anno autem domini sexcentesimo quarto, beatus Augustinus ordinauit duos episcopos: Mellitum et Iustum. Mellitum ad predicandum prouincie Orientalium Saxonum, qui Thamense fluuio dirimuntur a Cancia, et ipsi orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia ciuitas est, super ripam prefati fluminis posita; in qua gente tunc temporis Sabertus, nepos Ethelberti regis ex sorore Ricula, sub eiusdem Ethelberti potestate positus, regnabat. Vbi vero et hec prouincia cum ipso rege verbum veritatis, predicante beato Mellito, accepit, fecit rex Ethelbertus in ciuitate Londonie ecclesiam sancti Pauli apostoli, in qua locum sedis episcopalis et ipse sanctus Mellitus et successores haberent. Beatum vero Iustum in ipsa Cancia in ciuitate roffensi episcopum ordinauit[3], in qua rex Ethelbertus beati Andree apostoli ecclesiam fecit. Quam vero dilectus deo et supernis ciuibus Mellitus extiterit, etiam in inclita ecclesia que sub vrbe Londonia ab occidente sua attollit fastigia et ab ipsa plaga Westmonasterium est appellata, diuinitus clarescit, cuius dedicationis officium suo honori decretum per se beatissimus apostolorum princeps Petrus pro ipso Mellito expleuit, sicut supra in vita sancti Edwardi legentibus expresse declaratur. Beatus autem Mellitus episcopus in prouincia Orientalium Saxonum cepit instanter euangelium [Christi][4] predicare, exhortari, docere et baptizare omnes qui in Christo regenerari vellent; secundum instituta apostolica ecclesie ministros deputauit, et in puritate vite seruire deo edocuit. Beatis[5] autem regibus Ethelberto et Saberto ad celum translatis, successores filii intermissam ydolatriam restaurare elegerunt, et a suo parente degenerantes, dolis et insidiis sanctum episcopum Mellitum suis finibus exterminare aggressi sunt. Nam cum viderent pontificem diuina misteria in ecclesia celebrare et eucharistiam populo dare, dicebant ad eum: 'Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem [et][4] patri nostro Saba'—sic namque eum appellare consueuerant— 'dabas, et populo adhuc dare non desistis?' Quibus sanctus respondit: 'Si vultis ablui fonte illo salutari quo pater vester ablutus est, potestis

[1] E. esse factum. [2] E. esse messem. [3] T. E. episcopus ordinatur. [4] om. in E. [5] E. Beatus.

etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes. Si autem lauachrum vite contempnitis, nullatenus panem vite percipere valetis.' Et illi: 'Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec opus illo nos habere nouimus, sed tamen pane illo refici[1] volumus.' Cum ergo beatus Mellitus infestis sibi regibus idolatris[2] crebra ammonitione resisteret, dicens nullum posse diuinis sacramentis participari[3], nisi sacro fonte ablutum; ad vltimum furore commoti, expulerunt eum ac de suo regno cum suis abire iusserunt. Discesserunt itaque Mellitus et Iustus ad partes Gallie, ibi rerum finem expectare disponentes. Non multo post tempore filii Saberti, egressi contra gentem Gewissorum in prelium, omnes pariter cum sua militia corruerunt. Intereunt reges, pastores eicientes; intereunt gentes, doctoribus insidiantes. Dei itaque misericordia rex Edbaldus, beati Petri apostoli animaduersione per beatum Laurentium, sicut in vita eius supra inseritur, baptizatus, et rebus ecclesie in omnibus consulens, misit ad Galliam[4] et reuocauit Mellitum et Iustum, eosque ad suas ecclesias redire precepit. Qui post annum ex quo abierunt, reuersi sunt. Iustus [enim][5] ad ciuitatem roffensem, cui prefuerat, rediit; Mellitum vero Londonienses recipere noluerunt[6], ydolatris magis pontificibus seruire gaudentes. Verum beato Laurentio ad celeste regnum assumpto, Mellitus sedem dorobernensis ecclesie suscepit; et apud sanctum Augu[stinum] consecrauit ecclesiam in honore sancte dei genitricis Marie, quam in monasterio principis apostolorum rex Edbaldus condidit. Que quam grata beate virgini Marie extiterit, sua supernorumque ciuium laudisona frequentia signorumque euidentia sepius claruit. Erat autem beatus Mellitus corporis quidem infirmitate, id est podagra grauatus, sed mentis gressibus sanus, alacriter terrena queque transiliens, ad celestia semper amanda, petenda et querenda peruolans; carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Denique ut[7] vnum virtutum eius, vnde cetera intelligi possunt, testimonium referam: Tempore quodam ciuitas dorobernensis per culpam incurie igni correpta, crebrescentibus flammis consumi cepit. Cumque pars ciuitatis non minima esset vastata, iussit se episcopus obuiam seuientibus ignium[8] globis efferri. Et cum manus ad deum orando leuasset, ventus, qui a meridie flans vrbis incendia sparserat, contra meridiem reflexus, a lesione se retraxit et mox funditus quiescendo, flammis pariter sopitis atque extinctis, compescuit. Postquam autem quinque annis ecclesiam rexerat dorobernensem, ad celos, octauo kal. maii, migrauit, anno [gracie][9] sexcentesimo vicesimo quarto, sepultusque est cum fratribus suis in monasterio Petri apostoli.——[10] Anus[11] quedam honeste

[1] E. refeci. [2] E. nidolatris. [3] E. participare. [4] E. Gallium. [5] E. autem; T. enim. [6] E. voluerunt. [7] E. ad; T. ut. [8] E. igneum. [9] so T.; om. in E. [10] From here ed. in Act. SS. Boll. Apr. III. p. 285. [11] E. Auus.

vite erga sanctum Augustinum sociosque eius deuotissima, frequenter adesse, orare, luminaria accendere, opertoria[1] sanctorum corporum pura et nitida seruare solebat. Quadam autem die cum fessa ab oratione dormire inciperet, cereus ardens coram sancto Aug[ustino] negligent[ia][2] extinctus nidorem dabat, hausta luce fumabat. Et ecce videt in visu beatum Mellitum de monumento surgentem, et cum magna indignatione increpantem illam et dicentem: 'Vnde tibi hec audacia, vt hic dormias, et patronum vestrum[3] Augustinum nosque eius collegas sine lucis honore relinquas?' Et extenta dextra ingentem dormienti alapam incussit. Ad ictum vero inflictum euigilans, vidit apertis oculis sanctum a se redeuntem[4] et tumbam suam intrantem. Adeo enim rubebant signa digitorum et palme ferientis, ac si recenti sanguine distincta essent. Mulier quedam, podagrica et ciragrica infirmitate astricta, pedibus prodire, de lectulo surgere, manus ad os leuare non valens, fusa ad beatum Mellitum prece, moribunda ad vitam subito rediit, omnem dolorem exuit, salutem induit, [5]et ad sua gratias agens letanter rediit[5]. Miles quidam graui morbo detentus, vidit Mellitum pontificalibus indutum sibi astare ac dicere: 'Te, inquit, iam sospitem ab hoc lecto egritudinis iubet surgere cui data est gratia curationis tue.' Ad hanc vocem miles sanus effectus, quis sibi succurrere dignatus sit inquisiuit. Et ille: '[Ipse][6], ait, sum Mellitus, qui beato Augustino in pontificatu successi tertius.' Iuuenis quidam Cantuarie, simplex et neminem ledens, et de possessione sua pauperibus distribuens, beatum Mellitum in magna veneratione habebat. Coactus demum ab amicis vxorem ducere, per totam noctem curis et questubus animum affecit[7] cur hec vincula induerit[8] qui liber erat, et sine domini sui et patroni Melliti consilio hoc fecerit. Intactam autem virginem dimittens, mane ante sanctum Mellitum multis precibus et suspiriis salutare exigit responsum. Soporato tandem sanctus astitit Mellitus, hortatur, imperat vt sponsam suam, debita dote reddita, parentibus intactam restituat, et ipse castitatis viam vsque in finem tenere studeat. Euigilans autem iuuenis, quod iussum fuerat, quantotius implere festinauit. Post centum enim lustra translato corpore sancti Augustini et sociorum eius, quidam miles, cuius oculum carbunculus possederat, inter densos cuneos brachium protendit, extremam partem vectis quo beati Melliti feretrum portabatur, summis digitis contigit, ipsumque tactum quasi collirium et optimum vnguentum morbido oculo infricuit: et statim sanies pestifera defluxit, et omnem dolorem subita salus, vt lux tenebras, effugauit. Post missarum vero celebrationem adiunguntur Augustino digni sacerdotes, prior Laurentius a dextris, secundus Mellitus a sinistris.

[1] E. opertorium. [2] T. E. negligenter. [3] E. nostrum. [4] E. rediuntem. [5-5] *al.* Vita. [6] T. Ipse; E. Ego. [7] E. effecit. [8] T. E. induerat.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[1].

Collatis autem a Clodoueo rege Francorum multis prediis ecclesie remensi, sanctus Remigius multa eorum ecclesie laudunensi contulit, et Genebaudum primum illic episcopum constituit qui, relicta uxore sua, nepte uidelicet beati Remigii, cum ipso iam uiuere cep[erat][2]. Et parum attendens (ui)rtutem hominis contra peccatum, uxorem suam clausam[3] instruendi gracia frequenter ad se uenire permisit. Frequentaciones demum et blanda colloquia animum ad peccatum traxerunt. Concipiens ergo mulier mandauit secrete ei dicens: 'quia filium masculum genuisti.' Qui confusus renunciauit[4] ei: 'Puer generatus est in (latrocinio: uolo) ut Latro uocetur.' Et ne (suspicio) inde procederet, uxorem sicut prius (ad se) uenire permisit. Q(ui) tamen iterum (post fletum) illius peccati ad peccatum rediit. Con(cepitque) mulier, et, ut prius, mandauit quod (filiam genu)erat, et ille eam Vulpeculam (nominauit). In se tandem reuersus, mi(sit ad sanctum) Remigium ut Laudunum ueniret, (quia talis) causa emerserat quam ipse per se (emendare) non poterat. Cumque uenisset, et (cur eum uoca)uerat interrogasset, Gene(baudus) cum maximo fletu et eiulatu uolens (tollere) stolam suam de collo suo et prohicere (ad) pedes sancti Remigii, cum magna uirtute (ab eo) est retentus ne stolam deponeret. (Et) postquam diu ambo fleuissent, intellexit (Remigius) ipsum aliquid peccati incurrisse pro(pter quod stolam) uellet deponere; nec[5] poterat (ei Geneb)audus quod fecerat pre lachrymis enarra(re). Quem sanctus Remigius contritum uidens, reclusit eum in parua cella septem annis, et ipse interea eius ecclesiam gubernauit. Septimo autem anno cum in uigilia cene domini in oracione pernoctaret et se lacrimis affligeret[6] de hoc quod ipse qui alios penitentes feria quinta reconciliare solebat, nec inter penitentes esse in ecclesia merebatur: Ecce angelus domini media nocte apparuit ei, dicens peccatum illius esse dimissum, precepitque ei ut exiret et penitentes in crastino more solito reconciliaret. Qui, cum pre nimio terrore respondere uix posset, ait: 'Non possum hinc egredi, quia dominus meus Remigius clauem huius hostii secum habet, quod et sigillo suo signauit.' Cui angelus: 'Vt scias quia[7] celum est tibi apertum, et me tibi a deo missum, ecce hostium tibi patefactum est.' Et statim saluo sigillo et cera apertum est. Tunc Genebaudus iactans se in medio hostii in modum crucis, ait: 'Etsi dominus meus Ihesus Christus ad me huc ueniret, non egrediar nisi sanctus Remigius huc ueniat qui me reclusit.' Et statim angelus Remigio apparens iussit Genebaudum sicut prius restituere in locum suum. Quo facto, usque ad obitum

[1] Cf. Vinc. Bell. XXI. 7 (Leg. Aurea, p. 97). [2] T. cepit. [3] VB. clam causa i. fr. [4] VB. remandauit. [5] VB. vix. [6] VB. afficeret. [7] VB. me tibi a deo missum, sicut celum tibi apertum est, ita et h. patebit tibi.

suum in sanctis operibus perseuerauit, et ei filius suus Latro successit, qui et sanctus fuit[1].]

[2]¶ De sancto Mellone episcopo et confessore[3].

TEmpore Valeriani imperatoris Mello[4] quidam, de Maiori Britannia oriundus, Romam venit, vt patrie sue tributum solueret, et imperatori seruiret. Ibique, sicut mos erat, cum sociis suis ad templum Martis ductus est, vt sacrificaret. Et audiens Stephanum papam paucis christianis euangelium Christi predicantem, verba eius attendit, et credidit; baptismum ab eo petiit et accepit. Et instructus ab eo, quicquid habebat vendidit, arma etiam, cum quibus militabat[5], [et] pauperibus errogauit. Quem prefatus papa sibi adherentem per omnes ecclesie gradus vsque ad sacerdotium promouit. Cumque ieiuniis et vigiliis instaret, quadam die missam eo celebrante, viderunt ipse et papa angelum dei stantem ad dexteram altaris: qui peracta missa dedit ei virgam pastoralem quam manu tenebat, dicens: 'Accipe virgam sub qua reges populum rothomagensis ciuitatis in Neustrie finibus. Tibi enim illic preparatus est a deo locus; et licet labor incognite vie[6] tibi sit onerosus, nequaquam tamen tibi timendum: quoniam sub vmbra alarum suarum proteget te dominus Ihesus Christus.' Tunc accepta benedictione a papa, iter arripuit. Et cum venisset Autisiodorum, virgam tenens quam ab angelo acceperat quendam bipenni vulneratum, cuius pes in duas partes diuisus erat, oratione facta illico sanauit. Rothomagum tandem veniens, et ministerium suum fideliter implens, multis virtutibus et miraculis clarus in pace quieuit.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[7].

Venit aliquando quidam ab urbe Roma, qui [in] palacio imperatoris[8] magnum locum habuit, et habitabat in Scithi. Habebat autem secum unum seruum qui ministrabat ei. Videns autem presbiter ecclesie infirmitatem eius, et cognoscens quia de deliciis esset uir ille, de hiis que (ei dominus) donabat, transmittebat ei. Qui cum (fecisset) uiginti quinque annos in Scithi, (factus est) uir contemplator, multa preuidens, et n(ominatus). Audiens autem quidam de magnis

[1] Collect in T.:

O Mellite dulcissime, condigne tuo nomine, pietate mellifice, bonitate melliflue, et melliger caritate, diuo plene carismate et graciarum nectare: paterna nos foue prece. V. Iustus germi[nabit].

Da, quesumus, omnipotens deus, ut qui beati (Melliti) confessoris tui atque pontificis commemoracionem colimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur, per.

[2] Extracted from the Acta in A. SS. Boll. 22 Oct. IX. p. 570. Same extract in Mombritius, Vit. SS. II. 156; cf. Petrus de Natal. Catal. IX. c. 93. [3] et conf. om. in T. [4] *al.* Mellonus. [5] arma—milit. om. in Momb. [6] M. vie, T. E. vite. [7] Ex Vit. Patr. p. 925. [8] om. in VP.

mon(achis) Egipti opinionem eius, uenit uidere (eum,) sperans corporalem conuersacionem plus (apud) eum arduam inuenire. Qui cum intrasset, salutauit eum, et facien[te]s[1] oracionem seder(unt.) Videns autem eum Egipcius uestitum mollibus rebus, et pellem sub ipso, et modicum capit(a)le sub capite eius, et pedes mundos (habentem) cum caligulis, scandalizatus est in(tra se) de eo: quia in illo loco non erat consuetu(do ta)liter conuersandi. Senex autem ille (roma)nus habens preuidencie graciam, intell(exit quia) scandalizatus fuisset Egipcius monachus (de) eo, [et] dixit ministro suo: 'Fac nobis (hodie) propter abbatem qui uenit bonam (diem.' Et) coxit parua olera que habebat: (et surgentes) hora competente comederunt. Ha(buit eci)am et modicum uini propter infirm(itatem) suam, et illud biberunt: et uespere duodecim psalmos dixerunt et [dormierunt][2]; similiter autem et nocte. Surgens autem mane Egipcius, dixit ei: 'Ora pro me,' et egressus est, non edificatus in eo. Et cum paululum discessisset, uolens eum senex ille romanus sanare, misit post ipsum et reuocauit. Qui (cum uenisset, cum gaudio iterum suscepit eum, et interrogauit eum dicens: 'Ex qua prouincia es?' Et ille dixit: 'Egipcius sum.' Et dixit ei: 'Cuius ciuitatis?' Et respondit: 'Ego om)nino non fui de (ciuitate, nec habi)taui aliquando in ciuitate.' (Et dixit ei:) 'Antequam monachus esses, quid operaba(ris) in possessione qua manebas?' Respon(dit ille): 'Custos eram agrorum.' Et dixit ei: 'Vbi dormiebas?' Respondit: 'In agro.' Et dixit: 'Habebas aliquid stratum[3]?' Respondit: 'Non, set in terra nuda dormiui.' Et dixit: 'Quid manducabas in agro, aut quale uinum bibebas?' Respondit: 'Manducabam panem siccum, (au)t, si inueniebam, quodcunque de salsamentis, et bibebam aquam.' Et dixit senex: 'Grandis la(bor.') Et addit: 'Erat ibi uel balneum in possess(ione), ubi lauareris?' Ille dixit: 'Non, set in (flumin)e lauabar quando uolebam.' Cum ergo se(nex hec) omnia ab eo audisset, uolens eum (proficere), narrauit ei suam uitam preteritam quam (habebat) cum esset secularis, dicens: 'Me miserum (quem) uides, de magna illa ciuitate Roma (s)um, habens in palacio magnum locum (apu)d imperatorem.' Et cum audisset Egipcius ini(cia) uerborum eius, compunctus est, et sollicite (que) diccbantur audiebat. Senex ait: 'Reliqui (ergo Ro)mam et ueni in solitudinem istam. Me (quem u)ides, habui domos magnas et pecu(nias) multas, et contempnens ea[4], ueni in ista (parua) cella. Lectos uestitos ex auro habu(i haben)tes preciosissima stramenta, et pro hiis (dedit) michi dominus stramentum hoc de papiro et hanc (pellem). Set et uestes mee inestimabili pre(cio di)gne erant, et pro illis utor has uiles (res)cellas. In prandio meo multum auri ex(pende)batur, et pro illo dedit michi deus modica o(lera) hec et paruulum calicem uini. Plurimi ser(ui) ministrabant michi, et ecce pro illis

[1] T. faciens. [2] T. complerunt. [3] VP. stratus. [4] VP. eas.

istum (u)nicum dedit michi deus ut ministraret michi. Pro balneo, perfundo modicum aque super pedes meos; et calligulis utor propter infirmitatem. Pro cithara et alio musico opere quo delectabar in conuiuiis meis, dico michi duodecim psalmos in die [et] similiter in nocte. Et sic pro pec(catis) meis que ante faciebam modicum (exhibeo) ministerium deo. Vnde rogo te abba, (ut) non scandalizeris propter infirmitatem meam.' Hec audiens Egipcius dixit: 'Ve michi, quia ego de multa tribulacione et multo labore seculi magis ad repausandum inter monachos ueni, et quod non habebam tunc, modo habeo: Tu autem ex multa delectatione seculi uoluntate propria in tribulacionem uenisti, et a multa gloria atque diuiciis uenisti in humilitatem et paupertatem.' Sicque multum edificatus discessit, et factus ei amicus, sepe ueniebat ad eum sue utilitatis causa.]

¶ De sancto Meloro martire[1].

DUm in exordio christiane fidei apostolica doctrina per orbem terrarum in omnibus gentibus diffunderetur, conuersa est Britannie gentilitas ad fidem, et multi domino credentes et apostolica precepta sequentes variis virtutum miraculis fulserunt: de quorum numero beatum Melorum fidenter credimus extitisse. Fuit enim beatus Melorus de nobili Britannorum[2] genere, cuius pater Melianus ducatum Cornubie tenuit: cuius tempore per septennium pluuia super terram non cecidit. Instigante tandem maligno spiritu, septimo anno ducatus sui dum consilium primatum ad vtilitatem patrie prouidendam fuisset congregatum, in ipso concilio[3] Riuoldus[4] veniens, Melianum fratrem suum occidit, et pro illo regnare cepit. Habebat autem Melianus paruulum quendam filium annorum septem nomine Melorum: quem post patris necem patruus eius occidere querebat, timens ne si puer superstes esset et ad virilem etatem perueniret, ei ducatum auferret. Riuoldus[4] igitur quid faceret deliberans, puerum in Cornubiam secum adduxit, vbi concilium[5] episcoporum et aliorum multorum fuerat congregatum. Et cum puerum occidere vellet, omnium prece factum est[6] vt non occideretur, sed tantum manus dextra cum sinistro pede truncaretur. Et factum est ita. Facta est autem post hec beato Meloro manus argentea et pes aeneus[7]: et pius et innocens de die in diem virtutibus crescens, nutritus est in quodam monasterio[8] Cornubie, et diuinas scripturas vsque ad quartumdecimum annum legebat. Quodam enim estiuali tempore abbas illius loci nuces[9] colligens, puero quasi domino suo presentauit: qui cepit eas colligere argentea manu, mirumque in modum manus illa

[1] Ed. in A. SS. Boll. 3 Jan. I. 136, from a Ms. Rub. Vallis. Another (short) Life in MS. Reg. 8 C. VII. f. 162. [2] E. britanniorum. [3] E. consilio. [4] E. Rinoldus. [5] E. consilium. [6] om. in T. [7] T. eneus. [8] Reg. in cenobio S. Borentini. [9] E. mices.

argentea quasi reflexus carneos habere[1], et manum extendere et recludere cepit, quasi natiuam ossibus, neruis, venis, sanguine atque pelle. Quadam vice puer sanctus accepta petra[2], et proiiciens, quasi stadio dimidio eam auolare[3] fecit: que supra [petram][4] durissimam quasi super ceram mollem[5] infixa[6] est. Cumque veniens ad locum illam de durissimo silice[7] extraxisset, egresse sunt aque largissime, et vsque in hodiernum diem fons viuus a loco illo ebulire visus est. Cum autem patruus eius nutritori suo Cerialtano munera multa et possessiones, si alumpnum suum occideret, promisisset, facto iniquitatis commercio, vt Cerialtanus caput innocentis abscideret[8], et abscisum Riuoldo deferret, et mercedem promissam reciperet... Decollato itaque puero, filius Cerialtani assentiente patre caput martiris deferens per murum castri, iusto iudice deo annuente, de muro cecidit et fractis ceruicibus expirauit. Veniens autem nutrix martiris ad domum in qua corpus iacebat, et angelos dei et lucernas diuino splendore lucentes vidit. Cerialtanus vero[9] caput assumens et fugiens, cum pre nimia siti pene deficeret, sibi ipsi loquens dixit: 'Ve mihi omnium hominum miserrimo, et omni pena et cruciatu digno, quid faciam, quia sitis ariditate afflictus, deficiens morior?' Cumque hec multotiens replicaret, caput pueri in verba humana prorumpens tali voce eum affatur: 'Cerialtane, baculum quem manu gestas in terram impiger fige, et fontem aque subito de terra oriri videbis: ex quo copiose refectus imminens sitis periculum euades.' Cum autem baculum in terram fixisset, in pulcherrimam arborem versus radicitus terre adhesit, ramos et folia produxit, et de radice eius fons indeficiens emanare cepit, et Cerialtanus potu recreatus, caput ad Riuoldum detulit. Qui cum gaudio magno illud recipiens, dixit: 'Surge et montis verticem ascende, et quecunque adiacentia videre poteris, libens possidenda dabo tibi.' Ille vero montem ascendens, et circumquaque se videre credens, vtroque lumine orbatus est, et subita morte preuentus interiit, et 'liquefacta est caro eius sicut cera a facie ignis.' Sepulto autem corpore sancto in loco martirii sui, die sequenti supra terre faciem inuentum est. Cumque sepulto in locis tribus variis corpore idem casus accidisset; inito consilio, super plaustrum sub quo duo tauri indomiti positi sunt, corpus sanctum imponunt, et vbicunque[10] virtus diuina eum dirigere vellet absque ductore dimiserunt. Et ecce tauri mansueti subito effecti, vsque ad quendam locum corpus trahentes substiterunt, et cum turbe displiceret vt ibi[11] quiesceret, manus, brachia et humeros rotis vt eas voluerent[12] supponentes, ita fixum diuinitus et immobile plaustrum viderunt, vt nulla arte, nullo ingenio, nulla prorsus homi-

[1] Boll. haberet. [2] T. petraria. [3] T. E. aduolare. [4] T. petram; E. terram. [5] T. molem. [6] E. infra. [7] T. E. cilice. [8] E. abscinderet. [9] E. vere. [10] Boll. quocunque. [11] T. ubi. [12] E. voluerant.

num virtute moueri posset. Cumque sepius attemptantes nihil proficerent, gratias agentes deo corpus sanctum cum honore in eodem loco sepelierunt; vbi opem eius cum fide implorantes, optatum remedium gaudentes consequi solebant. Delato in presentia Riuoldi[1] capite martiris, tirannus caput sacrum tetigit, et tertia die infelici morte occubuit. Sepulto itaque ab episcopis et clericis capite cum sacro corpore: post multorum annorum curricula predicatores alienigene scrinium cum reliquiis sancti Melori circumquaque deferentes, peragratis terrarum tractibus iniunctum sibi officium exercentes Ambrisburiam tandem deuenerunt, et super altare reliquias sanctas posuerunt. Expleto predicationis officio cum reliquias secum auferre vellent, et ab altari nullo ingenio moueri possent ac velut adamas altari adhererent, dolore et angustia afflicti, accepta ab abbatissa multa pecunia recesserunt. Quidam iniquitatis filii nocte ecclesiam de Ambrisbury intrantes scrinium sancti Melori secum auferunt, et laminis auri et argenti abrasis, capsam cum reliquiis in quodam[2] specu proiiciunt. Sacerdos autem quidam diluculo surgens vidit radiosam lucis columpnam de celo super specum descendentem, et accedens ad locum, scrinium inuenit, et ad ecclesiam detulit. Sanctus Melorus sacriste[3] nocte quadam apparuit, dicens: 'Godrice, surge velociter; ecce testudo ecclesie hiantibus[4] conquassata patulis, vicinam parat maturare ruinam.' Cumque iterum altera nocte idem repetisset, tertia nocte apparens dixit: 'Godrice, cito surge, imagines et altaris ornamenta tecum assumens quamcitius exeas; quia periculum mortis tuis proculdubio in ianuis nauigat[5].' Et cum egressus fuisset, tota post eum testudo concidit, aree planiciem subiecte obuoluens. Terras[6] autem relinquens, celestia cum corona martirii penetrauit kal. octobris.

¶ *Narratio*[7].

Circa annum domini octingentesimum octuagesimum octauum, visionis Caroli cesaris talis tenor erat, secundum Vincentium. [8]'Ego Carolus imperator, dei dono rex Germanorum et patricius Romanorum atque imperator Francorum, sacra nocte diei dominice post celebratum nocturnarum horarum diuinum officium dum ad repausandum pergens sompnum vellem capere, venit vox ad me terribiliter dicens: "Carole, exiet a te modo spiritus tuus in hora non modica." Statimque raptus fui[9] in spiritu: et qui me sustulit, erat candidissimus, tenens in manu sua glomicellum lineum, clarissimum[10] iubar luminis emittentem: dissoluitque[11] illum et dixit ad me: "Accipe filum glomicelli micantis, et liga et noda firmiter in pollice manus tue

[1] E. Rinolde. [2] Boll. quadam. [3] E. facriste. [4] E. hiatibus. [5] Boll. adest. [6] E. Terreas, Boll. Terrea. [7] Cf. Vinc. Bell. XXIV. 49. [8] E. Narratio, repeated; om. in T. [9] om. in T. [10] E. carissimum. [11] que om. in T.

dextre: quia per illum duceris in labirintheas[1] infernorum penas." Hoc dicto precessit me velociter [2]distorquens filum lucifluum, duxit[que][3] me in profundissimas valles igneas[4], que erant plene puteis ardentibus, pice et sulphure, plumbo, cera et adipe. Ibi inueni pontifices patris mei et auunculorum meorum. Quos cum pauens interrogarem cur tam grauia paterentur tormenta, responderunt: "Fuimus episcopi patris tui et auunculorum tuorum, et dum debuimus illos et populum [illorum][5] de pace et concordia admonere, seminauimus discordias et fuimus incentores malorum, ideo nunc incendimur in istis tartareis suppliciis, et nos et alii homicidiorum et rapinarum amatores. Huc etiam tui episcopi et satellites venient[6] qui similia nunc facere amant." Et dum hec tremebundus auscultarem[7], ecce nigerrimi demones aduolantes cum vncis igneis volebant apprehendere filum in manu mea: sed reuerberantibus[8] radiis illius, illud attingere non valebant. Deinde post tergum meum currentes, voluerunt me aduncare et in ipsos puteos sulphureos precipitare: sed ductor meus qui portabat glomicellum, iactauit super spatulas[9] meas filum et duplicauit, et traxit me post se fortiter. Sicque ascendimus super montes igneos altissimos, de quibus oriebantur paludes et flumina feruentia et omnia metallorum genera bullientia: vbi innumeras animas repperi hominum et principum patris mei et fratrum meorum, et precipitatas alias[10] vsque ad mentum, alias vsque ad vmbilicum, et clamauerunt ad me eiulando: "Dum viximus, amauimus tecum et cum patre tuo et cum fratribus et auunculis tuis facere prelia et homicidia et rapinas pro cupiditate terrena[11], ideo in ista bullientia flumina et metallorum diuersa genera torquemur." Et cum ad hec timidus attenderem[12], audiui retro me animas clamare: "Potentes potenter tormenta patientur[13]." Et respexi, et vidi super ripas fluminis bullientis fornaces piceas et sulphureas, plenas magnis draconibus[14] et scorpionibus et serpentibus diuersi generis: vbi etiam vidi aliquos patris mei principes et fratrum et auunculorum meorum, dicentes mihi: "Heu nobis, Carole! vides quam grauia habemus tormenta propter nostram maliciam et superbiam et mala consilia, que nostris regibus et tibi dedimus propter cupiditatem." Cumque dolendo congemiscerem, ad me drachones apertis faucibus plenis igne, sulphure et pice, [15]volentes me inglutire, accesserunt[16]: sed ductor meus triplicauit super me filum, a cuius radiis claritatis superata sunt ora eorum[17] ignea, et pertraxit me validius. Et descendimus in vnam vallem, que erat ex vna parte tenebrosa et ardens velut clibanus ignis, ex altera vero parte tam amenissima et splendidissima, vt nulla ratione dicere queam. Verti me contra tenebrosam

[1] E. lamberintheas; T. laberintheas. [2] E. et d.; om. in T. [3] E. T. duxit. [4] T. E. igneasque. [5] E. eorum. [6] E. veniant. [7] T. ascultarem. [8] T. reuerberatibus. [9] VB. scapulas. [10] T. illas. VB. adds: alias vsque ad capillos. [11] E. terrene. [12] T. accederem. [13] VB. patiuntur. [14] T. drachonibus. [15] T. et v. [16] E. acce*n*serunt. [17] T. E. earum.

et flammiuomam partem: et vidi ibi aliquos reges de meo genere in magnis suppliciis[1]: et tunc nimis angustiatus putaui me statim in illis suppliciis demergendum a gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem[2] conflammabant generibus ignium diuersis. Et valde tremens, filo[3] illuminante oculos meos vidi e latere vallis paulisper albescere fumum, ibique duos fontes fluere: vnus erat nimium calidus, alter vero clarus et tepidus; et erant ibi dolia duo. Cumque illuc irem filo regente gressus meos, vidi in altero dolio patrem meum Ludouicum vsque ad femora stare. Et dum essem nimis dolore angustiatus[4], dixit: "Domine fili[5] mi Carole, noli timere! scio quia reuertetur rursus spiritus tuus ad corpus tuum, et permisit te deus huc venire, vt videres propter que peccata ego et omnes quos vidisti talia toleramus supplicia. Vno enim die sum in isto feruentis dolii balneo, et alio die transmutor[6] in isto alio suauissimo aque dolio, et hoc fit precibus sancti Petri et sancti Remigii, quorum[7] patrociniis hactenus genus nostrum regale regnauit. Sed si mihi subueneris[8] cito tu[9] et mei episcopi, abbates et omnis ordo ecclesiasticus missis et orationibus et psalmis, vigiliis et elemosinis, de isto aque bullientis dolio[10] cito liberabor. Nam frater meus Lotharius et eius filius Ludouicus sancti Petri sanctique Remigii precibus de penis istis iam exempti in paradisi gaudium translati sunt." Et dixit mihi: "Carole, respice sinistrorsum." Et respexi, et vidi duo dolia bullientia altissima. "Ista, inquit, tibi sunt preparata, nisi te emendaueris penitentiamque egeris de tuis nephandis delictis." Tunc cepi grauiter horrere. Cernens autem ductor meus me in tanto pauore, dixit ad me: "Sequere me." Et cum graderemur ad dexteram luculentissime vallis, contemplatus sum in ingenti claritate sedere cum gloriosis regibus Lotharium auunculum meum super lapidem topazium mire magnitudinis, coronatum diademate precioso, et iuxta eum Ludowicum filium eius similiter coronatum. Videnque me, blanda voce dixit: "Carole successor meus, veni ad me! Scio quia per penalem locum venisti, vbi est pater tuus frater meus vterinus[11], sed per misericordiam dei cito de penis illis liberabitur, sicut et nos liberati sumus, meritis sancti Petri et sancti Remigii, cui[12] deus magnum apostolatum dedit super reges et gentes Francorum: qui nisi quisquiliis propaginis nostre suffragatus fuerit, iam desinet[13] genealogia nostra imperare et regnare. Vnde scio quoniam tolletur citius potestas imperii de manu tua, et postea paruissimo viues tempore." Tunc conuersus contra me Ludouicus filius eius dixit mihi: "Imperium quod hactenus tenuisti, iure hereditario debet suscipere Ludouicus filius filie mee." Et hoc dicto visu[m][14] est mihi affore in presentiarum Ludouicum infantu-

[1] E. supliciis. [2] E. valem. [3] E. fili. [4] T. angustianus. [5] om. in T. VB. [6] *al.* transmittor. [7] VB. cuius. [8] so T.; E. subuenerint. [9] T. E. tui. [10] E. doleo. [11] VB. in termis sibi destinatis positus. [12] VB. quibus. [13] VB. desineret. [14] T. E. visus.

lum. Tunc intuens eum Lotharius dixit mihi: "Redde illi potestatem imperii per filum glomicelli quod in manu tenes." Disnodans ergo filum de pollice dextre mee, donabam illi monarchiam omnem imperii per filum glomicelli: et statim ipse glomicellus fulgidus sicut iubar solis coadunatus est totus in manu eius. Et reuersus est spiritus meus in corpus meum, valde fessus et conter[r]itus[1].' Post hanc visionem vix duobus annis regnans, ab optimatibus regni repudiatur, et ita derelinquitur vt vix cum eo aliquis remaneret. Sumptus[2] tamen mediocres per modicum tempus quo vixit maguntinus[3] episcopus eidem ministrauit[4].

¶ De sancta Milburga virgine[5].

REx enim inclitus Ethelbertus sanctissime virginis Milburge abauus[6] fuit, quem prothodoctor Anglorum Augustinus ad fidem Christi conuertit. Cui successit Edbaldus, fidei cultor et ecclesiarum nobilis constructor, qui ex regina sua Emma, regis Francorum filia, genuit Ermenredum et Ercombertum, et Eanswidam virginem sanctam. Ercombertus autem patri succedens, sanctam Sexburgam, Anne regis filiam et sancte Etheldrede germanam, duxit in vxorem, genuit[que][7] ex ea Egbrihtum et Lotharium reges, Erkengodam et Ermenildam reginas. Egbrihtus patri successit, cuius soror Erkengoda peregre profecta trans mare religionis amore, ibidem defuncta est; Ermenilda regi Merciorum Wlfero nupsit, que sanctam Werburgam genuit. Ermenredus genuit Ethelredum et Ethelbrictum ex coniuge Oslaua[8], qui postea martirizati sunt. Quatuor quoque filias genuit: Dompneuam, Ermenburgam, Ermengitham, Etheldritham: quarum Dompneua regi Merwaldo tradita est. Conregnabant autem ipse natu tertius, et frater eius Wlferus natu secundus: Fratres enim erant filii Pende regis, cui mortuo successerunt quasi diarche regni. Quibus erant duo germani fratres Peada et Ethelredus: Peada Mediterraneis Anglis prefuit; Ethelredus vero successor fuit fratris sui Wulferi[9] regis. Quorum sorores Kineburga et Kineswida in brigensi monasterio floruerunt, cum beata Tibba consanguinea sua. Merwaldus vero ex Dompneua predicta genuit Milburgam virginem, Mildredam, atque Mildgitham.

[1] T. E. conteritus. [2] E. sumptis. [3] T. mauguntinus.
[4] Collect in T.:

Iocundetur et exultet omnis chorus ecclesie, Recurrente et instante die festo uictorie Quo Melorus Christi martir et athleta certamine Mundum vicit et tirannum innocenti sanguine. V. Ora pro nobis.

Deus qui beato Meloro tale munus contulisti glorie ut regalis prosapie dignitatem ad celi transferret claritatem per martirii passionem, fac nos sic eius precibus hic tibi placere, ut cum ipso in celis mereamur gaudere, per. (cf. Ms. Reg. 8 C. VII.)

[5] Abridged from the Vita partly preserved in MS. Lansd. 436, f. 72 (14 cent.).
[6] T. abauus; E. tritauus. [7] que om. in E. [8] E. oslana. [9] T. wlferi.

Erat enim Merwaldus rex Merciorum paganismo deditus, quando sanctus presbiter Edfridus, doctrina clarus, a Northanhumbria, velut celesti oraculo premonitus, ad conuertendum eum venit. Accepit enim oraculum diuinum vt in terram Merciorum ad locum Redeswode vocatum pergeret, et regem et gentem eius conuerteret. Cumque ad locum appropinquaret, post solis occasum tecto carens sub diuo permansit. Et ecce adest leo quidam immanis, iubis per colla crispantibus: cui vir sanctus intrepidus de pane suo[1] porrexit: et ille porrectum non vt leo, sed mansuetior agno suscepit et ante pedes viri dei se prouoluens gustauit. In crastino ad locum vbi rex manebat veniens, a quodam regis milite ad hospitandum humaniter susceptus est. Sequenti autem nocte rex sompnium vidit, quod mane suis ostensum, veram sompnii interpretationem nullus ei indicare potuit. Regi tandem miles memoratus de suscepto eius hospite suggessit, dicens: 'Domine mi rex, iubeat excellentia vestra sibi virum quendam presentari quem mecum nocte transacta sub tecto recepi, cuius mores a nostris videntur alieni; qui, nisi fallor, cultor fidei christiane est. Qui fortassis, si domini mei regis sompnium audierit, non falsus, vt arbitror, interpres eius erit.' Rex ait: 'Accerciatur, inquit, ocius talis hospes tuus.' Quo accercito, rex sompnium suum ita edicere cepit: 'Nox preterita dum me sompno datum in stratu teneret, videbar mihi videre duos canes teterrimos et immanes me ad iugulandum arripere: e regione vero personam quandam venerabili facie, tonsa per aures in coronam cesarie, mihi presidio adesse et de canum dentibus aurea cum claue, quam in manu tenebat, me potenter eruere. Quo fit vt hinc terreat me tanta canum immanitas et eorum in me grassabunda rapacitas, inde foueat tam festina ab eis ereptio et iocunda ereptoris mei visio. Sed quia nescio quid[2] portenti habeat tam bestia tetra, tam insolens et effera; quid auspicii tam grata persona ereptrix mea et clauigera; mens mea redditur solicita.' Edfridus quidem[3] ad hec ait: 'Rex, gratulare tue visioni: famulatur enim tue perpetue saluti. Quid ergo portendat canum in te grassantium et te iugulare molientium tam horrenda species; quid auspicetur clauigere persone liberatricis tue tam iocunda facies; rex, accipe et intellige. Teterrimi[4] canes et immanes sunt fuliginosi Plutonis satellites, vite et salutis tue mortiferi hostes, quorum tu faucibus in predam et deuorationem daberis, vbi deuoratus semper deuorandus eris vt sic vsque moriens et nunquam morte[5] finiens, perpetuis terroribus, sulphureis fetoribus, dentium stridoribus, ignium ardoribus, penis immanibus et intollerabilibus cum ipsis in tartari medio crucieris: nisi funditus paganismum abnegaueris et ex toto corde te conuerteris ad Christum dei viui filium. Reuerendus

[1] E. sua. [2] T. quod. [3] om. in T. [4] E. Teterum. [5] E. mortem.

clauiger, cuius potentia liberabaris [1], sicut tibi videtur, de beluis tam efferis et voracibus, ianitor est et princeps regni celestis, et in terra Christi saluatoris mundi vicarius. Clauis enim aurea celestis est potentia qua quicquid ipse ligat ligatur, quicquid liberat liberatur. Cui tu domum edificabis in regno tuo ad agendas laudes et gratias die nocteque regi superno, in quem tu corde credens, quem ore confitens, cuius quoque baptismi vestem induens, cum vite gentilis demoniacos abdicaueris ritus, et ydolatrie prophanos abiuraueris [2] cultus, [3] superni regni sedibus mere[be]ris fieri idoneus. Cuius regni frequens et beata leticia, defectus et mortis est nescia; cuius tu felix et perennis heres eris, cum de canum dentibus liberatus fueris per susceptionem sancte fidei beati Petri liberatoris tui, qui confessione Christi filii dei viui claues meruit et principatum paradisi.' Hiis et multimodis fidei rudimentis Edfridus regi Christum preconatur, Christo regem conformari preconando conatur. Quibus diligenter auditis, ait rex: 'Quicquid tua me christiana docuerit eruditio, mea paratur suscipere deuota subiectio, quatinus euadere queam tam horribilis bestie laniatus et rictus.' Statim rex cinere conspersus [4], cilicio induitur, dolet, gemit et totus in penitentiam compungitur, sancti pedibus aduoluitur, paganismum detestatur, et cultum Christi profitens baptizatur. Iam vero lustra bis sena sexiesque vicena peregerat cursus dominice incarnationis, quando Merwaldus rex Merciorum a sancto presbitero Edfrido baptismum et fidei gratiam suscepit, hoc est anno gratie sexcentesimo sexagesimo. Ecce rex hactenus vt leo prefiguratus leone superius memorato, iam non ferox vt leo, sed mitior agno, erroris sui de luco se reum fatendo prodiit, et veritatis fidem, vite panem ab eius conuiua et vite doctore suscepit. Fundata autem in honore sancti Petri ecclesia rebus et possessionibus opulenter ditatur, et beatus Edfridus illi preficitur. Tandem Merwaldus et Dompneua mutuo consensu in castitate vite finem [5] dederunt. Dompneua autem in Thaneto insula, fundato in honore beate Marie monasterio, virgines congregauit, et illis exemplum totius sanctitatis prebens prefuit; cui filia sua Mildreda cum septuaginta virginibus vice materna feliciter successit.——[6] Beata igitur Milburga, sicut suis progenitoribus piis Merwaldo [7] et Dompneue, Merciorum dominis, lux primogenita extitit, sic in regno parentum deo sacratis virginibus viduisque dux primiceria vite celestis prefulsit. Constructo enim in loco qui Wimnicas [8] antiquitus dicebatur monasterio [9], (modo dicto Wenloke [9],) virginibus congregatis prefuit ipsa mater et vite regularis magistra. Ab ineunte enim etate omni studio deo seruire curauit, et ornatus eius, preter quod erat intrin-

[1] T. liberaris. [2] E. adiuraueris. [3] T. E. vt s. . . . merearis.
[4] T. E. consparsus. [5] E. fine. [6] From here in A. SS. Boll. Febr. III. p. 396. [7] E. melwaldo. [8] so T.; E. wimmicas; L. wynwicas.
[9] om. in T.

secus, de exteriori non curauit; appetitores virginalis pudicitie repellebat, nullius nisi Christi solius amorem admittens, cui soli voto ardenti adherebat. Vilescebat ei vita mundialis, sponsus mortalis, proles carnalis: et cenobii discipula pro Christo subdita efficitur. Cum enim vice quadam extra monasterium in quadam villa nomine Stokes[1] moraretur, filius regis cuiusdam eam per violentiam rapere et in coniugium sibi copulare affectabat. Et collecta militum manu cum moliretur sibi predam facere de virgine, ostensa celitus famule Christi iuuenis nequitia, fuga statim cum familia preparatur. Interea vir ille temerarius ad locum veniens, et virginem non inueniens, lupo rapidior[2] agnam Christi fugientem insequitur. Erat ibi amnis quidam nomine Corf[3], vado[4] meabilis et alueo mediocris: quem virgo cum suis fugiens leuiter transiuit, et persequutor iniquus transire non potuit. Nam aqua subito intumescens omnem transeuntibus semitam denegabat. Confusus igitur iuuenis et attonitus, amplius virgini talia inferre non presumpsit. Cum autem auce indomite in eodem loco de Stokes virginis sancte agros occupantes depascerent et passim depopularent, dampno sancte virgini nunciato, non turbatur. Potens enim meritis et virtutibus, auibus illis imperat vt in agris eius earum nulla remaneat, nec in posterum de genere illarum agris suis dampnum aliqua[5] inferre presumat. Virginis itaque imperio volucres hac lege coercentur, vt satis eius vlterius non nocentes, iussis eius obediant et agris valefaciant. Singulis annis hoc miraculum renouant, dum quasi iussionis memores, preceptum transgredi metuunt, et agros vitantes a satis abstinent. Aut enim famelice[6] sic ad pascua descendunt secus agros, aut volatu fatigate, quasi respirando sic perparum eis insident, vt impaste inde citius recedant. Cum autem nocte quadam diutius solito orationibus et contemplationi vacasset, fatigata sopori membra dedit, et orto sole percussa solis radio, de sompno subito expergefacta redditur attonita. Cumque maturius solito attonita procederet, de capite suo sacrum velamen quasi nescia proiecit. Nec mora, solis radius diuino nutu, antequam terram tangeret, illud suscepit, et donec ad se reuersa esset, pendulum in aere coram ipsa mansit. Et celeste miraculum cognoscens, celitus se visitatam intellexit, deo gratias inde libauit, benedixit et magnificauit. Vidua cum filio suo mortuo venit ad virginem sanctam, et solam in oratorio eam inueniens, ad pedes eius cum gemitu cecidit, et vt vite restitueretur filius eius sua intercessione iugiter implorauit. Cui virgo ait: 'Non es[t][7], inquit, sane mentis quod[8] a me fieri deposcis. Vade et sepeli mortuum tuum; teque morti future[9] prepara post filium tuum. Ad hoc enim, vt moriatur, omnis homo

[1] L. Stocas. [2] L. rabidior. [3] L. Crof. [4] L. valde. [5] T. aliqua; E. aliquod. [6] T. familice. [7] T. est; E. es. [8] T. E. quid; L. quod. [9] E. futuram.

nascitur.' 'Non a te, inquit vidua, recedam, nisi prolem meam restituas mihi viuam.' Videns enim virgo sancta mulieris fidem, cum iuxta defuncti corpus in oratione se prosterneret, tantus ignis protinus super eam de celo venit, vt inde tota cooperiri atque comburi videbatur. Quod cum soror quedam vidisset, exclamauit dicens: 'Domina mi, surge velocius et de incendio exire festina: totam te igne coopertam grandi video.' Quo dicto, tota species ignea ab oculis eius euanuit: et surgente ab oratione virgine, vidue filius a morte resuscitatus matri redditur. Decursis in omni sanctitate et puritate duodecim lustris, ingrauescente corporis molestia, et febribus fatigata, conuocatis sororibus ait: 'Vos, inquit, hactenus, dilectissime sorores, sicut anime mee viscera dilexi et sicut mater filiis pia solicitudine prefui. Iam vero diuina pietate cursu[m][1] peregrinationis mee terminante, et superne vocationis[2] me ad brauium misericorditer inuitante, carnis vniuerse viam ingredior. Deo et beate Marie vos relinquo.' Et multis salutaribus monitis et exhortationibus illas instruens, septimo kal. Iulii migrauit ad Christum, et in monasterio suo cum honore sepelitur[3].

[MS. Tib. adds: *Incidencia*[4].

Felix papa in honore sanctorum Cosme et Damiani nobilem Rome construxit ecclesiam, in qua (quidam uir sanctis martiribus seruiebat cui cancer unum crus totum consumserat. Et ecce dormiente illo sancti Cosmas (et Damianus deuoto) suo apparuerunt, unguenta et ferramenta secum) portantes. Quorum unus (alteri dixit: 'Vbi) carnes accipiemus, ut abscisa ca(rne putrida locum uacuum repleamus?' Alter ait: '(In ci)miterio sancti Petri ad uincula hodie (ethiops) recens sepultus est: de illo affer ut (huic ap)ponamus[5].' Et ad cimiterium properans (coxam Mau)ri attulit. Prescidentes coxam inf(irmi, loco) eius coxam Mauri inseruerunt, et (plagam) diligenter ungentes, coxam infirmi a(d cor)pus detulerunt Mauri. Euig(ilans autem cum) se sine dolore sensisset, ma(num ad coxam ap)posuit et nichil lesionis (inuenit. Que comperto), ad tumbam Mauri quidam (miserunt, et coxam Mauri prescisam et) coxam predicti uiri loco (illius in tumulo posi)tam inuenerunt.]

[1] T. E. cursu; L. cursum. [2] E. adds gratia. [3] L. adds Inventio corporis from Otto Ostiensis libellus de miraculis Inventionis s. M. (in MS. CCCC. 433?). [4] From Leg. Aurea, p. 639. [5] L. A. suppleamus.

[1]¶ De sancta Mildreda virg. et abbatissa[2].

VIrgo sancta Mildreda ex nobili prosapia orta est: cuius tritauus extitit Ethelbertus Cantuariorum rex, per Augustinum, Anglorum apostolum, conuersus. Cui successit Edbaldus filius suus; qui qualiter cum plebe ad ydolatriam rediit, et postea resipuit, in vita sancti Laurencii superius vide. Hic Edbaldus Ermenredum et Ercombertum[3], et sanctam Eanswidam genuit. Ermenredus rex genuit Ethelredum et Ethelbrictum, et filias quatuor: Dompneuam, Ermenbirgam[4], Ermenburgam, et Ermengitham. Dompneua genuit sanctam Milburgam, Mildredam, Milgitham, et Merefin puerum[5] sanctum. Interfectis enim sanctis martiribus Ethelberto et Ethelbricto[6] rex Cancie Egbertus, accersita martirum sorore Dompneua, in Thaneto insula locum ad construendum monasterium concessit pro germanorum memoria et sua indulgentia, sicut in vita martirum clare elucescit[7]. Hinc enim Dompneua filiam suam Mildredam, sacris studiis imbuendam, vltra mare mittit. In seculari enim habitu ad monasterium virginum, nomine Kalum[8], destinata, et literis[9] tradita, in breui tempore cunctas virgines humilitate et virtutibus superabat. Erat autem eiusdem abbatisse propinquus iuuenis spectabilis, nobilitatis magne: quem totius mali incentor in amorem virginis accendit; abbatissaque acrior insurgit, precibus, blanditiis puellam occupans, ad nuptias concitauit. Virgo vero super firmam petram, contra omnes impetus temptationum fundata, cuncta respuens dixit: 'Quomodo, doctrix castimonie et dux virginum, ad corruptionem allicis? mater me huc ad scolas direxit, non ad nuptias; pudicitie hic documentum quesiui, non maritum; ad virtutum instructionem[10] veni, non ad matrimonium.' Quo audito, abbatissa insequitur suppliciis, cedibus, verberibus, et precibus, vt voluntati sue acquiescat. Et cum nullis blanditiis nec verberibus consentire vellet, abbatissa, furore succensa, in caminum vasto incendio preparatum et inflammatum virginem impulit, et ore fornacis obstructo, omnis vapor intrinsecus constringitur. Nullus tamen omnino ardor, nullus estus eam tetigit, sicut nulla libido mentem eius maculauit. Post trium vero horarum spacium, cum sancta uirgo non solum carnibus sed ipsis etiam ossibus consumpta crederetur, abbatissa ad fornacem veniens, audiuit virginem clara voce domino[11] psallentem: 'Igne me examinasti, domine, et non est inuenta iniquitas in me.' Patefacta autem fornace, egressa est virgo splendidissima, cunctos in admirationem et quasi in extasim conuertens. Fideles hec audientes, virginem sanctam venerantur, et

[1] Ed. in A. SS. Boll. July III. p. 491. Abridged from the Vita by Goscelin in MS. Vespas. B. XX., Harl. 105, Harl. 3908 Rawl. C. 440. [2] et abb. om. in T. [3] E. ercombertam. [4] Cf. S. Milburg. [5] E. puerorum. [6] Their Passio is related in Goscelin's Vit. S. Mild. [7] E. elucessit. [8] T. Kalum; E. calum. [9] E. liberis. [10] G. instrumentum. [11] E. domino clara voce.

aduersarii[1] confusi, etiam inuiti obsequuntur. Abbatissa enim[2], vnde resipiscere debuerat et proficiendo penitere[3], acriore armata furore, virginalem palmam[4] magis quam propriam tirannidem erubescere cepit. Et post aliquot dies humilem dei ancillam solam[5] inueniens, in eam irruit, inuadit, impetit, et insertis vtrisque manibus in virginis cesariem, in terram allidit, pedibus illam calcat, calcibus terit, tundit pugnis, lacerat vnguibus, discerpit crines et extirpat. Mildreda crines auulsos arripiens, in loco secreto recondit, et castitatis periculum formidans intimo spiritu dominum rogat quatinus eam a tantis dyaboli laqueis eripiat, natali solo intactam reddat, vel in paradisum animam suam recipiat. Psalterium interim scribit, et crines, quos absconderat, in libello collocans, per fidum nuncium matri transmittit, verbis lachrimosis expostulans quatinus ipsam inter sathane venabula periclitantem ab angustiis eripiat. Tunc mater sua, missis nauibus cum legatis, pro filia misit: abbatissa tamen, pro illatis virgini iniuriis fame sue iacturam timens, nulla prece instigata illam dimittere voluit. Mildreda vero statuta nocte egreditur, et ab egiptiaca seruitute liberata, redemptori gratias referebat. Cumque quorundam vestimentorum ecclesie, necnon claui[6] confixionis[7] dominice, que[m]` multo precio comparauerat, subita fuga cogente oblita fuisset, fusa ad deum prece rediit, desideratum thezaurum[9] cepit, et secum attulit. Deprehensa diluculo virginis fuga, omnis virginum chorus in planctum conuertitur, et persecutrix, pulsatis campanis, omnes aduocat, episcopi auxilium efflagitat, et cum eo validam manum ad rapiendam virginem mittit. Virgo interim sancta cum suis nauem paratam intrans, maris contracti reuma solummodo expectabat. Aspicientes interim naute armatos persequentes appropinquare, mortis formidine concussi, quid facerent ignorabant. Nulla resistendi fiducia, nulla erat fuge via; hostes appropinquabant[10], refugium maris ab[s]cesserat, siccum littus nauem alligabat. Cumque virgo sancta eleuatis ad celum manibus preces deuotas pro sua liberatione deo fudisset, littus omne mare subito occupans, naues eleuat, et militares cuneos longius proturbat[11]. Delusa itaque persequentium malicia, Mildreda de manibus impiorum erepta, ad portum insule qui Ipplesflet[12] vocatur, applicuit. Ibi enim quadratum saxum magnum diuinitus preparatum inuenit, et cum Mildrede descendentis de naui vestigia excepisset, ita ea [sibi] quasi recenti niui[13] aut luto infixa subito ostendit, vt omnes eius comites, miraculum hoc videntes, in admirationem et stuporem conuerteret. Non solum eternaliter durat hoc signum virginea planta formatum, verum variis languoribus afflicti lapidem radunt et potato puluere, sanitatem consequuntur. Lapis ille, sicut a nonnullis pro-

[1] E. aduersariis. [2] r autem. [3] G. proficere. [4] G. virginalis palme. [5] E. solum. [6] E. clauis. [7] E. confictionis. [8] T. E. que. [9] T. thesaurum. [10] G. hostis occupat. [11] T. E. perturbat. [12] E. ipplesfec; G. Ipplesfleot. [13] T. E. niue.

batur, a loco illo remotus et ablatus iterum post modicum in sua sede reperitur. Miro modo, quasi ramus arboris, trahentibus cedit [1], dimissus vero velut naturaliter in suum resilit [2] locum. Hiis populi accensi virtutibus, oratorium in memoriam virginis sancte construentes, sacra porticu saxum illud collocarunt. Accersito tandem Theodoro archiepiscopo, cum septuaginta virginibus habitum religionis suscepit, et de consensu matris eius Theodorus eam abbatissam consecrauit. Virgo autem sancta virtutis via progredi non tam sororibus imperat quam monstrat, exemplis prouocat; et omnibus humilior apparebat. Ministra esse malebat quam magistra, prodesse quam preesse, famulatu quam precepto charitatis obsequium docere, diligi potius quam timeri satagebat, iugi abstinentia et vigiliis, orationibus assiduis deo seruire studebat. Cum autem nocte quadam ardente lumine orationibus vacaret, inimicus generis humani candelam eius exsufflans penitus extinxit. Cuius insidiis angelus domini adueniens obstitit, hostem longius excussit, et lumen legenti restituit. Victus ergo malignus in suam perniciem alias molitur insidias, occupare virginem aggreditur dormientem, quam vigilantem superare non poterat. Munita tamen armis fidei et signaculo crucis signata quiescebat, et angelus domini adueniens, dormienti assedit, et splendentibus complexam alis obtexit. Exterritus hoc aspectu inimicus, pauore coactus retrorsum ruit, et cum horrendo eiulatu procul aufugit. Hec enim per soporem dilecta deo anima contemplans, hostem ruina sua tabescentem vidit. Cum enim nocte quadam orationi cum lachrimarum profluuio intenta esset, apparuit ei spiritus sanctus in specie columbe, et in capite eius sedere cepit, alis applaudens totum caput velut corona quedam [3] astringebat, diu persistens et amplexans caput eius, vt pre splendore per vnam fere horam videri non posset. Appropinquante die obitus sui, vocatis sororibus suis inter cetera dixit: 'Pacem et sanctimoniam inter vos habete, charissime, charitatem dei et proximi seruate, inuicem onera portate, inuicem obedite, et deus pacis ac dilectionis maneat semper cum omnibus vobis.' Hiis et huiusmodi peroratis hortatibus, tertio Idus iulii migrauit ad dominum, et in monasterio a matre sua constructo, et cui preerat ipsa, cum magno honore sepulta est. Huic in regimine successit sancta virgo Edburga; que [4] cum sanctam Mildredam ad locum decentiorem transferre vellet, congregato clero et aperto sarcophago, virginem cum vestibus mundissimis integram et incorruptam inueniunt vt dormienti similior quam mortuo appareret. [5] Pirate tandem Danorum in insulam irrumpentes, plebem cedunt, laniant, omnia vastant, et virgines sanctas cum suo monasterio voraci flamma comburunt, et sic de monasterio illo famoso ecclesia plebeia facta est. Anno autem

[1] E. sedit. [2] E. resilit in suum l. [3] E. quedam G. florida [4] E. qui.
[5] From the Textus Translationis.

domini millesimo septimo, regnante rege Canuto, Elfstanus abbas sancti Augustini cum corpus sancte virginis ad monasterium suum transferre cogitaret, nocte quadam apparuit ei quidam vultu et habitu lucidissimo, dicens: 'Scias me optatum tibi nuncium adesse: et de preciosi corporis sancte Mildrede translatione desiderium et votum tuum consequeris et adimpletum videbis. Sic enim placitum et secretum est gratie dei, dilecte sponse sue honori multorumque saluti prospicienti.' Assumpto autem corpore sancto in pulverem resoluto, ad ecclesiam suam detulit et in feretro precioso cum honore illud collocauit. Regnante Edwardo sancto confessore, Emma mater eius, accusata regem Norreganorum ad inuadendum[1] Angliam concitasse thesaurumque infinitum[2] illi misisse, vniuersa eius substantia regi proscripta, Wintonie morabatur, omnium aspectus et colloquia fugiebat. Quadam autem nocte mentem angustiis fessam et sopore depressam, puella quedam[3], sacro velamine decorata, consolata est dicens: 'Quare, inquit, merore consumeris? pro rebus perituris cur te perdis? Quoniam nihil sint terrene diuitie, pereundo te docuerunt, que a te cum amatoribus suis defecerunt. Proinde bonum est sperare in domino quam in principibus et thesauris pecunie. Audi tamen consilium meum, et beate Mildrede auxilium missis muneribus implora, cuius suffulta suffragiis honori et dignitati restituta, omnes persequutores tuos indulgentiam suppliciter a te flagitare videbis. Ego sum, inquit, Mildreda Christi famula, cuius opem te exposcere suadeo: ecce interuentu meo diuina tibi presto sunt solatia.' Cumque regina, vt iussum fuerat, omnia deuote complesset, rex maternam iniuriam egre ferens, in pristinam dignitatem eam reuocauit, et veniam supplex petiit. In festo sancte Mildrede quidam campanas pulsantium ante altare sancte virginis sedens, dormire cepit. Et ecce virgo sancta, inestimabili decore fulgida, de tumba procedens, sibique minaciter accedens, elata palma alapam ei dedit, dicens eum, oratorium, non dormitorium ibi esse. Ille a sompno exiliens, sicut prius dormiens viderat prodeuntem, ita prorsus vigilans redeuntem vidit tumbamque subeuntem. Cum ecclesia pristine requietionis sue reparari deberet, et de sumptu soluendo esset multis, vir quidam diues vidit in sompnis totum Thaneti populum collectum inuicem de sumptu conferre et ecce astitit in medio puella quedam decora nimis, dicens: 'Audite amatores seculi, et corruptibilium facultatum custodes ac serui. Vos graue fertis succurrere edificio domus dei, in perituris confiditis, in bonis permansuris non speratis; sed que retinetis, peribunt, que erogatis, eternaliter multiplicata manebunt. Ecce ego, plus omnibus vobis, huic structure proficiam, plus mea valebit inopia quam omnis habun-

[1] T. E. inuadendum. [2] E. infinitam. [3] E. quella puedam.

dantia vestra.' Quibus a multis auditis operis consummationi sedule[1] insistebant. Et cum lignum trabale, in quo laquearia tecti figerentur[2], tribus pedibus inuentum esset breuius pariete, cui superponeretur, contristatus artifex beate Mildrede auxilium suppliciter inuocauit. Mane autem facto, iuxta mensuram operi aptam, tribus pedibus productius[3] reperitur. Senior quidam, de beata Mildreda, quod in ecclesia sancti Gregorii Cantuarie, vbi canonici sunt regulares, teneretur et corpus eius ibidem coleretur, errans, vidit in sompnis in natali eiusdem virginis angelum domini sibi dicentem: 'Surge iam, surge et ad nuptias sancte virginis Mildrede procede.' Quo tertio audito, ille respondit: 'Vbi queso, ait, domine, eam esse credemus?' 'Apud sanctum Augustinum,' inquit angelus. Et ille: 'An non potius est, inquit, apud sancti Gregorii ecclesiam, vt nos arbitramur?' 'Nequaquam id credas,' ait ille; 'Ibi enim nunquam fuit; verum indubitanter scias quia apud sanctum Augustinum est.' Et ecce subito videt aulam, in qua quiescebat, splendore nimio choruscare; celi aperti sunt, et inestimabili luce effusa, angelos atque supernorum agmina cum immensa claritate descendere, et beatam Mildredam regio diademate prefulgidam, gemmis et omni ornatu glorie decoratam, summo omnium tripudio et concentu[4], vsque in ecclesiam sancti Augustini tumbamque suam descendere, clare prospexit.——Inueni enim scriptum in cenobio sancti Gregorii Cantuarie, quod anno domini millesimo octuagesimo quinto Lamfrancus[5] archiepiscopus corpora sanctarum virginum Mildrede et Edburge, in Thaneto insula sepulta, de terra leuauit, et in ecclesia beati Gregorii Cantuarie, quam ad pauperum solamen, paulo ante de rebus ecclesie cui presidebat, ditauerat, cum magno honore transferens collocauit. Ibi reuera scrinium satis preciosum aduentantibus ostenditur; sed et altercationem inter monachos et canonicos pro corpore sancte Mildrede, nondum tempore nostro sedatam, peritioribus discutiendam relinquo, qui quod in vtroque loco scriptum repperi, ad futurorum noticiam venire volui[6].

[MS. Tib. adds: *Narratio*[7].

Vir dei nomine Ysaac (de Syria in Spole)tanam urbem ueniens, peciit (ut quantum uellet) licencia sibi concederetur in (ecclesia orandi. Et) cum unus ex custodibus eum per tres dies (con)tinuis orationibus uacare conspiceret, superbia inflatus hunc simulatorem dixit, et alapam dedit, ac de ecclesia exire precepit. Et ecce repente ultor spiritus illum inuasit, et per os illius clamare cepit: 'Ysaac me euertit.' Quo ad preces uiri dei sanato; monasterium construxit et

[1] r. sedulo. [2] E. fugerentur. [3] Boll. productum. [4] T. concensu. [5] T. lanfrancus. [6] As to this question, there is a libellus contra inanes usurpatores S. Mildrethae, by Goscelin, in MS. Vesp. B. XX. [7] Cf. Vinc. Bell. XXII. 75.

fratres multos congregauit. In cuius ortum fures nocte ingressi, mutata per spiritum mente uangas quas inuenerunt apprehendentes, cuncti orti illius spacia coluerunt. Ad quos mane ingressus uir dei, ait: 'Gaudete fratres multum laborantes: iam quiescite,' et alimenta prebens illis, post refeccionem dixit: 'Nolite malum facere: sed quociens de orto aliquid uultis, petite, et cum benediccione accipientes a furti prauitate cessate.' Quos statim collectis oleribus onustari fecit, et dimisit. Accesserunt ad eum peregrini quidam, scissis uestibus misericordiam postulantes, ita ut pene nudi uiderentur. Et cum uestimen[ta] peterent, uir dei discipulo suo precepit ut ad siluam pergens, quod in caua certa arbore inueniret quantocius deferret. Qui pergens, uestimenta reperta magistro suo attulit: que peregrinis conferens dixit: 'Ecce, uestite uos.' Quo uiso, magno pudore consternati sunt, et qui fraudulenter uestimenta querebant aliena, confusi receperunt sua[1].]

¶ [2]De sancta Modwenna virgine et abbatissa[3].

VIrgo quedam fuit in Hibernia[4] nomine Modwenna, decora facie, nobilis parentele, sed multo nobilior moribus et sanctitate. Erat enim filia Maugthei[5] regis, mater eius Choman appellata est. Hec enim virgo a puellari etate virginitatem suam deo commendauit. Contigit enim eo tempore sanctum Patricium in Hiberniam aduenisse, ad predicandum gentibus illis fidem Christi, que partim paganicis erroribus inuolute [erant][6], partim fidem nondum plene intelligebant. Venit igitur Modwenna ad eum cum ceteris fidelibus, auditura verbum dei. Quem cum egregie de virginitate seruanda, de premiis iustorum et penis malorum disserentem audisset, amoris diuini vehementi desiderio succensa, vestigiis episcopi prostrata habitum monialium cum lachrimis deuote postulauit, asserens se velle virginitatem eligere, in qua valeret Christo domino vsque ad obitum suum militare. At ille gratiam dei in ipsa manentem intelligens, gauisus est, et velans eam, ancillam domino immaculatam consecrauit; et virginem nobilem nomine Atheam, ipsius cognatam, eidem commendauit. Cepit igitur Modwenna literis sacris intendere, vani-

[1] Collect:

Gaude uirgo gloriosa in Christi tui gloria. Mildreda benignissima, proles regum clarissima. Merciorum margarita, Cantuarie corona, tocius Anglie stella radians et transmarina: faue cunctis prece tua. V. Dilexisti iusticiam.

Deus, auctor castitatis, quem tota deuocione beata uirgo Mildreda dilexit in terris, concede propicius ut eius sanctis intercedentibus meritis te semper hic et in euum mereamur habere propicium. Qui cum deo pa. et s. s. uiuis et reg. deus per.

[2] Abr. from the Vita by Gaufrid of Burton in MS. Reg. 15. B. IV. which differs in many points from the Vita by Conchubranus in MS. Cleop. A. 2 ed. in A. SS. Boll. July II. 297. [3] et abb. om. in T. [4] T. Fuit in H. virgo quedam. [5] E. naugthei. [6] om.

tates seculi contempnere, monita sancti Patricii assidua meditatione reuoluere, cor (quoque)[1] suum et actus suos omni custodia obseruare, orationi cum lachrimis et suspiriis frequenter incumbere, corpus ieiuniis attenuare, vigiliis affligere, tota anima, tota virtute deum diligere, amori Christi nihil preponere, terrena omnia vt caduca pura mente calcare, ad brauium celestis regni totis nisibus anelare, penas inferni horrore nimio expauescere, ad premia vite eterne infatigabili desiderio suspirare. In tantum enim in ea conualuit superna gratia, vt frater eius Ronanus, exemplum eius imitatus, seculum omne relinqueret; et in Christi miliciam sibi associatus, postea religiosus episcopus factus est. Pater quoque a criminibus se compescuit, et mater per annos quindecim summe religioni dedita, finem vite sue in sancta conuersatione consummauit. Post hec virgo Christi parentibus orbata, ad altiora transcendere concupiscens, audita fama cuiusdam sancti episcopi nomine Hibar, qui in insulis occeani[2] cum discipulis suis vitam artissimam ducebat, ad eum quantocius cum paucis properauit. Et considerans laborem manuum eius, abstinentie rigorem, affabilitatis iocunditatem, vite meritum, virtutumque miracula, ab eo benigne instructa regreditur. Constructo in quodam monte[3] cenobio, [cum][4] Athea et Ronano fratre suo habitauit; solis crudis sepe sustentata radicibus, orationibus assiduis vacabat; nemini onerosa existens, nullius elemosinam petens, de operibus manuum suarum sibi suisque victum querens, virilem animum in sexu femineo preferebat. Proscindebat terram ligone, propria manu semen iactabat, rastris illud operiens et sarculo agrum purgans. Confluebant ad eam matrone nobiles, regine quoque et virgines, verbum dei ab ea audientes. Et adiuncte sunt ei virgines octo: inter quas[5] fuerunt sancta Brigida et Orbila. Cum hiis erat et vna vidua, habens infantulum nomine Luger: quem cernens bone indolis, adoptauit eum in filium, et summo studio enutriens, fide et moribus reddidit eruditum. Iste Luger die quadam vaccam cum vitulo custodiuit, quem veniens lupus subito rapuit et coram oculis suis deuorauit. Quod cum domine sue nunciasset, illa ait: 'Accipe baculum meum, fili mi, et vade ad eum, et dic ei vt veniat ad me.' Qui lupum adhuc cum vitulo inueniens, tetigit eum baculo, dicens: 'Domina mea precipit[6] vt venias ad eam.' Qui statim consurgens, in modum domestici canis sequebatur eum, et prostratus ante pedes virginis, omni feritate deposita, quasi culpe conscius et penitens veniam postulauit. Ad quem illa ait: 'Quare deuorasti vitulum nostrum? Ecce precipio tibi in nomine Ihesu Christi, vt ad vaccam cuius vitulum deuorasti pergas et illam a bestiis custodias, ducens ad pascua et reducens; de siluestribus viue, quicquam domesticum

[1] om. in T. [2] Vit. occidentalis o. [3] Vit. in monte qui dicitur Focard. [4] so T.; om. in E. [5] T. que. [6] E. precepit.

non comedas, nec amplius cuiquam homini dampnum facias.' Lupus mandatis eius obediens, contra naturam domesticus factus, custodiebat cum diligentia vaccam sicut pastor: et illa lingebat eum et amabat quasi vitulum suum. Ex illo lupi propagati, vsque in presentem diem per tria miliaria ecclesie pecora custodiunt. Sunt enim minores ceteris, et albas in frontibus notas habent; nulla domestica ledentes, sed de siluestribus victum queritantes. Hiis et aliis miraculis Luger confortatus, et sacerdos effectus, tandem ad episcopatum sublimatus, multos ab infidelitate reuocans in vera fide et sanctis operibus confirmauit. Cum autem latrones duas vaccas sancte virginis rapientes fluuium quendam transire vellent, inuenerunt aquas ita feruidas, vt eorum vestigia calorem fluminis nullo modo tolerare possent. Stupefacti fures, post magnos labores cum se a monasterio elongari[1] putarent, diluculo prope ecclesiam virginis se videntes, ad pedes eius prostrati, culpam confitentes veniam consequuti sunt. Erant autem in monasterio sancte virginis[2] centum quinquaginta virgines congregate; omnes opere manuum victum et vestitum sibi[3] querentes, in magna sanctitate vitam suam transigebant. Virgo tandem sancta, preficiens illis Orbilam in abbatissam et matrem, ad alium locum transire disponebat. Ad quam illa ait: 'Quomodo possum obtemperare iussis tuis, o domina, cum sim[4] iuuencula et timeam etati mee, ne si forte absque te remansero, iuuenes propter decorem corporis et speciem capillorum conentur me furari deo et abstrahere a proposito sanctitatis? Parce mihi domina, parce, [et][5] ne derelinquas me.' Cui illa respondit: 'Confortare filia, et age viriliter, et fiduciam habe: quoniam deus adiuuabit te. Et vt cognoscas quod ipse te elegerit, et iuxta preceptum eius fecerim omnia hec, iam videbis in te mirabilia eius.' Tunc assumens zonam propriam, circumcinxit de ea Orbilam, et signum crucis super illam faciens insufflauit ei: statimque factum est caput eius album decora canicie, et facies eius mutata in alia effigie, quasi esset seuere etatis et venerabilis senectutis. Et dixit ad illam: 'Ecce mutato corpore mutaberis etiam et nomine, et vocaberis Seruila pro Orbila, vt cognoscas quia dominus non te ad dominandum prefecerit[6], sed ad seruiendum.' Videns autem Orbila, que et Seruila, circa se tanta fieri mirabilia: in aliquo hesitare nec contradicere audens, cuncta sibi imperata deuote suscipiens; cunctis affabilis, [amabilis][7], proficiens et bona exempla ostendens, vsque ad vltimam senectutem virtutibus ornata iniunctum sibi officium deuote consummauit. Assumptis autem quadraginta [nouem][8] virginibus, in monte quodam cenobium construxit, et a cellis, que con-

[1] E. elongare. [2] E. virginis sancte. [3] T. victum sibi et v. q. [4] E. sum. [5] so T.; om. in E. [6] E. prefecerat. [7] T. amabilis; E. omnibus. [8] om.

struebantur in cliuo montis. Cellisciuium[1] appellauit. In illo enim loco sancte virgines crudas herbas, arborum cortices, herbarum radices comedentes, in magna abstinentia, assiduis orationibus et vigiliis, humili spiritu deo seruiebant. Subulcus quidam regis vbique per solitudinem greges suos querens et non inueniens, tedio affectus auxilium virginis desperans implorauit. Cui illa ait: 'Vade secure, et omnia que perdidisti, a feris intacta reperies a deo custodita.' Pergens ille et cuncta vt dixerat reperiens, elegit porcum optimum, et in frusta[2] discerptum acturus gratias detulit ad virginem. Que hoc recipere noluit, sed dixit non licere sororibus edere de huiusmodi cibo, quia seculares mores pro amore diuino deseruerant, et alios mores habentes in cibis et potibus et in cunctis ceteris rebus, festinare ad altiora cupiebant. Cumque ille pro occisione porci, et quia virgo munus suum non acceptauerat, tristaretur, fecit eum vocari ad se; singula membra porci ordinatim per propria loca composuit, et facta oratione atque signo crucis edito, viro desolato miranda virtute animal mortuum viuum restituit, et ait: 'Accipe porcum tuum, et esto fidelis vsque ad mortem, sperans in domino et faciens bonitatem, et amodo famulare[3] ei fiducialius, qui potest facere mirabilia magna solus.' Misit autem sanctus Patricius octo presbiteros ad visitandum et consolandum sanctam Modwennam; vt reuersi, quid ageret qualiterque se haberet sibi denunciarent. Qui per solitudinem pergentes, a quinquaginta latronibus, raptis omnibus que secum portabant, crudeli morte perempti sunt. Erat autem Glunelach princeps eorum, qui per loca siluarum vagantes latrocinia exercebant, multa scelera perpetrabant, nullam hominum pietatem habebant, sed quoscunque[4] reperire poterant, depredatis eorum omnibus, absque ulla[5] miseratione eos trucidabant. Quod cum Modwenna cognouisset, martirio quidem eorum congaudebat, eo quod[6] mortis compendio ad gaudia transierant eterna; sed compatiebatur corporibus insepultis que[7] bestiis deuoranda proiecta manebant; maiorem super omnia habens dolorem super sceleratis hominibus qui tormenta sibi preparata nec credebant nec metuebant. Orauit autem intenta prece ad dominum quatinus a predonibus pacem acquirere, et corpora martirum illesa sepelire posset. Et ecce astitit ei angelus domini dicens: 'Vade cum sororibus tuis sanctorum corpora querere; habens fiduciam et nihil hesitans, quia dominus adiuuabit te.' Assumptis autem secum quadraginta nouem virginibus, venit ad locum vbi corpora mortua iacebant. Et ecce Glunelach latro cum suis quadraginta nouem illis occurrens, vesano amore captus, ad rapiendum eas properabat. Quod videns Modwenna, sorores trepidantes nihil hesitans consolata est, dicens: 'Nolite expauescere, sed

[1] E. cellisclinium. [2] E. frustra. [3] E. familiare. [4] E. quotienscunque. [5] E. nulla. [6] E. coque. [7] E. qui.

orate dominum puro corde: et iam videbitis mirabilia eius.' Cumque illi appropinquarent, et nihil amplius restaret nisi vt quisque suam raperet, ecce sopor domini statim irruit super eos, et corruentes proni in terram obdormierunt: et a prima hora diei quinte ferie vsque ad nonam septime nec se mouentes nec respirantes quasi penitus mortui iacuerunt. Apparuit autem angelus domini magna claritate resplendens, et ait Modwenne: 'Constans esto et age fiducialiter: et venite mecum tu et Glunelach: assumam enim vos et ostendam vobis archana dei, et horrenda et desideranda.' Ad hanc vocem ambo rapti de corpore sequuti sunt angelum dei. Qui demonstrauit eis penas inferni et horribiles cruciatus, deinde quasi sedes amenas atque florigeras in paradiso, et secundum meritorum qualitatem mansiones diuersas speciosas valde ac[1] delectabiles. Cumque vidisset Glunelach inter ceteras vnam speciosissimam et ceteras decore et pulchritudine precellentem, et inenarrabiliter ei placuisset, rogauit Modwennam vt interrogaret cuius esset illa mansio. Et ait illa ad angelum: 'Domine mi, cuius est mansio hec?' Angelus respondit: 'Ista mansio preparata est cuidam religioso pontifici Cheuin nomine, qui septem annos, viuens satis districte, iam transegit in heremo[2] et tale habitaculum eternaliter meruit possidere in celo.' Hiis visis ad corpus vterque regreditur, et Modwenna ceteros adhuc dormientes excitauit, dicens: 'In nomine sancte trinitatis, surgite.' Tunc omnes expergefacti, sederunt super faciem terre, tanquam obliti vbi essent aut vnde venissent—nondum enim attoniti se valebant considerare. Tunc Glunelach ad se reuersus ad pedes sancte virginis prostratus corruit et veniam ac misericordiam humiliter postulauit, dicens: 'Domina mea sanctissima, consule seruo tuo, auxiliare misero, fac me participem dei tui, ne incurram penas inferni quas vidi; impetra mihi apud ipsum quatinus talem in celo merear habere mansionem qualis tibi monstrata est esse cuidam Cheuin pontifici in paradiso.' Cui illa: 'Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.' Ille vero cum lachrimis dixit: 'Credam, domina, quecunque docueris, et faciam quecunque preceperis.' Videns autem hoc Alphin filius sororis Glunelach, et ad se reuersus, pedibus virginis prostratus dixit: 'Domina mea, sicut videro auunculum meum iuxta consilium tuum agere, ita ego paratus sum tibi per omnia absque contradictione fideliter obedire.' Ceteri enim, arti magice cuncta ascribentes, pauore exterriti ad longinquas regiones discesserunt, nec vlterius in partibus illis cuiquam nocere presumpserunt. Modwenna vero corpora sanctorum in monasterio suo sepeliuit, et Glunelach et Alphin instructos in fide baptizari[3] fecit, et literis imbuendos tradidit. Qui in timore dei proficientes, et episcopi facti, dies suos

[1] T. ac; E. et. [2] E. herimo. [3] E. baptizare.

in sancta conuersatione feliciter consummarunt. Hiis ita gestis, hostis antiquus, omnibus bonis inuidens, non cessat machinari dolos quibus decipere valeat christianos. Hic accessit ad Cheuin episcopum, similitudinem assumens clerici; et velut ei compatiens atque querimoniam faciens, miserationem de illo se habere simulans, aures eius extrinsecus verbis fictis deliniens, cor illius temptans intrinsecus et veneno iniquitatis inficiendo corrumpens, ait illi quasi dolens pro eo: 'Quid hic agis, Cheuin pontifex et fortissime heremita? Cur perdis iuuentutem tuam in hac vastissima solitudine? Quid profecerunt tibi septem anni quos iam transegisti districte viuens in ista heremo, in quibus macerasti corpus tuum ieiuniis, animam afflixisti vigiliis, cor tuum cruciasti inaniter gemitibus atque suspiriis? Quid valuerunt tibi vrtice et malue et olera que in cibum accepisti, crude herbe, fructus siluarum, arborum cortices et radices? Vbi sunt lectiones tue in quibus frequenter pernoctabas, compunctiones[1] intime, orationes assidue? Vbi sunt labores manuum quibus diu frustra desudasti; vbi suffusiones lachrimarum, vbi desideria eternorum? Ecce omnia abstulit tibi Modwenna, [que][2] promisit Glunelach latroni pessimo, pactum firmum cum eo faciens, se daturam ei locum tuum et mansionem quam[3] tua merita preparauerant tibi in celo. Aut si estimas me falsa dicere, mitte mecum quoscunque placuerit ad eius monasterium: et ibi Glunelach et Alphin literas discentes et cum virginibus cohabitantes poterunt absque dubio reperire. Vide ergo quam incassum laborasti, cum isti duo latrones pessimi precedant te in regno dei. Recogita itaque de te, miser, et tandem aliquando respice miserans temetipsum: quia multo melius fuerat saltem temporalem habere leticiam, quam semper in angustiis existentem amittere vtramque simul, et transitoriam et eternam.' Hiis auditis episcopum grauis temptatio inuasit: et mittens ad monasterium, et vera omnia cognoscens, iracundia magna commotus et seipsum capere non valens, diabolico exagitatus furore vitam preteritam et labores obliuiscens, de pio crudelis, tirannus de presule, de defensore desertor efficitur: sumit arma, socios iniquitatis ag[g]regat, vltionem desiderans. Modwennam enim cum suis omnibus furtim incendere, et monasterium eius quamcitius poterit radicitus extirpare proponit. Et ecce angelus domini apparuit Modwenne oranti, dicens: 'Surge velociter et festina et sta in occursum Cheuin: quia diabolus temptat eum, et venit perdere te pro Glunelach et Alphin, et ecclesiam tuam delere. Sed vade: quia dominus tecum est: qui docebit te qualiter te ipsam ab illo custodias, et ipsum ab inimico qui eum fefellit eripias.' Assumptis autem secum aliquibus uirginibus, perrexit ad locum quendam: et prospiciens a longe episcopum venientem cum clericis [et][4] satellitibus

[1] T. compunciones. [2] T. E. et. [3] Vit. que. [4] so T. om. in E.

similiter arma ferentibus, prostrata in terram deum cum lachrimis exorauit. Surgenti autem a terra apparuit diabolus, cum iam episcopus accessisset propinquius: et conspexit velut ethiopem nigrum puerulum ad sinistrum pedem illius pendentem, ad sinistram eius aurem mala susurrantem, et in corde eius iniqua consilia seminantem. Tunc illa constanter signum crucis in fronte faciens, perrexit obuiam illi, et cum magna fiducia dixit: 'In nomine domini nostri Ihesu Christi sta ibi, Cheuin, et expecta paulisper: esto quietus et ne mouearis aduersum me, donec loquar tecum et audias sermonem domini de ore meo.' Ad hanc vocem stupefacti omnes et vehementer exterriti, manifesta dei virtute attoniti constiterunt. Loquuta est autem ad episcopum Modwenna dicens: 'Eya, frater, quare tam subito permisisti sathanam sine obstaculo introire ad cor tuum et malas cogitationes introducere: vt relinquere te faceret sacram solitudinem heremi et habitaculum sanctum tuum? Cur tam improuidus emulatus es Glunelach et Alphin emulatione diabolica, et putasti deum esse aut impotentem aut iniustum, quasi qui vel nolit vel nequeat compensare merita singulorum et retribuere vnicuique secundum opera sua? Cur tam facile sufflante vento excussus es a facie terre tanquam puluis leuissimus, et nullam prorsus soliditatem constantie reperire in te potuit temptatoris fallacis inimica persuasio? Nonne magis congaudere te oportuerat quia fratres tui mortui fuerant et reuixerunt, perierant et inuenti sunt? Numquid non Christus pro impiis mortuus est: quia[1] morte sua iustificat impium et saluat? Quare ergo doluisti tam stolide, ab errore gentilium impios conuersos ad fidem, qui membra Christi effecti per dei gratiam a vinculo eterne dampnationis liberati sunt? Numquid non charitas, que sua sunt non querit, sed potius que sunt alterius; et ob hoc etiam, si necesse fuisset te cedere de loco proprio propter fratrem, dubitare debueras merita tua perdere, quasi Christus tibi non valeret, si vellet, multo meliora preparare? Signa itaque cor tuum, frater, et agens penitentiam resipisce: et deus omnium, qui te adhuc seruauit ne opere perpetrares malum, ipse sua pietate iamnunc tibi aperiat oculos, vt videas et caueas inimicum qui te decepit, sua fallatia huc attraxit et te summo studio a sancto proposito conatur euellere, vt postmodum valeat de tua societate in sua dampnatione gaudere.' Hec cum illa dixisset, reuelauit dominus oculos et intellectum Cheuin episcopi: et conspexit manifeste diabolum in specie ethiopis et quasi nigrum puerulum herentem ad sinistrum pedem suum. Quem attendens, vehementer exhorruit[2], et Modwennam, vt illum precibus suis a se expelleret, suppliciter cum lachrimis postulauit. Quod cum illa fecisset, protinus arma proiiciunt et ad terram se coram virgine prosternunt, pectora percutiunt, supplici prece omnes veniam

[1] Vit. qui. [2] E. abhorruit.

postulantes. Tunc illa gaudens et gratias agens duxit eos ad monasterium suum. Et volens confirmare episcopum, ne amplius temptationi inimici cederet sed confidentior perseueraret; accipiens baculum suum duxit eum ad radicem montis prope monasterium, vbi erat fons frigidus, in quo ipsa in hyeme solita fuerat noctibus vsque ad scapulas dimersa totum ex integro psalterium frequentius decantare. Quem baculo, signum crucis imprimens coram episcopo tetigit, et [ait][1]: 'In nomine domini nostri Ihesu Christi sequere me, vt annuncietur laus dei in celo et in terra.' Et traxit post se baculum suum, iter aquis ostendens, vsque ad supercilium montis. Aque vero contra naturam in superiora enitentes baculum sequebantur. Erat autem in collis cacumine rupis cauata, quasi ab angelis preparata: in quam aque, baculo preeunte, se infuderunt. Que continuo introducte, moderate efficiuntur calide, veluti fuissent humano studio ad balneum preparate. In hoc balneo fecit Modwenna, per spiritum edocta, intrare episcopum, dicens ad eum: 'Sicut in hoc balneo lauaris extrinsecus a sordibus corporis, sic te deus omnipotens emundet intrinsecus a maculis cordis.' Quo facto, Cheuin episcopus cum sodalibus suis, accepta a virgine licentia, reuersi sunt in solitudinem castigati, emendati, [2] mirabilibus magnis que viderant confirmati: [et][3] omnibus diebus vite sue exempla et[4] merita sancte virginis contemplantes, anachoritice vite et sanctis operibus iugiter insudarunt. Ipse vero episcopus, Modwennam sepe recogitans, semetipsum coram oculis suis despiciens, vitam suam preteritam quasi parum adhuc profecisset vilipendens, et mala que fecerat plangens, ad meliora proficere et culmen virtutum ascendere summo desiderio affectabat. Et vsque ad obitum vitam ducens perfectissimam, Christo vero deo incessanter placere studuit, et triumphato diabolo dies suos in bono fine et summa deuotione compleuit. Balneum vero illud et aque calide in petra durissima vsque hodie perseuerant, et se balneantes, inuocato nomine domini meritis sancte virginis corporis et anime sanitatem reportant. Sancta enim virgo Christi plurima in Hibernia construxit monasteria: vnde quidam maligni inuidia tabescentes eius opera deridebant. Et arripientes pauperculam quandam mulierem, et saxum grande super dorsum eius imponentes, iurare coegerunt vt illud ex parte sua virgini Modwenne loco muneris transportaret. Quo facto, lapis durissimus confestim coram omnibus in massam salis commutatur: vt quod fecerant impii ad ludibrium, illud deus omnipotens ad laudem nominis sui, et virginis gloriam in miraculum conuertit. Accidit enim vt dum animalia monasterii pascerentur in agro, lupi de nemoribus exeuntes cum impetu vitulum raperent de armentis, et abstractum ad siluas deportarent. Quo cognito, placido vultu ac

[1] T. ait; E. dixit. [2] E. et mir. [3] om. [4] E. ac; T. et.

sereno virgo sancta respondit: 'Potens est deus noster etiam nunc vitulum nostrum eruere de dentibus luporum, qui quondam in lacu Danielem eripuit de ore leonum. Expectate modo, inquit, vsque cras: et dominus eum nobis fortasse intactum restituet, vt cum viderimus potentiam eius in minimis, maiorem in illo habere fiduciam erudiamur in magnis.' Et ecce die crastina lupi qui vitulum rapuerant, redeuntes de siluis ipsum, cunctis videntibus, ad agrum reduxerunt, et velut bene custoditum ad pascua et illesum restituerunt. Cum soror quedam virginis sancte cuidam ancille dei victualia deferens, a latronibus spoliata rediret, Modwenna dixit: 'Noli timere: latrones cibos pauperum non comedent, sed cuncta nobis post diem tertium, deo propitio, integre conseruata restituent.' Et ecce fures, tribus diebus dei percussi iuditio per deuia oberrantes, vbi erant penitus ignorabant. Reatum tandem suum agnoscentes, genibus ad terram inclinatis exclamabant: 'Modwenna ancilla Christi, si vera sunt que de te audiuimus, succurre in periculo constitutis, et redde nobis oculos nostros, vt ad te gradientes, per preces tuas a domino veniam consequamur.' Et confestim ablato ab oculis eorum velamine, regionem cognouerunt: et cum cibariis ad sanctam virginem pergentes, et reatum confitentes, veniam lachrimabiliter prostrati implorabant. Quos illa benigne audiens et confortans, refectos cibo carnali et spirituali cum benedictione ad propria dimisit. Aluredus, filius Adulphi regis Westsaxonum, qui maximam egritudinem a multis diebus contraxerat, de qua nullus eum medicus sanare poterat; audita huius virginis fama, cum magno comitatu mare transiit, virgini sancte [egritudinis][1] molestiam exposuit, et vt preces ad deum pro ipso funderet, suppliciter exorauit. Illa vero fidem eius considerans, pro salute sua deum rogauit, et sanitati restituit; et nec multo post muto loquelam reddidit. Ablatis per quendam tirannum armentis virginis sancte, elegit secum Luge virginem, Brigidam, et Atheam. Que cum venissent ad littus maris, et ibi naues paratas non inuenissent; confidens in domino ancilla Christi sororibus ait: 'Oremus, inquit, dominum, vt nobis ancillis suis auxilium adaperiat transfretandi.' Cumque prostrate flexis genibus preces ad deum fudissent, angelus domini descendit de celo et partem terre in circuitu illarum circumcinxit atque signauit, et quasi insulam paruam constituens ac marinis aquis vndique circumluens[2] virtute admirabili a terris ceteris separauit, eandemque insulam stupenda fortitudine de loco proprio leuauit, et velut in naui, dilectas deo[3] virgines per immensos fluctus secure in ea transfretantes de Hibernia vsque in Britanniam transportauit. Eandem autem insulam de fluctibus eductam apud castrum, Daganno nomine, iuxta littus maris angelus firmauit: que vsque in presentem diem ibi

[1] T. egritudinis; E. infirmitatis. [2] E. circumfluens. [3] E. in deo.

consistit, et semper aquis circumdatur, aut fluuialibus aut marinis. In illa enim insula virgo sancta ecclesiam construxit, et usque ad reditum suum Brigidam et Luge socias suas ibi manere fecit. Et assumpta Athea virgine, ad patrem Aluredi, quem sanauerat, pergens, honorifice suscepta est. Et commendauit ei rex Athulphus sororem suam virginem, Editham nomine, Christo consecrandam, quatinus sub eius disciplina in habitu sanctimoniali pia deuotione deo [de]seruire[1] posset. Tradidit illi rex terram quantam[2] ipsa voluit, et vbi elegit. Tuncque virgo sancta duo construxit monasteria: vnum apud Pollesword' in Arderna, vbi Atheam cum sorore regis manere fecit; alterum apud Streneshalen, in quo ipsa orationibus vacans aliquantis diebus solitaria mansit. Illis itaque diebus Editha soror regis vocauit Ositham virginem et dixit ei: 'Vade ad dominam nostram et defer ei volumen istud, in quo valeat legere et fortasse aliquid sancte contemplationis inuenire.' Que accepto libro profi-ciscens ad pontem quendam ligneum, et fluctuum commotionem ex obliquo et improuise aspiciens, timore perterrita repente deorsum corruit, et tribus diebus ac noctibus in profundo fluminis cum volumine omnibus ignorantibus permansit. Apparuit autem angelus domini Modwenne, in cella sua oranti, dicens: 'Vade cum festinatione ad fluuium, aliquid ibi necessarium operatura.' Que cum peruenisset ad fluuium, inuenit ibi Editham virginem, puellam Ositham queritantem. Quam Modwenna velut expauentem[3] considerans, ait illi: 'Quid est, soror? rectene sunt omnia?' Illa respondit: 'Ecce, inquit, tres dies sunt, domina, ex quo transmisi Ositham ad te; et veni querere quare non regrederetur ad me. Nunquid non apud te est?' Et illa: 'Vere, inquit, non vidi eam, nec venit ad me.' Et interrogati pastores qui prope erant, si puellam aliquam vidissent[4], responderunt: 'Nudiustertius puellam pontem ascendere vidimus, sed quo abiit aut quo deuenit, nimirum curam agentes de pecoribus et ad alia intenti penitus ignoramus.' Quo audito sancta Modwenna ait ad Editham: 'Deprecemur, soror charissima, dominum, vt meritis omnium sanctorum suorum restituat nobis in hac hora puellam perditam: vt videamus et cognoscamus eius mirabilem potentiam, et collaudemus in perpetuum misericordiam suam.' Cum igitur ad terram inclinate diu cum lachrimis ambe orassent, Modwenna, ab oratione surgens, clara voce tribus vicibus exclamauit: 'Ositha, Ositha, Ositha, in nomine sancte[5] et indiuiduc trinitatis veni foras, et de hoc flumine, in quo submersa es, per virtutem potestatis ipsius vite restituta, sana et incolumis emergas.' Necdum plene verba finierat, et ecce puella de fluuio cum volumine illeso prodiit, et trina vice sermone absoluto respondit: 'Ecce ego,

[1] E. seruire. [2] T. quantum. [3] T. expauescentem. [4] E. vidisset.
[5] E. in sancte nomine.

ecce ego, ecce ego, domina mea.' Quam abbatissa cum maxima exultatione suscipiens, et gratias immensas deo agens, Edithe virgini viventem reddidit, et retento secum volumine ad cellam propriam remeauit. Dimissis[2] tandem in Anglia Athea et Luge virgine, vt monasteriis preessent: assumpta secum Brigida in Hiberniam transfretauit: et monasterium Cellisellii, vt premittitur, vastatum, de bonis a rege Athulpho sibi collatis in statum pristinum restauranit. Cum autem quoddam monasterium visitaret, et non haberent virgines quid ei ad potum darent nisi aquam, et desiderarent sibi aliquid melius pro benedictione addere: inito consilio vasa laticibus plena ante sanctam virginem deferentes, vt illa benediceret postularunt. Quo facto, aquas in vinum iocundissimum transmutauit. Facta in Hibernia siccitate magna, cum sorores penuriam aque paterentur, cisternam quandam prece sua repleuit aqua, que toto siccitatis tempore omnibus indigentibus abundauit. Cum ad quoddam monasterium cum sororibus transire vellet, repperit fluuium, qui nec pueros transeuntes impedire[3] solebat, vltra modum preter solitum intumescentem, vt etiam equites transire non possent. Stupefactis in tanto prodigio sororibus ait virgo sancta: 'Quid est hoc, filie, quod voluit nobis dominus in signo hoc demonstrare? Vere dico vobis, aliqua culpa in nobis est, propter quam deus impedit iter nostrum. Inquiramus et perscrutemur conscientias nostras, si quid peccati agnoscimus absconditum in corde nostro.' Hec cum dixisset, procidit se vna ad pedes eius, dicens: 'Domina mea, confiteor tibi coram domino peccatum meum. Dum egrederemur de monasterio, vidi cepas et allia[4] que concupiui, et inde sumens mihi aliqua, contra obedientiam exportaui. Iube quid tibi placuerit, et iniunge qualem volueris penitentiam; sufferre enim presto sum quantamlibet afflictionem illatam.' Cui illa benigne respondit: 'Vade et repone vbi cepisti ea, et redi post hoc[4] ad nos.' Quod cum fecisset, riuulus detumescens in alueum redit; viamque liberam transeuntibus virtus confessionis mira celeritate reparauit. In monasterio Brigide, discipule Modwenne, que cenobio constructo multarum virginum mater effecta fuerat, duodecim erant[5] sorores que ceteris quiescentibus, flante boria nimio frigore attrite in stratumbus desuetis peruigilabant. Quarum afflictionem et vestium penuriam Modwenna considerans, ad deum preces cum lachrimis fudit: et facto mane, misse sunt a domino duodecim vestes in stratis virginum, ita singulis conuenientes quasi humano studio fuissent mensurate. Quas dum ille admirantes suscipere recusarent nescientes vnde allate fuissent, precepto tamen virginis sancte illas indiuere coacte sunt. Venit enim Modwenna ad domum cuiusdam Deneth nomine, qui maxima cura pauperes ac peregrinos[6] hospitio

[2] E. Demissis. [3] E. impendere. [4] T. alia. [5] T. hec; E. hoc.
[6] om. in T. [6] T. E. pauperibus ac peregrinis.

suscipere et necessaria ministrare solebat: qui vitulum vnicum suum occidit, et conuiuium sancte virgini preparauit. Sed cum parum ceruisie[1] in vase quodam haberet, et ad preces eius Modwenna benedictionem[2] super vasculum porrexisset, omnibus haurire volentibus non decreuit, sed ad omnem sufficientiam sine defectione abundauit. Vitulus quoque occisus et comestus, meritis sancte virginis miro prodigio in crastino cum matre sua repertus est. Contigit enim die post hec tertia, Bar regem cum suo exercitu iuxta domum Deneth transitum facere; qui de benedictione virginis sancte et meritis confidens, accessit audacter ad regem et ipsum cum omnibus suis ad prandium inuitauit. Valebant autem adhuc predictum vasculum et cibi qui remanserant de mensa virginis, et omnibus sufficiebant. Res mira et vehementer stupenda: Modicus cibus manducabatur, sed augmentabatur; potus de vase assumptus potabatur, sed non consumebatur, et quanto magis hauriebatur, tanquam si semper nasceretur in vasculo iugiter redundabat. Sicque rex cum suo exercitu biduo recreati, deum in virgine sua sancta glorificantes et gratias agentes, leti et alacres iter suum ingressi sunt. Virgines cuiusdam monasterii quodam tempore tanta victualium inopia coangustate sunt, vt vsque ad mortem pene deficere cogerentur. Quo audito, Modwenna illuc proficiscens omnia vasa monasterii pusilla et magna congregari fecit, et oratorium intrans, per diem et noctem peruigil obsecrationes suas ad deum continuauit. In crastino autem sequentis diei omnia vasa electo tritico repleta inuenta sunt. Multis itaque signis in Hibernia declaratis, ad regem Scotie nomine Conagal, cognatum suum, profecta, multas ecclesias et monasteria construxit: inter que apud Striuelin vnam, et apud Edenburgh in montis cacumine in honore sancti Michaelis alteram edificauit ecclesiam; et in Galwedia tres nominatas a fundamentis fecit ecclesias. In istis enim locis cilicio vtens, corpore nudo ad durissimos lapides, frigore, siti, inedia, vigiliis et afflictionibus cruciabatur. In quodam fonte iuxta monasterium quod construxerat Lonfrotin[3] vocatum, sororibus nocte soporatis, dimersa in aquis vsque ad pectus totum psalterium decantauit; consolationes angelorum frequentes habebat, qui ei apparebant, sicut amicus cum amico colloquentes cum ea et instruentes. Cum enim nocte quadam contra solitum sensisset non affuisse sibi ex more dulcem presentiam spirituum beatorum, contristata cogitare cepit aliquam sine dubio existere causam quare in illa nocte visitationem consuetam non vidisset[4]. Crastina autem die dixit sororibus suis: 'Conserue mee ac filie dilectissime, in nocte hac precedenti non habuimus sanctos hospites adiutores nostros, qui antea soliti fuerant orationes nostras ferre libenter ad dominum easque ante conspectum throni altissimi cum exultatione presentare. Videbam enim nocte ista

[1] E. seruisie. [2] E. benedictione. [3] T. lonfortin. [4] E. didisset.

tanquam per extasim. preces nostras tempore vigiliarum vix posse attingere vsque ad culmen tectorum nostrorum. Vnde profecto comperi esse aliquid offense in nobis, propter quod sancti angeli quibus omne peccatum displicet non sine culpa nostra voluerunt se absentare a nobis. Interrogemus ergo conscientias nostras: et si quid latet absconditum, penitentia et confessione purgemus, vt possimus ad nos reducere beatos spiritus dei.' Cum hec dixisset, surrexit soror quedam et ad pedes sancte Mudwenne cum lachrimis prostrata ait: 'Coram deo et sanctis eius confiteor tibi, domina mea, culpam meam. Cum enim ego peccatrix misera de vita veteri hesterna die penitentiam promittendo huc confugi, sotulares meos, quos donauerat mihi vir illicite copulatus[1] in seculo, neque reddidi neque confessa sum, sed in proprietatem retinui; quos etiam nocte ista dum frigus paterer pedibus meis imponere non timui. Ego enim sum que peccaui; ego sum que mea culpa sanctos angelos a vestro contubernio sequestraui. Cui abbatissa respondit: 'Absoluat te et misereatur tui, filia, dei filius deus omnipotens, qui pro peccatoribus mori dignatus est.' Hiis dictis sotulares in fluuium proiici iussit: et die sequenti dixit: 'Gratias agere debemus omnipotenti deo, qui et nocte ista respexit nos misertus nostri, et relecta offense[2] materia remisit nobis beatos spiritus vt prius, qui sursum presentent opera nostra et orationes ad thronum omnipotentis dei et suffragentur infirmitati nostre et impetrent veniam nostrorum excessuum et omnium delictorum.' Tribus enim vicibus nudis pedibus in cilicio cum Lazara virgine Romam profecta est sancta dei. Hoc enim iter fecit velut in peccatorum penitentiam, et quasi vellet nullum de suis excessibus impunitum relinquere, et que cuperet corpus suum diuersis generibus cruciatuum vsquequaque[3] castigare. Rediens autem de Roma in Angliam, venit ad locum qui vocatur[4] Scaleclif, vbi iuxta montem vidit in fluuio Trenta modicam insulam: in qua oratorio in honore sancti Andree constructo, septem annis anachoritice vixit. Vnde et vsque hodie Andresela, i. 'Andree insula' nuncupatur. In loco qui nunc Bredonia dicitur, habitauit illo in tempore religiosus quidam heremita, qui audita huius virginis fama frequenter venit ad eam, et deferebat ei vitas sanctorum, in quibus se reficiebant. Quadam vero die dum oblitus fuisset secum tollere librum, cepit illa mesta esse et conqueri, dicens illi: 'Quare librum more solito non attulisti, pater?' Et ille: 'Sic modo, domina, contigit, mecum enim afferre oblitus sum.' Misit itaque duas virgines cum nauicula, que festinanter librum reportare possent. Cumque ad locum qui Lega dicitur nauigassent, orta tempestate carina protinus inclinata vtrasque virgines subtus se clausas in fundo aque cooperuit. Cumque diu aduentum virginum

[1] E. copolatus. [2] T. offensa. [3] E. vsque quam. [4] T. appellatur; E. vocatur.

expectassent, ambo pariter orationi se dederunt, obsecrantes diuinam clementiam quatinus illis ostendere dignaretur quid de puellis actum sit. Surgentes tandem ab oratione, aspiciunt miro modo viam patentem et siccam in medio fluminis: et confestim ingrediuntur per siccum fundum viam mirabilem et aridam: et erant aque stupendo modo diuise in partibus duabus, et vtrimque velut quidam muri a dextris et a sinistris. Cumque venissent ad locum in quo fuerat precipitata nauicula, heremita manus apposuit: sed velut palis confixa nauis immobilis permansit. Et cum virgo sancta manus apposuit, ita leuiter nauiculam eleuauit, ac si penitus omni pondere caruisset. Inuentis autem virginibus viuis et sanis, nauiculam pariter ingrediuntur: et vndique recurrentes aque illam sustulerunt et ad cellam virginis deduxerunt. Erat autem puella quedam gentilis, que audiens famam virginis sancte, cupiebat eam videre et ab ea in fide Christi illuminari. Veniens autem ad eam, cum in fide edocta fuisset, graui infirmitate detenta in lectum decidit, et nondum suscepto baptismate vitam finiuit. Quamobrem contristata Modwenna, fusa ad deum prece illam vite restituit. Que baptizata, habitum religionis assumpsit, et in sancta conuersatione vitam consummauit. Quidam puerulus fidem Christi suscipiens, cum ab infantia fuisset egressus, nomen domini cum despectu et irrisione mirabili blasphemauit. Hunc cum parentes durius increpassent, et induratum ad sanctam virginem detulissent, illa ab errore eum reuocare studuit, et tandem deuote pro eo ad deum exorauit. Sed dominus eam exaudire noluit: quia postmodum super eodem eam amplius honorificare decreuit. Postquam enim miserandus puer contempta virgine, despectis parentibus furiosus euasit, suffocante eum diabolo improuisa morte prereptus est. Quem cum parentes ad sanctam exanimem detulissent, pro eo orans viuentem reddidit, et a spiritu blasphemie deinceps integre liberauit. Confluente ad virginem sanctam propter sanitatum beneficia et miraculorum gloriam de diuersis regionibus populo, propter hominum frequentiam tedio affecta, Athea et Lazara in eodem loco dimissis, se in Hiberniam transire, et in breui vitam finire predixit. Et addidit: 'Vbicunque finis vite mee acciderit, meum hic sepeliendum corpusculum mihi dominus demonstrauit.' Transiens igitur in Hiberniam; cum centum triginta esset annorum, infirmitate depressa, vocatis sororibus suis inter cetera dixit: 'Pecten meum, ligneum ligonem et sarculum ceteraque vtensilia mea in quibus operata sum, Cellisclinii[1] monasterio concedo. Reliquie vero mee cum baculo meo, disponente deo, in terram aliam deferentur.' Hiis dictis, apparentibus ei apostolis beatis Petro et Paulo, tertio nonas iulii, septimo a natali eorundem apostolorum die, feliciter ad celos migrauit. Tertia vero die postquam defuncta est, quedam virgo

[1] E. celliclinii.

post completorium vidit sanctam Modwennam in loco vbi orare solebat quasi viuentem et manus in oratione ad celum extendentem. Quam dum tremefacta conspiceret, cecidit prona ad pedes eius et ait: 'Domina mater, quid me iubes facere?' Cui illa: 'Vade die crastina et dic sororibus meis: "Hec mandat vobis mater vestra: Nolite, filie, putare me mortuam: viuo enim vere cum domino Ihesu Christo, et audiui ex vobis aliquas loquentes ad inuicem in incompetentibus horis, nec tenentes sanctum silentium sicut oportuit. An excidit vobis quod ait propheta: 'Cultus iusticie silentium'[1]? Adhuc corpus meum inter vos inhumatum iacet, et vos tam cito obliuiscimini doctrine dei et regularis obseruantie, cuius terminos non vobis expedit aliquatenus transgrediendo preterire? Nolite, filiole, contempnere minima, ne forte paulatim per minimorum negligentiam offendentes decidatis—quod absit—etiam in maiora." Tu autem vade et prepara iter tuum: quoniam post septem dies venies ad me.' Et factum est ita. Cum autem corpus sanctum ad tumulum deferretur, facta est contentio magna de habendo corpore eius inter Hibernienses, Scotos et Anglos ibi congregatos: sed tandem Columkillum episcopum adierunt et eius rectum iudicium petierunt. Qui post multas partium altercationes dixit: 'Eligite ex vobis omnibus octo robustos homines, qui feretrum cum baculo in humeris portent, et quocunque dominus voluerit feretrum deducant.' Quo facto, miro modo diuina voluntate compulsi, versi ad Angliam recto itinere sanctum[2] corpus deferre ceperunt. Tunc sanctus episcopus, virtute dei cognita, Anglicis corpus sanctum concessit; vnde et ad Angliam delatum, apud Andreseiam honorifice sepultum est. Postquam autem monasterium de Burtoñ super Trentam fundatum est, reliquie sancte virginis illuc translate sunt. Quidam de nobilibus Anglorum, tirannus et crudelis, res et terras prefati monasterii violenter inuasit, portas monasterii confregit, et cunctis direptis domos combussit et abiit. Nec mora, vniuersi cum duce suo a demonibus arrepti[3], iusto dei iudicio suffocati sunt. Cum enim vorax flamma villam inuaderet, feretrum sancte virginis monachi extra ecclesiam deportarunt: et statim ignis cessans atque resiliens, omnino extinctus est. Quidam vicecomes in captiuitate positus et in archa superposito ingenti lapide reclusus ac compeditus, inuocata sancta virgine Modwenna, statim deiecta petra, diruptis vinculis confractoque ergastulo liberatus est.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[4].

Nobilis quidam Brito circa beate Marie Magdalene obsequia deuotus, cotidianis precibus ad suum presidium eam inuocabat, uigiliam eius deuotus ieiunabat, et in eius festo magnam pauperibus et peregrinis refeccionem parabat et ueniam offensis (dabat); orans assidue ut

[1] E. silentiam. [2] E. secundum. [3] T. arepti. [4] Cf. Vinc. Bell. IX. 110.

ab hac uita sine uera penitencia et peccatorum suorum confessione eum migrare non permitteret. Contigit ergo ut in Angliam proficiscens naufragium pateretur. Cumque omnes comites suos fluctus inolueret (et ipse quoque) marinos uersaretur in fluctus, Mariam Magdalenam deuocione qua potuit inuocabat: (et) ecce mulier quedam formosa dexteram illius (tenu)it et per undecim stadia usque ad ripam (ex qua ingressus fuerat) eum perduxit. Et decem tantum diebus sicut ab eadem sibi prenunc)iatum fuerat uiuens, ueram, sicut postulauerat, penitenciam accepit, et post hec ad dominum migrauit.]

¶ De sancto Neoto abbate et confessore[1].

REx quidam fuit[2] Occidentalium Anglorum ac Cancie nomine E[l]dulphus[3], egregie magis liberalitati studens quam mundane seruiens cupiditati. Multa enim de facultatibus ecclesiis atque pauperibus errogabat, cunctis ecclesiam obpugnantibus scutum defensionis libere opponebat. Dominus autem, cum sit excelsus, humilia respiciens et alta a longe cognoscens, eius opera respexit, eique filium dedit nomine Neotum. Hic itaque Neotus regali prosapia ortus, transactis infantie annis literis ac moribus traditur informandus. Non enim a studiis virtutum diuinisque disciplinis carnis delectatio, non petulantia vel mentis elatio, non pompe secularis reuocabat ambitio. Nitorem et gloriam vestium preciosarum, omnemque luxum penitus abhorrebat. Cum enim militares tetigisset annos, seculari militie[4] implicari noluit, sed potius temporaliter eligens[5] abiectus esse in domo dei sui quam in regio gloriari palatio, in glastoniensi cenobio monachus sub Dunstano abbate effectus est. Ad tante religionis in breui fastigium ascendit, quod nihil ei virtutis et gratie deesse crederetur. Ieiuniorum enim et parsimonie[6] obseruatione, vigiliis, et orationibus spiritum roborabat et carnis superbiam edomabat. Sitientibus verbi dei pocula propinabat, ab obsessis corporibus demones fugabat, languidis debilibusque medelam salutis conferebat. Cateruatim turbe ad eum confluebant, alii corporalem, alii spiritualem curationem flagitantes. Erat autem virtutibus et moribus 'clarus,' lingua facundus, verbo discretus, scientia laudabilis, doctrina mirabilis, consilio[7] vtilis, et omnibus factus amabilis; aspectu angelicus, sed corporis breuitate alter Zacheus[8]. Scabello namque ferreo supposito missas celebrauit. Factus autem sacrista[9], cum quidam

[1] Abridged from the Vita in MS. Claud. A. V., ed., from a MS. of Bec. in Mabillon IV. ii. 337, A. SS. Boll. Jul. VII. 330. (The oldest life is an ags. text in MS. Vesp. D. XIV., ed. in Gorham Antiqu. of Eynesbury and S. Neot's, London, 1820-4). The Translation is added. [2] T. Fuit quidam rex. [3] E. edulphus; T. eldulphus. [4] Vit. militia. [5] so T.; E. eligens temp. eligens. [6] E. parcimonie. [7] Vit. in c. [8] E. xacheus. [9] Vit. secretarius = aedituus.

potens instanter ad ostium pulsaret, festinanter accessit vt pulsanti celeriter aperiret: nec tamen ad seram in sublimi positam pro statura breuitate poterat attingere. Et ecce sera diuina virtute demissa, vsque ad succinctorium deposita est: sicque intrare volenti aperuit, glorificans deum qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, qui in suis [1] operibus semper [est] [2] ab omnibus et vbique glorificandus. Populi tandem frequentiam ac fauorem declinare affectans, diuino premonitus [3] oraculo, intra Cornubie [4] confinia, remota solitudinis loca quesiuit, vnius clientis nomine Bar[r]ii, quem sui fecerat secreti conscium, comitatu contentus, qui eum nec in vita nec in morte, fidelis semper perseueraus, non [5] deseruit; et ipso ducente quo premonente [6], ad locum sibi a deo preparatum deuenit. [7]Distat enim heremus illa a sancti Petroci in Cornubia monasterio milliaribus fere decem, et tracto ab ipso viro dei nomine ab incolis locus ille 'Neotstoke' appellatur.[7]— Erat autem locus ille nemorosus, fluuiis perspicuus, et mari affinis. Transactis autem in loco illo in magna vite perfectione septem annis, Romam profectus, a papa Martino honorifice suscipitur. Vtroque alterius recreato solamine, postulata cum benedictione assequutus domum rediit; et constructo monasterio monachos congregauit, et frequenti angelorum visitatione consolari meruit. Erat [enim] [8] in illo loco fons irriguus, in quo vir dei tres pisciculos inueniens, tangere non presumpsit, donec reuelatione diuina quid de eis agendum foret agnosceret. Accepit namque ab angelo (vir ille beatus) [9] diuinitus responsum et admonitionem, vt singulis diebus, vel quotiens expediens foret [10], vnum (tantum pisciculum) [11] accipiens, reliquos [12] duos semper conseruaret intactos. Cumque vno sublato [13] semper duo illibati permansissent, in crastino diuina virtute pisciculorum [14] numerus reperiebatur prefatus. Acciđit enim vt vir dei molestia corporis detentus vix aliquo vesceretur edulio: famulus proinde eius Barrius condolens et compatiens, duos de fonte auferens pisciculos, vnum assatum, alterum elixum domino suo in disco obtulit, rogans eum et excitans vt inde comederet. Cumque vir dei vnde pisces allati fuissent requisisset, Barrius, simplex et innocens, quod simpliciter fuerat factum recognoscens ostendit [15]. 'Ideo, inquit, pater, duos de fonte pisciculos [16] sustuli et diuerso modo tibi in edulium preparaui, vt si forte vno vesci non poteris ab altero saltem reficiaris.' Tunc sanctus dixit: 'Quare hoc fecisti? Quare victum nobis [17] diuinitus collatum temere auferens, contra nutum dei atque sententiam agere presumpsisti?' Et piscibus imperio eius in fonte repositis, pronus solo incumbens ab oratione nequaquam surrexit donec ei num-

[1] om. in T. [2] om. in E. [3] E. primo genitus. [4] E. cornubia. [5] *al.* om. [6] Vit. quo pr. locum mutauerat. [7–7] added. [8] T. enim; E. profecto. [9] vir ille beatus om. in T. [10] Vit. expediret. [11] tantum pisciculum om. in T. [12] E. rel. vero. [13] T. sullato. [14] E. pisculorum. [15] Vit. simpliciter recognovit. [16] E. pisculos. [17] E. vobis.

ciatum fuisset pisciculos[1] more solito in fonte natare[2] viuentes. Tunc unum[3] denuo iussit afferri, et paratum in esum sibi apponi. Et cum ex eo modicum gustasset, illico sanus effectus conualuit. Cum viri sancti boues furto sublati essent, et pro tali penuria fratres ad agros egressi laboribus insisterent, ecce cerui quamplures de nemore gregatim aduenientes, ad eos mansuetissimi applaudendo properabant. Quo viso, Neotus colla eorum iugo submitti et aratris apponi iussit: et longo tempore boum vices inuiso more suppleuerunt. Fures autem hoc audientes, ablata restituunt, et veniam humiliter implorantes, decetero eius consilio adherentes vitam emendarunt. Asserunt[4] enim nonnulli ceruos illos, et omnes de stirpe eorum prodeuntes, in huius rei memoriam vsque hodie albedinem circa loca vbi lora tetigerunt apparentem pretendere. Hoc enim[5] nec asserere contendo, nec de dei potentia diffidens abnegare presumo. Factum est autem vt idem domini seruus more solito staret in fonte in quo solitus erat totum ex integro psalterium persoluere: cerua quedam per nemorum deuia canes insequentes fugiens, immoderatis ad eum saltibus accelerabat; supra fontem secus pedes viri dei corruens, tam diu prostrata iacuit, donec liberam inde abire iussit. Sed et canes quasi morsus vel ictus afflicti vulnere, retro passim omnes fugam dedere. Venator vero hoc videns, in terram prostratus sanctum adorauit Neotum, et nouum hominem indutus, sacrum ab eo habitum suscepit: et in ecclesia sancti Petroci vice reliquiarum[6] cornu eius repositum est. Venit aliquando ad virum dei frater suus[7] Alfredus rex Westsaxonum, corpore humiliatus et mente, benedictionem eius expostulans. Quem benedicens, edocuit et erudiuit eum scientia, viam prudentie ostendens illi; prauos eius redarguens actus, iussit in melius conuerti; et tanto securius, quanto propinquius de sanguine eius tractus. Alio quoque tempore regem eundem de tirannidis improbitate, de superba regiminis austeritate acriter sanctus increpauit Neotus. Apponebat ei sanctum Dauid, quem ad regendum de post fetantes[8] dominus acceperat, regem mansuetum et omnibus humilitatis exemplar, humilitate electum et approbatum; asserebat et Saulem superbia reprobatum, qui cum paruulus esset in oculis suis, caput constitutus fuerat in tribubus Israel. 'Quid gloriaris, inquit, in malicia, qui potens es in iniquitate? Eleuatus es ad modicum, et non subsistes; et sicut summitates spicarum contereris[9]. Vbi est gloriatio tua? Etsi nondum exclusa est, aliquando tamen excludetur. Ipso enim regiminis principatu, cuius inani gloriatione teipsum excedendo superbis; in proximo priuaberis. Irrumpentibus quippe intra regionem istam barbaris, atque dei permissione triumphantibus, vix solus euadens, vagus et profugus eris super terram:

[1] E. pisculos. [2] E. nature. [3] E. enim. [4] E. Afferunt. [5] Vit. tamen. [6] E. reliquarum. [7] frater suus om. in Vit. [8] T. postfetontes; cf. Ps. 77. 70. [9] E. contereres.

sicque pauper et egenus aliquamdiu latitabis, timens ne omnis qui inuenerit te occidat te. Cum autem huiusmodi infortunii cognoueris effectum, confortare et esto robustus: viriliter age et confortetur cor tuum. In omnibus dei misericordie[1] memor eris, quia[2], cum iratus fuerit, misericordie recordabitur. Noueris enim, me deuotis apud deum intercessionibus obtinuisse vt suppressa quandoque tante aduersitatis importunitate, pristine iterum prosperitatis iocunditate et plena gaudebis regiminis restitutione, si tamen agere peruerse quieueris et digna penitueris satisfactione. Nunc igitur quantotius Romam legatos dirigens, Martinum papam magnis ampliare muneribus ne tardes, suppliciter rogans vt anglicam scolam, in eadem vrbe sitam, libertati non deneget applicare, vt per hoc beneficium gratius tibi prestetur inter incom[m]oda subsidium. Ego vero post modicum viam vniuerse carnis ingrediar: et que tibi predico futura[3], credere ne differas.' Missis itaque Romam nunciis, quod petebat impetrauit. Misitque ei papa cum multis sanctorum reliquiis crucis sancte non modicam portionem. Sanctus tandem domini confessor, angelis in sublime plaudentibus, debitam humano generi resolutus in mortem, celo gaudenter susceptus est, pridie kalendas augusti. Tantam enim tamque[4] delectabilem longe lateque totam aeris temperiem odoris reddidit fragrantia, vt aduenientes ac[5] remoti se subito faterentur renouari dulcedine, et egroti quique sanari. Terra quippe sepulture illius cum pia veneratione languentibus tradita, multis medicinaliter noscitur profuisse. Gustata quippe pro quolibet inualitudinis genere, tam homines quam iumenta conualescere faciebat. Cum autem secundum prophetiam viri dei Anglia [a] barbaris irrumpentibus vexaretur, Alfredusque rex, vt in gestis eius clarius elucescit[6], vagus, profugus et humiliatus factus fuisset; noctis profunditate, cum idem rex totius expers quietis curis vallaretur mordacibus, affuit confessor dei sanctus Neotus, vultus et habitus nitore locum irradians. Ille vero erectis in sanctum luminibus et immobiliter defixis, vt quis esset certius agnosceret; talibus ab eo suscitatus[7] est alloquiis: 'Quid, rex, inquit, tot deprimeris angustiis? [8]an ignoras quoniam cogitationes hominum uane[9] sunt, et qui sperant in domino mutabunt fortitudinem, assument[10] pennas vt aquile, volabunt[11] et non deficient?[8] Cur vnum oblitus necessarium, tot et tantis perturbationibus mente exagitaris? Securus esto, quia si bona egisti, bona proculdubio recipies: si vero mala, iam iudicium pertulisti: neque enim iudicabit dominus bis in idipsum. Pone igitur modum tristicie, ac de cetero desiderata perfruere iocunditate. Ad hoc enim me misit dominus de superna sanctorum quiete, vt tua iam terminetur miseria, si tamen

[1] E. misericordie dei. [2] Vit. qui. [3] T. futurum tibi. [4] E. tanquam.
[5] *al.* etiam. [6] E. elucessit. [7] E. T. scissitatus. [8–8] om. in Boll.
[9] E. nate. [10] E. assumant. [11] E. volabunti.

iuste viuendo meis consiliis acquiescas. Si igitur continentie, pacis, pietatis et innocentie sectator fueris, ac exemplo ante te regnantium patrum totius emulator iusticie, in solio regali post modicum restitueris. Et ne visionem hanc illusoriam arbitreris, ego sum ille Neotus dei cultor et amicus, qui tuis exigentibus[1] culpis hos infortunii casus tibi futuros precinui[2]. Semper tamen tui memor incom[m]odi, nunquam pro te dominum[3] interpellare quieui. Deus autem in modico quasi dereliquit te, vt in miserationibus suis assumat te. Non solum de tirannica rabie victoriosus triumphabis, sed et ipsum tirannum, christianum effectum, Christo assignabis, et vniuersa eius arma, in quibus confidebat, auferens, spolia eius vt placet distribues. Septima itaque post dominicam resurrectionem hebdomada, congregato contra eos exercitu, me preuio gaudebis et protectore, donec omnia que polliceor feliciter compleantur[4].' Hiis dictis sanctus iterum receptus in gloria disparuit. Cum autem Alfredus rex cum Guttrun rege Danorum se pararet ad prelium, ecce in nocte [sanctus][5] Neotus angelica specie, niuea canicie, vestibus fulgidis et odoriferis regi Alfredo visibiliter apparuit, arma secum belligera deferens. Rex quippe solicitus ac deuotus sancti promissum aduentum ac presidium desiderabat: cui et ait: 'Surgens tolle moras, ad palmam preparatus victorie. Sicut enim in angustiis premonitor, sic in itinere nihilominus tuus ero ductor. Nunc igitur, vt viri fortes et ad bella doctissimi, cras egrediemini et dominus erit vobiscum. Dominus enim fortis et potens, dominus potens in prelio; qui dat salutem regibus, per me famulum suum optato vos triumpho ditabit cum salute. Ego ante vos ibo et gloriosos ac superbos humiliabo, et in conspectu meo inimici vestri cadent gladio.' Commisso itaque prelio rex Alfredus sanctum Neotum inimicos conterentem et ineptos reddentem vidit et agnouit, et breui sermone conuersus ad suos in hec verba prorupit: 'Commilitones, inquit, mei, bellatores incliti, nonne videtis eum qui nostros hostes conterit[6]? Si nosse desideratis, ipse est proculdubio Neotus Christi miles inuictissimus, per quem hodie presto est in manibus nostris palma victorie.' Deuicto itaque rege danico, et in loco quodam cum suis obsesso, cum triginta primatibus suis ac aliis quasi innumeris feritate deposita Alfredum regem mansuetus adiuit[7], et in fide Christi instructus baptisma suscepit, et cum suis ad propria rediit. Rex autem Alfredus, in solio denuo regali sublimatus, sectando iusticiam a culpa ieiunauit, et reliquum vite sue tempus sanctissimis venustauit commerciis, pie regens sub rege piissimo a quo pie regebatur. O quam pia recordatio, quam attollenda laudatio, quam pium est sancti Neoti preconium! Per eum rex in melius corrigitur, in regnum restituitur, tirannica rabies in mansuetudinem conuertitur, cultus demonum euacuatur, grex catholicus augmentatur.——Venera-

[1] E. exientibus. [2] E. precium. [3] E. deum. [4] E. complaceantur.
[5] so T.; om. in E. [6] E. conuerterit. [7] E. audivit. [8] added, cf. Ingulfus.

bilis quedam matrona nomine Lewina. Enoluesbiri[1], que nunc 'villa sancti Neoti' dicitur, domina, vbi quondam eiusdem sancti corporis glebam siue reliquias discipulus eius Barrius[2] diuinitus admonitus detulerat: ad monasterium Croulandie, cui frater suus Osketellus prefuit, barbarorum metuens hostilitatem, amore fraterno compulsa reliquias sancti Neoti adduxit, sicut scriptum in eodem monasterio palam ostenditur. [3] Vnde postea dubitantibus de hoc quibusdam fratribus, abbas [Henricus][4] magna[5] cum deuotione accensis cereis loculum cum timore frangens, inuenit testam capitis, ossa de collo, de scapulis, de thorace, et[5] nonnulla ossa tibiarum et coxarum. Has enim secum domina prefata attulit, in priori loco ossibus quibusdam cum cineribus dimissis. Translata enim fuerunt ossa illa ab abbate Henrico et iuxta altare in honore eius constructum collocata, anno domini millesimo ducentesimo tertiodecimo.

[MS. Tib. adds: ¶ *Incidencia*[6].

Venerabilis Stephanus Valerie prouincie presbiter, cum quadam die de itinere domum regressus fuisset, mancipio suo negligenter loquens precepit dicens: 'Veni diabole, discalcia me.' Ad cuius uocem mox ceperunt se caligarum corrigia in summa uelocitate soluere: ut aperte constaret quod ei ipse qui nominatus fuerat ad extrahendas caligas diabolus obedisset. Quod mox ut presbiter uidit, uehementer expauit, magnisque uocibus clamare cepit dicens: 'Recede miser, recede: non enim tibi, set mancipio meo sum locutus.' Ad cuius uocem protinus recessit. Qua in re colligi potest, antiquus hostis qui tam presto est factis corporalibus, quam nimiis insidiis nostris cogitacionibus insistat[7].]

¶ De sancto Niniano episcopo et confessore[8].

SAncti Niniani confessoris sacra conuersationis primordia et sanctitatis insignia, dignitatem officii et fructum ministerii, finem optimum et laboris premium venerabilis Beda[9] in Angloram historia paucissimis commendans verbis, ita de eo scribit[10]: 'Anno ab incarnatione domini quingentesimo sexagesimoquinto venit de

[1] so T.; E. euoluesberi; *al.* Ainolphsbury (ab Ainulpho), now Eynesbury, in Huntingdonshire. [2] T. Barri. [3] Cf. Will de Ramsey, in Boll. p. 330. [4] om. [5] om. in T. [6] Cf. Vinc. Bell. XXII. 79.

[7] Collect in T.:

(Neo)te, dilecte deo, uita eras et animo consecratus domino. Nunc exultas in fulgido angelorum consorcio. Recedebas a seculo, semper uacans soli deo, Qui te iunxit sidereo angelorum contubernio. Ibi nostri memor esto. V. Ora pro nobis.

Presta quesumus, omnipotens deus, ut qui gloriosi confessoris tui atque abbatis Neoti commemoracionem agimus, pium apud maiestatis tue clemenciam in nostra intercessione senciamus, per.

[8] Abridged from the Vita by Ailred in MS. Laud Misc. 668 and Tib. D iii, ed. in Pinkerton Vit. SS. Scot. and Forbes' Lives of S. N. and S. Kentigern, 1874. [9] E. bedo. [10] Beda III. 4.

Hibernia presbiter et abbas habitu et vita monachi insignis, nomine Columba, Britanniam, predicaturus verbum dei prouinciis Septemtrionalium Pictorum, qui [1] arduis atque horrentibus montium iugis ab australibus eorum sunt regionibus sequestrati. Nam ipsi Australes Picti, qui inter eosdem montes habent sedes, multo ante tempore relicto errore idolatrie fidem veritatis acceperant, predicante eis Niniano episcopo reuerentissimo et sanctissimo viro, de natione Britonum, qui erat Rome regulariter fidem et misteria veritatis edoctus. Cuius sedem episcopatus sancti Martini episcopi nomine, et ecclesiam insignem, vbi ipse etiam corpore vna cum pluribus sanctis requieseit, fecit (!) [2], qui [locus] [3] vulgo vocatur 'ad candidam casam,' eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Britonum more, fecerit.' Verum quod Beda breuius scripsit, lacius deo auctore prosequi placet. In Britannia Maiori regali ex prosapia beatus Ninianus extitit oriundus, in ea, vt putatur, regione que in occiduis ipsius insule partibus, vbi occeanus quasi brachium porrigens, et ex vtraque parte quasi duos angulos faciens, Scotorum nunc et Anglorum [regna] [4] diuidit constituta, vsque ad nouissima Anglorum tempora proprium habuisse regem, non solum historiarum fide, sed et quorundam quoque memoria comprobatur. Pater eius rex fuit, religione christianus, et vere felix qui talem prolem habere meruit. Cum enim Ninianus annos pueriles transegisset, mira illi circa ecclesias deuotio erat, mira circa socios dilectio. In cibo sobrius, parcus in verbis, in lectione assiduus, grauis moribus, ioci abstinens, et spiritui semper carnem subiiciens. Tandem sancti spiritus instinctu animatus, spretis diuitiis, omnibusque calcatis affectionibus, peregrinationem nobilis adolescens arripuit. Transiens vero mare, et per gallicanas Alpes ingressus Italiam, prospero itinere Romam vsque peruenit. Accedens autem ad summum pontificem cum ei itineris sui causam exposuisset, amplexatus eius deuotionem pontifex, loco eum filii summa cum deuotione suscepit, doctori[bu]sque [5] veritatis, fidei disciplinis ac sanis scripture sensibus tradidit imbuendum. Adolescens itaque tota deinde auiditate inhians verbo dei, instar apis argumentose ex diuersis doctorum sententiis, quasi ex multi generis floribus, sapientie sibi fauos composuit, atque in alueolo sui pectoris recondens, ad interioris hominis sui refectionem aliorumque multorum consolationem ruminandos proferendosque seruauit. Interea dum castus corpore, animo [6] prudens, in consiliis prouidus, in omni actu verboque circumspectus ab omnibus predicaretur, accidit vt ad ipsius summi pontificis gratiam familiaritatemque conscenderet. Pluribus igitur annis in Vrbe laudabiliter conuersatus et in sacris scripturis sufficienter eruditus, ad virtutum summa prouehitur, et pennis charitatis subuectus ad celestia contemplanda sustollitur.

[1] Bed. que. [2] Bed. iam nunc Anglorum gens obtinet. [3] om. [4] om. in E. [5] T. E. doctorisque. [6] E. animoque; que om. in T.

Audiens deinde pontifex romanus quosdam in occiduis[1] Britannie partibus necdum fidem Christi suscepisse, ad episcopatus gradum Ninianum consecrauit et premisse genti data benedictione apostolum destinauit. Rediens autem vir dei ab Vrbe, actus[2] desiderio videndi sanctum Martinum episcopum, ad ciuitatem turonensem iter diuertit. Quem sanctus Martinus honorifice suscipiens, eum a deo sanctificatum et multorum saluti profuturum, deo reuelante cognouit. Licenciatus demum ab eo Ninianus cum ad locum legationis sue venisset, magnus populorum fit concursus, ingens cunctis leticia, mira deuotio, laus (quoque)[3] vbique resonat Christi, quoniam sicut prophetam eum habebant. Cepit mox male plantata euellere, male collecta dispergere, male edificata destruere. Purgatis ab omni errore fidelium mentibus, omnia que fidelibus agenda [erant][4] verbo docuit, operibus et exemplo monstrauit, et multis miraculis confirmauit. Elegit autem sibi sedem in loco qui nunc Witerna dicitur, in littore maris; ipso pelago clauditur, a parte tantum aquilonari via ingredi volentibus aperitur. Ibi de lapide ecclesiam construxit—ante quam[5] nullam in Britannia de lapide dicunt esse constructam. Et quoniam iam sanctum Martinum, quem miro semper venerabatur affectu, a terris ad celos migrasse didicerat, ipsam ecclesiam in eius honore dedicauit. Fuit in eadem regione rex quidam—nam tota insula diuersis regibus diuisa subiacuit—Tudwaldus[6] nomine, diues et elatus, [qui][4] monita viri dei contempnens et doctrine eius et moribus derogans, in facie [ei][7] resistebat. Quodam autem die, cum plus solito molestus esset viro dei, non vltra[8] passus iudex celestis serui sui iniuriam inultam[9], intolerabili morbo superbum percussit in capite, et elatos illos oculos cecitas[10] repentina inuasit et qui lucem impugnauit veritatis, lucem merito amisit carnis. Saniori tandem ductus consilio, ad virum dei (sanctissimum)[11] misit, obsecrans vt imitator dominice benignitatis retribueret[12] ei bona pro malis, et dilectionem pro odio. Vir autem dei primo increpando regem corripit, deinde ipsum[13] tangens, oculis signum crucis impressit. Nec mora, fugit dolor, cecitas fugatur; et rex virum sanctum deinceps honorans, quicquid ab eo postea petiit, sine mora implere curauit. Puella quedam in obsequium cuiusdam nobilis domine[14] tradita, pulchra facie et venusto aspectu erat: in quam cum iniecisset oculos iuuenis impudicus, amore corripitur ceco. Subditur tandem prece vel precio aliene libidini[15] misera mulier: et tumescente vtero crimen proditur, et mox risus in luctum, gaudium in dolorem, voluptas mutatur in penam. Compulsa a maioribus reum prodere, se minus ream credidit si ab aliquo magni

[1] T. occiduuis. [2] Vit. tactusque. [3] om. in T. [4] om. in T. E. [5] E. anteque. [6] Vit. Tuduvallus. [7] so T.; om. in E. [8] E. vltro. [9] E. multam; Vit. inultam iri. [10] E. cecitatis. [11] om. in T. [12] E. retribuerunt. [13] Vit. caput. [14] *al.* viri. [15] E. libidine.

nominis viro deceptam se diceret vel oppressam: presbitero cui curam parochie[1] pontifex commiserat, crimen imponit. Scandalizantur boni, mali letantur, ridet vulgus, sacer ordo ab impiis blasphematur, presbiter, cuius lesa fuerat fama, tristatur. Nato enim puero, pontifex clerum et populum ad ecclesiam conuocauit: et procax mulier, omni pudore postposito prorumpens, sui corruptorem ac deceptorem sacerdotem coram omni plebe vociferare non timuit et in faciem eius puerum proiecit. Sanctus vero Ninianus puerum sibi presentari iussit, non nisi paucos dies[2] habentem: cui et ait: 'Heus, inquit, o puer, in nomine Ihesu Christi, si presbiter iste te genuit coram plebe edicito.' Nec mora, ex infantili corpore vox clara insonuit, mendacem conuicit et innocentem sacerdotem absoluit: Et extendens dexteram propriumque patrem in populo designans, 'hic est, inquit, pater meus: ipse me genuit, ipse crimen quod sacerdoti imponitur commisit. Innocens quippe ab hoc piaculo presbiter tuus est, o episcope: nihil mihi et illi nisi communis nature consortium.' Sonat mox in ore omnium[3] gratiarum actio et vox laudis, populus exultat, intelligens quia per sanctum Ninianum visitauit dominus plebem suam. Interea sanctus Ninianus Australes Pictos, quibus adhuc error gentilis inherens idola venerari ac colere compellebat, aggrediens, euangelii veritatem sequentibus signis predicabat. Ceci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur: surdi audiunt, mortui resurgunt, oppressi a demonibus liberantur. Sicque fides suscipitur, error abdicatur, destructis templis ecclesie eriguntur: currunt ad salutis lauachrum diuites et pauperes, gratias deo agunt ['qui] in[4] insulis que procul sunt habitantes.' Ordinauit presbiteros, episcopos consecrauit, et totam terram per certas parochias diuisit. Confirmatis in fide omnibus cum ad ecclesiam suam esset regressus, refectorium die quadam cum fratribus intrauit: et videns nihil olerum vel herbarum mensis impositum, vocat fratrem cui fuerat horti cura commissa; et defectus causam inquirenti[5] ille ait: 'Vere, pater, quicquid porrorum vel huiusmodi supererat, terre[6] mandaui, nec aliquid adhuc aptum esui hortus produxit.' 'Vade, inquit sanctus, et quicquid inuenerit manus tua, tolle et affer ad me.' Cumque iussu episcopi frater hortum intrasset, videt porros aliaque herbarum genera non solum creuisse, sed etiam semen produxisse. Et gratias agens deo, quantum sufficere videbatur carpens, ante pontificem mense apposuit. Cum fures animalia eius abducere niterentur, taurus quidam quasi in furorem versus illos inuasit, et principem illorum prostrauit, et ventrem cornibus perforans, animam cum visceribus excussit. Deinde terram vngulis fodiens, mirabili impetu saxum quod inuenerat pede percussit: et in tanti miraculi testimonium quasi in molli cera in lapide pes mergitur, relinquens

[1] T. parrochie. [2] Vit. unius noctis etatem. [3] E. omnium ore. [4] so. T., om. in E. [5] T. inquirens. [6] Vit. terre hodie.

in petra vestigium: et ob vestigium vsque hodie loco nomen[1]. Mane vero sanctus episcopus mortuum inueniens, a lachrimis et precibus non cessauit donec hominem viuum et sanum reddidit. Cogitante[2] me huius sancti Niniani, Dunstani, aliorumque confessorum Christi mansuetudinem, pietatem et conuersationem, pudet miserie nostre, pudet fragilis generationis ignauie. Quis, rogo, nostrum etiam domi inter domesticos ociosa potius[3] quam vtilia, carnalia quam spiritualia, in medium mutua confabulatione et[4] collatione non proferat[5]? Ora que ad laudandum deum, ad sacra misteria celebranda gratia diuina sacrauit, quotidie detractionibus verbisque secularibus polluuntur, et dum psalmos aliasque orationes fastidiunt, per hominum opera vana et turpia tota die discurrunt. [6] Nonne, sicut corpus, ita et anima tota die in motu est, lingua in ocio? Rumores et mores hominum impiorum in ore versantur[7], risu et fabulis[8] grauitas religiosa dissoluitur, negotia regum, episcoporum officia, ministeria clericorum, principum altercationes, vita omnium et mores discutiuntur. Preter ipsum iudicium nostrum, omnia iudicamus, et, quod magis dolendum est, inuicem mordemus et comedimus. Non sic beati confessores, non sic: quorum quieti turba non obfuit, nec meditationem impediuit iter, nec lassitudine tepuit oratio. Vbicunque enim incedebant, aut oratione aut contemplatione seu operibus bonis[9] ad celestia animum erigebant. Ninianus enim, quotiens ab itinere diuertens requiei corporis indulgebat, producto libello legere, aut meditationi insistere gratum habebat. Tantam illi gratiam virtus diuina contulit vt etiam sub diuo recumbens, et legens inter densissimas pluuias, nihil vnquam humoris cui intendebat codicem[10] attigisset, sed vicinis locis aqua circumquaque irruente madentibus, solus cum libello suo ita sub vndis, quasi sub tecti culmine resideret. Contigit aliquando Ninianum cum fratre suo sancto, Flebeia nomine, iter agere; [qui][11] a via quiescendi gratia diuertentes, apertis psalteriis sacra lectione animos recreabant. Mox aeris serenitas atris obducta nubibus, aquas quas haustu naturali conceperat, de superioribus ad inferiora transmisit. Teter[12] vero aer instar camere circa [dei][13] famulos arcuatus, quasi paries aliquis vndis defluentibus impenitrabilis persistebat. Verum inter psallendum beatus Ninianus oculos a libello detorsit, tactus modicum cogitatione illicita, etiam desiderio quodam demonis suggestione titillabatur. Moxque ipsum codicemque eius ymber inuadens, prodidit[14] quod latebat. Tunc frater eius, quid agebatur intelligens, cum ipsum leuiter[15] corripuisset; in se reuersus episcopus erubuit se inutili cogitatione fuisse pre-

[1] Vit. Farres last. [2] Vit. Cogitantem me sanctissimi viri morem sanctissimum, pudet socordie n. [3] om. in T. [4] *al.* om. [5] E. profecerat. [6] Vit. adds: Quid in itinere positi! [7] E. versantium. [8] E. fabilis, Vit. famulis. [9] seu o. b. om. in Vit. [10] E. codici. [11] om. in T. [12] Vit. Tenuis. [13] T. dei; E. Christi. [14] E. prodiit. [15] E. leuiter.

uentum: eodemque momento temporis et cogitationem deposuit et ymbrem suspendit. Plures interea tam nobiles quam mediocres, filios suos viro sancto sacris literis tradunt imbuendos: quos scientia erudiebat, moribus informabat, salubri disciplina vitia coercens, sobrie, pie, et iuste viuere insinuans. Deliquit aliquando vnus ex discipulis sancti viri, et timens disciplinam, [fugit et][1] baculum sancti viri, cui solebat inniti, secum asportare non timuit. Et intrans paruulam nauiculam, ventis irruentibus quasi subito longius in mari deductus, quid ageret, quo [se][2] verteret ignorans, in se reuersus reatum confitetur, veniam postulat, Niniani sanctis meritis diuinum sibi adesse auxilium precatur. In vno foraminum baculum episcopi fixit: et mox ad baculi tactum ventus ab oriente exurgens nauiculam leui pulsu portabat. Baculus[3] pro velo ventum excipiebat, pro gubernaculo nauem regebat. Et ascendens adolescens in terram, sancti baculum in littore fixit, rogans deum vt in testimonium tanti miraculi, missis radicibus humoreque contra naturam recepto ramos frondesque produceret. Nec mora, lignum aridum porrectis radicibus, et nouo se cortice vestiens, frondes ramosque produxit, et[4] in arborem non modicam crescens, virtutem Niniani etiam nunc cunctis cernentibus patefacit. Adiicitur insuper miraculo miraculum: nam ad radicem arboris fons limpidus erumpens riuulum ductu longiori emisit, infirmis ob sancti merita vtilem et salubrem. Hiis atque huiusmodi miraculis beatus Ninianus mirabiliter fulgens, ac summis virtutibus pollens, ad diem vocationis sue felici cursu peruenit. Sicque vita perfectus, etate maturus, sextodecimo kal. octobris celestia feliciter conscendit[5]; sepultusque est in ecclesia beati Martini quam ipse a fundamentis construxerat. Cuidam de plebe de vxore propria natus est filius miserabilis, vtriusque parentis dolor, plebis admiratio, intuentium horror, quem contra naturam natura formauerat, omnibus membris in contrarium versis. Retrouersis namque pedum articulis, tali anterius[6] prominebant; dorsum vultui coherebat, pectus vicinabatur occipiti, curuatis brachiis manus cubitis insidebant. Iacebat illa effigies cui data fuerant membra sine vsu, vita sine fructu, cui artubus ceteris dissolutis sola supererat lingua. Deferentes eum parentes ad tumbam sancti Niniani, dixerunt: 'Certe nos fessi et fatigati, tristicia affecti et tedio victi, tue istum pietati exponimus. Nimirum si munus est, debetur offerentibus gratia; si onus, tu vtique fortior ad sustinendum, cui potior virtus est ad subueniendum. Hic igitur aut moriatur, aut viuat; aut sanetur, aut pereat.' Hec vel similia cum lachrimis prosequuti, relicto ibidem egroto discedunt. Et ecce intempeste noctis silentio vidit miser aduentantem ad se virum, celesti luce choruscum, pontificalibus insigniis prefulgentem. Qui tangens ei

[1] om. [2] so T.; om. in E. [3] E. Reatus. [4] Vit. et postmodum. [5] E. concendit. [6] so T., E. alterius.

caput, iubet sanum consurgere et deo saluatori[1] suo gratias agere. Quo abscedente [quasi][2] de graui sompno euigilans pauper, membra singula ad loca naturalia facili motu retorquet. Recuperato vero membrorum officio, temporis processu attonsus in clericum et ad sacerdotium promotus, in sancti Niniani obsequiis vitam finiuit. Duo leprosi ad fontem sancti Niniani accedentes, aqua se abluunt: et caro eorum mundata sicut caro paruuli restituta est.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[3].

Quidam magne uite monachus erat ortolanus: et fur uenire consueuerat et per sepem ascendere et occulte olera auferre. Cumque ille multa plantaret et alia pedibus conculcata, alia direpta conspiceret, totum ortum circuiens, inuenit iter unde fur uenire consueuerat: et inuento quodam serpente, dixit: 'In nomine Iesu precipio tibi ut aditum istum custodias ac furem huc ingredi non permittas.' Protinus serpens se in itinere transuersum tetendit, et ad cellam monachus rediit. Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur aduenit, sepem ascendit. Et dum in ortum pedem poneret, uidit subito tensum serpentem claudere uiam: et tremefactus post semetipsum concidit, eiusque pes in sude sepis adhesit. Venit ortolanus, pendentem furem repperit, et serpenti dixit: 'Gracias ago deo meo, implesti quod iussi; recede modo.' Qui illico abscessit; et uir dei ad furem ueniens ait: 'Quid est, frater, tradidit te michi deus? quare furtum tociens facere presumpsisti?' Et hoc dicto, pedem eius a sepe in qua heserat soluit, sine lesione deposuit, et olera que furtim appetebat auferre, ei cum magna dulcedine prebuit, dicens: 'Vade et post hoc furtum non facias, set cum necesse habes, huc ad me ingredere: et que tu cum peccato laboras tollere, ego tibi deuotus dabo[4].']

¶ [5] De sancto Odone archiepiscopo[6] et confessore.

VEnerabilis Christi confessor Odo, nobilibus sed paganis parentibus oriundus, sicut rosa de spinis floruit, vel quasi preciosa de vilibus vasculis aromata processit. Nam ex impia illa Danorum[7]

[1] Vit. sanatori. [2] so T.; om. in E. [3] Cf. Vinc. Bell. XXII. 60.
[4] Collect in T.:

(A lme presul Niniane, cleri flos Albanie: Nos conseruestue laudi, assistentes refice, Noxas terge, mores auge, et uirtutes insere, Cum beatis fac regnare in eterna requie. *V.* Ora pro nobis.

Fragilitatem nostram quesumus, domine, perpetuo sustenta munimine, et per sanctissimi confessoris tui atque pontificis Niniani merita, quicquid iusto pecierimus desiderio, tua nobis concedat miseracio.

[5] Abridged from the Vita by Eadmer (not Osbern), ed. in Wharton II. 78, A. SS. Boll. Iuly II, 73; Mabillon VII. 287. A mistake, in reading Edwin, instead of Alfred, leads to grave blunders afterwards. [6] T. episcopo.
[7] *al.* senatorum.

multitudine fertur genus habuisse que olim sceleratissimum predonem Hynguar comitata, nauali manu in regnum Anglorum est aduecta. Hos ille natiuitatis[1] principes sortitus, et eorum accuratissima educatione ad iuueniles annos translatus, festinabat christianorum conuenticula indesinenter adire, diuinos qui ab [illis][2] dicebantur sermones magna animi oblectatione audire. Domum enim reuertens, que audierat parentum auribus sedulo infundebat. Super quibus bonorum studiorum primordiis pater impius impie irritatus, prohibebat ne omnino Christum nominaret, ne[ue][3] paternas institutiones christiane religionis veneratione immutaret. Verum ille, prohibentis imperium penitus despiciens, magis ac magis ecclesie limina (non desiit)[4] terere, diuini verbi intento animo semina percipere, et que perceperat, absque pauore domi nunciare. Hinc iterum pater supra humanum modum exasperatus, grauissima illum correptione affligit, iusque hereditatis quod ad illum venire debebat subtraxit. Tunc puer exultans in domino quod talem pro eius nomine proscriptionem subiret in terra, propter quam ascribendum se esse confideret in celo; dimissis parentibus parentumque diuitiis, nudus et omni mundano decore priuatus, aufugit, aditoque duce quodam nomine Ethelelmo[5], qui in domo regis Edwini[6] (!) et christianissimus et inter ceteros optimates prestantissimus erat, postulabat illius se potentia et auctoritate a parentum suorum furore defendi. Qui bona adolescentis indole gaudens, nec dignum aliquatenus esse iudicans vt tale decus paganicis ritibus sub patris imperio deseruiret, paterno illum affectu suscepit, defensione muniuit et auxiliis necessariis fouit. Deinde greca et latina lingua magistris edocendum tradidit—quarum linguarum plerisque tunc temporis in gente Anglorum vsus erat, a discipulis Theodori archiepiscopi diffusus. Factus est autem in vtraque lingua valde peritus, ita vt posset poemata fingere et omnino quicquid vellet diserto sermone proferre. Post hec baptizatus, admonitione[7] domini sui vsque ad subdiaconatum perductus est: in quo gradu per aliquot annos ita sanctitate vite et predicationis sinceritate pollebat, vt quicunque illum agnosceret, spiritus sancti templum esse non dubitaret. Domini sui tandem suasu ad sacerdotii gradum prouectus est. Ex quo tempore tam ipse dux quam ceteri pene omnes regalis palatii principes in summa eum veneratione habere ceperunt, secreta male acte vite ei aperire, et de hiis emendandis eius consilio libenter credere. Suggessit interea dux regi, habere se desiderium proficiscendi Romam et sanctis apostolis ibi[dem][8] supplicandi. Cumque licenciatus a rege iter arriperet, contigit illum infirmitate grauissima detineri. Odonem ad se venire facit, oratque vt pro sui liberatione domino preces effundat,

[1] E. natiuitates. [2] E. eis. [3] T. neue, E. ne. [4] om. in T. [5] Vit. Athelmo. [6] Vit. Elvuredi = Alfredi. The above mistake causes others on next page. [7] E. admonitionem. [8] E. ibi.

referens se indubitanter credere quod nihil ei diuina pietas denegaret quem a puero in magna gratia acceptum haberet. Tunc Odo terre procumbit deoque cum lachrimis preces fundit: et surgens ab oratione calicem vini benedixit, domino[que][1] porrexit: quem cum bibisset, redditam sibi omnimodam medelam persensit. Facta vero peregrinatione, ad domum cum gaudio reuersus est. [2]Audiens autem rex que in via per beatum Odonem gesta fuerant; quamuis ipse malus, bonos tamen in regno suo habere se glorians, cum electione totius ecclesie constituit illum sedis que nunc Saresberi nominatur episcopum. Excurso denique breui temporis spacio mortuo cantuariensi archiepiscopo, ab omnibus episcopis Odo electus est. Quia enim regem prauorum esse morum sciebant, nec eius peruersitati vlla contradictione obuiare audebant: sperabant, ideo Odonem robustius pre ceteris acturum, superbum regem humiliaturum, regia stupra dampnaturum, quia et sanctitate erat laudabilis, sapientia admirabilis, et constantia singularis[2]. Electus itaque ad archiepiscopatum cantuariensem, dixit: 'Nouerit tota Britannia, me nullo vnquam pacto consensurum vt in clericali habitu constitutus ecclesie Cantuarie presideam, cui nullus antea qui monachus non fuerat scitur presedisse[3].' Missis igitur a rege nunciis apud floriacense monasterium, abbas cum nonnullis fratribus prospere Angliam ingreditur, et Odoni habitu[4] religionis sancte tradito, cum honore regreditur. [2]Mox namque suscepto pallio, contra seuissimum regem seuerus insurgit, mulieres adulteras, quas plures habebat, a liminibus sancte ecclesie sequestrauit. Sed cum nec sic quidem illas a stupro prohibere potuisset, comprehensas iussit in facie candenti ferro turpari, sicque de regno Anglorum expelli. Deinde dulcibus simul verbis ac terroribus regem admonuit vt a tanta se impietate compescat, ne dei irati vindictam supra se citius experiatur: ideo quod in altiori gradu ruina sit grauior, et infirmato capite membra sana esse nequeant. Itaque propter sancti huius constantiam 'boni' cognomen accepit, eo quod a tramite veritatis nec timore nec gratia deflecti posset[2]. Eo tempore quidam de clero cantuariensis ecclesie asseuerare conabantur, panem et vinum que in altari ponuntur, post consecrationem in priori substantia permanere, et figuram tantummodo esse corporis et sanguinis Christi, non verum Christi corpus et sanguinem. Quorum ille enormem perfidiam destruere cupiens, dum quadam die in conspectu populi missam celebraret, fusis ad deum lachrimis dei clementiam postulauit vt ad expellendos hominum errores diuinorum misteriorum declararet proprietatem. Cumque ad confractionem ventum fuisset, confestim inter manus pontificis fragmenta corporis Christi sanguinem manare ceperunt. Stans itaque pontifex et pre gaudio vberes lachrimas fundens, innuit

[1] E. domino. [2–2] added by John of Tin., who is responsible for the mistakes. [3] T. E. presidisse. [4] E. habitum.

astantibus ministris vt illi propius accedant qui nuper in fide titubauerant. Qui in tantarum rerum consideratione pauefacti, exclamauerunt: 'O inter homines felicissimum, cui hodie filius dei semetipsum in carne dignatus est reuelare. Exora, presul sanctissime, vt in pristinam formam sanguis presens commutetur, ne nos propter infidelitatis errorem diuina vltio sequatur.' Orauit ergo: et respiciens ad aram, vbi dimiserat sanguinem repperit vinum. Cum autem ecclesiam suam cui preerat reparare vellet, deprecatus est dominum vt quousque opus inceptum consummatum fuisset, nulla infusio imbrium aut vis ventorum infra parietes ecclesie descenderet, que clericos a diuino opere prohibere posset: factumque est vt in tribus continuis annis, quibus ecclesia edificaretur, non tantum infra ambitum ecclesie, sed nec intra muros totius ciuitatis pluuia aliquando descenderet. Cum autem rex Edwius[1], libidini deditus, post officium ecclesiasticum vna cum episcopis et magnatibus iam pransus die quadam sederet, subito exiliens relictis omnibus, in secretiorem cameram se contulit, duarum feminarum, illic eum operientium, stupri ardore succensus infandum consortium expetiit. Que res considentium mentes magni pudoris merore deiecit. Habito autem inter eos colloquio, missus est abbas Dunstanus, regem ab illicitis amplexibus abstrahere et ad regiam sedem inter principes reuocare. Et factum est ita. Eapropter turbatus rex Dunstanum spoliatum exilio dampnat. Iccirco enim Odo, vbi eum nec admonitionibus suis se velle corrigere videt, vnam de dictis mulieribus, qua rex frequentius abutebatur, missis militibus a curia regis in qua manebat violenter abduxit, et eam in facie deturpatam ac candenti ferro denotatam in Hiberniam exilio detrusit. Erat enim sanctus Odo omnium iniquitatum inflexibilis aduersarius; non hunc alicuius gaudii secularis illecebre, non hominum mine, non cuiusuis dampni perpessio poterat a rectitudine deterrere. Rege tandem Edwio[2] pro suis criminibus eliminato, Edgarus frater eius super totam Angliam rex consecratur. Cum autem Dunstanum in episcopum Wigorniensem consecrare deberet, hominem, qui ad Wicciorum pontificatum promouendus aduenerat, in pontificem Cantuariorum sancti spiritus operatione promouit. Super quo a circumstantibus, cur sic ageret, inquisitus: 'Scio, inquit, filii, scio quid operetur in me deus. Et hunc quidem Wigorniensis prouincia, me viuente, pastorem habebit: sed tota Britannia, me defuncto, eodem rectore gaudebit; nec enim lege sancti spiritus donum stringi potest.' Sanctus tandem Odo in senectute bona, virtutibus et operibus bonis plenus, relicto seculo celestia penetrauit, quarto nonas Iunii[3]. Post cuius transitum obtinuit locum summi sacerdotii Elfsinus, Wentanus episcopus, data pecunia principibus qui primi erant in domo regis Edgari. Nam et ante Odonem magna ad rapiendum sacerdotium

[1] E. edwinus, T. edwius. [2] E. edwino. [3] E. Iulii.

cupidine agebatur, sed proborum constantia episcoporum a proposito decidit. Cum vero die aduentus sui Cantuariam, solempni processione susceptus fuisset, accessit ad sepulchrum sancti Odonis, stansque super illud, ita defuncto exprobrare non timuit: 'Inepte senex, ecce tu mortuus es et sub tellure putridus iaces: te viuente summus Anglorum pontifex esse non potui, te obeunte factus sum quod olim esse concupiui: et inde, male ac decrepite senex, nullas gratias habeas; quia si vltra viuere potuisses, mihi habitum honorem concedere noluisses.' Et baculo tumbam[1] sancti percutiens, stulto furore accensus, inde recessit. Eadem nocte apparuit sanctus Odo custodi ecclesie Saluatoris, vultum lacteum habens, vestimentum vero rosei coloris, ita dicens: 'Surge et dic Elfsino episcopo: "Hec mandat tibi seruus Christi Odo: Non sum mortuus, sed viuo regi meo omnipotenti deo; atque vt hoc certissime experiaris, noueris quia sicut tu me viuente ad archiepiscopatum peruenire non potuisti, ita per me nunc in celesti regno viuentem, inuasum honorem in proximo perdes. Et quoniam hesterno die me[2] verbis exprobrasti, baculo tuo sepulchrum meum percussisti, predico tibi quia mare transfretabis, Alpes ascendes, sed pallium non obtinebis."' Cumque illi ter sic apparuisset, et ille cuncta episcopo retulisset, ille que audierat paruipendens[3], verba inepte dicebat esse comminationis. Demum, vt in vita sancti Dunstani habetur, inter Alpes niuibus conclusus misere vitam finiuit.

¶ [4]*Narratio*[5].

Circa annum domini octingentesimum quartumdecimum, cum Ludouicus pius imperator quendam Fredericum ad traiectensem promouisset sedem, rex ipse primo ordinationis die ad dexteram episcopi sedit in prandio, monuitque presulem inter cetera vt recentis professionis memor, antecessorum suorum constantiam sequens, sine acceptione personarum vera proponeret, ac contemptoribus penam infligeret. Cui episcopus: 'Recte mecum agis, domine rex, qui professionis mee teneritudinem sanctis animas hortatibus; sed ne grauetur, queso, maiestas tua soluere quod animus meus diu volutauit, vtrum piscem hic appositum honestius sit a capite an a cauda aggredi.' Rex autem preproperus, et quantum se inuiscasset[6] nescius: 'A capite' inquit. Et ille: 'Sic, domine Auguste[7], (te decet)[8] vt fides christiana te primo de tuis erratibus[9] compescat, ne subditi audeant spernere quod te viderint tolerasse. Renuncia igitur incesto matrimonio quod cum illa Iuditha[10] contraxisti.' Quod quidem dictum rex, licet mestus, tolerauit. Sermo in latum volans, aures ecclesiasticorum in tantum exulcerauit, vt consilio super hoc acto, rex ipse soluto connubio

[1] E. tumbum. [2] Vit. mihi. [3] E. peruipendens. [4] Ex Will. Malm. Pont. I. [5] T. Incidencia. [6] W M. inuiscaret. [7] E. anguste. [8] te decet om. in T.; W M. eat. [9] W M. erratis. [10] E. inditha.

seipsum deponeret [1] et in ergastulo contraderet, femina in monasterio detrusa. Mediante postremo [2] apostolice sedis pietate, decretum est vt indicta penitentia legitimo de cetero vteretur connubio. Imperatore remissa libenter iniuria, mulier per duos satellites episcopum prefatum, sacerdotalibus indutum, post missam celebratam occidi fecit [3].

¶ De sancto Odulpho confessore [4]

TEmpore Ludouici piissimi Augusti erat vir quidam venerabilis, ex nobili prosapia Francorum oriundus, nomine Bodgis [5], de quo filius deo acceptus nomine Odulphus procreatus est. Qui ablactatus, sacre eruditionis traditur studiis, et sanctis ac deo deuotis doctoribus commendatur erudiendus. Creuit enim sapientia et etate ac sanctitate puer venerabilis: et relictis propinquis et amicis, apud Traiectum opidum a sancto episcopo Frederico cum magno honore suscipitur: et cum ipso diu manens, in vigiliis peruigil, in ieiuniis potens, in orationibus sedulus, in sacra lectione extitit studiosus. Contigit enim vt Frisones, viri feroces, ad tanti erroris dementiam deuenirent, vt dictus episcopus nec per se nec per archidiaconos ad viam veritatis reuocare eos posset. Vnde Traiectum literas direxit et sanctum dei famulum deuote poposcit vt sine mora ad ipsum festinaret. Ad quem cum venisset, ceperunt per ecclesias verbum dei populo predicare, donec homines velut lupi rapaces [6], salutari dogmate in mansuetas conuerterent oues. Sanctus igitur Odulphus rogatu episcopi ibi manens, populo verbum vite [7] predicare non cessabat. Nil terrenum in hac vita curabat [8], vt deposito carnis onere premia eterna accipere in celis mereretur. Spiritu vero prophetico plenus, ventura, quasi iam facta cerneret, predixit. Senectute demum grauatus, et baculi sui oblitus, ad ecclesiam die quadam perrexit et instinctu inimici cella eius cum omni supellectili sua inflammatur. Quo audito, fusa cum lachrimis ad deum prece, incendium continuo mansuescit nec vltra preualuit: cellam solummodo quam inuaserat combussit, baculo illeso. Eundem post obitum eius baculum super sepulchrum eius fratres fixerunt; qui in loco vbi fixus fuerat vsque ad tempora beati Radbodi episcopi perdurauit. Febre tandem correptus, in omni sanctitate presentem vitam deserens celestia penetrauit [9], pridie

[1] *al.* W M. [2] E. adds episcopo prefato.

[3] Collect in T.:

(Aue, presul gloriose, aue sidus iam celeste (deco`rans Odo celum: Nos guberna uisens humum, quo, letemur triumphantes, te patron um uen,erantes. V. Ora pro nobis. (Cf. Odulph.)

Deus qui nos beati Odonis confessoris tui atque pontificis meritis et intercessione letificas, concede propicius ut, qui eius beneficia poscimus, dono tue gracie consequamur, per.

[4] Abridged from the Vita in A. SS. Boll. 12 June. p. 89. and from the Hist. Translationis et miracul., ed. from MS. Rawl. A 287, by Macray Chron. abbatiae de Evesham, Rolls' Ser. 1863, p. 313 ff. [5] *al.* Ludgis, Lodgis.

[6] *al.* feroces. [7] E. uite verbum. [8] Vit. cur. acquiere. [9] E. penitrauit.

Idus iunii; et tanta illic miri odoris aspersa est fragrantia, vt omnes qui illic aderant inestimabili suauitate replerentur.——[1] Accidit enim tempore Canuti regis Anglorum et Dacorum, quod quidam viri ossa sancti Odulphi auferentes[2], mira audacia Londonias transtulerunt. Ea tempestate Ailwardus[3] episcopus londoniensis ecclesiam eueshamensem[4] regebat: qui cum intellexisset reliquias sancti Odulphi Londoniis aduectas, centum libras vendentibus[5] dedit, sicque inestimabilem t[h]ezaurum gloriose acquisiuit, et cum magno honore ad eueshamensem[4] ecclesiam aduexit. Tempore Frederici episcopi traiectensis beatum Odulphum altari assistere contigit et ecce iuxta altare astitit ei angelus domini, talia sancto viro annuncians: 'Festina, inquit, vir dei, velocius missam finire, et sicut astas, sacerdotalibus vestimentis indutus, sanctum calicem manibus tenens, ad mare concito gradu propera: illicque nauem inuenies, que te Traiectum recto tramite deducet. Nisi enim festinans illuc citius veneris, traiectensis pontifex more solito missam solemniter celebrabit, quod si ausu temerario facere presumpserit, diuino iuditio propter peccatum quod nocte commisit diabolo traditus miserabiliter in infernum sepeliendus suffocabitur[6].' Hec angelo dicente genusque peccati seriatim innotescente, sanctus Odulphus mox, sicut iussum fuerat, calicem manibus ferens sacerdotalibusque vestimentis indutus ad mare, nemini quicquam dicens, concito properabat, et nauem ascendens, sine aliquo remorum aut nauis[7] gubernaculo ad traiectense littus appulsus est: inuenitque episcopum cum nimia pompa ad missarum solemnia se preparantem. Videns autem episcopus beatum Odulphum sacerdotalibus indutum calicemque manibus tenentem prope assistere, admirans ait: 'Quid tu, inquit, bone Odulphe, tam insperatus et tam inopinato modo paratus, tam festinus hac die aduenisti?' Et ille: 'Necessitate quadam permaxima coactus, domine pater, vestram sanctitatem tali modo expetii.' Vocansque episcopum seorsum, visionem angelicam omnemque rei veritatem sibi ex ordine pandit: quoniam in eadem sanctissima nocte paschali cum quadam sanctimoniali, propria videlicet sorore, peccasset. Quod audiens episcopus, et vltra quam estimari possit dei iudicium expauescens, iussit beatum Odulphum missam solemniter celebrare. Postea autem condignam penitentiam, a sancto Odulpho sibi iniunctam, explens, episcopatum reliquit, decem annis exilium passus omnibusque suis incognitus, beato Odulpho cura pastorali commissa. Elapsis vero decem annis prefatus pontifex Fredericus, sancti spiritus operante gratia, apicem pontificatus et tanti ordinis admirandam sanctitatem, vt crebra ipsius testantur miracula, obtinere meruit.

[1] Cf. Hist. transl. ed. Macray, p. 313. [2] sc. from Stavoren in Holland. [3] *al.* Aelfwardus. [4] T. euishamensem. [5] *al.* vehentibus. [6] *al.* proicietur. [7] *al.* sine velo, remis.

[MS. Tib. adds: *Incidencia*[1].

Cum enim episcopus Eliopoleos, que nunc Damiata[2] dicitur, in presencia octo episcoporum populo predicaret, subito quedam femina, summa faciei et ornamenti pulcritudine splendens, ante eos cum maxima pompa iuuenum et puellarum processit, et totum aerem diuersorum aromatum odore replebat. Sanctus uero D(onnus) episcopus diucius aspiciens, post lacrimas et profunda suspiria ad episcopos dixit: 'In ueritate dico uobis quod hanc deus in iudicio nobis preferet. Nam negligencia torpemus et (anime nostre faciem) ab immundicia non lauamus ut (ei placeamus), sicut hec misera, que tociens se abluit et depinxit ut amatoribus pulcra appareat. Illa pro terrenis et caducis summo se studio decorauit, et quecunque hominibus promisit cum alacritate perfecit): Ego placere deo proposui et (per meam negligenciam non impleui, nec man(data dei seruaui).' Rediens domum et sompnum (capiens, uisum est ei quod) columba nigra sordida et (fetida nimis eum circumuolans, dum in uase aque ablueretur, mun da et candida exiens tam alte (uolauit quod) uideri non potuit. Dum in crastino populo predicaret, illa meretrix ipsum (audiens, in tantam) compunccionem mutatur quod seruo ad episcopum nuncios misit, dicens: 'Sancto episcopo discipulo Christi, Pelagia peccatrix discipula diaboli. (Audiui quoniam deus quem colis non pro iustis set pro peccatoribus de celo descendit, et cum publicanis et peccatoribus comedit et bibit. Si ergo discipulus eius es, ne despicias penitentem (et saluari) cupientem.' Ad hec episcopus: 'Quecunque es, deo nota) es; rogo tamen ut humilitatem nostram non temptes, quia homo peccator sum. Set si (saluari, et me uidere deposcis, inter alios episcopos me uidebis: nam solum me uidere non poteris).' Que ueniens, cum eiulatu magno prostrata, pedes) eius lacrimis rigans et crinibus tergens dixit: 'Miserere domine peccatricis: ego enim sum Pelagia, pelagus) iniquitatis, ex undans) fluctibus peccatorum. (Ego) sum abissus perdicionis, et uorago et laqueus) animarum. Multos enim iniquitate mea decepi: set nunc pecc(ata) abhorrui. Fac ergo me, pater sanctissime, baptizari, ut anima mea possit a tantis sordibus emundari.' Cui episcopus: 'Canones continent non debere meretricem baptizari, nisi per fideiussores spondeat quod se ultra prauis actibus non inuoluat.' Tunc illa iterum se prostern(ens et eiulans) dixit: 'Racionem reddes[4] deo pro anima mea, et tibi imputetur peccatorum meorum ini quitas,) si me (di)stuleris baptizare.' Tunc quesito (eius nomine, dixit): 'A natiuitate Pelagia uocor, (set propter uestimentorum pompam omnes me Mar(garitam appellant).' Tunc iniuncta ei penitencia, (episcopus eam) diligenter instruxit et baptizauit. Diabolus

[1] Ex. Vinc. Bell. XI. 96; Leg. aur. p. 674. [2] VB. Damieta. [3] *al.* om. [4] T. reddas.

au)tem clamabat in aere dicens: '(O uiolencia quam) pacior ab hoc sene decrepito! (O) senectus mala! non tibi sufficiebat Helio(polis ciuitas que quon)dam mea fuerat? Maledic(tus dies in quo michi) contrarius natus es. Domina (mea Margarita, quid) tibi unquam malefeci? (Nonne te lapidibus preci)osis ornaui, auro et (argento cumulaui? Dic) michi in quo te contrista(ui, et tibi satisfacio;) tantum ne me deseras, ne (opprobrium christianis) efficiar.' Illa autem se (signauit et in dia)bolum insufflauit: et statim (euanuit. Die tercia) pauperibus diuiciis suis erro(gatis, induto) cilicio nocte fugit et in (monte oliueti) habitum heremite accipiens, (in parua cella in multa absti)nencia uixit et fratrem Pelagium se (uocauit). Cumque post multos annos mortua esset, aduocati monachi cum episcopo Ierusalimorum Pelagiam de cella extrahentes et sepelientes, feminam inuenerunt, et deum qui multos ha(bet seruos abscon)ditos glorificabant[1].]

¶ De sancta Ositha virgine et martire[2].

BEata Ositha virgo et martyr, ex nobilissimis Anglorum natalibus originem duxit. Erat autem filia Frithewaldi regis, et Wilburge, filie regis Pende Merciorum. [3] Traditur autem virgo Ositha bonis informanda moribus sancte Modwenne abbatisse, que iuxta siluam que Arderna dicitur duo construxerat monasteria, vnum in loco qui Pollesworth[4] dicitur, aliud in mansione que Streneshal[5] nuncupatur. Horum alterum sibi elegit orationibus intenta, reliquum concessit beate Edithe, sorori regis Alfridi, ob sanctitatis meritum sibi familiariter dilecte, que in congregatione sanctarum virginum mater et custos effecta est. Huic aliquamdiu herebat[6] adolescentula dei ancilla Ositha, a sancta Modwenna (abbatissa)[7] [ei] commendata. Cum itaque hiberno tempore contingeret beatam Editham cuiusdam codicis inspectioni vacare, disposuit sancte Modwenne com[m]unicare ea que lectioni[8] vtilia in eo aduerterat. 'Vade, inquit, Ositha, et defer volumen istud ad dominam et matrem nostram Modwennam: in eo forte aliquod sancte contemplationis et edifica-

[1] Collect in T.:

Aue pater gloriose, [aue sidus iam celeste], decorans Odulphe celum: Nos guberna, uisens humum, quo letemur triumphantes, te patronum uenerantes. V. Ora pro.

Deus cui beatus Odulphus confessor tuus ita sanctitatis gracia decoratus complac(uit), ut tuorum consorcium in celis promereretur sanctorum, tribue (MS. tue) quesumus, eius interuentu perpetuam consequi let(itiam), deposicionis diem gratulando celebra(ntes), per.

[2] Ed. in Surius (and A. SS. Boll. 7 Oct. III. p. 942); abridged probably from the lost Life by De Vere, canon of St. Osyth, described in Leland Itin. viii. 41, which life seems derived from that in MS. Bodl. 285, f. 121; with additions from Geoffrey de Burton's Vita Modwenne. Two saints seem to have been confounded. [3] Ex Vita Modwenne. [4] E. pollesworch. [5] E. streueshal. [6] Sur. adhesit. [7] om. in T. [8] S. legenti.

tionis exemplum poterit inueniri.' Que accepto libro cum ad quendam pontem ligneum peruenisset, vi ventorum in pontis fastigio impulsa deorsum lapsa corruit, et impetu fluminis rapta in momento absorpta est. Elapsis autem tribus diebus, angelus domini Modwenne in cella oranti apparens dixit: 'Vade cum festinatione ad fluuium, aliquid ibi necessarium operatura.' Que cum peruenisset ad fluuium, inuenit ibi Editham virginem, puellam Ositham queritantem. Quam abbatissa velut expau[esc]entem[1] considerans, ait: 'Quid est, soror? Rectene[2] sunt omnia?' Illa respondit: 'Ecce, inquit, tres dies sunt, domina, ex quo transmisi[3] Ositham ad te, et veni querere quare non regrederetur ad me. Nunquid non apud te est?' Et illa: 'Vere, inquit, non vidi eam, nec venit ad me.' Et interrogati pastores si puellam vidissent, dixerunt: 'Nudiustercius puellam pontem ascendere vidimus, sed quo abiit aut quo deuenit, nimirum curam agentes de pecoribus et ad alia intenti, penitus ignoramus.' Quo audito sancta Modwenna ait ad Editham: 'Deprecemur, soror charissima, dominum, vt meritis omnium sanctorum suorum restituat nobis in hac hora puellam perditam, vt videamus et cognoscamus eius mirabilem potentiam, et collaudemus in perpetuum misericordiam suam.' Cum igitur ad terram inclinate diu cum lachrimis ambe orassent, Modwenna ab oratione surgens clara voce tribus vicibus exclamauit: 'Ositha, Ositha, Ositha, in nomine sancte et indiuidue trinitatis veni foras et de hoc flumine in quo submersa es, per virtutem potestatis ipsius vite restituta, sana et incolumis emergas.' Necdum plene verba finierat virgo sancta, et ecce puella de fluuio cum volumine illeso prodiit, et trina vice sermone absoluto respondit: 'Ecce ego, ecce ego, ecce ego domina mea.' Quam sancta Modwenna cum magna exultatione suscipiens, et gratias immensas deo agens, Edithe illam reddidit, et retento secum volumine ad cellam remeauit. Locus autem ille ab euentu nomen sortitus, ab incolis 'Nunpole' appellatur. Verumptamen monialis tunc non extitit, licet nigro pallio illam tunc amictam fuisse credatur. Post transitum vero sancte Modwenne beata Ositha ad parentes reducta, virtute et moribus quotidie proficiebat. Cumque nubilis, temporis processu, esse conspiceretur, rex quidam Orientalium Saxonum Sigherus nomine, parentes puelle sollicitans, virginem sibi petiit dari in coniugem. Que cum a parentibus commoneretur assensum prebere, eorum blanditiis fauere recusans, animo et actu virginitatis sibi placere puritatem insinuauit. Renitens tamen et inuita dicto regi, nuptiis regali apparatu instructis, desponsata traditur. Affectus vero et desideria sua sponso suo celesti commendans, cum orationis instantia preces deo deuote fundebat vt a virili concubitu eam immaculatam conseruaret. Cumque multorum dierum euolutione regis desiderium laudabili fallatia, et multarum occasionum oportunitate viri sui desideria reprimeret: eo ardentius

[1] E. expauentem. [2] E. Rectane. T. Rectene. [3] T. transmisisi.

quo de virginis voto minus instructus erat, ad cubiculi secretioris locum rex virginem iussit introduci, vt diutius affectato concubitu vteretur. Affuit interea nutu diuino nuncius, domino suo rumoris solatia insinuans ceruum habitu corporis et forma spectabilem pre foribus atrii regalis discurrere. Sicque rex, intactam deserens reginam, adiunctis sibi venatoribus ad ceruum persequendum perniciter aduolauit. Regina vero, quasi a naufragio erepta, liberatori suo Christo gratiarum actiones referebat: misitque festinanter litteras Orientalium Anglorum episcopis, Ecce videlicet et Bedewino, viris religiosis, mentis sue desideria exprimentes[1]. Qui[2] festino gressu ad eam accedentes, religionis habitum tradiderunt et velo sibi imposito monialem consecrarunt. Rediens vero rex post aliquot dies a venatione ad visitandam reginam alacriter properabat: Cumque eam habitu sancto indutam et voto diuino constringi[3] aduerteret, merore et mesticia concussus est. Nolens tamen amorem in odium commutare, reginam proposito suo insistere sustinuit, licet inuitus. Constructis edificiis religioni competentibus, dedit ei rex in possessionem villam Chichensem. Regina vero cum associatis sibi virginibus sacris vite austerioris propositum aggreditur: morum disciplina, silentii rigore et continentie censura singulas informans, verbo et exemplo ad amorem celestium et mundi contemptum indesinenter accendebat. Cumque in dei famulatu aliquamdiu desudasset, humani generis inimicus et virtutum exterminator diabolus beate Osithe conuersationi inuidit, et quam proficere de die in diem conspexit, a via sanctitatis auertere[4] studuit. Satellites itaque suos ad euersionem sacre virginis destinauit, et de finibus Dacie filios perditionis, fidei et pietatis ignaros ad depopulandam Orientalium Anglorum plagam excitauit. Huius gentis barbare consuetudo fuit piratica[m] exercere, christianorum cede delectari, rapinis inhiare; ocium inane e[xi]stimabant[5] quotiens a sceleribus et operibus impietatis manus continerent. Anno igitur domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, mense octobris, gentilium caterua, a Dacorum partibus nauibus aduecta, apud Orientales Saxones in villa que dicitur Chiche appulsa est. Qui de nauibus egressi, rapina et incendiis christianos seuiendo aggressi sunt. Ille vero qui inter sceleratos primus erat, cum conditionem beate Osithe requisisset, intellecto quod christiana esset, precibus et muneribus ad ydolatriam cepit eam inclinare, subiiciens minas nisi deorum veneration[i] quos colebat consentiret; verberum et vulnerum crudelitatem comminando eam sibi inclinare parabat. Virgo tamen beata, blandi-tias respuens, ad minarum asperitatem imperterrita, suppliciorum sibi imminentium dispendia non timebat. Vnde princeps, eius constantiam attendens, et deorum suorum iniuriam non ferens, capitali sententia in illam promulgata[6], ad decollandum caput humiliare com-

[1] S. exponens. [2] E. Que. [3] S. obligatam. [4] E. aduertere.
[5] E. estimabant. [6] so T., E. prouulgata.

pulit. Sicque capite amputato, mox virgo erigitur, et caput in terram collapsum manibus arripiens, recto gressu firmis vestigiis progrediens, vsque ad ecclesiam apostolorum Petri et Pauli, a loco passionis quasi per tria stadia distantem, angelico ductu peruenit. Cumque ad ostium ecclesie subsisteret[1] obserratum, manibus cruentatis, quasi vt sibi aperiretur, ostium pulsans, sanguinis vestigia in eo reliquit, et ibidem ad terram cecidit. In loco autem vbi gloriosa virgo capitalem subiit sententiam, fons lucidus erupit, variis morborum generibus sanitatem prebens. [2]Audito autem virginis sancte martirio, pater eius Frethewaldus rex et Wilburga vxor eius precipuo desiderio estuabant vt vel truncati corporis pignore penes eos deposito consolati, doloris iacturam redimerent. Cumque corpus sancte virginis ad eos allatum esset, in ecclesia de Aylesbiry cum magno honore in locello plumbeo collocarunt. Peractis autem multis post hec in eodem loco meritis sancte virginis miraculis, cuidam fabro in visu apparuit dicens: 'Surge et vade ad ecclesiam Ailesbirie, et tollens loculum illum[3] plumbeum in quo sunt ossa mea, et equo caute imponens, ad ecclesiam chichensem deferre non differas. Et ne de labore tanto diffidas, cum iter aggressus fueris, in vie labore et sarcine sudore releuatrix ero et adiutrix.' Post trinam vero apparitionem nocte quadam nactus oportunitatem[4], ecclesiam ingressus, excubantes sopore grauatos inuenit, loculum plumbeum de terra euulsum equo imposuit et abiit. Mane facto euigilantes custodes, excitatis conuicaniis, platearum diuerticula et callium secreta compendia rimantur, si forte, quem persequebantur, comprehendere possent. Cumque faber ille hominum cateruam appropinquare conspiceret, fusa ad deum et ad virginem sanctam prece, persequentes eum mentis alienatione oculorumque stupore mirabili percussi, ad propria vacui redierunt. Faber vero cum reliquiis sancte virginis cum ad ecclesiam chichensem peruenisset, Mauricius londoniensis episcopus in scrinio precioso reliquias sanctas cum honore collocauit; et roffensis episcopus ibidem presens a graui qua detinebatur infirmitate curari meruit[2]. Cum quidam naute quoddam frustum marmoris de porticu ecclesie sancte Osithe clam secum auferrent, nauicula, in qua frustum erat positum, velut terre fixa immobilis erat, donec reatu cognito frustum illud ad ecclesiam de qua erat ablatum[5] attulissent. [6]Clericus quidam voto simplici in monasterio sancte Osithe virginis[7] habitum religionis suscipere spospondit: propositumque arridente fortuna differens, ad extrema vite morbi grauatus molestia deducitur. Cui sancta apparens Ositha ait: 'Quid est quod tam solicite me inuocas? Nunquid[8] meministi quid tibi fecerim quarto anno iam elapso? Cum egrotares morti vicinus, cum satisfacerem huic pro-

[1] T. susisteret. [2–2] All this is wanting in MS. Bodl. [3] om. in T. [4] T. nacta oportunitate. [5] T. ablata. [6] The rest is wanting in MS. Bodl. [7] om. in T. [8] S. An non.

uincie imminente mortalitate, et impetraui a domino meo Ihesu Christo vt visitaret populum meum: tunc dominum pro te rogaui, et ab infirmitate tua liberatus vite conuersionem promisisti: et ex tunc de malo in peius victitasti. Qua igitur fronte, luchris et nugis curialium deditus, me inuocare presumis?' Cumque emendationem vite cum lachrimis spospondisset[1], illa vultu hilariore illum intuens ait: 'Misereor tui, si tui ipse misertus deo seruire vel sero volueris.' Eius vero tactu sanatus, habitum religionis suscepit, et deuote deo seruiens in priorem Sancti Bartholomei Londoniis electus est. Mulierem contractam erexit; iuueni muto et surdo loquelam et auditum reddidit, et multis aliis opem eius in sua infirmitate implorantibus salute recepta subuenit. Puella quedam officio brachii ita priuata vt lateri inseparabiliter[2] adhereret, cum meritis sancte Osithe sanata perfecte fuisset, votum continentie commisit; processu tamen temporis cum quodam iuuene matrimonium contraxit. Cui sancta Ositha apparens, cur temerario ausu vota que distinxerunt labia sua rupisset, spurcissimum[3] coniugium improperando redarguit, et compedum vinculo inuisibili pedes eius arctius constringebat, vt pedem pedi subiectum diuellere non valens, officio pedum prorsus destituta, vltionis diuine flagellum[4] sentiebat. Meritis tandem sancte Osithe sospitati reddita, correctiori vite de reliquo studuit adherere. Mulier quedam pedum officio multis annis destituta, cum a custodibus ecclesie sancti Edmundi tanquam obprobrium hominum et plebis abiectio proiceretur; quidam vultus venerandi in visu ei apparens dixit: 'Mulier, quid hic moraris? Frustra hic expectas quod petis. Surge: alias tibi querenda est salus quam efflagitas.' Et illa: 'Quis es, domine?' 'Ego, inquit, sum seruus dei Edmundus; vade ad ecclesiam sancte Osithe, vt sanitatem perfectam consequi merearis.' Quo cum peruenisset, dolore membrorum quiescente sanata surrexit.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[5].

Duo religiosi, sicut in Vitis patrum habetur, quasi propter regnum celorum se castrauerunt. Quod audiens episcopus, excommunicauit eos. Illi autem putantes quia bene fecissent, indignati sunt contra eum, dicentes: 'Nos propter regna celorum castrauimus nos, et hic excommunicauit nos?' Et conquesti archiepiscopo ierosolimitano, ille ait: 'Et ego uos excommunico.' Id idem fecit archiepiscopus antiochenus; similiter et papa. Tunc deficientes, dixerunt intra se: 'Isti episcopi sibi inuicem consenciunt: set eamus ad uirum dei sanctum Epiphanium episcopum de Cipro, quia propheta est, et personam hominis non accipit.' Cum autem appropinquarent ciuitati eius, reuelatum est ei de ipsis. Et mittens in occursum eorum

[1] T. spopondisset. [2] E. inseperabiliter. [3] E. spursissimum. [4] E. flagellam. [5] Cf. Vit. Patr. p. 968.

dixit: 'Non intretis in ciuitatem istam.' Tunc illi reuersi in se dixerunt: 'Pro ueritate nos culpabiles sumus: utquid ergo nos ipsos iustificamus? Esto quia illi nos iniuste excommunicauerunt: numquid et iste propheta? ecce enim deus reuelauit ei de nobis.' Et reprehenderunt semetipsos ualde de culpa quam fecerant. Tunc uidens qui corda nouit quia se pro ueritate culpabiles fecerant, reuelauit episcopo Epiphanio: qui misit adducens eos, et consolatus, suscepit eos in communione; et scripsit archiepiscopo Alexandrie dicens: 'Suscipe filios tuos, quia in ueritate penitenciam egerunt[1].']

¶ De sancta Osmanna virgine[2].

BEata virgo Osmanna, clara stirpe ac regali Hiberniensium progenita, mandatis domini a pueritia tacito corde credebat, et quasi aurum electum probata, suis parentibus, cum essent gentiles, eam cogentibus ne christicolis crederet, obiurganter obstabat, dicens: 'Cur, insana gens, vestris mutis idolis, nil obesse nec auxiliari valentibus, me dei cultricem caput inclinare compellitis, legesque prophanas exercere iubetis?' Quod audientes parentes eius stupebant, atque alter ad alterum dicebat: 'Quid dicemus de illa iam fidei nostre penitus obstante?' Cum autem tandem viderent beatam virginem a via veritatis nolle separari, eam cuidam nobili in matrimonium dare volebant, vt gaudio vacaret et christianos odio haberet. Quod illa intelligens. parentes et patriam dereliquit, et assumpta secum ancilla nomine Aclitenis, transito[3] mari in siluam iuxta Ligerim fluuium, ab hominum habitatione remotam, domunculam ex foliis et frondibus fecit, et radices herbarum et folia in cibum sumpsit, vestes ex iuncis[4] et longioribus herbis sibi fecit. Post hec vero, dum quidam venator pontificis cum multitudine canum aprum insectaretur, aper ille ad beate Osmanne[5] habitaculum perueniens, ante pedes eius, quasi misericordiam petens, se prostrauit. Quem cum venator aduenies cultello occidere vellet, nulla gladii acies cutem eius penetrare potuit. Quo viso ad episcopum pergens, se magica arte a virgine delusum fuisse asserens, cuncta que viderat studuit enarrare. Pergente illuc[6]

[1] Collect in T.:

O Ositha gloriosa uariis uirtutibus, O oliua speciosa florens in celestibus: Fac uotiua graciosa nostra tuis precibus, Incentiua uiciosa commutans uirtutibus. V. Ora pro nobis.

Deus qui es omnium sanctarum flos uirginum, da nobis in sancte uirginis et martiris tue Osithe sorte censeri, ut, cuius laudamus meritum, imitemur exemplum. Qui uiuis et regnas cum deo patre et s. spir. deus in sec. seculorum. Amen.

[2] Abridged from a Life known to the Boll. from a MS. Anisolense; an older, shorter Life, in frequently the same words, is ed. from a St. Denis MS. in A. SS. Boll. 9 Sept. III. p. 422. [3] E. transita. [4] T. iunctis. [5] E. beati Osmanni. [6] E. illic.

episcopo cum turba multa, inuenta est ab eis virgo sancta orans ad dominum prona. Cumque illam omnia prestigia et ydolorum culturam detestari et conuicia genti incredule[1] inferre viderent, episcopus sic eam alloquitur: 'Credo te, virgo, apprime dei baptismo obedire, atque christicolis et[2] prophetis indesinenter credere.' Quod statim vt illa audiuit, dixit: nihil in mundo se magis quam baptismum affectare. Tunc gauisus episcopus de responsione illius, ait: 'Dei templum Osmanna, deo et eius angelis atque archangelis omnibusque deum diligentibus amica eris, lauachrum suscipiens regenerationis.' Cumque cathecumina fieret virgo sancta, vir quidam cecus lumen oculorum recepit. Tradidit autem ei episcopus quendam agricolam, qui edificaret sibi ortum vnde virgo haberet ad vescendum. Quod videns diabolus, agricole quodam mane apparuit dicens: 'Homo, quid queris, [vel][3] cui seruis? quid vtilitatis de tua domina consequeris? Si mihi volueris obedire, tibi aurum et argentum et quicquid desiderat anima tua dabo.' Et ille: 'Si, inquit, hec vera esse scirem, tibi obedirem et crederem.' Hiis dictis accedens temptator, osculatus est agricolam, precando vt alter[4] alteri fidem daret; sibique consulens vt frequenter sue domine conuicia inferendo, eam ad iracundiam prouocaret. Cum igitur recessissent se inuicem osculando, dicentes sequenti die iuxta fontem[5] inde non longe decurrentem se visuros et iterum mutuo loquuturos; mox agricola reuersus domum, maligno spiritu vexatus cepit amittere visum. Cumque sacram virginem per domum oberrans videre non posset, clamare cepit et dicere: 'Domina mea, ab homine iniquo illusus sum et ante conspectum tuum grauiter me peccasse confiteor.' Cui illa miserta, ait: 'Renuncia drachoni[6] pessimo, mundum circueunti et quem deuoret[7] perquirenti; vt dominus Ihesus Christus misereatur tui.' Qui respondit: 'Virgo beata, tuis meritis et orationibus credo me liberandum ab iniquo.' Tunc illa ad deum preces fundens, illum perfecte sanitati restituit. Mute cuidam loquelam[8] reddidit, et variis infirmitatibus suis meritis medelam adhibuit. Filius regis Hispanie nomine Eclotomus[9], ea que necessaria erant pauperibus errogabat, Christumque a pueritia et omnes christicolas diligebat. Quod videns mater eius Affronisia[10], que erat pagana, dixit ad eum: 'Si amplius Christum colueris, ante diem crastinam morte morieris.' Qui hec audiens, motus pre ira matri[11] sue maledictionem pro maledictione intulit, et protinus ob hoc loquelam simul et visum perdidit. Mater vero pro dolore filii adeo mente[12] consternata est, vt in insaniam verteretur. Quidam interim sacerdos nomine Remigius, de partibus in quibus sancta Osmanna degebat veniens, dixit ad illos: 'Si facere quod

[1] E. increduli. [2] om. in Boll. [3] E. aut. [4] E. alterum. [5] MS. An. adds qui Lachis dicitur. [6] T. draconi. [7] T. deuorat. [8] E. loquelum. [9] MS. An. Clocouius. [10] T. afronisia. [11] T. matris. [12] E. mentem.

docerem velletis, vobis prodesse posset.' Cui rex ait: 'Si vxori mee et filio possis conferre salutem, mee telluris episcopum, vel certe participem medietatis regni mei te constituam.' Cui sacerdos: 'Si ad sanctam Osmannam virginem cum vxore et filio accedere velis, ipsa mediante, restituta vtrique pristina sanitate gaudebis.' Rege itaque cum vxore et filio et multo comitatu ad locum virginis properante, et eam salutante, virgo sancta dixit: 'Quid queritis?' Cumque illi dixissent quod nihil aliud quam salutem eorum quos torqueri videbat quererent, confestim hoc dicto restituta est sanitas tam regine quam filio. Hiis autem et aliis multis[1] choruscans miraculis, beata virgo Osmanna tandem feliciter migrauit ad Christum, quinto Idus septembris.

¶ *Narratio.*

[2]Vir domini Eutices[3], vt ait Vincentius, decurso vite sue stadio circumstantibus fratribus emisit spiritum. Et cum ab eius discipulis exequie pararentur, viuus resedit, dicens: 'Deo gratias. Sciatis quia in hiis quadraginta annis vnum tantum diem non memini me cibum sumpsisse nisi prius fleuissem. Hodie autem sublato merore consolatus est me deus, et inter choros angelorum tribuit mihi requietionis locum.' Et hec dicens in pace requieuit. [4]Quadam nocte cum pastores equorum Odonis abbatis cluniacensis obdormissent, et frater quidam peruigil in oratione persisteret, fur affuit, raptumque equum ascendit et fugit; predictus vero frater maluit equum perdere quam silentium rumpere. Facto autem mane viderunt eminus furem vno in loco affixum super equum sedere. Quem apprehendentes pastores, vinctum patri Odoni miserunt: qui ei quinque solidos argenteos dari precepit, dicens iniustum esse eum absque digna mercede dimittere, eo quod per totius noctis spacium multum sustinuisset laborem.

¶ De sancto Osmundo episcopo et confessore[5].

¶ *In commemoratione sancti Osmundi Lectio I.*

COmmemorantibus nobis sedula deuotion[e][6] merita beatissimi confessoris Osmundi, libeat tante sanctitatis normam ex ordine contemplari, vt pariter, domino annuente, collibeat mores ac vitam ipsius pro nostris viribus imitari. Proponimus igitur tibi primum[7], o nobilissima indoles iuuenum, in Osmundi nostri auspiciis ducens te[8] adolescentie tue felix ac expeditum itinerarium. Audi ergo cum

[1] E. multis aliis. [2] Cf. Vinc. Bell. XXIII. 59. [3] E. entices. [4] Ex Vinc. Bell. XXIIII. 60. [5] This legend om. in T.; same text in Breviar. Sarisb. ed. Procter et Wordsworth, Cambr. 1882-6, Fasc. III. pp. 471-495. The first three lessons are reserved for In Commemoratione S. Osmundi (p. 486). The Hours except Nocturns are omitted. The text is that of Portifor. 1519. [6] E. deuocionis. [7] SB. principium. [8] E. ducente; SB. ducens te ad.

eo libenter precepta patrum; vaca scolis, fuge petulantiam: itaque audacter, semper tamen sub timore domini induere fortitudinem tuam. Cumque in virum adoleueris[1], teque[2] sors collegio forsan militari ascripserit: habes[3] hunc magistrum militum patronum iuste bellantium, sub quo disces militare non esse peccatum, dum ipsius more deo religionem, principi fidelitatem, patrie custodiam prona mente reddideris.

¶ *Lectio secunda.* Accepimus iam tanti patris exemplo instructionem rei militaris: deinceps quid virum dei deceat[4] audiamus. An[5] iudicem aut assensorem constituit te populus tuus: esto[6] quasi vnus ex eis, non te attollas, non superbias, non minorem concutias; ita magnum iudicaturus vt paruum, noli[7] acceptor esse personarum. Porro iste sanctus iam et natalium iure, regio sanguine, secularisque pollicie prerogatiua principis latere quotidie honorari promeruit: a plebeis tamen, questibus pupillorum ac viduarum lachrimosis aurem pietatis non auertit.

¶ *Lectio tertia.* Quid sacerdotium eius repetimus? quid elemosinas, quid ecclesiarum clericorumque dotes, quid omnium prorsus abiectionem temporalium commendamus? ista mire sanctitatis sue inditia sunt. Quare in summa recensentes totius vite seriem tanti confessoris, plane recognoscimus quod omni tempore duxit eum dominus per vias rectas, deditque illi scientiam sanctitatis, qua regnum dei dignissime mereretur. Tandem, vbi in vinea domini operator assiduus multiplicatis talentis fidelissimus seruus probatus est, iussus intrare in[8] gaudium domini sui, tradidit celo animam, terre corpus miraculis gloriosum, omnis humani languoris indeficientem ac expeditissimam medicinam: Prestante eo quem constanter confessus est domino Ihesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto viuit rex et sacerdos in eternum, amen[9].

[1] E. odoleueris. [2] SB. tuaque . . . te ascr. [3] SB. habens. [4] *al.* edocuerat. [5] SB. Aut. [6] E. Ergo. [7] E. nollis. [8] om. in SB.
[9] Follows in Sar. Brev. the Hours in Commemoratione S. O.

Ad Vesperas:

Pastor pius ad gregis gaudium
egris prestat vite solatium,
confractis membris confert subsidium,
et visus cecis prebet refugium;
exultans gaudet mater per filium:
que tali partu floret vt lilium.

Ps. Magnificat.

Or. Deus qui beatum Osmundum pontificem tuum a seculi militia ad celestem reuocasti: concede nobis vt mundanis abiectis desideriis bona celestia capiamus, per.

Ad Matutinas:

Ant. Bone Iesu, Osmundi meritis
tu nos munda mundi piaculis
et concede ut grex a maculis
peccatorum viuat incolumis.

Ps. Benedictus.

¶ Sequuntur alie lectiones de eiusdem[1]: Lectio I.

[In Festo (Translatione) S. Osmundi: In primo Nocturno[2].]

PReuenimus dudum noua solemnitate dies natalitios saluationis[3] beatissimi presulis Osmundi festiuum celebrando natalem: iamque illucescente nobis translationis sue veneranda celebritate, quasi nouam eius in mundum natiuitatem cum pleno cleri ac plebis iubilo solemniter renouamus. Hodie namque deuota mater sarisburiensis ecclesia dulcissimum alumnum, quem intra sua viscera plurimo annorum defluxu ab humano aspectu recondidit, hodie glorioso eius corpore in sublime translato desideratam[4] diu gentibus palam profudit in lucem: Et quem quondam vt granum mortificatum

[1] Cf. Sar. Brev. p. 472, 16 July. (The Translation is on 16 July, the Deposition 4 Dec.) [2] In the Sarum Breviary, the Office begins:

Ad primas Vesperas:

Ant. Suscipe cum gaudio mater filiorum
in Osmundi iubilo preces famulorum. *Ps.* Laudate pueri.
Ant. Confessoris dominum gens collaudet tota,
et in sancti gloriam reddat pia vota. *Ps.* Laudate dominum.
Ant. Exit eius spiritus terram miserorum,
et intrat pro meritis regnum beatorum. *Ps.* Lauda anima.
Ant. Iste domum domini sacratus fabricauit,
et dispersos clericos simul congregauit. *Ps.* Laudate dominum quoniam.
Ant. Lauda Syon dominum magni confessoris,
lauda pium presulem cuius est laboris
quicquid tuas ianuas bene confortauit:
quicquid tuos filios iam letificauit. *Ps.* Lauda Hierusalem.
Cap. Ecce sacerdos (Eccl. l. 1).
R. Miles et alme pater Osmunde, dei gregis auctor,
Christo funde preces nostras et ablue culpas.
V. Vt nos vite sedem valeamus scandere celsam,
Christo.
Hymnus Iste confessor. *V.* Amauit.
Ant. Confessor domini, precibus succurre[5] plebi,
vt viciis vacui valeant tibi consociari:
et tua quos reperis solennia preuenientes,
tu populi doctor fac vt tecum comitentur. *Ps.* Magnificat.
Oratio. Deus cuius antiqua miracula etiam nostris temporibus ad tui nominis magnificentiam ac laudem et honorem sancti confessoris tui Osmundi choruscare sentimus: concede propicius vt cuius translationem colimus, eius intercessionibus et in presenti seculo te glorificemus, et in futuro te perfrui mereamur, per.
Invitatorium. Omnipotens dominus laudetur trinis et unus,
Qui dedit Osmundo celestia regna beato.
Ps. Venite. *Hymnus* Iste confessor domini.

In primo Nocturno:

Ant. Natus mox renascitur Osmundus fonte lotus,
a cunctis piaculis effectus mundus totus. *Ps.* Beatus vir.
Ant. Adolescens profuit scola litterali,
et tyrones superat arte militari. *Ps.* Quare fremuerunt.
Ant. Iuuentutis terminos prudens transigebat,
neque contra spiritum caro preualebat. *Ps.* Domine quid. *V.* Amauit.
(Then follows Lectio I.)

[3] *al.* saluatoris. [4] *al.* desideratum. [5] r. succurre precibus?

cadens in terram suscepit, deinceps multiplici miraculorum fructu grauidata, hodierna tandem die aperto vtero edidit, sanctorumque confessorum collegio apostolica pridem auctoritate asscriptum, sub veneratione congrua demonstrauit. *R.* Presulis Osmundi[1] celebremus festa iocundi: Qui pius, prudens, humilis, sobriusque pudicus, Expletis curis intrauit gaudia lucis. *V.* Auxit per merita sibi tradita quinque talenta, Expletis etc.

¶ *Lectio secunda.* In sacre translationis festiuitate assistimus, et tamen nouiter mundo exortum sanctum reuerentes, natiuitatis vocabulum vsurpamus. 'Sed quorsum, forsan obiicitur[2], spectat hec rerum confusio? Quid sibi vult in rebus variis tam patens abusio nominum? Rursum, si stupendum videbatur principi Iudeorum hominem nasci cum sit senex: qua fiducia ducamur credere ex vtero natum ac demum fonte renatum post mortem renasci?' Verum, si in hac re proprietates discurrere docuerimus propaginis naturalis, facile transumentium licentia persuasum iri[3] arbitramur iam misterium apud nos agi diu expectate natiuitatis. Aggrediamur igitur diligenter euiscerare parabolam[4] istam: interimque, quoniam presenti die prolatis almi viri reliquiis ad gloriosum in quo pausat scrinium, quasi ad tripudia noui partus concurrimus, delectet, queso, delectet profeste minus[5] sedulo intermiscere organa diuine laudis. *R.* Ecce sacerdotem, cuius prudentia sanctum Suffulsit templum, Christi stabiliuit et edem. *V.* In vita placuit domino, plebem bene rexit. Suffulsit.

¶ *Lectio iii.* Vt ergo a primordio cuiusuis generationis initium sumamus, oportet vt postquam intellexerimus matrem huius secundi[6] germinis ecclesiam sanctam, in cuius visceribus deuotissimus presul requieuit humatus; deum quoque, qui solus, secundum apostolum, administrat semen, tam egregii repullulaminis patrem credamus. Cuius immensa bonitas, vbi de spiritu beatissimi patris, nouo inter superos collato, tunc celum ditauit: volens et in terris de mortificato grano fructum[7] facere, exiit seminare semen suum, spargens in terra bona hoc semen magne vbertatis, corpus videlicet sanctissimi viri miraculis copiosum. De quo semine prophetam non immerito loquutum fuisse putandum est cum virum metuentem dominum in psalmis descripsit: 'Beatus vir, inquit, qui timet dominum: in mandatis eius volet nimis: Potens in terra erit semen eius.' Potens vtique erat hoc semen, dum intra c[c]ulta subterranee matricis receptacula voluebatur. Potens, inquam, ad demones abiiciendos, potens ad morbos depellendos, potens quidem suo suffragio ac nostris quantislibet meritis, gratiam dei abundare facere in nobis. *R.* O presul noster, tecum decet[8] [vt] gratulemur, Qui mundo moriens non desinis

[1] E. edmundi. [2] SB. obiicitis. [3] E. rei. [4] E. perabolam. [5] *al.* pro fescenninis. [6] *al.* fecundi. [7] E. frunctum. [8] SB. te condecet ut.

esse sacerdos. Celesti vita frueris per secula cuncta. *V.* Iam cernis Christum patris a dextris residentem. Celesti. Gloria. Celesti etc.

¶ *In secundo nocturno. Ant.* Vir effectus, prospere Neustriam regebat; tandem partes Anglie potens defendebat, alleluya alleluya. *Ps.* Cum inuocarem. *Ant.* Vtrobique regia iura dilatauit, ac in pace solida cuncta reformauit. *Ps.* Verba mea. *Ant.* Sed et domus domini maximus zelator, pluris beneficii largus est fundator. *Ps.* Domine deus noster. *V.* Iustum deduxit.

¶ *Lectio iiii.* Vis[1] plenius, deuotissime, cetera tam mire propagationis secreta pandamus? Hactenus didicisti quod sancta Cesarisburgi[2] ecclesia preclari pontificis Osmundi corpore tanquam virili semine fecundata est. Verum quia iuxta instituta nature[3], non mox suscepto semine, sed multo [post][4] progressu fetus conualescit in perfectum, ita meritum beati viri successiuis miraculorum signis cepit in dies fidelium mentibus magis innotescere. Ac[5] sicut materia illa seminaria frequenti sui alteratione[6] certis labentibus dierum curriculis nunc lactea, post sanguinea; demum in modum masse carnea; ac postremo aperte[7] figurationis liniamenta vt spiritus vitalis eam informet suscipere indicatur: pari ordine sustinuit dominus paulatim crescere sanctum suum, ac eo nondum de corde terre leuato, quotidiana pene nouitate signorum accurrent[e][8] populi multitudine vterum matris, in quo tanto tempore repausauit, vberius grauidari constituit. *R.* Proposito plebi magna virtute petenti[9] Sacra manus domini subueniebat ei, alleluya alleluya. *V.* Vt Dauid, est vnctus, vt Aaron, est ipse sacerdos. Sacra manus etc.

¶ *Lectio v.* Iam intellecta fecunditate matris, superest vt superiorem ordinem nature nostro proposito adaptemus. Tunc enim sancta Sarisburiarum ecclesia lacteo tantum coagulo foueri visa est, quando beata dei genitrix, cuius candida virginitas lactei dulcoris similitudinem habet, sola ipsius ecclesie patrona constituta est. Sed vbi etiam per merita sacerdotis sui, cui quondam incumbebat immolando carnem et sanguinem Christi peccata populi expiare, non cessauit altissimus conferre languidis beneficia sanitatis, exinde post dignam venerationem rutilantissime dei matris cepit etiam atque etiam corpus gloriosi pontificis ab innumera plebe deuotis affectibus visitari. Ita quidem effectum est vt beata virgo, cuius inestimabilis candor ab humanis nequit comprehendi obtutibus, peculiarem populi deuotionem ad relictam in terris massam carneam serui sui Osmundi pro rependio non indigno transtulerit. *R.* In regum quondam conspectu magnificatus, Nunc immortali gaudet cepisse corona. *V.* Deseruire deo malens quam regna tenere, Nunc immortali.

[1] E. Vir. [2] *al.* Sarisburiensis. [3] *al.* est n. [4] om. in E. [5] E. At. [6] E. altercatione. [7] *al.* apte. [8] E. accurentis. [9] *al.* potenti.

Lectio vi. Cum tandem continuata frequentia signorum [in] magnitudinis molem excreuit, vt talis[1] diutina sancti tanta[q] virtus diutius celari non posset: cepit super hiis semel iterum sedes apostolica consultari. Sed tot heu annis, totque pr dentium temporibus tum ignauia tum negligentia multorum sollicitandum missi sunt ad[4] negocium, tametsi plane satis ins tum pro infecto dimissum est; vt a capite denuo sepe resu informareque processum obliuio temporum mediorum compu Denique postquam ex integro recen[sitis][5] superioris vite ac mi lorum testimoniis, auctaque in dies fama pontificis, nihil materie forme quod tante rei pondus exigebat, deesse videbatur: nouiss diebus istis, anno videlicet [gratie][6] quadringentesimo quin gesimo sexto super mille, felicis recordationis Calixtus papa te pridie nonas decembris, decretum future canonizationis legi promulgauit. Quo quidem die prouidentia diuina magis q fortuitu id accidisse arbitremur[7], vt is dies qui Osmundum dep carnis onere incolam fecit in celis, idem, interuolutis plurimo annorum curriculis, primus eum iudicante ecclesia iudicaret sancto venerandum in terris. *R.* Confessor Christi felix, feli audi Nos tibi deuotos laudique tue famulantes. Ad impetranc veniam pro crimine nostro Quesumus vt nobis celitus obti *V.* O pater Osmunde, clarum decus vrbis et orbis, Seruorum ger tristes tu suscipe clemens. Ad. Gloria. Quesumus.

¶ *In tertia nocturna. Ant.* Comes factus Sagie, cum succ patri, cuncta dat ecclesie bona, sue matri. *Ps.* Domine quis habit *Ant.* Postremo Dorsetie nactus comitatum, spreto mundo tra [mox][8] ad presulatum. *Ps.* Domine in virtute. *Ant.* Iam cele obtinens pastor prelaturam, seruis tuis impetres vitam permansu *Ps.* Domini est terra. *V.* Iustus vt palma.

¶ *Lectio vii.* STatutis ergo proximis extunc kalendis ian pro termino tam sancti operis perficiendi: prefatus romanus tifex quem antea grandeua senectus ac decrepita imbecillitas i ruabat mirum in modum, instante prefixe[9] celebritatis die, spe vt pie creditur, Osmundi patro[cinio][10] repente conualuit, it stupentibus cunctis qui continuam eius inualitudinem expertan buere, diuina officia ceteraque tanta necessaria, mente roborat corpore, propria in persona solenniter executus sit. Verum quid m ista strinxerimus? sufficiat in eius laudem vel id presertim cetero pace sanctorum audacter profiteri, non facile repertum pro quo tot centenariis annis tanque[11] indesinenter curam populi operatu *R.* Ante deum magnas virtutes operatus est[12] Osmundus san

[1] E. vt talisque. [2] E. tanta. [3] E. semel iterum atque iterum. [4] S
[5] E. recentius. [6] om. in E. [7] SB. arbitramur. [8] SB. Ast impetr
[9] E. profixe. [10] E. patroni. [11] E. tanquam, [12] r. est operatus.

cuius doctrina salubris Cunctas ecclesias illustrat in orbe fideles. *V.* Mundum contempsit, iam celica regna subintrat. Cunctas ecclesias illustrat etc.

¶ *Lectio viii.* Interea sancta[1] sepefata sarisburiensis ecclesia tamquam grauidissima parens vicina[2] partui pluribus punctionibus et pressuris affecta, itemque cupide videndi sancti plebis pondere fatigata; anteceptum hodierne festiuitatis officium, illud Hieremianum[3] propheticum iugiter ingeminando clamauit: 'Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo,' acsi apertius voce queribunda dixisset: 'Satisne mihi soli est plus quam trecentis annis anxiam et dolorosam hoc opus[4] geniture mee nobile onus clam intra viscera continuasse[5]? Videte ceteras sponsas regni quam expedite pignora sua edidere[6]: videte, inquam, eas, videte et me. Ego earum aliquas generando preueni, sed ab eis pariendo preuenta sum.' Quod sane intelligens nobilis vir Richardus de Bellocampo, qui eiusdem tunc ecclesie magno fungebatur sacerdotio, adiunctis sibi decano ac fratribus paratissimis, eiusdem enim[7] loci canonicis; more vigilantissime obstetricis, non tam prudenter obseruauit quam accelerauit tempora partus. Quorum impensis deuotione ac industria elaboratum est quod intra eundem annum facte[8] canonizationis, decimoseptimoque[9] kalendas Sextilis translatio eius solenniter completa est. Cui siquidem festiuitati copiose intererant primas totius prouintie[10], presules ac principes regni, cum inferioris plebis multitudine admiranda. *R.* Infirmos curat, cecos ac debilitatos Membris consolidat, partim genus omne doloris Donat ei dominus vt remouere queat. *V.* An febris an pestis an sit pressura parentis, Donat etc.

¶ *Lectio ix.* Iste ergo est dies[11], fratres dilectissimi, expectate leticie, dies exultationis, terminus meroris, principium consolationis nostre. Hodie namque apertis visceribus terra protulit confessorem, hodie Osmundum tamquam[12] mundo iterum exortum gaudemus, hodie capsam reliquiarum eius quasi cunabula noui nascentis deuotis gressibus frequentamus. Ad postremum, vt tuam, venerande pontifex, sanctitatem familiarius alloqueremur; percunctantibus[13] iam nobis quo sermone hodierne celebritatis tue officium aptius concludamus, nihil vtilius decretum occurrit [quam] vt omnipotentiam dei in vita tua laudabili ac miraculorum gestis admirandam colendamque deuotis preconiis attollamus. Eius namque gratia ex fragili vmbratilique mundana[14] pompa ad electum sacerdotium vocatus es, eius virtute sanctis profuisti operibus, eius potentia clarissimis post mortem signis effulseras. Eya ergo iam, ma[g]ne[15] sacerdos, agnosce hanc prerogatiuam virtutis tue, vt[16], ceteris more plorantis Rachelis de-

[1] E. sancto. [2] E. vicinam. [3] E. hierimianum. [4] *al.* post. [5] *al.* continuisse. [6] E. sedere. [7] om. in SB. [8] SB. sacre. [9] que om. in SB. [10] SB. Anglie. [11] E. est dies ergo. [12] E. tamque. [13] E. perccuntantibus. [14] SB. umbra seculique pompa. [15] E. mane. [16] SB. et.

sinentibus aliquando consolari filios suos, tu nunquam expetita suffragia precantibus impartiri cessaueris[1]: Esto ergo amodo, supplex[2] quesumus, pro populo et pro ciuitate ista interuentor assiduus, pacem obtineas, languores cures, nephandi reatus maculas tergas, quatenus tandem tecum in beatam translati[3] requiem huius temporaliter celebrate[4] translationis tue fructum in eterni patris conuiuio suauiter degustemus. Tu autem domine. *R.* Miles et alme pater (*see I. Vesp.*)[5].

[1] SB. cessa. [2] SB. supplices. [3] E. translari. [4] E. celebrare.
[5] After the Nocturns, with their 9 lessons, follows:

In Laudibus:

Ant. Hic Osmundus refugit regnantis honorem,
dei domus eligens preferre decorem. *Ps.* Dominus regnauit.
Ant. Sanctus ille stabilis in confessione
mercedem promeruit celestis corone. *Ps.* Iubilate.
Ant. Ob decus ecclesie multum vigilauit,
deum solum sitiens carnem macerauit. *Ps.* Deus deus.
Ant. Benedicta Neustria tale fundens donum:
O quam felix Anglia hunc habens patronum. Alleluya Alleluya.
Ps. Benedicite.
Ant. Qui cum sanctis omnibus regnas nunc Osmunde,
pro nobis orantibus deo preces funde. Alleluya. *Ps.* Laudate dominum.
Cap. Ecce sacerdos magnus. *Hymnus* Iesu redemptor omnium.
V. Iustus germinabit.
Ant. Prudentem seruum te constat et esse fidelem;
quem deus in plebem prefecit iure regendam;
tunc tritico verbi vacuas animas satiasti,
nunc hominem totum ne cesses reddere sanum. *Ps.* Benedictus.
Oratio. Deus cuius antiqua miracula.

Ad Primam:

Ant. Hic Osmundus. I. *de Laudibus.*

Ad Tertiam:

Ant. Sanctus iste. II. *de Laudibus.*
Cap. Ecce sacerdos magnus, *ut supra.* *Cetera omnia de Communi unius confessoris.*

Ad Sextam:

Ant. Ob decus ecclesie. III. *de Laudibus.*
Cap. Eccl. l. 6°. Quasi stella matutina in medio nebule, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens sic ille effulsit in templo dei.

Ad Nonam:

Ant. Qui cum sanctis. V. *de Laudibus.*
Cap. Eccl. l. 23. Iterauit orationem suam volens ostendere virtutem dei qui fecit nobiscum secundum misericordiam suam.

Ad secundas Vesperas:

Ant. Hic Osmundus. I. *de Laudibus.* *Psalmi feriales.* *Cap.* Ecce sacerdos, *ut supra.*
R. Confessor Christi, *ut supra.* *Hymnus* Iesu redemptor, *in Communi.*
V. Iustus germinabit.
Ant. Salue celeberrime pater clericorum,
Osmunde sanctissime, lumen confessorum:
dele tuis precibus perpetrata male,
memor in celestibus nostri semper vale. *Ps.* Magnificat.
Oratio ut supra.

¶ Sequuntur alie lectiones, quarum sequens est prima. [Infra octavas S. Osmundi][1].

POstquam, transcurso presentis vite stadio, gloriosus sarisburiensis ecclesie antistes Osmundus ad superne patrie brauium deuotissime aspirasset, mox ostensi[s] per eius suffragia innumeris miraculorum signis haud diu latebat homines in terris quanti eum omnipotens faciebat in celis. Nam si de omnium morborum genere cui preualuit; si de furiosis et mente alienatis qui quamplurimi[2] ab eo curati erant, si de claudis et cecis, si denique de vnda submersis et aliis variis infortuniis vita functis, ad locum sepulture illius pristine incolumitati restitutis, per singula diceremus, facilius nos tempus quam copia finiret[3]. Habentes igitur multa, et multo equidem plura quam huius celebritatis officium dicenda patitur: pauca de hiis mirabilibus que dominus fecit et ostendit nobis, ecclesiasticum morem debite exequentes, fidelium auribus in medium proferamus.

¶ *Lectio secunda.* Erat in veteri burgo mulier quedam Agatha nomine, que dum fouendi diligenter infantuli[4] sui pro maternali officio curam haberet, subito arescentibus mammis, nihil in eis lactis inuenit. Et quoniam muliercule, nimie paupertatis onere presse, conducende[5] nutricis aut cuiuslibet comparandi nutrimenti facultas non affuit, liquore tantum ceruisie (vt ipsius patrie potus est) septem diebus puerum suum cogebatur alere. Videns tandem inutili pastu puerum suum deficere, ac de salute ipsius desperans[6]; memor meritorum presulis Osmundi audacter ad ipsius sepulchrum confugit, illicque diuinum auxilium hac voce querula flebiliter implorauit: 'Domine deus, qui formasti puerum in vtero meo, et dedisti ei vt hanc lucem videret: ob amorem Osmundi pontificis da mihi oportunum illi auxilium, ne pereat.' Adiuncta illico oratione dominica, vix[7] ea completa mirum in modum adeo turgentia vbera sua lacteque copiosa redundabant, vt tam felicem se matrem congaudens, deo ac beato confessori gratias agens, domum voti compos cum gaudio remearet.

¶ *Lectio iii.* Iordanus clericus tam egra quam deformiori molestia multo tempore affectus est, vt labiis illius ad vnam fere aurem contractis, et loquendi officium et edendi masticandique[8] necessitatem maxima quidem ex parte perdiderat. Hic autem, cum nulla medicorum arte sibi poterat subueniri, demum ad sepulchrum beati viri orationibus insistens, quodam osse putrido quod nouo et inuiso more alteri maxille superexcrescere videbatur, in eodem loco protinus liberatus est. Quo facto omnis decor et habitudo faciei restituitur,

[1] Sar. Br.: *Secunda die, Lectiones de miraculis gloriosi confessoris; et legantur per Octauas, quando a festo vacauerit cum regimine chori ut festum Margarete virg. et festum Marie Magdalene, que sunt cum regimine chori.* [2] SB. e quibus plurimi. [3] SB. fugeret. [4] E. infantili. [5] E. conducendi. [6] E. desperare. [7] SB. vixque. [8] SB. masticandive.

recti sermonis modulus[1] datur, [et] edendi instrumenta libere largiuntur.

¶ Alia lectio.

Languidus quidam quem[2] inueterata paralisis diutissime incuruabat, aliquando ex longinquo ad Cesarisburgum more vage mendicitatis aduectus, coactus est vrgen[te][3] inedia post breue dimisso hospicio ad portam languidorum se transferre, illic cum ceteris victui suo necessaria mendicatum. Huius quem diximus languidi, membrorum tantus stupor vitam omnem et sensum ademit, quod ad ignem applicata neque vim[4] ardoris, nec ferro confixa cruoris exitum aut cruciatum aliquem sentiebant. Cuius denique notori[am][5] imbecillitatem aliqui ipsius vrbis incole pietate laudabili compatientes, locum in quo elemosinas petiturus de more consedit[6]; ne [a] canibus aut ceteris bestiis non valenti se defendere noceretur[7], quadam clausura ex virgulis facta sepe vallare fecerunt.

¶ *Lectio ii.* Vir iste, post biennalem prope ibidem expectationem, clara voce protestatus apparuisse sibi in visione Osmundum episcopum, iussa ipsius pluribus patefecit, pro recuperanda sanitate ad tumbam ips[ius][8] debere se deferri. Et licet aliqui primum tanquam pro vano sompn[i]o hominem deriderent, postea cum[9] re sequuta operibus tamen[10] credere compellebantur. Impetrato igitur tandem vt cuiusdam viri vehiculo iniectus abhinc manibus et brachiis hominum, vt qui suorum artuum[11] destitutus officio stare aut pergere non posset, donec ad sepulchrum beati viri peruenireturr sustentatus est: Innixus ergo lapidi, et fiduciam habens in domino, sequentem noctem tum vigiliis tum orationibus ibidem deuote transegit. Mane autem facto, surgit eger, non tamen eger, sed plenissime redditus sanitati: qui ad monumentum in momento per se mirabiliter erectus, ac consequenter de loco[12] in laudem dei multis concomitantibus ad altare procedens, ipsum deum in sui curatione mirabiliter predicat in factis[13] suis.

¶ *Lectio iii.* Fuit in eadem vrbe femina quedam, Alicia nomine, que cecitatis infortunio per triennium laborabat. Hec cum multa loca sanctorum deuotis gressibus visitasset; semper in eodem statu permanens, qualis exiuit talis reuersa est. Volens ergo ostendere deus[14] mulierem ipsam intus habere quod foris quesiuit, fecit venire in mentem suam ad tumbam Osmundi prodesse soluere vota. Quod cum fecisset, mox ibi optatum visum miraculose suscepit.

[1] E. modilus. [2] E. qui. [3] E. vrgendi. [4] *al.* viui. [5] E. notori. [6] E. concedunt. [7] E. nosceretur. [8] E. ipse. [9] SB. tamen. [10] om. in SB. [11] SB. actuum. [12] SB. sanus. [13] SB. sanctis. [14] SB. deus ostendere.

¶ Dominica infra octauam. *Lectio prima.*

HEnricus primum sarisburiensis decanus, postea baiocensis episcopus, quendam in domo sua[1] seruitorem habuit, ruptura intestinorum, que ad bursam virilium[2] descenderunt, pregrauatum miserabiliter. Tanta fuit in homine huius casus molestia, vt preter inepti loci gibbositatem, ob quam incedere non posset, etiam tenuis pellicule que ponderosa viscera continebat, ruptionem indies formidabat. Quid plura? vis egritudinis pluribus nota est: sed ipsa curandi via noua et inaudita est.

¶ *Lectio ii.* Veniente homine in templum domini [ac] ad monumentum gloriosi confessoris decubante, post vigilias vnius noctis reuersis intestinis [in] locum suum, omnis ab eo euanuit egritudo. Mira res! ascendente ad te, domine, oratione viri, meritis beati Osmundi ascendunt et viscera, omnis fractura et eruptio solidatur. Ascendit, inquit[3], ad te oratio sua, et descendit super eum misericordia tua.

¶ *Lect. iii.* Vt autem maiora repetendo de morbis[4] ad mortem, de morte ad vitam sermonem vertamus; ex ore infantium et lactentium qui aquis demersi meritis Osmundi multi numero restituti sunt, celebritatis nostre laudem duximus cumulandam[5]. Dum adhuc corpus memorati pontificis in veteri castro pausaret, puella paruula per fontem quendam ibi soliuaga transitum faciens, in ipsum casualiter labebatur.

¶ *Lect. iiii.* Denique comperta re, ipsa ex abysso leuata, non tam frigida quam secundum legem vere mortis rigida, exanimis[6] per astantium iudicium[7] reputata est. Cuius quidem rei[8] signum videbatur quoniam calidis postea indumentis circumuoluta est, atque ad ignem variis attrectationibus ab hora nona vsque ad vesperam sepe versa in eadem habitudine permansit, et non erat in ea neque vox neque sensus. Cumque iam tunc multi de exequiis tantummodo cogitarent; [9]parentes tamen et nutrix eiusdem sobolis, quorum incurie tam miserandus casus ascribi videretur, postquam omnia extrema inutiliter tentassent, tandem beatissimo confessori cum[10] multis deprecationibus lachrimas[11] ingeminant.

¶ *Lect. v.* Mirum in modum, cum nocte[12] media matutina[rum] primum sonuit[13] officium ecclesie cathedralis, ad ingentem consolationem astantium proles ipsa se aliquantulum mouere videbatur. Sed heu! mox in priorem mortem (an extasim dicam nescio) resoluta, tam perseuerandi parentibus causam dedit, quam fuit gaudium illud breue.

[1] SB. sua domo. [2] SB. virilium que ad bursam. [3] r. inquam, [4] E. moribus. [5] E. cumalandum. [6] SB. et exan. [7] SB. pro . . iudicio. [8] E. re. [9] SB. et p. [10] SB. vota cum. [11] SB. et lachrymis. [12] E. noctu. [13] SB. insonuit.

¶ *Lect. vi.* Illucescente igitur aurora, deferunt ad ecclesiam exanime prorsus, vt visum est eis, corpus, ipsoque interea ad sepulchrum beatissimi presulis collocato supra petram, ad precum instantias illico se conuertunt. Et ecce mox puerula oculos aperiens, alacri fronte manum erga nutricem porrigens, palam omnibus subridere visa est. Ex quo die paulatim integre conualescens, vixit feliciter annis multis. Quis ergo nisi incredulus maximum non miretur miraculum, ad gelidi marmoris tactum animam[1] potius redire, quam ignis naturalis calore? Sed hoc totum non alia[2] re credimus esse factum, nisi vt manifestentur opera dei, volentis mirificare sanctum suum.

¶ *Quando festum sancti Osmundi sabbato contigerit, tunc in dominica sequenti legantur iste vi lectiones vt supra, in tribus: et fiant medie lectiones de sancto Kenelmo rege et martire. Et quando dominica a festo vacauerit, tunc legantur lectiones sex vt supra, cum expositione euangelii 'Homo quidam peregre,' vel euangelii 'Vigilate quia nescitis,' et legantur alternis vicibus.*

¶ Sexta Die, *lectio i.* Cum ex angusto augusti Cesaris burgo ad spaci[os]um amenitatis campum sarisburiensis ecclesia cum suis ministris, sicut deo placuit, translata est, corpus gloriosi confessoris Osmundi, quod superiori loco centum ac viginti annis miraculis choruscum requieuit, tanquam precipuus ipsorum thezaurus non poterat post terga relinqui. Ad cuius denique monumentum nouum vide[re]s[3] indies eo frequentiora miracula, quo natura loci ad consuetiora, in paruulis presertim, vt sunt[4] incauti, disponebat infortunia. Nam cum vetus illud castellum super edita et montana fundamenta promineret constitutum, hec profecto nouella ciuitas in loco demissiori et aquoso, variis torrentibus ac fluuiis vicatim distincto, notorie sita videtur. Ex[5] quo proculdubio sepenumero accidit vt paruul[orum][6] etas dubiis exposita casibus vim ibi aquarum exundantium etiam ad multorum (vt visum est) interitum miserabiliter experiretur[7]. Sed si intelligas quoticns hoc infortunio lapsos[8] virtus huius sancti ad vitam resuscitauit, fateberis planc non esse antelectum, id alii sanctorum totiens contigisse.

¶ *Lect. ii.* Puer quidam apud nouam Sarisburiam in vico, cui nomen est interminabilis (!), flumen mersus, cum ex aquis leuabatur inuentus est sine vllo signo vite. Hic[9] ad tumbam beati Osmundi (ita enim ab incolis appellari consuetum est[10]) circiter horam sextam post meridiem adductus, orantibus interim amicis vsque post noctis medium exanimis iacere visus est. Inter primam autem horam extunc et secundam, exaudita est oratio deprecantium, ipso ibidem puero vite pristine restituto. Alius quoque puerulus duorum etatis

[1] SB. vitam. [2] E. alias recredimus. [3] E. videns. [4] E. sint. [5] E. Et. [6] E. paruulis. [7] E. experirentur. [8] E. lapsis. [9] SB. Hinc. [10] SB. consueuit.

annorum in quodam alto et rotundo puteo iuxta mansionem patris sui profundi[s] aquis absorptus, binas aut[1] circiter horas vndelibet[2] inquisitus, tandem ibi inuentus, mortuus extractus est. Pro cuius obtinenda vita deo et beatissimo presuli emissis votis, demum post duas alias horas reuixit puer, ac cuidam eum baiulanti in vlnis hec verba loquebatur: 'Thomas[3], eamus.' Ibi ergo consequenter ab amicis deo ac beato viro gratiis actis[4] conualuit, et creuit puer benedicens deum in sanctis suis.

¶ *Lectio iii.* Hanc gratiam resuscitationis paruulorum tot vicibus ad declaranda confessoris sui merita dominus ostendebat, vt[5] si quemlibet euentum singulariter exponeremus, videretur profecto ex pluralitate casuum res eadem pluries refricata. Contenti ergo exempli[6] gratia [istis][7] paucis, audacter etiam profitemur eadem vite beneficia adultis plurimis, casus et status suos postea confitentibus, diuino[8] munere ac sanctissimi[9] viri merito fuisse collata. Quorum nempe alii cum telis perforati, alii[10] hostili ferro transfixi, alii massis metallicis ad cerebrum [vsque] percussi, alii rapido fluminis cursu submersi, alii febribus acutis ac ceteris infirmitatibus exanimes effecti; profusis per amicos ad sanctum orationibus atque votis, vite ac incolumitati desideratissime restituti sunt.

¶ *Septima die, in solennitate sancte Marie Magdalene ix lectiones, et memoria de sancto Osmundo cum antiphonis iii primi nocturni. Si dies dominicus infra octauam*[11] *euenerit, fiant iii prime lectiones de dominica, videlicet lectiones suprascripte, et inde legantur bine et bine: et sic de illis vi lectionibus fiant iii. Et tres medie lectiones de sancto qui contigerit in illa dominica: sic per totam octauam*[11]*; iiii die excepta, que sola a festo vacat. Tres vltime lectiones de expositione euangelii vt supra.*

¶ In Octaua translationis sancti Osmundi[12].

Lect. i. CVm sedulo mente capti ad sepulchrum beati viri restitui meruerunt, Iohannes quidam, intolerabili furore laborans, ad capellam beate virginis, vbi sanctum corpus iacebat tempore, celebrato[13] misse [officio] de ipsa eadem virgine, cathenis et vinculis ferreis manibus colligatis ab amicis deductus est. Coactus igitur, dum alii orassent, se intra concauitatem tumuli inclinare, stupendo euentu, cum agnus dei deo patri pro peccatoribus immolatur, vincula de brachiis sponte cadunt, et ille seipsum erigit mente sanus. Ceterum cum alias vxor cuiusdam pre nimio dolore dentium mentis quasi exitium[14] passa, in eodem loco cum marito suo ad orationem esset constituta, subito dens morbidus ab ore illius exiliit, et[15] ipsa continuo omni dolore efficitur[16] liberata. *R. sicut in die.*

[1] om. in SB. [2] SB. ubilibet. [3] SB. Thoma. [4] E. gratus actus. [5] E. ac. [6] E. exemplis. [7] E. ipsius. [8] E. diuini. [9] SB. sancti. [10] telis—alii om. in SB. [11] SB. octauas. [12] E. edmundi [13] E. tempore celebrate. [14] *al.* exilium. [15] *al.* om. [16] SB. efficaciter.

¶ *Lect. ii.* Nocte quadam, cum Thomas clericus, sanus, vt sibi videbatur, et incolumis se sopori dedisset, subito euigilans sensit alteram tibiam contractis neruis ad posteriora curuatam, nec in rectam posse reflecti. Ex ipsa ergo parte de certo[1] baculo se sustentans, triduanis tandem orationibus ob spem salutis sue monumentum venerandi presulis visitauit. Nocte vero diei tertie visus est Osmundus sibi in somnis apparere, apprehensoque illius pede crura et poplites[2] neruorum restrictione dissoluta ad pristinum modum fortiter reclinare. Mane autem facto, cernens se clericus plenissime restitutum, abiecto baculo, erecto gressu procedit ad ecclesiam, deo et liberatori suo gratias agens. Alius insuper clericus, [etiam] Thomas nomine, adeo tertiana febre diu infirmatus atque[3] exinanitus est, vt per vnam horam mortuus aut mortuo similis penitus videretur. [Qui] repente in magnum clamorem prorumpens, beatum Osmundum trina recitatione nominis inuocauit. Interrogatus quid sibi visum esset, 'Osmundus enim[4], inquit, cum cuspide baculi sui omnia ea que anhelitum meum impediebant, amouit, et me vite et sanitati restituit.'

¶ *Lect. iii.* Agnes quedam adolescentula noue vrbis[5], cum forte apud domum parentum in edito constituta festinabunde[6] descendere nitebatur, in quoddam superacutum veru, illic ante[7] imprudenter erectum, ignara ruit, ac de sub vmbilico per totum medium corporis ad scapulas vsque letaliter perforata transfigitur. Cuius denique mater, tam miserandum plangens euentum, extracto ferro voluit filiam consolari; sed non erat in ea cuiusquam iudicio sensus aut vita. Iamque horrendi casus immanitate omnem humanam artem et ingenium excedente, omnes qui astabant, diuinum beate virginis ac beati Osmundi patrocinium prouoluti in terram deuote ac suppliciter inuocabant. Et facto reuera breui interuallo, puella reuixit, et intra paucissimos dies integerrimam sanitatem accepit. Que ammodo cupiens hanc nouam sibi concessam vitam securiore conuersatione transigere; postquam ad sepulchrum beati presulis sua et parentum vota pro tanto miraculo persoluisset, mundo renuncians apud Ambrosii burgum in monasterio monialium septimo prope ab eadem vrbe miliario sacrum est induta velamen.

¶ De sancto Oswaldo archiepiscopo[8] et confessore[9].

SAnctus enim Oswaldus archiepiscopus[10], nobilissima progenie ortus, eleganti forma enituit. Hic puer factus, pueriles ineptias deuitare, et ad sanctitatis opera semetipsum informare cepit. Frater

[1] SB. cetero. [2] E. poplices. [3] SB. et. [4] om. in SB. [5] E. orbis. [6] *al.* festinabunda. [7] E. autem. [8] T. episcopo. [9] Ed. in A. SS. Boll. Febr. III. p. 758; Mabillon V. 722; and Surius. It is abridged from the Vita by Eadmer (Wharton II. 191), who abridged that in MS. Cott. Nero E. 1. [10] T. episcopus.

enim patris sui erat sanctus Odo cantuariensis archiepiscopus, discretione sublimis[1], moribus grauis, iustitie cultor, et [in][2] omni actione sua circumspectus. Huic enim nepos suus Oswaldus doctrinis imbuendus et bonis exemplis et moribus instruendus a parentibus commendatur. Seculari demum scientia et scriptura sacra ad plenum informatus a sancto Odone apud Wintoniam canonicus effectus, cum ceteri spreta institutione ordinis sui desideria cordis sequerentur, institutionem vite canonicorum indefessus exsequebatur. Decanus itaque in breui factus, maculatam senum vitam emendare, et pueriles [illorum][3] sensus studio discipline celestis euacuare adhuc iuuenis ipse[4] curauit. Illi vero magis antiqua praue consuetudinis itinera tenere volentes, nullo pacto illum in talibus se audituros affirmabant. Quo intellecto, spreta seculari pompa necnon diuitiis, Floriacum, vbi corpus sancti Benedicti requiescit, pergere decreuit. Missis enim a sancto Odone commendatitiis literis et donis plurimis, iuuenem dicto commendauit et facto—idem vero sanctus Odo in iuuentute constitutus mari transito habitum monasticum apud eundem(!) Floriacum susceperat. Suscepto itaque habitu sacro, qui ab aliis doceri venerat talem se exhibuit vt satis in eo quo docerentur, quod imitarentur, haberent. Erat enim sompno parcus, cibo sobrius, in loquendo discretus, in oratione assiduus. Quam patiens, humilis, benignus, mansuetus extiterit et beniuolus, ex sincera charitate qua supra estimationem humanam enituit. perpendi potest. Secretum ab abbate in ecclesia accepit locum, in quo deo familiarius adhereret. Illic enim orationi, meditationi, contemplationi vite perhennis, ab aliorum inquietudine remotus operam dare solitus, magnum humani generis hosti fomitem liuoris et odii ministrabat. Vnde nocte quadam dum contemplationi et orationi vacaret, affuit spiritus malignus, et sonos horrificos edens, vt cepto desisteret et segnius aut nullatenus talia attemptaret, hominem dei terrere moliebatur. At ille fidei scuto protectus, non magis ad fremitum leonis vel sibilum serpentis quam ad balatum ouis exterritus est—harum et aliarum bestiarum ei improbus ille voces ingessit—sed imperterritus cuncta cum suo auctore derisit. Quod demon aduertens disparuit: sed in angelum lucis e uestigio transfiguratus eidem sancto apparuit. Sed vir dei signo crucis se muniuit, sciens exinde angelum[5] lucis non irritandum, angelum autem tenebrarum eminus effugandum. Et factum est ita: Nam malignus ille temptator viso crucis signaculo, velut fumus ab oculis eius euanuit. Audita tandem sancta conuersatione nepotis sui Oswaldi immensas omnipotenti deo gratias egit sanctus Odo, et missis diuersis muneribus abbati et monachis pro suo nepote gratias

[1] T. sullimis. [2] om. [3] E. eorum. [4] Boll. ipse iuuenis. [5] E. anglum.

exsoluit[1]. Indicauit etiam illis se ipsius presentia magnopere velle potiri: tum quia senio fessus mortem sibi propinquam sciebat, tum quia regulari conuersatione sue gentis viros per eum instituere disponebat. Quo audito, graui merore deiecti, non audentes tamen voluntati antistitis obuiare, parent, et debito cum honore ad nutum presulis dirigunt. Antequam tamen Cantuariam venire potuit, sanctus Odo debitum carnis humane exsoluit[1]. Presidebat illis diebus dorcestrensi ecclesie quidam Osketillus nomine: qui audito nepotis sui Oswaldi aduentu, benigne suscepit illum, et sincere dilexit, et sui secreti conscium fecit. Assumpto tandem ad archiepiscopatum eboracensem Osketillo, sanctus Dunstanus Oswaldum regi Edgaro commendatum familiarem effecit et iussu regis Wigorniensi ecclesie prefecit. Congregauit autem Oswaldus duodecim monachos in villa nomine Westbyri[2]; quos frequenter visitare, monita salutis eterne ministrare et consolari, et ieiuniis, vigiliis, et orationibus solebat operam dare. [3]Accidit enim vt Ailwinus comes diuturno ac laborioso cruciatu podagre pedum suorum multis laboraret annis. Et cum piscator[4] quidam, nomine Wlfget[5], cum nauicula sua aquam, Ram[m]esmere[6] nuncupatam, piscandi gratia ad vsum domini sui comitis ingressus esset, et diu frustra laborans, nimio tedio fatigatus tandem obdormire cepit: Cui sanctus Benedictus apparens dixit: 'Aurora cum surrexerit, tuum eiice tragum, et multitudini copiose voti compos obuiabis piscium. Captorum quoque piscium maiorem, haket, id est, lucium, vocatum, Ailwino domino tuo mea ex parte offerens, dices ei vt meam donationem benigne suscipiens, pie matri misericordie Marie et mihi omnibusque sacris virginibus monasterium in hac insula monachorum sine dilatione studeat fabricare: Scruteturque quomodo nocte in insula animalia sua incumbunt, et vbi taurum surgentem dextro pede viderit terram percutere, ibi aram erigere festinet. Vtque certius hiis meis credat mandatis, hunc tuum tibi exteriorem incuruo digitum, quem et ipse, mox a nexu podagre solutus, tibi erigat reparandum.' Euigilans autem copiosam piscium multitudinem conclusit, maioremque domino suo ex parte sancti obtulit; que viderat et audierat replicans, vt digitum suum incuruatum erigat obnixe rogauit. Tunc Ailwinus digitum viri manui herentem erexit: et ad insulam vt potuit properauit. Cumque in insulam ingressus a suo morbo perfecte curatus fuisset, taurus de medio animalium exurgens, terram pede percutiendo locum altaris construendi diuinitus significauit. Comes ergo deum laudans, confestim truncatis lignis capellam ibi construxit. Non multo vero post comite Ailwino amplas possessiones concedente, sanctus Oswaldus infra quinquennium edificauit

[1] E. exoluit. [2] T. westbiry. [3] Cf. Edgari Charta fundat. monasterii de Ramsey, in Monast. Angl. ii. 557. [4] E. piscatorum. [5] E. Wlget. [6] E. raniesmere.

insigne ibidem monasterium, et anno domini nongentesimo septuagesimoquarto solenniter dedicauit, Ednothum[1] monachum suum abbatem constituit. Per idem tempus auctoritate Iohannis pape Dunstanus archiepiscopus coacto generali consilio statuit, et decreto firmauit, vt canonici omnes, presbiteri, diaconi, subdiaconi, aut caste viuerent, aut ecclesias quas tenebant dimitterent. Habebat autem regem Edgarum in hoc negocio fidelem adiutorem et firmum defensorem. Huius enim decreti executio Oswaldo Wigorniensi episcopo et Ethelwoldo Wintoniensi episcopo commissa est. Beatus ergo Oswaldus septem monasteria in sua dyocesi eiectis clericis insolenter viuentibus construxit[2] et monachos introduxit et abbates eis prefecit. Interea[3] abbas persorensis quem instituerat, nomine Fuldbertus, morigeratus et feruens religionis monastice zelator sed[4] in subditos, quod valde in eo reprehendebatur, nimie et indiscrete seueritatis fuit. Is ad extrema perductus et huic vite sublatus et in feretro locatus, recepto spiritu trepidantibus cunctis erexit se, dicens a beato Benedicto in visionem[5] dei se perductum fuisse, et deum sua peccata meritis dilectoris sui Oswaldi indulsisse, atque ad intimandam sanctitatem eius se reuixisse asseruit. Quo dicto conticuit, et accepto viatico dominici corporis dimidium diem superuixit et vitam obitu iterato finiuit. In aliis enim Anglie partibus insignes ecclesias ob prefixam causam clericis euacuauit et eas viris monastice institutionis sublimauit, quarum[6] hec nomina sunt: Ecclesia sancti Albani, sancte Etheldrede[7] virginis in Hely, et ea que apud Beamfletam[8] constituta honorabilis habebatur. Instituit enim in ecclesia sancti Albani Elfricum abbatem, qui ad archiepiscopatum cantuariensem postea sublimatus fuit; in ecclesia eliensi Brithnotum abbatem; beamfletensi ecclesie Godmannum constituit abbatem. Monasteria que edificauerat circuire, verbo simul et opere que salutis erant paterno (quodam)[9] affectu ministrare curauit. Posuit quoque in monasterio Rameseie Abbo floriacensem monachum, morum sanctitate preclarum, literarum scientia excellenter instructum, qui monachos doceret, scolas regeret et in disciplina regulari et scientia literali prodesset. Dunstani insuper hortatu passionem beati Edmundi regis et martiris idem Abbo laudabiliter scripsit. Postea Floriacum regressus, et abbas effectus, a monachis suis occiditur. Cum autem monasterium in Wigornia infra ipsam sedem episcopalem construere cepisset, in quo cum monachis conuersaretur; non longe ab opere ipso quidam lapis quadrus iacebat ad operis fabricam omnino necessarius. Quem cum artifices leuare vellent[10], quasi radicitus terre inhesit et nullo conatu moueri potuit. Stupor ingens omnes occupat, mandatur de negocio patri Oswaldo.

[1] T. ednotum. [2] Wh. instituit. [3] T. Anterea. [4] Boll. scilicet.
[5] T. visione. [6] T. E. quorum. [7] T. etheldre. [8] E. beamfledam.
[9] om. in T. Vit. [10] E. velent.

Qui veniens et multitudinem magnam circa lapidem casso labore sudantem[1] aspiciens, miratus est. Et attonitus stans, deumque silentio deprecans, aspexit in lapide illo ethiopem quendam sedere et obscenis motibus laborantes subsannando deridere. Et statim contra demonem signum crucis intorsit, et territum illum fuga sibi consulere compulit. At lapis quem octoginta[2] viri ante mouere nequibant, a paucis hominibus facillime leuatus, in opere collocatur. Perfecta itaque ecclesia in honore beate Marie, et congregatis ibidem (quibusdam)[3] monachis, clerici[4] in sede episcopali nonnulli spreto seculo[5] monasticum habitum susceperunt: et ab ecclesia beati Petri ad ecclesiam beate Marie, a clericis ad monachos episcopalis sedes translata est. Mortuo eboracensi archiepiscopo, cogentibus rege Edgaro et sancto Dunstano, omniumque clericorum assensu ad archiepiscopatum assumptus est. Et ne monachi quos instituerat, aliqua, vltra quam ferre valerent, temptatione concuterentur, si pastorali cura destituti non haberent quo inniterentur[6]; auctoritate sancti Dunstani episcopatus Wigorniensis curam vna cum archiepiscopatu solicite rexit. Cum autem monachi Rameseie, episcopo Oswaldo in ripa stante, aquam nauigio transire vellent, nauis nimis onerata mergi cepit. Turbati monachi et mori metuentes opem sancti pontificis implorabant. Quod videns sanctus signum crucis edidit, et nauis ab aquarum profunditate emergens, quasi nihil oneris ferret ad ripam prospero lapsu euecta est. Cum enim nunciaretur ei quendam monachum eliensem ab opere ecclesie precipitatum subita morte occubuisse, vehementi merore turbatur. Nouerat enim illum non vsquequaque[7] vitam duxisse felicem. Conuocatis autem Rameseie monachis rei euentum retulit, et vt pro anima defuncti dominum studiosius orarent admonuit. Vigiliis igitur vacant, psalmis et lachrimis, et ad ianuam misericordie redemptoris pulsant. Et ecce nocte quadam episcopo orationibus insistenti idem defunctus visibiliter apparuit, et percunctatus quis esset, illum se esse pro quo deum rogauerat, respondit. At ille suspirans: 'Qualiter, inquit, frater tibi fuit, vel qualiter nunc est?' 'Hactenus, ait, valde male, nunc autem valde bene. Tuis quippe meritis et precibus a penis quibus cruciabar, per angelum suum me die hesterna eripuit dominus. Quod et tibi insinuando veni gratias agere, et, quam[8] gratiosus pro hoc et aliis iure debeas deo existere merito[9], insinuare. Quo dicto non comparuit. Diocesim suam oportunis temporibus peragrans, quicquid elicere[10] poterat in moribus suorum oculos summi dei offendere, paterna castigatione corripere atque corrigere satagebat. Hec agentem contigit vice quadam venisse Ripum, vbi beatus

[1] E. suadentem. [2] E. octoginti. [3] om. in T. [4] E. cleri. [5] T. seculum. [6] Wh. munirentur. [7] E. vsquequam. [8] E. quoniam. [9] *al.* om. [10] Wh. ediscere.

quondam Wilfridus nobili constructo monasterio meruit sepeliri. Locus tamen ille a barbaris olim magna ex parte dirutus, latibulis tunc ferarum fuit accom[m]odus. Illic enim peruigil in orationibus noctu persistens, diuina reuelatione didicit ipso loco sanctorum corpora condita esse; que inuestigans cum nominibus singulorum proculdubio inueniret. Facto autem mane cum terram foderent, sanctorum corpora cum tabula hec continente reperta sunt: 'Hic requiescit sanctus Wilfridus antistes eboracensis, et reuerendi abbates Tilbertus, Botwinus, Albertus, Sigredus, atque Wildenus[1].' Reliquias autem repertas interim loco apto collocauit. Postmodum vero corpus sancti Wilfridi in feretro decenter aptato cum reuerentia condidit, vtpote quem magno Wilfrido illius loci fundatori consanguinitate iunctum nouerat. Corpus namque maioris Wilfridi a sancto Odone cantuariensi archiepiscopo dudum Cantuarie translatum fuerat. Locatis itaque in feretro reliquiis, Wigorniam cum magno honore transmisit. Vir quidam potens valida febre correptus, per nuncium viro dei se infirmari insinuauit. At ille benedicens panem eique transmittens, vt cum fide sanitatis consequende comederet iussit. Quod cum fecisset, perfecte saluti se restitutum sensit. Sedens autem ad mensam episcopus[2] et panem benedicens et considentibus distribuens, forte micas decidentes sorex superueniens auido morsu colligere cepit: et statim suffocatus periit, et quod in ore vorauerat, nullatenus euomere quibat. Et ne sue laudi quiuis hoc ascriberet, exanimem bestiam a conspectu intuentium abiici vir sanctus iussit. Monachus quidam post balneum, in loco vbi episcopus frequentius sedere consueuerat sompnum capere cepit. Et ecce astant illi plures spiritus teterrimi: et ab eo districta examinatione perquirunt cur in loco tanti pontificis quiescere non timeret: ipsum inuadunt[3], torquent, laniant, hac et illac trahunt, ab imo sursum rapientes, de sursum ad ima deiicientes; horrido tandem clamore vociferans, quid sibi contigerat omnibus palam enarrauit. Singulis diebus preter alios quos quotidie innumeros alebat, duodecim pauperum pedes abluere, deosculando crine [ac][4] lintheo tergere, manibus aquam fundere, denarios prebere, cibum et potum apposita mensa ministrare, in pascha vestibus nouis indutos per aliquot dies in curia sua secum habere consueuit. Nulla eum infirmitas corporis ab istis retardabat, sed quo se corpore sentiebat debiliorem, eo sibi ad seruiendum eis vim validiorem ingessit. Die quadam cum suis oratorium egressus, et sub aere stans, acies oculorum celo intentissime fixit, Christum, ad quem anelabat, pio corde et ore intentius orans. Nec erecta lumina, vt fit, cito deflexit, sed quasi

[1] Wh. Wildengus. [2] T. episcopus ad mensam [3] E. inuadent. [4] E. et.

aliquid noui ac delectabile contemplaretur, vbi ea fixerat diutissime fixa tenebat. Sciscitatus[1] autem quid vidisset, ait: 'Considero quo tendo, et cras vobis, et me tacente, res ipsa notabit. Salus enim eterna, pro qua hucusque laboraui in terra, instat, nec ante transibit crastina dies quam me in eam dominus meus, sicut pollicitus est, introducat.' Et regressus in oratorium, conuocatis fratribus hortatur eos impendere sibi ministerium sacre vnctionis cum viatico dominici corporis. Nocte sequenti languoris sui oblitus, ecclesiam intrans officium expleuit, et residuum noctis spacium diuinis laudibus expendit. Mane autem, solito more, lintheo precinctus pedes pauperum lauit, et osculans eos et tergens, quindecim psalmis, quos inter ipsum ministerium psallere solebat, decantatis, subiunxit 'Gloria patri et filio et spiritui sancto.' Et cum pauperes solitas gratias assurgentes exsoluissent[2], ipse dicendo 'spiritui sancto' ante pauperum pedes in manus Christi spiritum emisit. Cumque ad ecclesiam quam construxerat deferretur corpus eius, niuea columba de celo descendens expansis alis lento volatu protegere corpus antistitis visa est. Igneam quoque spheram[3] instar scuti de celo lapsam super feretrum intuebantur. Deposito autem coram altari corpore sancto, visio que apparuit, quasi locum designans sepulture in australem ecclesie plagam prope altare diuertit, et ab oculis intuentium euanuit. [4]Ailwinus vero comes post obitum sancti viri nimia cordis angustia et dolore pressus, vniuerse carnis viam ingrediens, Ramesele cenobio sepultus est. Cum autem sanctus Oswaldus in iuuentute sua in cenobio floriacensi vitam monasticam in omni duceret sanctitate, iuxta locum[5] in quo orare solebat erat cripta quedam, pro[6] foribus cuius duodecim pauperes conuersantes, quotidianum victum a monasterio percipiebant, de quibus viro dei sacras hostias offerenti vnus ministrare consueuit. Quadam enim die dum sanctus post euangelium oculis in celum erectis orationem premitteret, vidit minister eius reuerendi vultus personam candidissimum panem, sed quantitate modicum inter manus quas vsque ad caput suum porrectas habebat, digno cum honore tenentem. Et licet nimio timore perterritus obstupuisset, sustinuit tamen, nec subitam arripere fugam voluit. Verum cum eundem panem secundum sacerdotis in missa processum paulatim crescere ac insolite magnitudinis crescendo fieri conspexit, vltra residere non ausus, extra ostium fuga lapsus est. Remansit itaque presbiter solus, et qui videbatur in dextra[7] stans angelus eius. Minister vero per vices ostio caput ingerebat et quid circa altare gereretur, trepidus explorabat. Cumque dei seruus 'per omnia secula seculorum' et[8] alia diceret, nec vllatenus respondere

[1] E. Scissitatus. [2] E. exoluissent. [3] T. speram. [4] Added.
[5] Wh locus. [6] T. pro, E. pre. [7] T. dextera. [8] E. et &.

auderet, audiuit angelum ad singula respondentem et obsequium ei deferentem. Peracta autem missa minister introspiciens et angelum non videns, trepidus ad virum dei accessit et causam fuge sue ei exposuit, sciscitans ab eo vtrum et ipse angelum vidisset. Et ille: 'Bene, inquit, vidi, et que dicis audiui; sed benedictum sit nomen dei omnipotentis, quia licet a te sim relictus, in sacro tamen dei misterio non sum ab eo desertus.' Interdixit enim ei modis quibus potuit, ne dum viueret cuiquam rem illam innotesceret.—Obiit autem sanctus Oswaldus anno gratie nongentesimo nonagesimosecundo, et episcopatus sui tricesimo, pridie kal. Marcii. Post obitum vero eius anno duodecimo Aldulfus eboracensis archiepiscopus, reuelatione diuina admonitus, Wigorniam, vbi sanctus Oswaldus sepulturam elegerat, properans, ossa sancti antistitis de terra leuauit et in scrinio cum maximo honore collocauit. Aqua vero cum qua ossa lauata sunt, cecis visum, surdis auditum, claudis gressum, et quibuscunque debilibus sanitatem restituit. Vestimenta enim omnia integra et illibata in sepulchro odore suauissimo fragrantia reperta sunt. Monachus quidam Ramesele caneri vlcere in maxilla ita percussus erat, vt consumpta cute et carne, nuda mandibula, nudi dentes cum gingiuis[1] apparerent. Hic in festo sancti Oswaldi de cipho in quo idem sanctus bibere solebat[2], cum magna deuotione et fide bibens, absumpto[3] potu, vas vacuum tabescenti maxille statim apposuit et strictius iunxit: Et amoto post modicum a maxilla vasculo, ita totius morbi sanies atque putredo vasi adhesit, vt redintegrata a languore maxilla, nullum preteriti mali inditium deprehendi posset in illa. In testimonium autem tanti miraculi et virtutis dei, maxilla illa paulo semper rubicundior erat altera. Quidam mutus ab infantia in quadam sancti Oswaldi festiuitate vidit quendam sibi ignotum reuerendi vultus hominem, decora canicie fulgidum, sacerdotali veste amictum, baculum manu gestantem quasi a loco sepulchri sancti episcopi ad se properantem. Cui coram se transeunti dum caput humiliter inclinaret, ipse leuato baculo eum in collo percussit et disparuit. Ad quem ictum ille territus, illico magna coagulati sanguinis massa ex ore illius in terram cadente, clamare cepit: 'Succurrite, queso, succurrite, et, ne sanguine meo ecclesia domini violetur, hinc me festinanter eiicite.' Eductus extra ecclesiam vbertim sanguinem emisit, et modum sue curationis circumstantes edocuit. Voraci flamma vrbem Wigornie vice quadam conflagrante, mox vt feretrum[4] sancti flammis[5] accessit, ignis elanguit, nec vlterius aliquid absumpturus[6] in se defecit. Stabat enim pauperis cuiusdam domus arundine texta, a sui medio integra et sana, altera eius medietate quasi ad perpendiculum a summo vsque in terram conflagrata.

[1] E. ginginis. [2] E. selebat. [3] E. assumpto. [4] E. ad f. [5] E. flamma, T. flammis. [6] E. assumpturus.

Alio in tempore memorata ardente vrbe, cum monachi feretrum sancti ad villam deferrent, occurrit quidam qui nuper domum pulchram edificauerat, et exclamans dixit: 'O sancte pater et pastor Oswalde, ecce domum meam voracibus flammis obnoxiam tibi dono, et iure perpetuo possidendam sub tuo dominio pono: tu eam, si placet, a presenti periculo liberare digneris.' Introducto itaque in domum illam feretro, et domo vicina igne penitus consumpta, aula patri Oswaldo commendata nec ab igne contingi potuit, nec vllum vestigium ignis in ea resedit. Seua pestilentia Wigorniensem prouinciam vice quadam depopulans, viros ac mulieres, iuuenes et paruulos interitu repentino inuoluit. Ambulantes quandoque aut stantes subito cadebant, et impenitentes inconfessi expirabant. Monachi vero cum feretro sancti antistitis per circuitum vrbis letanias cantantes pro salute populi deuote supplicabant. Et ecce confestim pestilentia tota non solum Wigorniam penitus reliquit, sed et villas circumiacentes, de quibus incole opem sancti implorantes aduenerant.

¶ *Narratio*[1].

Ammonius monachus in episcopum postulatus, et a multitudine ciuium captus, dicebat acquiescere se omnino non posse vt vel exiret de solitudine. Cumque videret se non posse euadere, ferro sinistram aurem radicitus, cunctis videntibus, secuit, dicens: 'Vel nunc probate me non posse, quod cupitis, implere, quia nullus aure precisa debet ordinari.' Ad hoc episcopus Dorotheus respondit: 'A Iudeis lex ista seruatur. Ego autem si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncatum[2], sed moribus probum, non eum dubito facere episcopum.' Cum ergo vim inferre temptarent, iratus respondit: 'Si me vltra coegeritis, etiam linguam meam, propter quam mihi molesti estis, abscidam.' Tunc dimiserunt eum. De isto dixit beatus Euagrius, se neminem vidisse qui sic passiones corporeas superauit. Itaque[3] cum quedam[4] delectatio carnalis corpusculum eius sine vlla intermissione vexaret, candenti[5] ferro propria membra laniabat, vt ex omni parte semper vlceribus plenus esset[6].

[1] Ex Vinc. Bell. XVII. 69. [2] VB. truncum. [3] VB. Ita. [4] om in VB. [5] VB. tandem.

[6] Collect in T.:

Exultet spiritus noster in deo salutari nostro, qui recordatus misericordie sue, donauit nobis Oswaldum doctorem iusticie; cuius intercessione et (precibus comm)issa indulgeat pius crimina, et sempiter(na prop)icius largiatur premia. V. Ora pro nobis.

Deus qui nobis sanctum pontificem Oswaldum salutis eterne doctorem tribuisti, concede propicius, ut cuius memoriam agimus, eius semper meritis adiuuemur et precibus, per.

¶ De sancto Oswaldo rege et martire[1].

ANno autem ab incarnatione domini quingentesimo quadragesimo septimo, ab aduentu Anglorum in Britanniam nonagesimo octauo, Ida, primus rex ex Anglis, cepit regnare in Northanhumbrorum prouincia, a quo primitus omnis eiusdem prouincie regalis prosapia originem duxit. Venerat enim idem Ida cum patre suo comite nomine Eoppa cum quadraginta nauibus ad Flamburgh iuxta Scarburgh, indeque progrediens, boriales plagas occupans ibidem regnare cepit, et duodecim annis regnum rexit. Genuit autem Ida sex liberos: scil. Adda, Ethelric, Theoderic[2], Ethric, Theotheri[3], Osmer; et ex concubina alios sex, scil. Ogg, Alricum, Eccam, Osbaldum[4], Scor, et Steotheri. Mortuo Ida, Elle in regno Deirorum successit, Adda vero filius Ide tantum regnum Berniciorum suscepit. Elle tamen iste de semine Ide non descendit, sed tamen ex Woden, de quo Ida et ipse Elle, originem traxit. Regnum enim Deirorum a flumine Humbrie vsque ad Tynam fluuium quondam se extendit; Regnum vero Berniciorum a flumine Tyne vsque ad Mare Scoticum, quod Scotorum lingua[5] Forth nominatur[6], porrigebatur. Quicquid enim inter Tynam et Tesam fluuios extitit, sola heremi vastitudo tunc temporis fuit, et iccirco nullius ditioni seruiuit, eo quod sola indomitorum et siluestrium animalium spelunca et habitatio fuit. Adda regnauit in Bernicia octo annis: post quem Glappa, Hussa, Fridwif[7], Theodericus, Ethelricus viginti sex annis successiue regnauerunt. Quibus octauus Ethelfridus viginti quatuor annis in Bernicia regnum tenens successit. Hic Accam[8] filiam Elle regis Deirorum in vxorem ducens, septem filios genuit: scil. Eanfridum, Oswaldum, Oswium[9], Oslacum, Osmundum[10], Osaphum[11], Offam. Quorum Eanfridus et Oswaldus de regis Elle filia fuerunt, ceteri vero de concubinis nati sunt. De successione Elle regis in vita sanctorum regum Oswini et Edwini infra videri potest. Occiso tandem ab Edwino Ethelfrido rege, filii eius cum Acca matre fugam ineuntes, in Scotia toto tempore regis Edwini ipsorum patrui latuerunt. Ibi enim Oswaldus, bone indolis adolescens, pie matris sue doctrinam suscipiens et fidem, baptismi gratiam promeruit. Peregrinationis sue tempore Scotorum linguam perfecte addiscens, veteris vite conuersationi perfecte renunciauit. [12]Interfecto tandem rege Edwino, suscepit regnum

[1] Compiled from Beda III. 1–13, and the Vita (in three books) by Reginald in MS. Fairfax 6 (and Harl. 4853), most of which is ed. by Th. Arnold, Simeonis Dun. Opp. Rolls' Ser. 1882, I. p. 326. Another life is extant at Peterborough; the lives in MS. Trin. Coll. Dublin B 2. 7 and in Trin. Coll. Cambr. Gale merely give Bede's text, as also that by Drogo, ed. Boll. 5 Aug. p. 94 (ex MS. Winnocibergensi in Flandria). The genealogy is from Reginald. [2] T. Theodoric. [3] T. Deotheri; E. Theoderi. [4] T. Osbaldum; E. Oswaldum. [5] T. scotice; E. scotorum linga. [6] T. dicitur. [7] Reg. Fridwulf. [8] E. Actam. [9] E. Oswinum. [10] Reg. Oswudu. [11] T. Osafum. [12] Cf. Beda, III. 1.

Deirorum filius Elfrici patrui eius, nomine Osricus, regnum vero Berniciorum suscepit Eanfridus, filius Ethelfridi regis, frater Oswaldi[1]: et fidem Christi abiicientes, ydolorum cultui se subdiderunt. Nec mora, vtrumque rex Britonum Cedwalla iusto dei iuditio interemit. Quibus ita deletis, superueniente cum paruo exercitu fratre Eanfridi Oswaldo, Christi fide munito, Cedwalla cum suis copiis immensis, quibus nihil resistere posse iactabat, interfectus est in loco qui Denisburn[2] id est riuus Denisi vocatur. Locus autem ille vsque hodie in magna veneratione habetur: vbi venturus ad pugnam Oswaldus signum sancte crucis erexit, ac flexis genibus dominum deprecatus est vt in tanta rerum necessitate suis cultoribus auxilio celesti succurreret. Cum enim crux lignea facta fuisset et erecta, ait Oswaldus: 'Flectamus omnes genua, et deum omnipotentem viuum ac verum deprecemur vt nos ab hoste superbo et feroce, sua miseratione defendat. Scit enim ipse quia pro salute gentis nostre iusta bella suscepimus.' Cumque deum deuota mente exorasset, incipiente diluculo in hostem progressi, iuxta meritum sue fidei victoria sunt potiti. In cuius loco orationis innumere virtutes sanitatum noscuntur esse patrate, ad inditium et memoriam fidei regis. Nam et multi de ipso ligno sacrosancte crucis hastulas excisas[3] in aquam mittentes, languentibus hominibus aut pecudibus in potum dederunt siue asperserunt, et mox sanitatem receperunt. Vocatur autem locus ille Heuenfeld', id est 'celestis campus,' et est iuxta murum illum famosum, ad aquilonem, quo Romani quondam ad[4] arcendos barbarorum impetus, totam a mari ad mare precinxere Britanniam. Ibi enim postmodum ecclesia constructa est, et ab ecclesia hagustaldensi non multum distare noscitur. Nec ante tempora illa vlla ecclesia, vllum altare in tota Berniciorum gente fuit, priusquam rex Oswaldus in illa pugna crucem erigeret. Monachus quidam hagustaldensis[5], dum incautius forte noctu in glacie incideret[6], repente corruens brachium contriuit et grauissima molestia fatigari cepit. De veteri musco, quo superficies ligni erat obsita, cepit et iuxta se in lectum posuit: ac medio[7] noctis tempore, cum euigilaret, ita sanum brachium manumque repperit ac si nihil vnquam tanti laboris habuisset. Sanctus itaque Oswaldus, nepos Edwini regis et martiris ex sorore, regno potitus, petiuit et obtinuit a gente Scotorum, inter quos tempore exilii sui baptizatus fuerat, virum sanctum Aidanum episcopum, ad instruendam gentem quam regebat. Erat autem vir ille summe mansuetudinis et pietatis ac moderaminis, habens zelum dei, quamuis non plene secundum scientiam. Nam diem pasche more suc gentis a quartadecima luna vsque ad vicesimam obseruabat: quod et septentrionalis Scotorum prouincia et omnis natio Pictorum illo tempore

[1] E. Oswaldt. [2] T. Deuisburn; E. Devesburn; Bed. Denisesburna. [3] T. exscisas. [4] B. ob. [5] Bed. nomine Bothelm. [6] Bed. incederet. [7] T. medie.

faciebat. Cui rex Oswaldus dedit locum sedis episcopalis, vbi ipse petebat, in insula lindisfarnensi: qui scil. locus accedente ac recedente reumate bis quotidie instar insule maris circumluitur[1] vndis, bis renudato littore contiguus terre redditur; atque eius admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auscultans[2], ecclesias[3] in suo regno edificare et dilatare diligenter curauit. Miro autem spectaculo sepe contigit vt euangelizante antistite qui Anglorum linguam perfecte non nouerat, ipse rex anglice populo interpretaretur ac ducibus et ministris suis. Tunc confluebant quotidie de gente Scotorum ad predicandum Anglis monachi de monasterio Aidani quod erat in insula Hii famosissimum: que quidem insula Hii ad ius pertinebat Anglorum[4], non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum iam dudum monachis Scotorum tradita, eo quod illis predicantibus fidem Christi perceperunt. Construebantur ergo ecclesie per loca, confluebant ad audiendum verbum populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones et territoria ad construenda monasteria. Oswaldus igitur exemplo et verbo Aidani instructus, non solum spem celestis regni, sed etiam terreni regni amplitudinem plus quam aliquis predecessorum suorum consequutus est. Quippe preter illud [quod][5] Berniciorum atque Deirorum prouintias, que eatenus dissidebant, in vnam redegit compagem: Omnes nationes Britannie, que in quatuor linguis, scil. Britonum, Pictorum, Scotorum, et Anglorum, tunc diuidebantur, in dicione[6] sua accepit. Nullum fidelem publice pauperem esse permisit, qui[a][7] pauperum quorum nouit inediam vel prediis vel donis copiosis sustentare curauit. [8] Igitur cum ita dei gratia sibi subditis operam dilectionis impenderet, dei dispensatione contigit vt flagellis nuper credentium fidem experiendo comprobare vellet. Immissa igitur circumquaque per Angliam graui peste, plurimi strage seuissima[9] pereuntes regna celestia conscenderunt[10]. Cum itaque rex sanctus populo sibi subdito diuine animaduersionis iudicium imminere conspiceret, cum lachrimis et querulis vocibus ac gemitibus hoc dei flagellum suis maxime peccatis ascribere cepit, dicens: 'Ego sum, inquit, domine qui peccaui, ego inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? In me, domine, et in domo mea gladius vltionis tue conuertatur, si tamen mea vel meorum hoc iniquitas commeretur.' Cum igitur precibus et lachrimis diutius insisteret, subito dei voluntate eadem peste correptus est: Placuit enim pietati diuine vt vas electionis sue ab omni labe terrene conuersationis ad purum emundaretur, ne quicquam vanitatis mundane in corpore suo penitus remaneret. Cumque ad extremum vite, spiritus vigore penitus deficiente, venisset, oculos in celum erigere, et quasi quibusdam colloquendo labia mouere cepit. Intellectuales

[1] E. circumuoluitur. [2] T. ascultans. [3] Bed. ecclesiam Christi. [4] Bed. Brittannie. [5] om. in E. [6] E. dictione. [7] E. qui. [8] From Reginald cap. 10. [9] E. seuissime. [10] E. concenderunt.

quidem oculi eius, sicut sacris episcopis postmodum referre solebat, vna cum corporalibus, angelicos quosdam spiritus preclaro intuitu assistere sepe videbant[1]; de quorum numero tres ad se consolandum accedentes dixerunt: 'Oswalde rex dei electissime, mortis horrorem noli timere: noster collega et consors in celo reputatus, peracto vite termino nostro collegio adiiciendus eris. Non tamen in isto moriturus es tempore, nec huius pestilentie acerbitate vlterius feriendus. Christus, tue desolationis angustias miseratus, omnem Anglorum populum a peste et clade, meritis tuis et precibus absolutum liberauit, viteque tue tot annos misericorditer adiiciens, te martirio coronandum instituit, nobisque amodo tam viuentis quam morientis tui custodiam delegauit.' Diem et horam sui martirii designarunt, eos tunc sibi affuturos asserentes. Supra solis claritatem facies eorum radiabant, sed nec formam eorum verbis rex explicare valebat[2]. Hiis dictis ab oculis eius in celo recepti sunt. Rege enim confestim sanitati restituto, Anglorum fines diebus vite sue nulla pestis perturbare presumpsit. Ex illo tempore in omnibus deo et hominibus emendatiorem se prebuit, et vite sue exitum cum gaudio expectauit. Vite preterite vanitates[3] mentis deuotione transcendit, elemosinis et lachrimis preteritas negligentias quotidie redemit. Post hanc quoque visionem vna cum Kyneburga vxore sua, regis Westsaxonum Kynegilsi[4] filia, castitatis mundiciam in posterum conseruauit. Sanctus autem Oswaldus pauperibus ac peregrinis semper humilis, benignus et largus fuit. Cum enim quodam die pasce, assidente secum in mensa episcopo Aidano, veniret ad ianuam regis magna pauperum multitudo elemosinam petens, et rex aliud ad manum non haberet porrigendum, ipsum ferculum coram se positum, cum disco argenteo minutatim confringendo, ad pauperes misit. Quo viso, pontifex tali facto delectatus, apprehendit dexteram eius et ait: 'Rogo deum vt nunquam [in]veterascat[5] manus ista.' Quod ita factum est. Nam Oswaldo postmodum interfecto, brachium a corpore resecatum hactenus durauit incorruptum. Commisso tandem graui prelio, ab eadem gente pagana paganoque rege Merciorum Penda, a quo et predecessor eius Edwinus peremptus fuerat, in loco qui lingua Anglorum Maserfeld' vocatur, occisus est, anno etatis sue tricesimo octauo, nonis augusti. [6]Est autem locus ille[7] conterminus finibus Armorice[8] Wallie[9]—quia antiquitus pars maxima Wallie dicta est Armorica. Ab vrbe enim Salopie[10] septem fere miliaribus versus eandem Walliam distare probatur idem locus, abbatisque Salopie dicioni[11] cedit; a fossa quoque regis Offe que Angliam et Walliam diuidit, miliario non plene dimidio, et a Wenelocensi[12] cenobio milia-

[1] E. videbat. [2] E. valebit. [3] E. natiuitates. [4] E. Kynegilfi. [5] E. veterascat. [6] Reginald, cap. 12. [7] Now Oswestry (i. e. Oswald's tree). [8] Reg. Armonice. [9] E. Vallie. [10] E. Solapie. [11] E. dictioni. [12] E. Wenolocensi.

ribus sexdecim separatur. In quo quidem campo ecclesia, que 'candida ecclesia' dicitur, in sancti Oswaldi honore fundatur, et non procul inde fons perhennis exoritur, qui ab incolis 'fons sancti Oswaldi' nominatur. Penda vero rex caput sancti Oswaldi abscisum cum brachiis per annum in stipitibus suspendi iussit. Oswaldus namque rex regno Merciorum primitus subiugato et rege Penda in Walliam fugato, congregatis paganorum copiis in loco memorato sanctum regem Oswaldum interfecit[1]. [2]Sepulto vero in cimiterio lindisfarnensi capite, frequenter in loco illo quasi lucerna, quandoque vt candida forma aliqua; nunc sicut candela, modo nitida velut tela, lux celitus emissa refulsit. Extracto proinde capite, in vrbe Bamburgh[3] honorifice locatur. [4]Tepescente demum erga sancti reliquias populi deuotione, nec erat qui digne reliquias (huius sancti preciosas)[5] excoleret, vel custodie diligentiam exhiberet. Monachus igitur quidam de burgo sancti Petri in partibus illis aduenies, et secreta ecclesie vbi reliquie erant reposite diligenter explorans, habita oportunitate brachium sancti Oswaldi de theca[6] extrahens secum clanculo asportauit, et in suo cenobio cum honore collocauit. Maluit enim talis furti sacrilegus fore depredator, quam tanto carere thezauro sue conscientie improbus accusator. De peccati enim crimine quodammodo laudem glorie acquisiuit, dum de sue nota infamie honoris cumulum sue ecclesie compensauit, et sancto martiri perpetuam venerationem acquirere meruit. [7]Elapso post martirium sancti Oswaldi anno vno apparuit quidam in visione regi Oswio dicens: 'Vade, inquit, citissime, et caput cum brachiis fratris tui pro Christo occisi diligenter inquire. Nam caput diutius in stipite configi, Christi clementia indignum duxit: sed et brachia cum manibus dei honorare bonitas disposuit, et a volatilibus celi ea ledi non permisit, nec a pulchritudine sua tanto tempore maculari. Dexteram cum brachio non iam in stipite, sed in aquis viuentibus reperies, vbi meritis ipsius de saxo durissimo fons viuus emanare cepit.' His dictis heros ille disparuit, et rex iter cum festinatione maturans, iussa compleuit et caput in cimiterio lindisfarnensi sepeliuit, et brachium apud Bamburgh composuit. [8]Corpus quoque et ossa adduxit secum regina Merciorum Osrida, filia regis Oswi, et[9] vsque ad monasterium de Bardeneia in Lindeseia detulit: sed repulerunt eam[10] monachi, inuidentes mortuo, quia super eos bellico iure regnum acceperat; sed nocte intempesta lucis visa columpna super corpus diuinitus emissa, vltro petierunt quod ante reiecerant. Ibi enim ex cadente sanguine reuiruit cespes. [11]Post multos martirii eius annos sanctus Cuthbertus cuidam in obsequiis eius deuoto apparens, dixit: 'Surge, inquit, et caput sancti Oswaldi, in ecclesia de Bamburgh negligentius custodi-

[1] A bad construction; r. interfectus est. [2] Regin. 13. [3] E. Bamburch. [4] Regin. 48. [5] huius s. preciosas om. in T. [6] T. teca. [7] Regin. 15. [8] Beda III, 11. [9] om. in T. [10] E. eum. [11] Regin. 49.

tum, ad me deferre ne differas, vt vna mecum in vno loculo requiescat. Quod enim in cimiterio meo humatum mihi deus commendando delegerat, hominis violentia a me separari non debebat.' Surgens vir ille et ad locum designatum perueniens, occasione habita caput martiris amplectens, festino gressu domum rediit. Et ecce sancti Cuthberti sepulchrum, motu interius perstrepente, sine cuiusque manus tactu subito aperiri videtur, et composito secum capite, spontaneo more recludi. [1] Circa annum domini nongentesimum nonum, sicut in historiis legitur, ossa sancti Oswaldi translata sunt de Bardenay vsque Glouerniam, per Ethelredum ducem Merciorum, vbi in honorem sancti Oswaldi [2] monasterium construxit.——[3] Quanta enim fides Oswaldi in deum fuerit, que mentis deuotio, etiam post mortem virtutum miraculis claruit. Nam in loco vbi pro patria dimicans a paganis interfectus est, vsque hodie sanitates infirmorum celebrari non desinunt. Nec mirandum est in loco mortis illius infirmos sanari, qui semper, dum viueret, infirmis et pauperibus consulere, elemosinas dare, opem ferre non cessabat. In loco siquidem martirii eius paralitica quedam curatur. Puluis de loco martirii eius in poste [4] cuiusdam domus appensa, conflagrata tota domo, postis [4] solummodo in qua puluis pendebat intacta permansit. Cum quidam ab immundo spiritu grauiter vexaretur, allata est aqua in qua ossa sancti martiris fuerant lota: et ecce demoniacus subito conticuit, et quasi in sompnum laxatus caput et cetera membra in quietem composuit. Et post aliquantulum hore spacium resedit, et grauiter suspirans ait: 'Mox [vt] virgo [5] cum capsella atrio domus appropinquauit, recesserunt omnes qui me premebant spiritus maligni [6], et me relicto nusquam comparuerunt.' Ferunt enim de sancto Oswaldo quia a tempore matutine laudis sepius ad diem vsque in orationibus perstiterit, atque ob crebrum morem orandi siue gratias domino agendi, semper vbicumque sedens [supinas] [7] super genua sua manus habere solitus sit. Vulgatum est autem quod etiam inter verba orationis vitam finierit: Nam cum hostibus circumseptus videret se perimendum, orauit pro animabus exercitus sui. Vnde dicitur in prouerbio: 'Deus miserere animabus, dixit Oswaldus cadens in terram.'——Apud Farnham in honore sancti Oswaldi constructa est ecclesia, in qua multi beneficia eius postulantes, infirmitatis et inco[m]modi remedia multotiens experti sunt. Cuius claues latro quidam latenter auferens, aperto ostio intrauit, et vniuersa illius ornamenta rapiens asportauit. Et ecce, lumine oculorum obtenebrato, quo se diuerteret penitus ignorauit. Aduenientе tandem sacerdote, lachrimis profusis [8] misericordiam illius homo miser deprecabatur, reumque se [et] merito dampnabilem iudicans, quam fraudulenter diabolo insti-

[1] Higden Policr. VI, 4. [2] E. Osmundi. [3] Beda III, 9. [4] Bed. posta. [5] E. Mox vero. [6] E. maligni spiritus. [7] so T.; om. in E. [8] T. profusis.

gante egisset indicauit. Quo audito sacerdos deo et beato Oswaldo immensas gratias referens, errori illius condoluit et liberum abire permisit. [1]Cum autem in monasterio Seleseie et vbique in prouincia mortalitatis pestis seuiret et passim de hac vita multi raperentur, visum est fratribus triduanum ieiunium indicere et diuinam clementiam suppliciter obsecrare, vt misericordiam illis dignaretur impendere et siue periclitantes hoc morbo a presenti morte liberaret, seu raptos de mundo a perpetua anime dampnatione seruaret. Erat tunc in monasterio illo puer quidam, qui eadem tactus infirmitate in lecto iacebat; cui apostolorum principes dignati sunt apparere, dicentes: 'Noli timere, fili, mortem, pro qua sollicitus es: nos enim te hodierna die ad celestia sumus regna perducturi. Voca ergo ad te presbiterum Eoppam et dicito illi quia dominus exaudiuit preces vestras et deuotionem ac ieiunia propitius aspexit, nec aliquis de hoc monasterio hac clade moriturus est, preter te solum, qui hodierna die ad visionem dei perducendus es in celum. Quod diuina clementia vobis[2] per intercessionem gloriosi regis Oswaldi conferre dignata est: Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello extinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia assumptus in celum, electorum agminibus sociatus est. Celebrent igitur missas, siue pro gratiarum actione, quia exaudite sunt orationes vestre, siue etiam in memoriam regis prefati qui pro eis supplex ad deum orabat.' Cum audita puer enarrasset, eadem die mortuus est: et cuncta que dixerat vera reperta sunt; et dies sancti Oswaldi natalicius per monasteria extunc venerari cepit.

[MS. Tib. adds: *Narratio.*

Quidam curialis sacratissimo pascali sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post ieiunium domum reuersus, multoque uino inebriatus, eandem filiam suam secum manere peciit, eamque nocte illa, quod dictu nephas est, perdidit. Per sex uero dies letus ac securus processit, estimans quod eius scelus dominus aut non uidisset, aut misericorditer impenitenti dimisisset: die septimo subito defunctus est. Cumque sepulture traditus fuisset, per longum tempus cunctis uidentibus de sepulcro illius flamma exiit, et tamdiu ossa eius concremauit quousque omne sepulcrum consumeret, et terra que in tumulo collecta fuerat defossa uideretur. Quod uidelicet omnipotens deus faciens ostendit quid eius anima in oculto pertulit cuius eciam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit[3].]

[1] Beda IV, 13.

[2] E. nobis.

[3] Collect in T. (by another hand)

(S)ceptriger Osuualde, celo terraque sacrate, Trans mare Germanis, Gallis fulgescis et Anglis, Et quecunque tuam gens poscit opem, subit ampalm: Rex, fore propicium nobis regem pete regum. V. Ora pro.

Omnipotens sempiterne deus, qui huius diei iocundam beatamque leticiam in

¶ De sancto Oswino[1] rege et martire[2].

BEatus enim Oswinus ex antiquorum clarissima regum prosapia Anglorum oriundus extitit. Post mortem siquidem regis Northanhumbrorum Edwini, primis eius successoribus, Osrico videlicet rege Deirorum et Eanfrido Berniciorum, apostatis a Cedwalla rege Britonum iusto dei iudicio deletis, filius Osrici Oswinus, ne a Cedwalla perimeretur, non paruo tempore apud Occidentales Saxones exulauit, regnumque Deirorum et Berniciorum Oswaldus, Edwini regis nepos ex sorore Acca[3] progenitus, obtinuit. Quo tandem a paganis martirizato, successit frater suus Oswi, et viginti octo annis laboriose regnauit. Audiens igitur Oswinus exulans, filius scil. Osrici, quia defuncto Oswaldo regnaret Oswi pro fratre suo, inito cum suis consilio, ad regnum Deirorum regressus, ab omni plebe letanter recipitur, et in regem, nemine contradicente, sublimatur, anno domini sexcentesimo quadragesimo secundo, et prouincie Deirorum nouem annis in maxima omnium rerum affluentia, et ipse amabilis omnibus, prefuit. Erat enim oculus ceco, pes claudo, baculus tremulo, orphanorum et viduarum omniumque indigentium pius pater. Pauperes et maxime peregrinos benigne recipiebat, esurientes alebat, nudos vestiebat: et omnibus eius beneficia postulantibus hilariter impendebat. Cum igitur vir dei pietatis vacaret operibus, humane salutis inimicus Oswi, regem Berniciorum, magis ac magis aduersus eum excitauit, et donec congregatis exercitibus ad preliandum, in loco qui 'Wilfaresdoun' dicitur occurrerent, inflammauit. Piissimus autem rex Oswinus videns suos, licet multo pauciores, cum hostibus volentes contendere, et pro rege suo paratos occumbere, dixit ad eos: 'Congratulor, o principes et fideles milites, vestre probitati et milicie, et gratias ago bone voluntati vestre. Sed absit a me vt mei solius causa belli discrimen omnes incurratis, qui me, quamquam iure dominum, pauperem tamen et exulem vobis regem

sancti serui tui Oswaldi solempnitate consecrasti, da cordibus nostris tui amoris caritatisque augmentum, ut cuius in terris sancti sanguinis effusionem celebramus, illius in celo collata patrocinia senciamus, per. (Br. Sar., cf. Br. Aberd.)

[1] MS. T., at the bottom, gives the following genealogy:

Ethelfridus rex genuit Oswaldum—Eanfridum. fratres Elricus gen. Osric rex gen. Oswinum regem.

Elle rex Deirorum genuit Edwinum regem et martirem, et Accam matrem sancti Oswaldi regis.

[2] Ed. in Act. SS. Boll. Aug. IV. p. 63. Abridged from Vita in MS. Cott. Iul. A. X, Corp. Chr. Coll. Oxf. 134 (12 cent.). ed. Surtees Soc. Misc. Biogr. 1834, an amplification from Beda III. 14. S. Oswin was buried at Tynemouth (translated 1065, 11 March). [3] E. Acta.

constituistis. Malo itaque cum paucis solus exulare, immo potius diligo mori, quam vos mei solius causa contingat quoquo modo periclitari. Impius enim et inhumanus est qui cum dei iudicium nullo modo possit auertere[1], plures sui (ipsius)[2] causa conatur euertere. Quare diuinam super me sententiam pacificus, non belligerando, libenter amplectens[3], presertim cum per os sancti Aidani per martirii palmam ad celestis regni gaudia me transiturum agnosco[4]; quo ordine et tempore Christus voluerit, vitam temporalem finire non recuso.' Hiis dictis, exercitum domum remisit et cum vno tantum milite Tondehere nomine in Gedlingum in domum Hunewaldi comitis, cui vicum illum et multa contulerat predia, se recepit. Hunewaldus autem eum in conclaui, quasi decentius habitaturum introduxit, deique timore postposito, regi Berniciorum, quia regem Oswinum sibi traderet iugulandum, scelestus innotuit. Audiens enim hoc rex Oswi, Ethelwinum domus sue prepositum illuc[5] direxit, et vt regem Oswinum[6] interimeret imperauit. Quo cum peruenisset, et Oswinus ab Hunewaldo sibi traditus fuisset, ait rex: 'Quia nequiter traditus, innocens a vobis iussus sum occidi, precor vt hunc militem libere permittatis abire, nec mei causa faciatis eum mortem subire.' Maluit tamen miles morti succumbere, quam mortuo domino, etiam si copia daretur, superuiuere. Excepit itaque rex Oswinus vna cum milite suo mortis sententiam, et effuso sanguine suo, perpetuam in celo adepti sunt mansionem, tertio decimo kal. septembris, anno regni eius nono. Erat [autem][7] rex Oswinus et aspectu venustus, et statura sublimis[8], affatu iocundus, moribus ciuilis, et manu omnibus nobilibus simul et ignobilibus largus. Vnde ob regiam animi eius et vultus et meritorum dignitatem ab omnibus diligebatur, et vndique ad eius ministerium de cunctis prope prouinciis viri etiam nobiles concurrebant. Donauerat autem rex Oswinus equum suum[9] optimum Aidano episcopo, eo quod magis pedibus pergere, quam equo vehi consueuerat. Qui cito postmodum equum illum, cum nil aliud ad manum haberet, cuidam pauperi elemosinam petenti donauit. Hoc cum didicisset rex, plurimum indignatus ait episcopo Aidano secum ad mensam considenti[10]: 'Quid fecisti, domine presul? Num [non][11] viliores equos habuimus, qui sufficerent ad elemosinam?' Cui episcopus: 'Quid loqueris, domine rex? Num charior[12] erit[13] tibi filius eque, quam filius Marie?' Continuo rex procidens ad pedes episcopi, veniam rogauit, promittens fideliter quod nunquam obloqueretur, quicquid de rebus suis dei filiis errogaret. Dum igitur pacati simul ad mensam sederent, episcopus subito in lachrimas est resolutus. Cuius rei causa a circumstantibus requisita, presul ait: 'Non multo tempore

[1] E. euertere. [2] om. in T. Vit. [3] E. amplectans. [4] E. ignosco. [5] E. illic. [6] E. Edwinum. [7] T. autem; E. enim. [8] E. sullimis. [9] *al.* om. [10] T. E. consedenti. [11] om.; Bed. Nunquid non. [12] E. charius. [13] *al.* est.

victurus est rex iste: ante modo non vidi regem humilem, nec digna est hec gens nequam talem diu habere regem.' Vnde contigit cito post hec ipsum occidi, vt prefatum est, anno domini sexcentesimo quinquagesimo primo, et regni eius nono. Sed et ipse antistes Aidanus post regis occisionem duodecim solummodo superuixit diebus. In Gedlingo, modo Gilling vocato, non procul ab vrbe Richemundie sito, regina Eanfleda, Oswi regis vxor et regis Oswini propinqua, in expiationem necis eius, impetrata a rege Oswi licentia, monasterium construxit, in quo orationes assidue pro regis occisi et eius qui occidere iussit anime salute quotidie domino deberent offerri; et virum quendam deuotum nomine Trunhere, natione Anglum, a Scotis ordinatum et edoctum, regis occisi propinquum, constituit abbatem. Qui[1] postea sub rege Merciorum Wulfero[2] in prouincia Merciorum et Mediterraneorum Anglorum episcopus effectus, gentium multitudinem ad fidem conuertit. Corpus autem sancti regis, ab eis qui eum occiderant, ad ostium Tyne fluminis versus aquilonem delatum est et in oratorio sancte Marie virginis sepultum, in quo loco religiosorum multitudo congregata iugiter deo seruiebat. In tantam autem honoris eminentiam excreuerat locus ille, vt per totam prouinciam pro reuerentia loci et religione, defunctorum corpora ibidem tumulanda deferrentur. Elapsis post hec multis annis Ynguar et Hubba, iniquitatis filii, Danorum principes, ad ostium Tyne fluminis applicantes, ipsum monasterium et omnem circa regionem graui depopulatione vastarunt, monachos in quadam ecclesiola omnium sanctorum honore a sancto Cuthberto dedicata combusserunt, et cuncta cenobii edificia in planiciem redegerunt[3]. Anno autem gratie millesimo centesimo decimo[4], cum monachus quidam nomine Edmundus, loci edituus, nocte quadam post orationes more solito fusas sopore depressus esset, apparuit ei quidam etate canus[5], vultu decorus, statura procerus, et verbis iocundus atque benignus. Quem cum diligenter intuens aspiceret, et quis esset interrogare non auderet, is qui ei apparuit dixit: 'Edmunde, frater Edmunde!' At ille securior redditus ait: 'Quis es, domine?' 'Ego sum,' ait, 'Oswinus rex, qui ab Hunewaldo comite nequiter traditus, ab Oswio rege morte detestanda peremptus, hac in ecclesia cunctis incognitus laceo tumulatus. Surge et die pontifici Egelwino quatinus corpus meum eleuet et decentiori loco illud collocare non tardet.' Quod cum episcopo nunciasset, et ille corpus sanctum de terra eleuasset, tanti odoris fragrantia egressa est, vt omnium aromatum genera diffusa putarentur, et omnes qui aderant mestimabili suauitate replerentur. Sicque sacrum eius corpus in aquilonari oratorii parte cum honore reconditum est. Iuditha[6], Tostii comitis vxor, cum magna instantia partem reliqui-

[1] E. Quique. [2] T. Wlfero. [3] T. E. redigerunt. [4] In Vita, the invention was in 1065, the translation to the new church in 1110. [5] Vit. coloris vividi et inexhausti vigoris. [6] E. Inditha.

arum sancti martiris ab episcopo[1] petiit, et partem capillorum capitis sancti accepit. Ignis autem adustione pilos probare voluit, non vt in aliquo de sancti diffideret meritis, sed vt martiris meritum circumquaque per hoc extollere posset. Accenso itaque igne copioso et capillis iniectis, post vnius hore spacium capillus ab igne intactus omnino[2] et incombustus permansit. Cum enim sacerdos quidam vanus et lubricus, comitis Tostii consiliarius, occupatis circumquaque hospitiis, in eclesia parari sibi lectum iussisset, meretricem secreto ad se introduci fecit. Et cum iniquitatem perpetrare cum illa vellet, cepit omnis ecclesie fabrica motu subitaneo a summis vsque deorsum, quasi ventorum flatibus parietes ecclesie hac et illac impellendo, agitari suique ruinam et omnium interitum comminari. Perterritus sacerdos et reatum suum intelligens, meretricem de ecclesia exire coegit, et omnis illa commotio cessauit. Cum naues quinquaginta regis Willelmi apud Tynemutham[3] applicarent, bona loci, sancto nequaquam parcentes, spoliarunt: telamque cuiusdam mulieris abstulerunt. Mulier autem ecclesiam intrans, cum lachrimis sanctum deprecabatur quatinus ei telam redderet et de predonibus vindictam faceret. Naute vero nauigantes, subito in scopulos absque turbine ventorum, quasi remige carerent, offendentes, sese collidere mutuisque congressibus sibimet occurrere [ceperunt][4]: et fluctus seuientes nautas, preter paucos, submerserunt, et ad littus ecclesie quam violauerant[5] spolia eiecerunt; et vniuersi cum vetula concurrentes, bona sua iuxta littora reperta receperunt. Sanctus enim Oswinus mulierem omni[6] membrorum officio destitutam sanauit: militem qui cum equo suo de rupe altissima corruit, incolumem reddidit. Equus de scopulo in scopulum[7] lapsus, non solum de precipitio saluatur, verum subito, multis intuentibus, mirabiliter reuocatur. Cuidam incarcerato apparens precepit vt velociter surgens ad Tynemutham[3] properaret: Qui manus et pedes solutos aspiciens, surrexit, et seram ostii leuiter excutiens, iussa martiris cum festinatione impleuit. Auriga cum bobus ad quadrigam iunctis de supercilio montis corruens, a periculo liberatur. Quidam pro columba, quam sub feretro presumptuose occidit, infirmitate correptus, cum se promitteret pro delicto satisfacturum, sanatur: sed cum votum implere negligeret, recidiua[8] infirmitate decessit. Duas mulieres cecas illuminauit, paraliticam curauit, surdis duobus auditum reddidit, puellam a demone vexatam liberauit. Mulier quedam a demonibus per annum vexata, cum ad ecclesiam martiris adducta sanaretur, cum lachrimis narrauit quod tempore dormitionis sue circumdederunt eam demones infiniti, aspectu terribiles et horribiles valde. Quorum septem maiores erant et terribiliores, cornuti, hispidi, et caudati, oculos habentes teterrimos,

[1] sc. Egelwino. [2] T. intactus omnino intactus. [3] T. Tynemutam. [4] om. [5] E. molauerant. [6] E. omnium. [7] E. sropulum. [8] E. recidua.

et eam vndique circumstantes dilacerare nitebantur. Cumque magnis vocibus exclamasset, quidam indutus superpellitio, candorem lilii habens in facie, apparens dixit: 'Ego sum, inquit, rex et martir Oswinus, sub cuius feretro requiescis.' Et cum manica superpellitii multitudinem demonum effugauit, et cum omni mansuetudine, cum loco et tempore peccata que fecerat et nunquam confessa fuerat, et transgressionem cuiusdam voti distincte reuelauit: hortans vt peccata confiteretur et votum suum impleret, et de cetero officium pandocinandi[1] venaliter non exerceret, pro quibus, vt asseruit, potestati demonum tradita fuit.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[2].

Miles quidam (in urbe) romana ad uite extrema peruenit. (Qui e)ductus de corpore iacuit exanimis, set (cici)us rediens, que cum eo fuerant gesta narrauit. Dicebat enim quod pons erat sub quo ni(ger) et caliginosus fetores intollerabiles e(mi)ttens exalans fluuius decurrebat. Trans(act)o autem ponte amena erant prata atque uirencia, odoriferis herbarum floribus exorna ta), in quibus albatorum hominum conuenticul(a) esse uidebantur, tantusque in eodem loco odor suauitatis inerat, ut ipsa suauitatis fragrancia omnes saciaret. Ibi mansiones singul(e) diuersorum, magnitudine lucis erant plen(e). Ibi quedam mire potencie edificabatur domus, que aureis uidebatur laterculis[3] construi, set cui(us) esset, non potuit agnosci. Erant uero super ripam predicti fluminis habitacula multa, set alia exurgentis fetoris nebula tangebantur, alia exurgens fetor a flumine minime tangebat. Hec uero erat in predicto ponte probacio ut quisquis per eum[4] iniustorum uellet transire, in tenebroso fetenteque fluuio laberetur, iusti uero quibus culpa non obsisteret, securo per eum gressu ac libero ad loca amena peruenirent. Ibi se eciam Petrum ecclesiastice familie maiorem, qui ante quadriennium defunctus fuerat, deorsum positum in locis teterrimis magno ferri pondere ligatum ac depressum uidisse confessus est. Qui dum requireret cur ita esset, dictum est: 'Hec iccireo patitur quia si quid ei pro facienda ulcione uidebatur[5], ad inferendas plagas plus ex crudelitatis desiderio quam ex obediencia seruiebat.' Ibique quendam peregrinum uidit qui tanta auctoritate pontem transiuit quanta et hic sinceritate uixit. In eodem ponte quendam nomine Stephanum uidit, cuius pes elapsus est, et ex medio corpore iam extra pontem deiectus a quibusdam uiris teterrimis de flumine surgentibus per coxas deorsum, atque a quibusdam albatis et speciosis uiris cepit per brachia sursum trahi. Cumque hoc luctamen esset, et hunc boni sursum, mali deorsum traherent, ipse qui hoc uidit ad corpus rediit. Qua in re de eiusdem Stephani

[1] pandoxare = cauponam exercere, cerevisiam vinum exponere (Du Cange).
[2] Cf. Vinc. Bell. XXII. 91, Greg. Dial. IV. 36. [3] T. lacertulis. [4] T. eam.
[5] G. iubebatur.

uita datur intelligi quia in eo mala carnis cum operacione elemosinarum certabant. Qui enim per coxas deorsum, per brachia trahebatur sursum, patet quia elemosinas amauerat, et carnis uiciis perfecte non restiterat, que eum deorsum trahebant[1].]

¶ De sancto Oudoceo episcopo et confessore[2].

SAnctus Oudoceus Christi seruus, ab infantia bonis et sanctis meritis deditus, ieiuniis, vigiliis et orationibus pro eterna mercede assiduus, liminibus beati Petri apostoli visitatis, locum sancti Dauid adiit et inde per ecclesiam sancti Theliai diuertens, reliquias quasdam ibidem acquisitas[3] secum sumpsit: cumque in itinere constitutus latronibus obuiaret, et illi copiam thezauri eum habere sperantes, depredari vellent, cecitatem incurrerunt, et penitentes prece Oudocei oculorum visum receperunt. Cum autem factus episcopus iter cum suis ageret, de mulieribus quibusdam butirum lauantibus, aquam de vase sibi porrigi postulauit. Ille vero ironice, nullum aliud vas nisi butirum se habere responderunt. Episcopus vero, accepto ab eis butiro, et formata[4] ad modum tintinnabuli[5] nola, inde potauit, et in tali forma remansit, aurea videlicet, in tantum quod videntibus apparet esse ex auro purissimo, et ab illo die in ecclesia landauensi[6] in miraculi testimonium conseruatur. Rex quidam venando cum ceruum insequeretur, et ceruus ad pallium sancti confugeret, rex cum venatoribus hoc videns miraculum, veniam a seruo dei humiliter postulauit, et totum territorium illi concessit. Dimissa tandem vir dei pastorali cura, construxit monasterium iuxta aquam nomine Weie, et congregata fratrum magna caterua, in magna abstinentia et sanctitate vite per multos annos vitam ducens, exempla virtutum et totius sanctimonie vsque ad mortem fratribus ostendit. Migrauit autem ad Christum sexto nonas iulii.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[7].

Senex quidam desiderauit cucu(merem: quem cum tulisset), suspendit ante o(culos suos; et ne uinceretur) ex cupiditate, (non

[1] Collect in T.:

Salue pater Deirorum, esto salus miserorum, ad te nos confugimus: Rex Oswine, sis nostrorum medi(ator) peccatorum, suplicantes petimus. V. Ora pro n.

Sancte, nostri recordare, et pro nobis deprecare summi regis filiam: Corda serua, rege mentes, et nos (tibi) seruientes duc ad celi gloriam. V. Ora pro.

Largire suplicibus, omnipotens pater, cunctorum ueniam facinorum, et quos facis beatissimi Oswini martiris tui commemoracione gloriari, facias meritis et suffragiis celitus sublimari, per.

[2] Ed. in A. SS. Boll. 2 July I. p. 284; abridged from the Lectiones in Liber Landav. p. 127); cf. Angl. S. II. 669. [3] T. adquisitas. [4] Vit. formato, nola om. [5] E. tintinnabili. [6] E. laudanensi. [7] Cf. Vit. Patr. p. 767.

tetigit eum, set magis) agebat penitenciam, (puniens semetipsum) ob hoc quia desiderass(et ipsum). [1](Abbas Zenon dum ambularet in Palestina, fatigatus sedit iuxta eos qui cucu(meres) de orto colligebant, et uolebat (come)dere ex ipsis. Dicebat intra se: 'Nescis quoniam fures ad penas uadunt? experire ergo temetipsum, si potes portare tormenta': et exurgens stetit in caumate dies quinque, et dixit: 'Vere non possum tormenta sufferre: nec debeo furari et manducare.' [2]Dixit quidam senex: 'Ira per hos quatuor actus exurgit[3]: per cupiditatem auaricie, dando et accipiendo, rapiendo res alienas; et si quis propria sentencia defendit quod amat[4]; et si quis se uult honoribus esse dignum; et si quis doctorem se esse dignum[5] uult plus omnibus sapientem. Ira per hec quatuor humanos sensus obscurat: Si odium habuerit in proximo suo, aut si pro nichilo habuerit, aut si illi inuiderit, aut detractauerit de eo. Audi Iohannem Euangelistam dicentem: "Qui odit fratrem suum, in tenebris est et nescit quo eat, et manet in morte."']

¶ De sancto Paterno episcopo et confessore[6].

PAternus autem episcopus sanctus[7], terrenam hereditatem derelinquens, ac exilium amans, summi regni celestis fieri heredem concupiuit. Qui gente[8] quidam Armoricus fuit, i. de minori Britannia ortus, et de parentibus nobili prosapia procreatis, Petrano scil. patre, matre vero Guean: qui vno conuentu vtentes sanctum Paternum genuerunt, et postea sempiterno dei seruitio, in castitate manentes, se subdiderunt. Nam Petranus illico Britanniam Minorem deserens, Hiberniam petiit, et magna vite abstinentia et virtutibus deo placuit. Gratiosa quippe apparuit natiuitas sancti Paterni, per quem pater eius sanctus effectus est, et mater eius famula Christi religiosam vitam duxit. Adolescens autem Paternus factus, interrogauit matrem quem patrem habuisset, viueret, an non? aut, si viueret, vbi erat? et cur alibi moraretur et non potius in propria hereditate maneret? Cui lachrimando mater respondit: 'Pater tuus quidem viuit, et plus deo quam mundo; perrexit autem hinc ad Hiberniam, vbi ieiunat, orat, vigilat, meditatur, genuflectit altissimo domino.' Tunc adolescens ait: 'Quo ergo meliori modo potest filius viuere, quam boni patris imitatione? Nam si rex sit pater, illum imitari in regimine filius appetit. Itaque ego moriar, si non assequar patrem meum, per semitas quas elegit.' In illo enim tempore chorus ecclesiasticus

[1] Cf. Vit. Patr. p. 866, 742. Same Narr. ad Iwium. [2] Cf. Vit. Patr. p. 1030, 773. [3] T. exurget. [4] VP. propriam sentenciam amans defendit. [5] om. in VP. [6] Ed. in Act. SS. Boll. 15 Apr. II. p. 377. Abr. from Vita in MS. Vesp. A. XIV. ed. Rees. [7] T. Sanctus autem Pat. episcopus. [8] E. genti.

monachorum, Minorem Britanniam deserens, Britannie Maioris oras[1] appetere meditabantur: hac enim prouocatus fama puer Paternus cum illis pergere festinabat. Conuenientibus itaque ad nauigandum cunctis, Paternus mox quartus dux cohortis efficitur[2]: Nam consobrini eius, videntes eum ad culmen perfectionis properare, dixerunt: 'Quoniam dominus, inquiunt, in moribus te prefecit[3], oportet vt populis[4] ad exemplum vite debeas preesse.' Sicque octingenti monachi et quadragintaseptem Paternum eligentes ducem et eum sequentes, prospero nauigio oras[1] insule Maioris Britannie tenent. Cepit autem sanctus cum sanctis locum in ecclesia cognomento Mauritania[5], et edificato ibidem monasterio, sub echonomo, preposito et decano statuit: et benedictis fratribus Hiberniam nauigauit, et visitato patre suo ac consolato[6], gratias deo referebant. Erant tunc in Hibernia duo reges, qui orta inter se dissentione multum discordabant; vastationes fiunt, rapiuntur prede, domus cremantur, consurgunt bella, et multis gladio interfectis, terra desolata in solitudinem redigitur. Tandem misericors arbiter orbis, solita misertus prouidentia, causam insperate pacis ad episcopum cuiuslibet ciuitatis per angelum suum mittens dixit: 'Nisi vterque exercitus vultum sancti viri nuper ex Britannia aduenientis viderit, reges maliuoli adinuicem nunquam placari possunt.' Missis statim legatis, Paternum honorifice aduocant, et conuocato exercitu, Paternus in medio statuitur. Et ecce gratia vultus eius propulsatis penitus regum discordiis, inter vtrasque prouincias pax et vnitas perpetua confirmatur, hiis autem rite peractis omnes quasi vno ore deum in seruo suo Paterno benedicunt. Paternus itaque valedicto patre, Britanniam adiit et fratres incolumes inuenit. Inter quos Nymannaucum quendam nomine, nuper aduenientem repperit, qui in Minori Britannia post Paternum viuere non valens ad littus maris venit et quandam petram inueniens super eam stetit et ait: 'Si domino deo sunt placita que meditor, et si vere sanctus est Paternus ille quem sequi volo, surgat petra et super equora natet, solidentur vnde, obduret pelagus ne lapidem mergat, et ad sanctum Paternum incolumis vehar': et ecce dicto[7] citius lapis super undas maris velociter currens, mirabili nauigio vsque ad monasterium viri dei ipsum transduxit. Tunc Paternus monasteria et ecclesias per totam Kereticam regionem, que nunc Cardiganshire[8] appellatur, edificauit. Interea Mailgunus rex Borialium Britonum, ad debellandos et depredandos Australes Britones cum suo exercitu venit: et quoniam semper temptator erat sanctorum, duos predones[9] se precedere iussit, vt sanctum

[1] T. horas. [2] Boll. coactus. The other three leaders are called in the Vita: Hetinlau, Catman, Titechon. [3] Boll. perfecit. [4] E. populo. [5] Vit. Mauritana, i.e. Llanbadarn-Fawr, near Aberystwith. [6] Vit. patrem visitat, invicem resalutant. [7] E. dicta. [8] T. Cardiganschire. [9] Vit. precones.

Paternum quouis modo callide temptarent. Qui vasa quedam glarea replentes, regales thezauros ad sanctum se apportasse simulant et donec rex prospere reuertatur, hos custodire mandant. Annuit sanctus, deponi iubet, illos inueniendos esse sicut relicti fuerant affirmat. Rege itaque pacatis sibi inimicis regresso, venientes predones et vasorum interiora scrutantes, glaream deponunt, et regis thezauros furtim ablatos et pro eis glareas immissas fore exclamant. Sanctus autem Paternus econtra asseruit, vt dimissos, ita fore inuentos. Illi tamen ruinam totius monasterii et depopulationem minabantur, si thezauri non redderentur. A rege autem antea per Britanniam fuerat edictum vt omne mendatium[1] aqua feruentissima deprehenderetur. Tunc in feruore spiritus iubet Paternus aquam in eneo cacabo, donec ferueret, calefieri; et manum immittens, albam et frigidam post aliquantulum more spacium extraxit. Coacti enim post hec predones cum manus suas in feruentem aquam[2] misissent, malitiam mentium manus exuste declarabant. Cumque toti combusti vitam finissent, rex oculis excecatus infirmatur, et propter reatum in sanctum Paternum inique commissum se moriturum confitetur. Adductus autem ad virum dei cum magna difficultate rex gemens et penitens, flexis genibus indulgentiam petiit: et accepta venia, sanantur oculi eius et membra. Celestis autem nuncius, ad sanctum Dauid in Rosina Valle veniens dixit: 'Surge et vade in Hierusalem vt ibi gradum episcopalem suscipias, et adde tibi duos condignos comites, Paternum videlicet et Theliaum, qui ad eundem gradum episcopalem promoueri possint[3].' Mox enim[4] missis ad illos nunciis, sine mora venerunt. Per barbaras enim[4] nationes iter agentes, gratiam linguarum a domino acceperunt, vnumquemque hominem propria lingua in qua natus fuerat alloquentes. Ad vrbem Hierusalem tandem accedentes, nobilissime post apostolos predicabant contra Iudeos et heresim ibidem ortam: nam vnusquisque in lingua sua eos loquentes intelligebat[5]. Per impositionem postea manus patriarche, episcopi ordinati sunt, et muneribus ditati: Paternus quidem tunica ex auro texta et baculo ditatur. Regressi enim[4] ad patriam, in tres episcopatus Britanniam diuiserunt. Cum autem Paternus in ecclesia Mauritania prefata post tantos labores quiesceret, deambulabat quidam tirannus regiones altrinsecus, nomine Arthurus; qui quadam die veniens ad cellam sancti episcopi, et ipsum alloquens, tunicam memoratam aspexit, et zelo confossus inuidie, petiuit eam. Cui sanctus: 'Non cuilibet maligno, sed clerico tantum deo sacrato hec tunica condigna est.' Ille autem indignans monasterium egressus [est][6], iterumque regressus vt

[1] Vit. omnis mendax. [2] T. aquam feruentem. [3] so T., E. possunt. [4] Boll. autem. [5] nam—intell. *al.* om. [6] om.

eam vi tolleret. Vnus autem discipulorum videns illum in furore reuertentem, cucurrit ad sanctum Paternum et ait: 'Tirannus qui hinc antea exiuit, insultando cum furore regreditur.' Paternus ait: 'Immo absorbeat eum tellus.' Quo dicto statim terra apperuit os suum, et vsque ad mentum Arthurum absorbuit. Qui illico agnoscens suum reatum, incipit deum et sanctum Paternum laudare; donec veniam humiliter petens, terra illum sursum emitteret. Tunc sanctus regi flexis genibus veniam imploranti, benigno vultu indulsit. Illis enim[1] diebus Caradaucus[2] vltra terminos Britannie regnum suum dilatauit, et ad Minorem Britanniam veniens, illam dominio suo subiugauit. Incole autem illius prouincie ad illum venientes dixerunt: 'Nisi Paternum nostratem ad nos ex Maiori Britannia reuocaueris, nos tibi placabiles et subiectos inuenire non poteris.' Tunc rex, transito prospere mari, obnixis precibus sanctum episcopum rogauit vt ad instructionem Minoris Britannie et populi edificationem gressum maturare dignaretur. Episcopus enim[1] sanctus, secundum apostoli preceptum potestati resistere nolens[3], illuc perrexit: et magnam persequutionem a falsis fratribus patienter sustinuit. Sampson autem episcopus illius prouincie, quem precipuum omnes in sanctitate magnificabant, parochias perambulabat, certum censum[4] singulis ecclesiis metropolitane soluere ecclesie statuens. Cumque veniret ad vicina loca vrbis[5] iuxta quam sanctus Paternus monasterium fundauerat, vnus monachorum Sampsonis[6] ait: 'Mitte ad sanctum ex Britannia nuper venientem, vt probes[7] eius humilitatem, et precipe cum nuncio, vt quocunque statu eum inuenerit, eodem sine excusatione quacunque properet ad te.' Sampson autem consilium simpliciter accipiens, nuncium misit. Nuncius autem ad virum dei veniens, caligam in vno pede inuenit, altero nudo manente. Seruus nunciat legationem, et Paternus futura preuidens ad episcopum sine mora perrexit. Maliciosus ille monachus, auctor consilii mali, Paternum semiuestitum pedibus subridet: et statim arreptus a demone, cecidit in terram. Mox Sampson, monachum illum auctorem esse temptationis intelligens in sancto Paterno, ipsum pacifice salutat, indulgentiam petiit et accepit. Tunc Paternus expulso demone, fatigatum sanat. Statuit autem sanctus Sampson vt quamuis omnis[8] episcopatus terre sibi censum[4] redderet, sancti tamen Paterni episcopatus liber ab omni homine[9] fieret. Vrbs autem Guenet sedes episcopatus sancti Paterni erat. Post hec congregata synodo, vbi multum ab inuidis et falsis fratribus fatigatus extitit: confirmata tamen demum inter ipsum et episcopos unitate pacis: timens ne per intolerantiam illorum aliquo vel tenui modo irasceretur[10] vel lederetur humilitas

[1] Boll. autem [2] Vit. C. cognomento Brecbras. [3] E. volens. [4] E. sensum. [5] Vit. vrbis Guenet. [6] r. Sampsoni. [7] E. proles. [8] Vit. omnes redderent. [9] Boll. hominio. [10] E. irascetur.

eius; terram illam deserens, Francos adiit; et[1] septimodecimo kalendas maii in domino obdormiuit. Tres namque eius solempnitates Minoris Britannie incole festiue venerantur et colunt: diem videlicet qua pax prefata cum episcopis reformata fuit, kalendis nouembris; et diem qua gradum episcopatus accepit duodecimo kalendas iulii; et diem obitus sui.

Post obitum vero sancti Paterni, Minorem Britanniam atra fames inuasit: nam trium annorum spacio post transitum eius, nec ros nec pluuia de celo super totam prouinciam descendit. [2] Inuenerunt tandem incole quod sanctus Paternus, iniuriosis et falsis fratribus afflictus, terram reliquisset: inito consilio ad locum sepulture eius apud Francos perrexerunt, vt honorifice reliquias eius secum transferrent. Quod cum assequi nullo modo valerent[3], vnum ex ossibus eius illis donatum[4] omnis exercitus portare non potuit. Turbatis igitur omnibus et quid agerent ignorantibus, superuenit nobilis quidam vrbis Guenet, sic dicens: 'Dum enim viueret sanctus pater[5], postulabat a me sepius terram meam, vt ibi ecclesiam fundaret. Quod itaque priuaui eum sua petitione dum viueret, hanc post mortem libens concedo. Surgat itaque, sumat honorem, petitionem accipiat.' Hoc dicto os[6] memoratum leuissime a terra sustollunt, et ad terram suam secum deferunt, et in ecclesia, illius honore in terra illius diuitis[7] constructa, cum magno honore collocant. Quodam enim tempore sancto Paterno adhuc superstite, dum quidam eius minister monasterii siluas visitaret, incidens in latrones occisus est. Quo audito Paternus siluam adiit, et ministrum proprio nomine vocauit, dicens: 'Respondeas magistro tuo.' Tunc caput a cadauere reuulsum respondit: 'Hic assum, domine.' Cum qua voce peruenit episcopus ad locum responsionis, et videns caput ministri a corpore sectum, eleuatis in celum oculis cadauer benedixit: et capite subito corpori coniuncto viuus surrexit. Hoc audiens quidam potens illius prouincie venit ad episcopum, et dixit: 'Mei sunt malitiosi interfectores ministri tui; et ne vltio diuina per commotionem animi tui me anticipet, misericordiam humiliter et veniam peto. Et vt mentem tuam ad me placabilem efficiam, partem agri dicabo tibi.' Cui sanctus Paternus, veniam benigne largitus, hoc prenunciauit: 'Antequam finias vitam tuam, domino placebis, et in cimiterio cum honore sepulturam mereberis.'

[MS. Tib. adds: *Narrationes*[9].

Cum quidam latrones sanctum Marianum in campo repertum spoliassent, solum ei pallium reliquerunt. Qui statim post eos clamare cepit dicens: 'Reuertimini, domini mei: ecce denarius

[1] Vit. ibique. [2] Vit. adds: Inquirunt omnes causam. [3] Vit. Quod implere non valuerunt, nam etiam vnum, etc. [4] illis don. om. in Vit. [5] Vit. Paternus. [6] Vit. scrinium reliquiarum. [7] sc. Mailgun. [8] Vit. Responde Reaus. [9] Cf. Vinc Bell. XX. 18.

in meo pallio colligatus, qui forsitan uobis erit necessarius.' Qui protinus reuersi, pallium cum denario receperunt, et eum penitus nudum dimiserunt. Et cum festinanter ad suas latebras properarent, in medio noctis silencio ad hostium celle eius inuenti sunt. Quos ille in cella sua benigne recepit, et pedes eorum lauans, hospitalitatem quantam potuit ministrauit: et unum eorum ad fidem conuertit. [1] Cum autem beatus Germanus episcopus autisiodorensis de Britannia remearet, ad tumulum sancti pontificis Cassiani peruenit. Quem cum quomodo se haberet inquireret, ille statim de tumulo audientibus cunctis dixit: 'Dulci quiete perfruor, et aduentum redemptoris expecto.' Cui sanctus Germanus ait: 'Quiesce per longum in Christo tempus, et pro nobis attencius intercede, ut optinere sacre resurreccionis gaudia mereamur.']

¶ De sancto Patricio episcopo et confessore[2].

BEatus enim Patricius de genere Britonum ortus est: pater eius Calphurnius, mater vero Conches dicta est. Cum autem esset annorum sexdecim, cum ceteris in captiuitate ducitur: et cuidam regi gentili[3] sex annis seruiens, sues illius pascebat. Centies in die et centies in nocte deum exorabat. Et ecce apparuit ei angelus domini, Victor nomine, qui frequenter eum visitans[4], dixit: 'Bene ieiunas, cito exiturus ad patriam tuam: ecce nauis tua parata expectat te.' Stetit autem angelus super terram[5]: et vsque hodie manent vestigia eius. Et iterum dixit Patricio: 'Vade et vide locum vbi porcus ille terram naribus fodit: et quod ibi inueneris, da domino tuo in redemptionem seruitutis tue.' Et factum est ita. Postquam exiit Patricius, sera penitentia tenuit regem quod seruum suum optimum dimisisset: perrexit[6] vt eum reduceret. Et non inueniens eum, reuersus in domum suam, pondus auri pro redemptione suscepti non inuenit.—Transito autem mari, cum multis gentilibus, per viginti octo dies in desertis ambulauerunt: et cibus illis defecit. Et dixit ei quidam gentilis: 'Tu dicis quia deus tuus magnus est: quare ergo non rogas eum pro nobis? quia fame perimus.' Et ait Patricius: 'Conuertimini in toto corde vestro ad dominum meum, quia nihil impossibile est illi, vt mittat nobis cibum in viam nostram.' Et orauit pro eis Patricius: et ecce grex porcorum apparuit illis in via: et multos ex eis occiderunt; et mel siluestre inuenerunt. Qui[7] gratias deo agentes, dixerunt ei vt comederet cum eis: sed non comedit, quia illi immolauerunt cibos ydolis suis. Et mansit Patricius cum illis diebus triginta non manducans neque bibens; hilaris tamen perseuerabat. Et cum dormiret, fortiter a sathana temptatus est: et cecidit diabolus super eum tribus diebus et noctibus, et instar saxi

[1] Cf. Vinc. Bell. XX. 12. [2] Abr. from the Vita in MS. Cambr. Ff. 1. 27. 21 and Bodl. 285; which is the third life ascribed to Bemignus, in Colgan II. 22, from Cap. 12. [3] sc. Miluch, in the north of Ireland. [4] Vit. visitabat, dixitque. [5] Vit. petram. [6] E. perexit. [7] T. Quia.

ingentis grauiter oppressit eum, ita vt se mouere non posset. Tunc Patricius vocauit Heliam bina voce in adiutorium: venitque Helias et liberauit eum. Et ait ad eum diabolus: 'Ab hac die non habeo potestatem in te vsque ad diem mortis tue.' Et statim eiecit ab eo deus[1] omnem torporem et grauitatem, et vires ei restitute sunt. Quadam autem die[2] vidit in sompnis virum ad se venientem quasi de Hibernia insula cum epistolis multis; et dedit ei vnam ex illis: et legit. Erat autem principium epistole tale: 'Hec est vox Hiberniensium.' Et cum hoc principium legeret, audiuit simul in eodem momento vocem infantium ex vteris matrum diuersarum Hibernie regionum, et clamauerunt quasi vno ore: 'Rogamus te, sancte pater, vt venias et ambules inter nos.' Statimque Patricius audiens hoc, compunctus est corde, et non potuit vltra epistolam legere; et expergefactus, gratias egit deo, certissime sciens quod dominus vocasset eum ad saluandos illos qui ipsum inuocabant. Et cogitauit terram exire, vt scripturas disceret sanctas: et peruenit ad sanctum Germanum autisiodorensem episcopum, et mansit apud illum quadraginta[3] annis, legens, et implens, scripturas diuinas, et virgo corpore permansit et spiritu: et postea ad beatum Martinum veniens, quadraginta diebus[3] cum illo mansit. Inde vero Patricius Romam proficiscens, venit in itinere ad quendam heremitam in loco deserto habitantem, a quo baculum accepit qui in manu Ihesu Christi domini nostri erat, vt eius auxilio suffultus iter prosperum haberet. Vocatur autem 'baculus Ihesu,' et in ciuitate sancti Patricii vsque hodie manet. Et declinauit ad quendam sanctum episcopum nomine Amotum[4]: et gradum episcopalem ab illo suscepit. Cum ergo Romam ingressus esset, inuenit gloriam et honorem apud Celestinum, vrbis Rome episcopum. Qui misit eum ad conuertendam Hibernie insulam—nam antea Palladium miserat, sed habitatores non susceperunt eum neque doctrinam eius, sed reuersus in terram Britonum mortuus est. Cum autem Patricius venisset ad mare, inuenit leprosum super ripam, qui rogabat eos vt secum assumerent eum in naui; sed familia Patricii, scil. triginta quatuor viri de peregrinis, recusabant. Tunc sanctus Patricius altare suum lapideum proiecit in mare: in quo sedit leprosus, et quousque ad portum in finibus Lagenorum[5] peruenirent, lapis a naui non recessit. Et inuenientes piscatores cum retibus, donum de piscibus postularunt: et illi dare recusarunt. Quod cum sancto displiceret, fluuius ille pisces in vindictam huius sceleris non habebit in eternum. Tunc Patricius ascendens in terram que[6] Anathailtan[7] vocata fuit: sed plebs regionis illius congregata repulerunt eum. Ob hoc mare repleuit totam terram illam, et in eternum non habitatur. Exinde nauigauit ad aquilonarem partem, ad virum[8] cum quo in

[1] *al.* sol oriens. [2] Vit. adds: cum esset P. in domo parentum suorum. [3] so MS. Ff., *al.* Colg. [4] Colg: Amatorem. [5] E. Laginorum. [6] Vit. asc. in t. tenuit locum qui. [7] T. E. Anathailtā. [8] sc. Miluch.

seruitute fuerat: vbi vidit multitudinem gentium, aduentum eius expectantium. Nam per multa tempora magi et prophete aduentum Patricii predixerunt, dicentes: 'Aduenict homo cum suo ligno [1], cuius mensa erit in oriente domus sue, et populus eius retrorsum: et ex sua mensa cantabit [2], et familia respondebit ei amen. Hic cum aduenerit, deos nostros destruet, templa subuertet, reges sibi resistentes occidet; et doctrina eius regnabit in seculum seculi.' Precepit autem [3] rex illius prouincie, nomine Leogaire, populis suis, vt solicite aduentum eius expectantes, a finibus suis repellerent eum. Cum autem Patricius veniret ad terram, dimiserunt gentiles canem ferocissimum, vt illum deuoraret. Sed canis ille, velut lapis fixus stetit immobilis. Hoc autem videns quidam gigas nomine Dichu, surrexit cum gladio, vt sanctum interficeret: et ipse similiter aruit, et nec manum nec pedem mouere potuit. Patricius vero predicauit illi verbum dei, et ad fidem conuertit. Qui tradidit illi agrum in quo stabant, et rogauit ne longitudo ecclesie ab occidente in orientem verteretur, sed ab aquilone in meridiem. Et factum est ita. Alio die, cum Patricius missam celebraret, quidam magus effudit calicem suum: et statim terra, aperiens os suum, deuorauit eum. Videns autem Rus, frater Dichu, valde senex, quod frater suus Christo credidisset, pugnauit contra Patricium, et noluit credere. Cui sanctus ait: 'Quid tu pugnas pro hac vita, que tibi deficit [4]? Nam omnes sensus tui defecerunt: oculi non bene vident, aures non bene audiunt, dentium numerus imminutus [5] est; similiter et cetera membra. Si quis ergo renouauerit iterum iuuentutem tuam, numquid crederes illi?' Respondit Rus: 'Si hoc feceris, tibi credam.' Tunc, orante Patricio, renouatus est Rus in etatem pulcherrimi et fortissimi iuuenis: et statim credidit, et baptizatus est, cum tribus filiis [6] suis et ceteris multis. Dixit autem Patricius ad Rus: 'Datur tibi electio vtrum in hac vita presenti longo tempore iterum viuas, an nunc ad celum pergas.' Respondit Rus: 'Eligo vt modo ad vitam eternam exeam': et statim, accepto sacrificio, migrauit ad dominum. Tunc perrexit Patricius ad regem Miluch, cum quo in seruitute fuerat, vt eum ad fidem conuerteret. Quod ille audiens, congregauit omnem substantiam suam et succendit eam super se, illicque combustus est: magis mortem eligens quam vt seruo suo quasi subiectus permaneret. Patricius vero de monte propinquo hoc intuens, duabus horis suspirans et lachrimans ait: 'Hic rex quia seipsum igni tradidit ne deo eterno seruiret, nemo sedebit de filiis eius rex super sedem regni eius, sed semen eius seruiet in sempiternum.' Et postea factum est ita. Venit autem Patricius ad domum cuiusdam viri nobilis, et predicans ei Christum, baptizauit eum: et inuenit cum eo filium qui sibi placuit, et dedit ei nomen Benignum. Puer [autem] [7] ille suis manibus

[1] Vit. ligno curuicipite. [2] Vit. cant. nefas. [3] Vit. ergo. [4] *al.* defecit. [5] Ff., T. immutatus. [6] *al.* fratribus. [7] E. enim.

pedes Patricii ad suum pectus colligabat, et noluit dormire cum patre suo, sed flebat nisi cum Patricio dormiret. Cum autem mane Patricius currum ascenderet, et vno pede in currum eleuato, alterum tenuit puer strictis manibus, dicens: 'Dimitt[it]e[1] me apud Patricium patrem meum proprium.' Tunc dixit sanctus: 'Baptizate eum, et eleuate in currum: quoniam heres regni dei[2] est.' Post hec venit Patricius ad campum Breg, vt pascha celebraret: et ignem succendit. Erat autem magna solempnitas in loco illo, in qua mos erat vt nemo ignem succenderet in omni prouincia, donec prius in illo loco accensus esset. Cum autem rex Leogaire vidisset ignem, ait: 'Quis ausus est ignem accendere donec prius in domo mea accendatur?' Cui magus quidam ait: 'Nisi ignis iste extinguatur in hac nocte, ipse principatum in hac insula tenebit in eternum, et hii cum quibus erit doctrina eius.' Et perrexit rex cum suo exercitu, vt ignem extingueret. Et ait magus ad regem: 'Noli tu exire ad hominem illum, ne adores eum; sed ille vocetur ad te, et nemo assurgat in aduentu eius.' Sed vnus tamen ex illis, nomine Dego[3], surrexit: et benedixit illum Patricius, et vitam eternam promisit ei; et ille credidit deo. Erat autem quidam magus qui grauiter resistebat deo: cuius obstinatiam videns sanctus ait ad dominum: 'Domine qui omnia potes, hic impius blasphemat nomen tuum: eleua illum foras, et cito moriatur.' Hiis dictis, eleuatus est magus in aere, et iterum demissus de superis cum globo niuis, verso capite ad lapidem, comminutus et mortuus est. Tunc rex iratus surrexit cum suo exercitu, vt sanctum occideret. Et statim terremotus factus est magnus, et tonitrus[4] et ignis et ventus vehemens; et ceciderunt ex eis multi. Ceterisque huc illucque fugientibus, remansit rex cum quatuor viris, latens in quodam loco, cum magno timore. Venit autem regina ad Patricium, et dixit ei: 'Homo iuste et potens, ne perdas regem: veniet enim, et genua flectet, et adorabit dominum tuum.' Et venit rex timore tractus[5], et genua flexit coram sancto, et finxit se adorare; sed corde non credebat. Crastina autem die venit Patricius cum octo viris ad domum regis: et statim ante eum ianue aperte sunt, et cenantibus illis intrauit in domum conuiuii, et nemo surrexit ante eum. Tunc poeta regis surrexit ante eum et credidit deo. Et cum sedisset Patricius, dedit ei rex pateram suam, vt biberet. Tunc magus quidam immisit aliquid ex vase suo in pateram illam. Videns autem hoc Patricius, conuertit os patere ad palmam suam: et stetit liquor in patera, et sola gutta illa cecidit quam magus immisit: et potum bibit, et mirati sunt. Et post pusillum dixit magus: 'Faciamus signa.' Respondit Patricius: 'Qualia?' Et ait magus: 'Inducamus niuem super terram.' Patricius dixit: 'Nolo contra voluntatem dei facere.' Tunc magus per incantationes suas induxit niuem super totum campum. Vir dei ait: 'Depone

[1] T. Dimittite, E. Dimitte. [2] Vit. mei. [3] so Ff.; Colg.: Erc nomine filius Dego, qui nunc adoratur in civitate Slane. [4] so T., E. tonitruus. [5] Vit. coactus.

niuem et frigus ab hominibus.' Magus ait: 'Non possum deponere vsque cras in hac hora.' Patricius dixit: 'Potes malum facere, sed non bonum.' Et eleuata manu benedixit campum: et statim sine pluuia et vento euanuit nix. Et clamauerunt omnes et admirati sunt. Tunc induxit magus densissimas tenebras super terram: et cum non posset eas repellere, orante sancto Patricio expulsis tenebris sol super terram refulsit. Et clamauerunt omnes et gratias egerunt. Tunc inito consilio vt venirent simul magus et puer Patricii Benignus in vnam domum, et statuerunt vt domus illa accenderetur igne, et casula Patricii esset circa magum, et casula magi circa puerum Patricii. Et missis illis in ignem, rogus magum consumpsit et dimidiam[1] partem domus, et casulam Patricii ignis non tetigit; puerum vero eius cum [altera] dimidia parte domus flamma non combussit, casula tamen magi circa eum exusta est. Et iratus est rex pro morte magi sui, et sanctum occidere voluit: sed terra aperuit os suum et deuorauit magnam partem de populo; et pauci remanentes ad fidem conuersi sunt. Tunc rex timore perterritus promisit quod omnia que sibi Patricius diceret, impleret: sed tamen baptizari renuit. Cui sanctus ait: 'Ego relinquam te arbitrio tuo, quia[2] valde restitisti doctrine mee, et afflixisti[3] me. Nullus de semine tuo regnabit post te in eternum.' Regina vero credidit Christo et baptizata est. Cum autem venisset Patricius ad Conaldum[4] fratrem Leogaire, conuertit eum ad fidem, et domum eius. Et obtulit Patricio omnem domum suam et habitaculum, et dixit ei: 'Fac tibi ciuitatem de hoc habitaculo, et ego faciam mihi aliud habitaculum pre foribus ciuitatis tue.' Et factum est ita. Et ait Patricius: 'In hoc habitaculo [tuo] multi reges erunt, et in eo sanguis non effundetur; et tu eris benedictus, et solium tuum firmum in eternum; et semen fratrum tuorum semini tuo seruiet in eternum.' Post hec voluit Patricius ire ad regiones Connactie[5]: et reliquit in sua ciuitate altare suum lapideum, vt esset illic ad sanandos languores plebium. Et cum pergeret, ecce illud altare post se exiit in viam, nolens a suo domino separari. Videns autem Patricius altare, regressus est iterum. Ex illo autem die stabilis illic permanet lapis ille, ad profectum plebium, vsque in hodiernum diem. Cum autem videret Patricius ydolum regis Leogaire ex auro et argento constructum, orauit ad dominum: et statim comminutum est. Appropinquante Patricio ad regiones Connactie, audierunt famam aduentus eius duo magi, fratres dicti regis: et cogitauerunt impedire eum ne illuc intrare posset. et adduxerunt tenebras densissimas super totum campum tribus diebus et tribus noctibus. Sed orante Patricio et ieiunante, tenebre ille fugate sunt. Nutrierunt autem magi illi duas filias regis Leogaire: que mane exeuntes ad lauandum ad fontem, viderunt Patricium cum suis ambulantem; quibus et

[1] T.E. mediam. [2] Colg. sed quia, etc., nullus, etc. [3] E. aflixisti.
[4] *al.* Conallum. [5] E. conaccie.

dixerunt: 'Vnde estis vos?' Patricius respondit: 'Melius erit vobis deo nostro credere, quam de genere nostro interrogare.' Et ille: 'Quis est deus vester? et vbi est habitaculum eius, in celo an in terra an in mari? si habet filios et filias pulchriores hominibus mundi? si viuit semper deus vester? si habet aurum et argentum?' Respondit Patricius: 'Deus noster deus omnium hominum; deus celi et terre et maris, et omnium que in eis sunt; deus solis, lune et stellarum, deus super celos et in celo et sub celo: et habet filium consimilem sibi et coeternum. Volo ergo coniungere vos illi regi celesti, cum filie estis regis terreni.' Tunc predicante eis Patricio, crediderunt, et baptizate sunt: et postulauerunt videre faciem Christi. Et dixit eis Patricius: 'Nisi mortem gustaueritis, non potestis videre faciem Christi, et nisi sacrificium accipiatis.' Et responderunt: 'Da nobis sacrificium, vt videamus filium dei sponsum nostrum.' Tunc accipientes eucharistiam, mortue sunt. Et venerunt duo magi illi qui nutrierant eas, et sancto Patricio verba dura loquuti sunt: sed predicante eo baptizati sunt. Post hec intrauit Patricius ad magnum concilium[1] gentium illarum, vbi erant septem filii Amolgith cum suo exercitu. Et surrexit quidam magus, vt sanctum dei occideret: descenditque ignis de celo et illum magum coram omnibus consumpsit. Et in illa die septem illi cum duodecim milibus hominum credentes baptismum susceperunt. Alio quoque die venit quidam magus vt Patricium iugularet: et aperiens terra os suum, deuorauit illum. Quod videns frater illius venit vt occideret sanctum: et illum similiter terra deglutiuit vsque ad aures. Et exclamans ille promisit se crediturum: statimque sursum eleuatus est, et credens baptizatur. Cum autem sanctus Patricius videret quandam fossam terre rotundam, vbi quedam mulier sepulta erat, fusa ad deum prece suscitauit eam. Alia quoque die mulier quedam mortua, in vtero filium habens, adducta est ante eum: et resuscitata illa, baptizauit filium eius. In regionibus illis sunt flumina duo, sed vnus fluuius multitudinem habuit piscium, alter sine piscibus sterilis fuit. Cum autem piscatores pisces postulanti Patricio denegassent, ex illa die in eternum pisces recesserunt ab illo fluuio, et in fluuium qui pisces non habuit descenderunt. [2] Postquam autem multas Hibernie prouincias Patricius conuertisset, redierunt cum eo quatuordecim milia hominum vsque ad locum in quo habitauit Trian peregrinus episcopus de Romanis: qui vnam habens vaccam, occidit illam cum vitulo suo pro cena sancti Patricii et exercitus; veneruntque duo cerui de silua, et duo apri: et ipsis similiter occisis, saturauit Patricius quatuordecim milia hominum, fragmentis multis relictis. Crastina autem die vacca cum vitulo in agro sana reperta est. In illo enim loco suscitauit sanctus Patricius virum quendam nomine Fotā post decem annos sepulture sue, ceterosque decem et octo in eodem loco ex sepulchris suis re-

[1] E. consilium. [2] *See* note [5–5] p. 285.

suscitauit. Qui vsque ad mortem in habitu monachorum cum sancto episcopo Trian penitentiam agentes perseuerabant. Fuit autem rex quidam nomine Echu[1], habens filiam quam[2] viro dare voluit: Patricius vero illam sponso celesti copulare disponebat. Et ait pater puelle: 'Filiam meam dabo viro, o Patrici, nisi promiseris mihi pro ea regnum celeste, et non cogas me baptizari.' Et promisit ei hoc sanctus. Post multa autem tempora egrotauit rex, et cum[3] morti prope esset, dixit suis: 'Non sepeliatis me donec veniat ad me sanctus Patricius: quia ille promisit mihi vitam celestem.' Et mortuo rege, venit Patricius: et orauit ad dominum cum lachrimis, et suscitauit eum, et baptizauit; atque dixit: 'Narra nobis omnia que vidisti, siue de penis impiorum siue de beatitudine sanctorum: vt credant hii quibus predico, vera esse que dico.' Cumque omnia per ordinem[4] enarrasset, ait Patricius: 'Elige tibi vnum: vt in hac vita iterum viuas, aut nunc ad celum pergas.' Respondit rex: 'Si mihi totius orbis regnum daretur, pro nihilo ducens velut inanem fumum contempnerem in comparatione eternorum gaudiorum que vidi: sed rogo vt ad illam leticiam quam vidi quantocius reuertar.' Eadem hora, accepto corpore Christi, migrauit ad dominum. [5]Venit Patricius in campum Connactie et inuenit ibi signaculum crucis Christi et duo sepulchra noua, et ait: 'Quis est hic sepultus?' Et vox de sepulchro respondit: 'Ego sum homo gentilis.' Cui sanctus: 'Cur iuxta te crux sancta infixa est?' Et ille: 'Qui sepultus est iuxta latus meum, credidit deo celi: et venit vir fatuus et posuit crucem iuxta me.' Tunc Patricius super sepulchrum baptizati crucem poni iussit. Cum quidam pessimus nomine Foilgus aurigam Patricii iugulasset coram eo, et eodem mense mortuus fuisset, anima eius a malignis spiritibus ad infernum deportatur: et intrauit diabolus in corpus eius, et habitauit in illo, quasi homo viuens inter homines. Post multum tempus venit Patricius ad domum Foilgi, et cum esset ante ianuam, [6]interrogauit vnum de seruis eius dicens: 'Vbi est Foilgus?' Et ille: 'Nunc reliqui eum in domo sua.' Patricius ait: 'Ex eo tempore quo iugulauit aurigam meum coram me, ille in inferno positus est; sed venit diabolus vt ludificaret in corpore eius, vt non tantum anima eius in inferno cruciaretur, sed etiam corpus eius inter homines demone repleretur.' Occurrit rex quidam Patricio nomine Oengus[7], et credens baptizatus est. Cumque Patricius caput regis benedixisset, cuspis baculi eius infixa[8] est in pede regis: sed rex benedictionem valde desiderans, dolorem pedis pro nihilo reputauit. Quo viso, sanctus Patricius pedem benedixit: et statim sanitatem recepit[5]. Inuenit sanctus Patricius in via quadam sepulchrum

[1] E. echeu; T. echu. [2] T. qua. [3] om. in T. [4] E. per ordinem omnia; T. omnia per ordinem. [5–5] This passage, in the Vita, precedes Postquam, etc. p. 284, l. 35. [6] E. et i. [7] T. Oengus, E. dengus; Vit. O. filius Natfraich, rex Mumunensium. [8] T. fixa.

magnum centum viginti pedum. Et videntes hoc fratres cum magno stupore dicebant: 'Non credimus quod esset homo huius longitudinis.' Et ait Patricius: 'Si volueritis, videbitis eum.' At illi rogabant vt viderent eum. Tunc signauit Patricius baculo sepulchrum: et ecce vir mire magnitudinis surrexit, dicens: 'Bene sit tibi, vir dei, quia per vnam horam a penis liberasti me,' et fleuit amarissime; et dixit: 'Si licet, ambulo vobiscum.' Et ait Patricius: 'Ambulare nobiscum non potes, nec expedit, quia non possunt homines faciem tuam videre pre timore; sed crede deo celi, et baptismum accipe, et non reuerteris ad loca penarum vbi fuisti; et indica nobis quis es.' Et ille: 'Ego sum Glass, qui fui porcarius Logir regis, et iugulauit me Fian Maicon [ante][1] annos centum.' Et baptizauit eum Patricius et sepulchro suo restituit. Quidam cuneus laicorum dixerunt ad mulierem quandam linum lauantem: 'Cum iste Patricius ad te venerit, exalta vocem tuam et dic quod partem lini tui [sui][2] furati sunt, et illico superuenientes occidemus eos.' Quod cum mulier fecisset, et latrones de siluis prorumpentes illos dignos morte iudicassent, sanctus Patricius quendam in eodem loco sepultum suscitauit, cui et dixit: 'Da testimonium veritatis de [hac][3] questione qua populus meus blasphematur.' Respondit: 'O sancte Patrici, populus tuus innocens est, sed mulier illa ex consilio laicorum linum suum abscondit in ligno propinquo.' Et ita inuentum est. Sicque Patricius cum populo suo liberatus est. Mos erat sancto Patricio quod vbicunque videret in via signum sancte crucis, declinauit ad illud, de curru suo descendens, vt manu crucem tangeret. Quadam autem die vnam crucem, que erat iuxta viam sita, non vidit, sed pretergressus est eam. Auriga autem vidit eam: et cum indicasset Patricio, vidit sepulchrum iuxta crucem: et interrogauit quis esset in eo. Et respondit: 'Ego gentilis sum, sed christianus sepultus est iuxta me, cuius mater non erat in prouincia quando mortuus et sepultus est filius eius.' Patricius autem dicebat quod ideo crucem illam non vidit quia iuxta gentilem posita erat. Hircum, qui sancto Patricio aquam suis[4] humeris vehebat, furatus est vir quidam, et manducauit, et postea negauit quod illum comedisset. Cumque vehementissime affirmaret quod manum suam in hircum non misisset, hircus proditor fur ex eius ventre balatum dedit. Cum in vno loco sedissent Patricius et quidam vir sanctus nomine Winnocus, et mutuis verbis de deo loquerentur, missum est inter eos pallium de celo. Tunc dixit[5] Patricius: 'O Winnoce, tuum pallium accipe, qui pro deo omnia mundi reliquisti.' Cui ille: 'O Patrici, tibi a deo hoc pallium missum est, qui, cum multa habeas, pauper tamen es; et cum multos vestias, nudum teipsum relinquis.' Cumque inter eos pia esset contentio, eleuatum est ab eis pallium in celum, et duo

[1] T. E post [2] om [3] so T.; om. in E. [4] T. suis; E. suam. [5] E. dixit enim.

pallia demissa sunt eis. Nunciata sunt sancto Patricio mala opera cuiusdam regis Britonum nomine Ceritici[1], crudelis tiranni, persequutoris et interfectoris christianorum. Et cogitabat Patricius vt conuerteret illum: misitque ad eum epistolam; quam ille deridebat, vna cum doctrina eius. Et orauit Patricius ad dominum et dixit: 'Domine, si fieri potest, expelle hunc pessimum de presenti seculo et de futuro.' Et ecce, cum rex constitutus esset in medio foro, illico mutatus est in formam vulpeculi coram omnibus, et ab illa hora in terris nusquam comparuit. Erat quidam in regione Vltonie nomine Maguil, gentilis, malignus valde et tirannus. Hic cum vidisset Patricium, dixit sociis suis: 'Ecce seductor ille: eamus et temptemus eum, vt videamus potentiam illius.' Tunc posuerunt vnum sanum sub sago, infirmitatem mortis simulantem, et dixerunt sancto: 'Accede et canta super eum aliquas incantationes tuas, vt sanus sit.' Qui sciens fallatias eorum, dixit: 'Nec mirum si infirmus est.' Tunc socii eius illum mortuum inuenerunt: et obstupescentes inter se dixerunt: 'Vere hic homo dei est.' Hoc videns Maguil credidit deo, et baptizatus est. Et dixit Patricio: 'Penitet me quia temptaui te: ecce nunc omnia quecunque dixeris mihi faciam.' Patricius dixit: 'Non possum iudicare te, sed deus iudicabit. Attamen nunc vade ad mare, nihil tollens tecum de tua substantia preter vile vestimentum: ascende in nauem vnius pellis, sine gubernaculo et remo, et colliga pedes tuos compede ferreo et proiice clauem eius in mare: et ad quamcunque terram ventus te portauerit, esto ibi seruiens deo.' Et ille: 'Sic faciam sicut dixisti.' Tunc suscitauit Patricius virum qui mortuus iacebat. Et in illa die migrauit Maguil ad mare, et ascendit in nauem: et ventus portauit eum ad insulam Mannan. Inuenit autem ibi duos sanctos episcopos: qui videntes eum, mirati sunt et miserti sunt illius. Eleuaueruntque eum de mari cum gaudio: et mansit ibi cum illis, et postea gradum episcopalem accepit; et in illis regionibus habetur magna ciuitas Maguil episcopi vsque hodie. Sedit quadam die Patricius in agro[2] plebei cuiusdam: qui videns equos Patricii in agro suo, minauit eos aspere de agro. Quod cum Patricio displicuisset, repleuit copiosa arena agrum illum, et factus est sicut maris littus, sine fructu in eternum. Venit magus quidam ad altercandum contra Patricium et ait: 'Fac nobis aliqua signa, vt videamus virtutem dei tui.' Tunc sanctus Patricius de vno lapide fecit massam mollissimam, quasi illud cum quo lac copulari solet. De duabusque massis lactis fecit duos lapides: et in natura lapidum permanent in eternum. Hoc autem videns magus credidit, et baptizatus est. Erat quidam rex gentilis Britonum, habens filiam Munessan nomine, quam viro dare voluit: sed illa consentire nolebat. Licet enim gentilis erat, per legem tamen nature cognouit deum et

[1] T. Ceritici; E. Ceretici. [2] in agro om. in T.

dilexit illum: aspiciebat enim solem, lunam, et celum, et per illas creaturas agnouit creatorem earum. Tunc parentes eius audientes famam Patricii, venerunt ad eum cum filia sua, et dixerunt ei: 'Nos coacti sumus venire ad te causa filie nostre, que nimio desiderio cupit videre te[1].' Tunc sanctus Patricius dixit ad eam: 'Credis in deum?' Que ait: 'Credo.' Et statim baptizata, tradidit animam suam in manus angelorum, et ibi mortua est atque sepulta. Post hec prospero itinere perrexit Patricius Romam: et detulit inde reliquias apostolorum Petri et Pauli, et Stephani martiris, et linthea-men super quod fuit sanguis domini nostri Ihesu Christi; et reliquie iste retro altare Patricii reseruantur. Deinde Patricius exiens in desertum in quadragesima, erat ibi super lapidem sedens, et quatuor lapides circa ipsum a quatuor partibus. Tunc magna multitudo de auibus nigris, i. demonibus, volabant circa eum, et grauiter orationem eius impediebant. Patricius vero percussit cimbalum super eos, et fugauit eos trans mare: et statim repleuit totum montem multitudo angelorum in formis candidissimarum auium, et suauia carmina cantabant ei. Quotidiana vero eius vita talis erat: Omni namque die psalterium cum canticis et hymnis et ducentis orationibus cantauit, et offerebat corpus Christi, docebat discipulos, turbis predicabat, et in omni hora signo crucis Christi centies signabat se. In prima vero noctis parte centum psalmos canebat, et ducentis vicibus genua curuabat[2]; et a pullorum cantu in aquis stabat donec adimpleret orationes suas. Post hec dormiebat super lapidem nudum, alterumque sub capite eius posuit, et tunicam pelliceam habebat circa lumbos suos, in aqua tinctam. Completis autem a natiuitate sua annis centum triginta, migrauit ad dominum. Cum autem appropinquaret dies exitus eius a corpore, ad ciuitatem Ardmach[3] pergere cepit. Et occurrit in via ei Victor angelus, dicens: 'Ecce appropinquat dies exitus tui: noli ire ad ciuitatem Ardmach[3], quia illic non morieris.' Et ille: 'Captiuitas est vsque in finem, dum nec possum locum eligere sepulture mee.' Dum autem adhuc viueret, sanctus Patricius crebra angelorum visitatione consolatus est, et angelus eius proprius, Victor nomine, in omni septima die hebdomade veniebat, et sicut homo cum homine loquitur, sic se inuicem salutabant. Sepe celos apertos vidit, et Ihesum Christum cum angelis suis in celo: ideo cor eius incomparabili igne dilectionis dei flagrabat[4]. Obiit autem sextodecimo kal. aprilis, et floruit circa annum domini quadringentesimum tricesimum quartum. In prima autem nocte venerunt angeli, vt custodirent corpus eius: et clerici vndique confluentes, dormierunt, audientes vocem angelorum, circa corpus. Mane autem recedentes angeli dimiserunt in loco suauissimum odorem quasi mellis. Sepultus est autem in ciuitate dunensi[5].

[1] Vit. deum. [2] T. curuauit. [3] E. Ardemach. [4] T. fragrabat.
[5] E. dunensi; T. Ardmachana; cf. Colgan, p. 258.

cum magno honore et gloria.——Que autem inferius digesta[1] sunt, apud Glastoniam ex libris monasterii illius excerpsi; que si veritatem sapiant, lectoris arbitrio relinquo. [2]Ex quo enim apostoli in regiones diuersas erant diuisi ad predicandum verbum vite, sanctus Philippus apostolus regionem Francie cum suis discipulis sortitus est: de quibus misit in Britanniam duodecim, quorum primus erat Ioseph ab Arimathia qui et dominum sepeliuit, anno ab incarnatione domini sexagesimo tertio. et ab assumptione sancte Marie quintodecimo: quibus duodecim hide ab Aruirago, paganicis erroribus decepto, concesse erant. Qui ibidem deo seruientes, per Gabrielis archangeli admonitionem ecclesiam in honore sancte dei genitricis Marie construxerunt. Cumque fidem Christi constanter predicarent, rex barbarus cum gente sua, tam noua audiens et inconsueta, omnino predicationi eorum consentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat; quia tamen de longe venerant, ad petitionem eorum quandam insulam siluis paludibusque circumdatam ad inhabitandum concessit. Erat enim portio illa duodecim hidarum: et quandam capellam, vt premittitur, ex virgis torquatis construxerunt, anno post passionem domini tricesimoprimo. Vigiliis ergo, ieiuniis et orationibus vacantes, in eadem heremo post multorum annorum curricula a carnis ergastulo educti sunt: et cepit locus esse ferarum latibulum, qui prius fuerat habitatio sanctorum. Missi sunt tandem ab Eleutherio papa ad instantiam Lucii regis Britonum sanctus Phaganus et Deruuianus: qui regem cum suo populo ad fidem conuerterunt anno domini centesimo lxvi°. Peragrantes autem Britanniam, ad insulam Auallonie predictam peruenerunt: et antiquam ecclesiam manibus discipulorum Christi constructam inuenerunt. Fluxerunt autem anni ab aduentu discipulorum Christi et sancti Philippi in Britanniam vsque ad tempus sancti Phagani et college sui centum et tres anni. Habitantes autem ibi in dei seruitio, ex suis sociis duodecim elegerunt et in insula illa, rege Lucio fauente, edificia construere, et vsque ad finem vite perseuerare fecerunt. Dictus est locus ille postea a quodam eius inhabitatore Glasteing; postea insula Aualonie, i. insula pomorum, vocabatur—aualla Britannice, poma latine. Tandem sanctus Germanus autisiodorensis sanctum Patricium ad familiare contubernium asciuit, eundemque post aliquot annos Hiberniensibus, iubente Celestino papa, predicatorem misit. Qui Glastoniam veniens duodecim fratres anachoritice viuentes reperiens, congregauit, et abbas eorum effectus, vitam cenobialem eos agere docuit, sicut scriptum quod ipse suo tempore conscripsit, manifestius declarat, in quo inter cetera sic habetur: [2]'In nomine domini nostri Iesu Christi ego Patricius,

[1] T. E. degesta. [2] Ex Will. Malm. De Antiq Glast. eccl. ed. Gale, III. p. 292, and Ioh. Glaston. Chronica, ed. Hearne, p. 1. [2] The whole of this Carta S. Patricii is in Will. Malm. and Ioh. Gl. p. 63.

humilis seruunculus dei, anno incarnationis eiusdem quadringentesimo tricesimo in Hiberniam a sanctissimo papa Celestino legatus, dei gratia Hibernicos ad fidem veritatis conuerti. Et cum eos in fide catholica solidassem, tandem in Britanniam sum reuersus, ad insulam Aualonie: et ibi duodecim fratres inueni heremiticam vitam ducentes. Et quoniam inueni eos humiles ac quietos, elegi potius cum illis abiectus esse, quam in regalibus curiis habitare. Sicque, licet inuitum, in pastorem me sibi pretulerunt. Vbi in scriptis recentioribus inueni quod sanctus Phaganus et Deruuianus ab Eleutherio papa, qui eos miserat, decem annos indulgentie impetrarunt. Et ego, frater Patricius, a pie memorie Celestino papa duodecim annos acquisiui. Post hec in cacumine montis antiquum inuenimus oratorium, et fere dirutum: vbi ego et frater quidam tribus mensibus ieiunauimus, orationibus et vigiliis vacantes. Quadam autem nocte, cum sopori membra mea dedissem, apparuit mihi dominus Iesus in visu, dicens: "Patrici serue meus, scias me elegisse locum istum ad honorem nominis mei et Michaelis archangeli mei. Et hoc tibi signum: Brachium tuum sinistrum arescet, donec que vidisti annunciaueris fratribus tuis, et denuo huc redieris." Et factum est ita.' Elapsis post hec aliquot annis nature cessit, et sepulturam, angelo monstrante, flammaque ingente de eodem loco cunctis videntibus erumpente, in vetusta ecclesia in dextra[1] parte altaris promeruit. Obiit autem (beatus)[2] Patricius anno etatis sue centesimo vndecimo, incarnationis vero dominice quadringentesimo septuagesimo secundo, qui fuit annus ex quo in Hiberniam missus est quadragesimus septimus. Siquidem anno dominice incarnationis trecentesimo sexagesimo primo Patricius in lucem venit, et anno domini quadringentesimo vicesimo quinto a Celestino papa in Hiberniam missus fuit. Hic enim erat annus etatis sue sexagesimus quartus: et ann[o] domini quadringentesim[o] tricesim[o] terti[o][3] Hiberniam ad fidem Christi conuertit, et postea in Britanniam reuersus, triginta nouem annos in insula Aualonie durauit et, vt premittitur, anno domini quadringentesimo septuagesimo secundo ad dominum migrauit. Requieuit autem in vetusta, vbi sepultus fuit, ecclesia septingentis decem annis [4](et secundum opinionem modernorum sanctus Patricius et sanctus Benignus, discipulus suus, iacent in vno scrinio ex australi parte summi altaris in Glastonia[5]). [6]Danis enim Northumbriam[7] igne et ferro vastantibus, Ticca, illarum partium abbas, Glastoniam venit et illam ecclesiam anno domini septingentesimo quinquagesimo quarto abbatis iure rexit: et secum attulit reliquias sancti Aidani[8] episcopi, corpora sanctorum Colfridi, Benedicti Biscob, Esterwini,

[1] T. dextera. [2] om. in T. [3] T. E. annus . . quadringentesimus tricesimus tertius. [4] WM. adds: usque ad combustionem eiusdem ecclesie. [5]–[5] added in E.; om. in T. [6] All the following is impertinent. [7] T. northimbriam. [8]–[8] Ioh. Gl., p. 106, gives other relics.

Sigfridi—Wermuth et Iarwe abbatum, Bede presbiteri, Ebbe, Bege, Boisili, et Hilde abbatisse[8]. Sanctus quoque [Dauid][1] meneuensis episcopus cum septem episcopis, loci sanctitate inuitatus, ad dedicandam in honore beate Marie illam vetustam ecclesiam Glastoniam venit. Et ecce nocte dedicationem precedente apparuit dominus sancto episcopo Dauid, et quasi nescius causam aduentus eius querit. Qua seriatim exposita, dominus apprehensa manu eius dextera[2] ait: 'Non fiat hoc, inquit, presul alme, hanc ego sacraui; hec virginis alme domus est, hanc ei propriam dedicaui. Et ne deinceps quisquam iterare audeat sacramentum, sit hoc tibi signum', et volam dextre manus eius digito perforauit; et rigentis atque trementis sacerdotis caput demulcens, ne pertimescat hortatur, placido vultu dicens: 'Crastina die pontificalibus indutus cum "per ipsum et cum ipso et in ipso" in missa pronuncias, ipso qui tecum loquitur operante, per ipsum quem sacro conficies ore, vulnus quod nunc exhorres[3] nusquam esse videbis.' Dixit, et in sermone recessit. Et cum sanctus iussa complesset, (sicut predixit dominus) efficitur sanus. Et edificata non procul altera ecclesia, que 'Sancta Maria parua' dicitur[4], dedicauit illam. Obiit autem sanctus Dauid anno domini quingentesimo quadragesimo sexto, et in Rosina Valle sepelitur; et lapidem quem a patriarcha hierosolimitano in sua consecratione acceperat, adhuc viuens ecclesie glastoniensi delegauit. Quedam autem matrona nomine Elswida tempore Edgari regis per quendam cognatum suum episcopum meneuensem reliquias sancti Dauid acquisiuit, quando tota terra illa ita vastata erat vt vix aliquis illius loci inhabitator inuentus esset; hec autem translatio corporis sancti Dauid per matronam prefatam facta est vsque ad Glastoniam anno post mortem eius quadringentesimo vicesimo primo[5]. [6]Inueni etiam ibi[7] scriptis exaratum quod tempore Thurstini abbatis, anno quintodecimo aduentus Normannorum, cum monachos cogeret pretermisso gregoriano officio cuiusdam Willelmi fiscanensis monachi cantum di[s]cere[8], et illi non acquiescerent, post verba ventum est ad verbera. Vnde monachi ad ecclesiam fugientes, profusis lachrimis pacem postularunt, sed tandem, compulsi, cum scannis et candelabris persecutoribus restiterunt. Vnus autem ex familia abbatis, videns monachum crucem argento coopertam manibus tenere, sagittam in illum dirigens, imaginem saluatoris nostri subtus genu vulnerauit: et continuo sanguis emanare cepit, vsque ad terram descendens. Quo viso sceleratus ille sui confusionem non sustinens, sensum corporis amisit, et extra ecclesiam corruens, fracta ceruice[9] expirauit. [10]Est etiam ibi crux, que olim in refectorio stare consueuit, de qua legitur quod cum rex Edgarus cum sancto Dunstano ad mensam in refectorio sederet, et cogitationes contra voluntatem dei in cor eius

[1] om. in E. [2] T. dextra. [3] E. abhorres. [4] que—dic. al. om. [5] primo al. om. [6] Cf. Will. Malm. p. 331, Ioh. Gl. p. 158. [7] E. vbi. [8] E. dicere, T. discere. [9] E. seruice. [10] Will. Malm. p 304, Ioh. Gl. p. 131.

ascenderent, imago domini in predicta cruce se excussit toto corpore, adeo vt diadema eius inter regem et episcopum cunctis admirantibus cecidisse visum est. Inquisito autem a sancto Dunstano rege quid cogitaret vel quid agere vellet, confessus fuit quod in eadem hora cogitauit vt monachos de eodem monasterio ad alium locum transferret et sanctimoniales ibidem congregaret. Quo a beato Dunstano benigne increpato, et hoc deo nequaquam placere asserente, tale rex propositum cum omni humilitate reuocauit. [1]Cum enim abbas Ailwardus[2], elapsis post obitum Edgari regis annis multis[3], eius tumulum effodisset, inuenit corpus regis nullius labis conscium, sed illibatum et integrum. Quod, cum eum ad reuerentiam flectere debuisset, ad audatiam erexit. Nam quia locellus, quem preparauerat, difficilem pre magnitudine corporis minabatur ingressum, regales exuuias ferro temerauit. Vnde continuo sanguis vndatim exiens, astantium corda pauore concussit. Postea vero regium corpus iuxta altare honorifice collocatum est in scrinio eidem ecclesie ab ipso collato. Temeratorem vero sacri corporis mox animus reliquit, et fracta ceruice[4] corruens expirauit. Ad huius [enim][5] regis tumulum furiosus et cecus recepta sanitate gratias leti agentes deo ad sua redibant. Hec enim superius inserta de libris prefati monasterii excerpsi.——Scribit enim Beda venerabilis de gestis Anglorum libro tertio capitulo vicesimosexto, quod Colmanus lindisfarnensis episcopus, genere Scotus, Finani successor, et ab Aidano tertius, anno episcopatus sui tertio partem ossium Aidani secum assumpsit in Scotiam regressus, partem vero in ecclesia lindisfarnensi in sacrario condi precepit. Inferius autem in vita sancti Cuthberti habetur quod circa annum domini nongentesimum tricesimum sacerdos quidam nomine Elfredus, bone actionis vir, diuino admonitus oraculo, elapsis post cladem et Danorum vastationem prefatam multis annorum curriculis, ossa sanctorum Acce[6] episcopi, Ebbe abbatisse, Boisili, Bede presbiteri, de locis suis et sepulchris secum assumens, ad ecclesiam dunelmensem nouiter institutam transtulit. Ego vero in prescriptis et dubiis, et in sequentibus nonnullis, auctoritatem discutiendi[7] et diffiniendi mihi non presumo, sed tanquam relator simplex, que in diuersis libris et locis cum laboribus et difficultate sedulus indagator reperire potui, ardua peritis ventilanda relinquens sine inuidia, communico[8].

[1] Will. Malm. 324, Ioh. Gl. p. 153. [2] IG. Egelwardus. [3] sc. a. 1052.
[4] E. seruice. [5] E. sancti; T. enim. [6] E. acte. [7] T. discudiendi.
[8] Collect in T.:

Deus qui sanctam nobis huius diei solempnitatem in honore sancti Patricii confessoris tui atque pontificis consecrasti, adesto familie tue precibus et (fac) ut cuius festa celebramus, eius merito et . . . . . o subleuemur, per.

Benedictus sit dominus uniuersorum, qui suam uisitauit plebem per beatum Patricium: cuius prece absoluamur a uinculis criminum, et requie perfruamur cum illo beatorum. V. Ora pro nobis.

Omnipotens sempiterne deus ? ? (rest unreadable).

[MS. Tib. adds:

1. De Purgatorio sancti Patricii[1].

CUm autem beatus Patricius per Hiberniam predicaret et fructum ibi permodicum faceret, terroreque infernalium tormentorum et amore gaudiorum paradisi eos ad fidem conuertere uellet: dicebant, ad Christum se nunquam conuersuros, nec pro miraculis ab eo factis, nisi tormenta malorum et gaudia bonorum intueri possent, quatinus rebus uisis cerciores fierent quam promissis et predicatis. Rogauit ergo sanctus Patricius dominum ut aliquod signum ostenderet per quod uel territi peniterent. Tunc dominus uisibiliter ei apparens, textum euangeliorum et baculum unum dedit ei. Qui iussu domini in quodam loco circulum magnum cum baculo designauit: et terra circa[2] circulum se aperuit, et puteus magnus et profundus ibidem apparuit. Reuelatum est autem ei a domino quod ibi quidam purgatorii locus esset; in quem quicunque descendere uellet, alia sibi penitencia non restaret nec alium pro peccatis purgatorium sentiret. Multi autem ingrediebantur qui non reuertebantur; et qui redierunt, eos a mane usque in sequens mane ibidem moram facere oporteret[3]. Contigit enim tempore regis Anglie Stephani, circa annum domini millesimum centesimum sexagesimum, militem quendam Owinum nomine ad episcopum illius loci confessionis gracia uenire. Quem cum pro peccatis increparet et illum deum grauiter offendisse diceret, ait: 'Dum, ut asseris, factorem meum in tantum habeam offensum, penitenciam omnibus penitenciis grauiorem assumam: purgatorium sancti Patricii intrare uolo, ut remissionem merear accipere peccatorum.' Episcopus autem hoc dissuasit, dicens quod multi in eo perierunt qui illud purgatorium intrauerunt. Et cum militis animum flectere non posset, per ipsum mittens epistolam mandauit ecclesie illius priori quatinus erga illum ageret sicut erga hominem qui purgatorium intraret agi debuisset. Prior enim, proponens ei aliorum in eo perdicionem et periculum, uoluit a proposito militis animum flectere: set, quia ex corde penituit se deum offendisse, flecti a proposito nulla admonicione potuit. Prior igitur eum in ecclesiam duxit; in qua quindecim secundum morem diebus oracionibus uacauit. Sicque a fratribus et clero uicino, ad hoc conuocato, missa mane celebratur; ad quam miles communicatus, ad fosse introitum aqua benedicta aspersus cum processione et letania deducitur. Prior autem aperto hostio sic coram omnibus eidem militi dixit: 'Ecce, frater, hic est locus ille quem cupis introire; si nostris adquiescis consiliis, ab hoc proposito omnino reuerteris et uitam tuam in hoc seculo alio modo corrigere et emendare curabis. Hic enim multi introierunt qui nunquam redierunt, quia per fidei inconstanciam et tormentorum intolleranciam et corpore et anima omnino perierunt. Quodsi intrare uolueris, ecce in nomine domini intrabis: et per concauitatem terre tamdiu ambulabis, donec in campum unum exibis, in quo inuenies aulam unam artificiosissime fabricatam. Quam cum intraueris, ex parte dei statim nuncios habebis qui tibi quid facies pie indicabunt, et te solum relinquentes, de aula exibunt. Sic enim scriptum habetur euenisse eis qui introierunt ante te.' Vir autem uirilem gerens in pectore animum, quod eciam alios absorbuerat non formidat periculum. Vis enim doloris pro peccatis contempnit uniuersa que ei uerbis ullo modo ostendi possunt; culpe que ab eo senciuntur intrinsecus, tormenta exterius audita contempnunt. Prius namque se omnium oracioni commendans, dextera eleuata fronti sue signum sancte crucis

[1] Abr. from Henricus de Salteria (Saltrey in Huntingdonshire), de Purgatorio S. P., ed. Messingham Floril. p. 91, Colgan II. 274 (for MSS. see Hardy I. 72 ff.); besides, Legenda aur. has been used. [2] T. circa circa. [3] Cf. L. A.

impressit et confidenter atque hilariter per portam intrauit; et prior fores statim obserrans, cum processione in ecclesiam rediit. Pergit miles audacter, licet solus, et ingrauescentibus tenebris lumen amisit tocius claritatis. Paruula tandem luce per foueam apparente, ad campum predictum et aulam peruenit. Lux ibi non erat nisi qualis hic uespertinis horis in hieme habetur. Aula uero parietem non habebat integrum, quoniam columpnis et archiolis undique erat constructa, quasi monachorum claustrum. Cumque circa aulam diucius ambulasset mirando eius structuram mirabilem, ingreditur, et sedens in angulo oculos curiose huc illucque iactauit admirans pulcritudinem et apparatum quem in ea uidit. Talis namque in mundo nunquam uisa fuit. Cum itaque aliquamdiu solus sedisset, ecce quindecim uiri quasi religiosi, et nuper rasi atque albis uestibus amicti, domum illam intrauerunt, et salutantes eum in nomine domini, consederunt. Et tacentibus aliis, unus cum eo sic loquebatur: 'Benedictus sit deus omnipotens, qui in corde tuo bonum propositum misit: et ipse in te perficiat bonum quod incepit. Et quoniam ad hoc purgatorium pro peccatis tuis uenisti, ut ab ipsis purgeris, aut uiriliter agere ex necessitate compelleris, aut per inerciam et anima et corpore pariter peribis. Mox enim ut egressi fuerimus domum, replebitur immundorum multitudine demonum, qui grauia tibi inferent tormenta, et minabuntur inferre grauiora. Ad portam quam intrasti illesum te ducturos, ut te decipere possint, promittent: et si (quolibet modo) eis assenseris, et corpore et anima pariter peribis. Si autem spem in domino posueris, et tormenta, minas, ac promissa quasi nichilum contempseris, a peccatis tuis non tantum purgaberis, set etiam tormenta peccatoribus parata, et requiem in qua iusti letantur, uidebis. Semper igitur in memoria habeas deum, et cum cruciauerint te, inuoca dominum Ihesum Christum: per inuocacionem enim huius nominis statim liberaberis a tormento in quo fu(isti. Longius hic) esse non possumus, (set deo omnipotenti te commendamus).' Sicque data benedictione, (recesserunt ab eo). Cum itaque solus sederet (miles, subito circa domum cepit audire tumultus, (ac si totus commoueretur mundus. Vnde nisi uirtute diuina (prote)geretur et perfeccius instrueretur, (ipso tumultu) amentaretur. Et ecce uisibiliter undi(que cepit) multitudo innumera demonum formarum deformium in domum illam irruere, cachinnando et deridendo illum salutare, ac dicere: 'Alii homines qui nobis seruiunt, non nisi post mortem ad nos ueniunt: unde eo magis debemus tibi grates reddere et maiorem me(rcedem) tibi dare, quo nostram societatem in tantum honorare uoluisti ut uiuendo corpus tuum et animam tuam nobis tradere curasti. Huc uenisti ut pro peccatis tuis tormenta sustineres: habebis nobiscum pressuras et dolores. Verumptamen pro eo quod nobis in mundo seruieris, si nostris adquiescendo consiliis reuerti uolueris, hoc tibi pro munere faciemus quod ad portam qua intrasti illesum te ducemus, quatinus uiuas et adhuc in mundo gaudeas; ne totum quod suaue est corpori tuo funditus amittas.' Miles autem omnino tacuit, nec uel unum eis uerbum respondit. Contempni se uidentes demones, fremebant in eum, struxeruntque in domo maximi incendii rogum; post hec manus ac pedes militis ligauerunt, (et) eum in ignem prohicientes, uncis ferreis huc illucque per incendium clamantes traxerunt. Et cum, 'Ihesu Christe fili dei uiui, miserere michi peccatori' exclamasset, tocius incendii extinctus est rogus, ita ut sintilla tocius non inueniretur ignis. Egredientes uero demones traxerunt militem per uastam regionem nigram et tenebrosam, in qua erat uentus qui nec audiri posset, set sui rigiditate corpus suum uidebatur perforare. Traxerunt eum tandem ad campum cuius finem uidere non poterat, utriusque sexus diuerse etatis hominibus nudis

et in terra iacentibus plenum, quorum corpora et corporum membra super terram extentebantur, et uentre ad terram (uerso, clauis ferreis candentibus) per manus (et pedes defixis in terra) miserabiliter tenebantur. Ali(quando) pre doloris angustia terram comedebant, aliquando cum fletu et eiulatu 'parce, parce' clamabant. Demones autem inter et super eos cur(rebant et flagris g(raui)bus eos cedebant. Et cum persuasu demonum reuerti nollet, eum in terram prostrauerunt et clauis figere conan(tur: set) inuocato Ihesu nomine amplius facere nequiuerunt. Ad campum alium eum trahunt, utriusque sexus hominibus repletum. Inter istos et alios ista erat diuersitas quod illorum uentres, istorum terre herebant dorsa. Dracones igniti super eos sedebant et quasi comedentes dentibus igne(is lacera)bant. Aliorum colla, uel brachia, uel (totum corpus serpentes igniti circumdabant et) capita sua pectoribus hominum apponentes, ignitum aculeum oris sui in cordibus fixerunt. Bufones eciam mire magnitudinis et quasi igniti uisi sunt super quorundam pectora insistere, et rostra sua deformia infigentes, quasi eorum corda conati sunt extrahere. Cumque eis non adquiesceret miles ut rediret, conati sunt sicut et ceteros eum figere: set non potuerunt, inuocato Ihesu Christi nomine. Traxerunt eum in tercium campum, ubi utriusque sexus homines clauis ferreis candentibus fixi iacebant, ut pre multitudine clauorum ignitorum a capitis summitate usque ad digitos pedum locus uacuus non inueniretur quantus digiti unius summitate tegeretur. Isti sicut homines morti proximi uix uocem emittere potuerunt. Nudi enim, ut ceteri, uidebantur, et uento frigido et urente flagrisque demonum cruciabantur. Et cum eum figere uellent, Ihesu Christi nomine inuocato amplius facere nequiuerunt. Ad quartum campum tractus est ignibus plenum, in quo omnia genera penarum uidit. Alii suspendebantur cathenis per pedes, alii per manus, alii per capillos, alii per cetera membra, capitibus in ymis uersis et sulphureis flammis immersis. Alii in ignibus pendebant in uncis ferreis, in oculis, auribus uel naribus uel faucibus uel manibus [1] aut genitalibus infixis. Alii fornacibus sulphureis cremabantur; alii quasi per [2] sartagines urebantur; alii uerubus igneis assabantur, quos (!) demones igni appositos uerterunt; alii diuersis metallis deguttauerunt liquescentibus: demones flagris cedentes, nulli parcere uoluerunt. Omnia tormentorum genera ibidem uisa sunt. Quosdam eciam quondam socios suos cognouit cruciatos. Inuocatoque, ut supra, Ihesu Christi nomine, demones sibi nocere non poterant. Descendentes ergo, uidit ante se maximam rotam ferream et igneam, uncis igneis undique circumseptam, in quibus singulis pendebant homines infixi. Rote uero huius medietas sursum in aere stabat, alia medietas in terra deorsum erat; flamma autem tetri sulphureique incendii de terra circa illam surgebat, et pendentes in ea miserrime ardebat [3]. Demones autem ex utraque parte uectes ferreos inter radios rote impingentes, tanta agilitate eam rotare fecerunt, ut nullum omnino ab alio uisu discernere posset, quia pre nimia cursus uelocitate uidebantur quasi [unus] ignis esse. Cumque eum super rotam positum in aere rotando leuassent, in descencione rote nomen Ihesu inuocauit: et statim de ea descendit. Inde procedendo uidit ante se domum grandem quasi fornacem fumigantem, cuius latitudo fuit nimia, longitudo tanta ut illius non posset ultima uideri. Cum uero uersus illam horribiliter tractus iret, et adhuc ab ea aliquantulum longius esset, pre nimio calore qui inde exibat subsistere uolens [4] procedere non poterat. Dixerunt ergo ei: 'Quid subsistendo tardas? balnearium est quod uides, uelis nolis illuc progredieris ut cum eis qui ibi sunt balnearis.' Ceperunt autem de domo illa miserrimi uagitus emitti, fletus et

[1] *al.* mamillis. [2] *al.* super. [3] *al.* torrebat. [4] *al.* subsistit, procedere formidans.

planctus audiri. Etenim pauimentum domus illius rotundis fossis erat plenum, erant autem singule metallis diuersis ac liquoribus bullientibus plene; utriusque sexus hominum in illis demersa erat multitudo maxima, quorum alii usque ad supercilia, alii usque ad oculos, alii [usque] ad labia, alii usque ad colla, alii usque ad pectus, et sic usque ad tibias, alii uno tantum pede in metallo bulliente stabant, alii unam manum uel utramque in eis tenebant. Omnes pariter pre dolore clamabant et miserabiliter flebant. 'Ecce, inquiunt demones, cum istis balneaberis, nisi reuerti uolueris.' Et cum cepissent illum in fossam unam mergere, inuocato Christi nomine ceperunt[1] inde procedere. Et trahentes illum perrexerunt contra montem unum, in quo utriusque sexus diuerseque etatis super digitos pedum curuatam tantam uidit sedere multitudinem nudorum hominum, quod pauci uiderentur ei omnes quos antea uiderat, ad comparacionem eorum. Omnes uero quos uidit ibi, quasi mortem cum tremore expectantes, ad aquilonem erant uersi. Cumque ille miraretur quid hec multitudo prestolaretur, unus demonum dixit ad illum: 'Miraris fortasse quid cum tanto tremore expectat populus; nisi reuerti uolueris, scies hoc certissime.' (Vix demon uerbum) finierat et ecce ab aqui(lone) uentus turbo uehemens ueniebat, qui et ipsos et quem du(xerunt), omnemque populum illum[2] arripuit, et in flu(mine fetido) ac frigidissimo, flentem et eiulantem, longe in aliam montis partem iactauit, in quo nimio frigore uexabantur. Et cum de aqua surgere niterentur, currentes desuper aquam demones in ipso flumine immerserunt omnes. At miles nomen Christi inuocauit et statim in alia ripa se inuenit. Accedunt ad eum demones contra austrum illum trahentes: et ecce ante se uidet fl(ammam) tetram et sulphureo fetore fetidam quasi [de puteo][3] ascendere, et quasi homines nudos et igneos utriusque sexus sicut scintillas ignis sursum in aere iactare, qui et flammarum ui deficiente, iterum reinciderunt in puteo et in igne. Quo approximantes, dixerunt militi demones: 'Iste flammiuomus puteus, inferni est introitus: in hoc loco nostrum est habitaculum, et quoniam nobis hucusque seruisti, hic sine fine manebis nobiscum. Omnes enim qui nobis seruiunt, hic sine fine manebunt. Et si hoc os intraueris, et anima et corpore pariter peribis. Si tamen adhuc (nobis assenseris) ut reuertaris, ad portam oris illesus amodo a nobis deduceris.' Cumque promissa eorum contempneret, in ignem putei se iecerunt, et secum militem traxerunt; et quo profundius in puteum descendit, eo latiorem intrinsecus eum uidit, et eo grauiorem penam sensit. In eo uero tantas miles sensit angustias (ut pene oblitus sit) nomen domini inuoc(are; set tamen corde, quia uoce non poterat, 'Ihesu Christe fili dei uiui, (miserere michi pec)catori' exclamauit: et statim uis fl(amme cum) reliquis sursum eum in aere leuauit. Sic(que) in descencione iuxta puteum ali(quamdiu solus) stetit. Et ecce demones alii ab (eo incogni)ti de puteo procedentes aduenerunt, (qui ita) dixerunt: 'Quod hic esset infernus, socii (nostri dixe)runt tibi: set consuetudinis nostre est semper mentiri, ut decipiamus per mendacium quos dec(ipere non) possumus per uerum. Hic non est inferni locus: set nunc te ad infernum deducemus.' (Inde igitur cum tumultu magno (et horribili) ad flumen unum latissimum (militem pertraxerunt). Erat autem flumen (flamma) sulphurei incendii coopertum at(que demonum) multitudine (plenum). Dixerunt ergo ei: '(Sub) isto flammante flumine scias infernum esse.' Vltra flumen autem pons proten-

[1] T. ceperint. [2] *al.* qui et ipsos demones ac simul militem totumque populum flentem et vlulantem arripuit et in quoddam flumen fetidum ac frigidissimum, in aliam montis partem proiecit. [3] om.

debatur. Dixeruntque demones: 'Oportet te nunc ambulare super hunc pontem, et per nos uentus ille qui te deiecit in flumine alio, deiciet in isto: et statim a nostris sociis capieris qui sunt in flumine, et in profundum inferni demergeris. Prius tamen habes probare quale super pontem istum sit deambulare[1].' Et tenentes manum eius traduxerunt super pontem illum. Et ecce in ponte illo tria erant [formidanda][2]: primum, quod ita lubricus erat quod nullus pedem figere posset. Aliud, quod ita strictus fuit quod pedibus in eo stare uel ambulare nemo poterat. Tercium, quod [ita] altus erat ut pene celum tangere uideretur. 'Si tamen[3], inquiunt, nobis assenseris, illesus ad portam reduceris.' Cogitans autem ille de quantis prius Ihesus eum liberauerat periculis inuocato eius sanctissimo nomine, confidenter accessit, et unum pedem super pontem ponens, 'Ihesu Christe fili dei uiui' et cetera dicere cepit. Deinde alium pedem posuit et eadem uerba iterauit. Ad quemlibet eciam passum eadem uerba protulit. Quo uero super pontem amplius ambulauit, eo securius; et quo magis processit, eo uiam largiorem inuenit. Semper enim ut ambulauit, latitudo uie ex utraque parte creuit. Et ecce post paululum latitudo pontis continet carrum onustum; et post modicum uia ita erat larga, ut sibi in ea obuiarent duo carr⟨a⟩. Porro demones qui eum adduxerunt in ripa fluminis restiterunt; et uidentes militem abire libere, uocibus suis ita ⟨aer⟩em concusserunt horrendis, ut magis terro⟨re clamoris conc⟩ussus esset quam tormentorum illacione quibus an⟨te fu⟩erat excruciatus. Alii demones qui (inferius) in flumine erant, uncos suos ad illum iecerunt: set tangere non potuerunt. (Secur)e tandem processit, quia sibi nichil obsistere inuenit; sicque latitudine pontis excrescente, flumen respexit ex utraque parte a longe. Procedens igitur liber a demonum uexacione, uidit ante se murum (magnum) de terra alte erectum in aere, mirabilis et incomparabilis structure. In quo muro portam clausam unam uidebat, que metallis lapidibusque preciosis ornata, mirabili choruscacione radiabat. Ad quam cum appropinquasset, et adhuc quasi spacio dimidii miliaris abesset, porta illa contra eum patuit: et tante suauitatis odor ei occurrens per eam exiit, ut si totus mundus conuerteretur in aromata, non uincerent magnitudinem suauitatis eius; tantasque uires percepit ex illa suauitate, ut tormenta que ante pertulit, ut sibi uidebatur, iam sine angustia posset sustinere. Respiciensque infra portam, uidit patriam claritate solis spiendidiorem, et introire concupiuit. Et ecce egressa est contra eum cum crucibus, uexillis cereisque et quasi palmarum aurearum ramis processio talis et tanta, quanta in hoc mundo, prout existimauit, nunquam est uisa. Vidit quasi hominum formas de omnibus ordinibus, diuerseque etatis et utriusque sexus. Vidit alios quasi archiepiscopos, ⟨alios ut episcopos⟩[2], abbates, monachos, presbiteros, et singulorum graduum ecclesie ministros, sacris uestibus indutos. Omnes uero tali uestium forma induti erant, quali in hac uita deo seruierunt. Militem uero cum magna ueneracione et leticia introduxerunt, et duo archiepiscopi eum in suo comitatu susceperunt, qui deum benedixerunt qui tanta constancia contra tormenta que pertulit eius animum confirmauit. Sicut enim lumen lucerne solis quasi obfuscatur splendore, sic sol meridianus, ut [sibi] uidebatur, patrie illius pre nimia claritate obtenebraretur. Finis uero patrie, nisi ex parte porte qua intrauit, uideri non potuit. Erat autem patria tota quasi amena prata atque uirencia, diuersis floribus fructibusque et arboribus decorata. Nox illam non obscurat, quia semper splendor puri celi desuper in ea indicibili claritate rutilat. Tantamque ibi uidit utriusque sexus hominum multitudinem, quantam in hac uita [nun-

[1] *al.* quam tutum tibi sit per illum transire. [2] om. [3] MS. tu.

quam] antea se uidisse putabat. Alii in hiis, alii in illis locis per conuentus distincti erant, et tamen, prout uoluerunt, alii de istis in illis, alii de illis in istis cateruis cum leticia transibant, sicque fiebat ut et alii de aliorum uisione gaudebant, et alii de aliorum uisitacione exultabant. Chori choris per loca astiterunt, dulcisque armonie concentu creatorem suum laudabant. Et sicut stella a stella differt in claritate, ita erat differencia uaria in eorum uestium et uultuum nitore. Alii uero amictu uidebantur indu't'i aureo, alii uiridi, alii purpureo, alii iacinctino, alii ceruleo, alii candido; alii, quasi reges, coronati incedebant, alii in manibus palmas aureas tenebant. Vndique sanctorum audiuit concentum laudes dei personancium; singuli de propria felicitate gaudebant, singuli de singulorum gaudio et crepcione exultabant. Omnes uero de militis aduentu deum benedicebant, et quasi de fraterne mortis crepcione gratulabantur. Vnusquisque in patria illa exultabat, undique sanctorum melodia resonabat. Nec estum nec frigus ibi senciebat, nec quod offendere uel nocere posset ibi quicquam uidebat. Omnia ibi pacata, omnia placita, omnia grata. Archiepiscopi autem predicti militi dixerunt: 'Ecce, frater, uidisti que uidere desiderasti: uidisti enim tormenta peccatorum, uidisti hic et requiem beatorum. Patria enim ista est terrestris paradisus, unde pro peccatis eiectus est homo primus. Postquam enim deo subici per precepti obedienciam noluit, celica gaudia que in hoc loco positus contemplabatur, ultra uidere non potuit. Cum uero per inobedienciam cecidit, eciam lumen mentis, quo illustrabatur, ab eo recessit. Ex cuius carne nos omnes nati sumus in miseria: set tamen per fidem domini nostri Ihesu Christi, quam in baptismate suscepimus, rediuimus ad hanc patriam. Vitam aliam credidimus esse per spiritum sanctum, quam esse non potuimus scire, sicut ille, per experimentum. Verumptamen, quoniam post fidei suscepcionem multis actualibus peccatis implicati fuimus, non nisi per purgacionem tormentorum per que transisti huc uenire potuimus. Penitenciam enim quam ante mortem uel in morte suscepimus et minime perfecimus, in illis locis penalibus, alii maiori, alii minori spacio temporis secundum modum et quantitatem culparum, tormenta luendo peregimus. Omnes enim qui in hac requie sumus, in iilis locis pro peccatis nostris fuimus; sic et omnes quos in singulis locis penalibus uidisti, preter eos qui infra os putei infernalis sunt, post purgacionem ad hanc in qua nunc sumus requiem peruenientes, salui tandem erunt. Omni uero die seculi inde purgati huc ad nos ueniunt aliqui; et nos eis obuiam uenimus, sicut et tibi fecimus, et eos in hanc requiem introducimus. Qui uero bene purgati de corpore exeunt, statim huc ad nos perueniunt. Nullus autem eorum qui in penis sunt nouit quamdiu ibi demoraturus sit. Per missas uero et psalmos et oraciones et elemosinas, quociens pro eis fiunt, aut eorum tormenta minorantur, aut de ipsis tormentis in minoribus transferuntur, donec omnino per talia beneficia liberentur. Et cum in hanc patriam uenerint, quamdiu hic mansuri sint nesciunt, nullus enim nostrum hoc scire potest de se quamdiu hic debeat esse. Sicut enim in locis penalibus secundum quantitatem culparum percipiunt remorandi sui spacium, ita et qui hic sumus secundum merita bona minus plusue hic morand(i spacium) percepimus, et licet a penis simus liberati et liberi, tamen ad supernam celi leticiam ascendere nondum sumus digni. Quamdiu enim hic moraturus sit, nullus de se (nouit). Ecce, (ut) uides, in magna requie et leticia sumus: set post spacium a deo singulis constitutum hinc transibimus. Cotidie enim societas nostra creseit, et cotidie decreseit. Sicut enim cotidie aliqui de tormentis purgati hic ad nos ueniunt, ita et hinc a nobis in paradiso terrestri constitutis aliqui (in paradisum)

celestem ascendunt.' Et duxerunt eum pontifices in montem unum, et iusserunt illi respicere sursum. Et uidit celum simile auro in fornace ardenti. Dixerunt episcopi: 'Hoc quod nunc uides, est introitus celi et porta celestis paradisi; quando aliqui a nobis discedunt, hic in celum ascendunt. Quamdiu autem hic manebimus, cotidie pascit nos semel cibo celesti dominus.' Vix sermonem finierat et ecce flamma ignis de celo descendit, que, ut sibi uidebatur, patriam cooperuit et quasi per radios super singulorum capita descendens, tandem in eis tota intrauit. Super militis caput eciam descendit et in eo sicut in aliis intrauit. Tantam inde de(lectationis) suauit(atem) in corde et corpore sensit, ut (pene nesciret utrum uiuus an) mortuus fuerat. Set hora illa cito transiit. Dixeruntque episcopi: 'Quoniam ex parte iam uidisti requiem beatorum et tormenta malorum, oportet iam ut nunc redeas. At si bene amodo uixeris, ad nos post mortem reuerteris; sin autem, uidisti quanta te expectent tormenta. In reditu tuo demones nequaquam formidabis.' Hinc miles lugens, 'Decedere, ait, non potero, ne per fragilitatem aliquid admittam quod impedire ualeat huc ingressum.' 'Non sicut tu uis, inquiunt, erit, set sicut ille qui et nos et te fecit uoluerit.' Merens igitur et lugens ad portam reducitur, et ipso egresso, statim post eum clauditur: sicque rediit, et ad aulam predictam peruenit. Demones ab eo timentes fugerunt, et tormenta illi non nocuerunt. Quindecim uero predicti uiri de sua constancia deum laudantes dixerunt: 'Per laborem quem sustinuisti, a peccatis es purgatus. Iam ecce in tua patria lucis claresci aurora: et nisi prior portam aperiens te inuenerit, de reditu tuo ultra diffidens, obserrata porta redibit.' Percepta autem ab eis benedictione, eadem hora qua portam prior aperuit miles apparuit; et ecclesiam intrans, quindecim diebus in oracione permansit. Et post hec diu uiuens, in bonis operibus uitam feliciter consummauit.—Locus autem purgatorii sancti Patricii Reglis nominatur: et sunt ibi canonici regulares. Patricius autem, (sicut dicit) Giraldus in Topographia Hibernie, inter cetera signorum suorum opera fertur patrasse tria memoranda: Vnum, quod cuncta uenenosa animancia cum baculo suo de terra Hibernie eiecerit. Aliud, quod purgatorium suum ibidem instituerit. Tercium, precibus suis a deo optinuit ut nullus Hibernicus aduentum Antichristi expectabit. Legi eciam in quodam libro antiquissimo, gesta nonnulla sancti Patricii continente, quod sanctus Patricius fundauit ecclesias in Hibernia trecentas sexaginta quinque, et consecrauit episcopos trecentos sexaginta quinque et eo amplius, in quibus erat spiritus dei; presbiteros autem ordinauit tria milia. Dicit quoque Vincencius in suo Speculo historiali quod historia de purgatorio sancti Patricii a multis non recipitur, propter illud maxime quod ibi dictum est animas a purgatorio liberatas non statim ad celum euolare, set in paradiso ter[r]estri tanquam in loco quietis intermedio temporaliter commanere, et inde statuto tempore ad celi palacia transmeare, cum econtra nullus credatur esse locus medius animarum inter purgatorium et celeste paradisum. Huic tamen opinioni Vincencii contraria uidetur uisio illa quam scribit uenerabilis presbiter De gestis Anglorum libro quinto capitulo duodecimo, ut habetur supra in fine uite sancti Adriani abbatis.

2. De penitencia Tundali[1].

CIrca annum domini millesimum centesimum quadragesimum octauum, et regis Stephani duodecimum, accidit illa Tundali uisio siue penitencia, mira-

[1] This is the libellus de raptu animae Tundali et eius visione, extant in many

bilis simul et peccatoribus ualde terribilis. Fuit enim in Hibernia in diocesi cassiliensi uir quidam nomine Tundalus, nobilis genere, crudelis accione; forma corporis egregius, fortitudine robustus, de sua salute nichil sollicitus. Grauiter ferebat si quis ei uel breuiter de salute anime loqueretur. Ecclesiam negligebat, pauperes Christi nec uidere uolebat; scurris et ioculatoribus pro uana gloria distribuebat quicquid habebat. Hic cum multos haberet amicos et sodales, inter eos habebat unum cui alius quidam[1] trium equorum precii[2] debitor erat. Et cum statutum prestolaretur terminum, transacto termino Tundalus conuenit illum. Cui cum ille responderet se ad manum pecuniam non habere, recessit[3] Tundalus, commocione maxima contra debitorem turbatus. Et ecce statim percussus inuisibiliter, manum quam extenderat replicare non potuit, set terribiliter clamare cepit: 'Ecce ego morior,' statimque cor pus corruit exa⟨nime, ac si nunquam animam habuisset. Assunt ⟨omnia⟩ signa mortis: accurrit familia, clamant armigeri, plorat hospes, corpus extenditur, pulsantur signa, accurrit clerus, miratur populus. Ab hora decima in quarta feria usque in eandem horam in sabbato mortuus sic iacuit; calor tamen modicus in sinistra parte pectoris senciebatur. Post hec resumpsit spiritum et debili flatu quasi per unius hore spacium respirare cepit: et ut corpus domini sibi afferrent innuit. Quod cum sumpsisset, et uinum bibisset, cepit deum laudare et dicere: 'O deus, maior est misericordia tua quam iniquitas mea, licet magna sit nimis. Quantas ostendisti michi tribulaciones, multas et malas, et conuersus uiuificasti me, et de abissis terre iterum reduxisti me.' Quod cum dixisset, statim omnia que habebat dispersit et dedit pauperibus, et de signo crucis signari se precepit: et cuncta que uiderat et passus fuerat, narrauit, dicens:

'Cum anima mea corpus exueret et mortuum ⟨illud⟩[4] esse cognosceret, reatus sui consciencia cepit formidare, et quid faceret nesciebat. Timebat quidem, set quid timeret ignorabat. Volebat ad corpus redire, set intrare non poterat. Igitur flens et plorans et tremebunda et quid ageret nescia, in nullo confidens nisi in misericordia dei, tandem uidit ad se uenientem tantam immundorum spirituum multitudinem, ut non solum totam domum et atrium domus, set eciam uicos et plateas ciuitatis implerent; et circumdantes miseram animam, dixerunt: 'Cantemus huic misere anime debitum mortis canticum[5], quia filia mortis est, et cibus ignis inextinguibilis, amica tenebrarum et lucis inimica.' Et conuersi ad eam stridebant dentibus in eam et ungulis propriis pre furore nimio genas teterrimas laniabant, dicentes: 'Ecce, misera, populus quem elegisti, cum quibus arsura intrabis in infernum. Nutrix scandali, amatrix discordie, quod et nos amamus, quare non superbis modo? quare non adulteraris? quare non fornicaris? Vbi est uanitas tua et uana leticia? ubi risus inmoderatus? ubi fortitudo tua, qua plurimis insultabas? Quare modo non innuis oculis, non teris pede, non digito loqueris, non prauo corde machinaris malum, sicut facere solebas in leuitatibus tuis?' Cum hec et similia dicerent, uidit a longe uenientem stellam quasi[6] lucidissimam, in quam statim infatigabiles fixit intuitus, sperans se aliquod solacium per eam percepturum. Erat autem angelus domini. Qui cum appropinquaret, proprio eam salutauit nomine, dicens: 'Aue Tundale. Quid agis?' Videns autem ille speciosum iuuenem nimis, et audiens se proprio nomine salutatum, pre timore simul et gaudio sic respondit: 'Heu, domine pater, circumdederunt me dolores

MSS. and old prints, cf. Hardy II. 230; ed. by Schade Halle 1869, A. Wagner Erlangen 1882; our text follows the abridgment in Vinc. Bell. XXVII. 88.

[1] VB. qui commilitonis ⟨*al.* commutationis⟩ debito. [2] precii *al.* om. [3] r. resedit? cf. VB. [4] MS. se. [5] T. mortificancium. [6] *al.* quasi stellam.

inferni, preoccupauerunt me laquei mortis.' Cui angelus: 'Modo me uocas dominum et patrem, quem semper tecum habebas et nunquam me tali nomine dignum iudicabas.' 'Vbi, domine, inquit, te uidi, aut ubi unquam dulcissimam uocem tuam audiui?' Cui angelus: 'Ego te semper sequebar a natiuitate tua, quocunque ibas, et nunquam consiliis meis adquiescere uolebas.' Et extendens manum illi[1] qui pre ceteris ei maledicis insultabat, 'Ecce, inquit, ille cuius uoluntati et consilio obtemperabas. Set aderit tibi misericordia quam non meruisti. Esto igitur secura et leta, quia pacieris pauca de multis que meruisti. Sequere me, et quecunque tibi monstrauero memoriter tene, quia iterum ad corpus reuerteris.' Tunc illa ultra modum perterrita, (relicto) corpore suo supra quod steterat accessit propius. Demones hec audientes, et mala que (minabantur se non posse inferre audi(entes[2], blasphema)uerunt deum, iniustum eum esse dic entes quia non reddebat sicut promiserat uni cuique secundum opera sua. Et post hec in semetipsos (insurrexerunt) et plagis quibuscunque poterant se mutuo percucie bant, et nimio fetore relicto, cum ingenti (tris)ticia et indignacione recesserunt. Angelus (autem) precedens dixit ad animam: 'Sequere me.' At (illa res pondit: 'Heu domine mi, si precesseris (isti retro me) capient et eternis ignibus tradent.' (Ad quam) angelus: 'Ne timeas, quia plures nobiscum sunt quam cum eis. Si deus pro nobis, quis (contra nos?) Cadent a latere tuo mille, et decem milia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Verumptamen oculis tuis considerabis et retribucionem peccatorum uidebis.' Hiis dictis profecti sunt. Cumque longius simul pergerent nullumque splendorem preter[3] angeli lumen haberent, uenerunt ad uallem terribilem et tenebrosam ualde et opertam mortis caligine. Erat autem profunda et carbonibus ardentibus plena, operculum ferreum habens spissitudinis sex cubitorum, quod ardore nimio ipsos carbones superabat ardentes. Cuius (fetor) omnes quas hucusque passa fuerat anima tribulaciones superabat. Super illam laminam descendebat multitudo miserarum animarum et illic (crema-bantur donec) ad modum cremii in sartagine liquescerent, et quod erat grauius, per predict am laminam) colabantur sicut colari solet cera per pannum, et iterum in carbonibus ignis ardentibus renouabantur ad tormentum. Hec erat pena patricidarum, fratricidarum, homicidarum, uel facto uel consensu. 'Post hanc penam, ait angelus, duce(ntur)[4] ad maiores; tu quamuis homicida sis, modo tamen istam non pacieris.' Post hec uenerunt ad montem mire magnitudinis et horroris et uaste solitudinis, qui transeuntibus angustum ualde prebebat iter. Ex una parte (illius) montis ignis putridus sulphureus et t(enebrosus) erat, ex altera parte nix glacialis et uentus (horribilis). Et erat mons ille (tortoribus plenus, qui) furcas habebant ferreas (ignitas et tridentes) acutissimos, quibus iugu(labant animas) transire uolentes et trahebant (ad penas, et per uices) de niue et grandine (mittebant eas) in ignem, et econuerso. 'Hec est, (inquit angelus, pena) insidiatorum et perfidorum.' Post (hec anima illa pre) timore pedetemtim ange(lum) sequens, uenit ad uallem profundam et pu(tridam) nimis et tenebrosam, cuius profunditatem (ipsa quidem) anima uidere non poterat, sonitum (tamen sulphurei) fluminis et ululatum pacienciun (in eo audiebat). Fumus uero de sulphure et de cadaueribus inde surgebat fetidus, qui superaba (omnes) penas quas prius uiderat. Ibi erat (tabula) longissima, de uno monte in alium montem porrecta, in modum pontis supra ual(lem exten)sa, que mille passus habebat in lon(gitudine, in) latitudine pedem unum. Quem (pontem

[1] *al.* in unum. [2] Sch. conspicientes. [3] *al.* preter splendorem. [4] T. duceris.

nemo nisi electus transire poterat. De hoc ponte uidit anima illa multos cadere, [et] unum solum presbiterum illesum pertransire, qui erat peregrinus, portans palmam et indutus sclauina, et primus ante [omnes] intrepidus pertransibat. Angelus autem timentem consolans animam dixit: 'Ne timeas, ab hac enim pena liberaberis; set aliam pacieris.' Et procedens[1] tenuit eam et ultra pontem duxit illesam, dicens: 'Hec est, inquit, uallis horribilis [in][2] pena superborum.' Profecti sunt autem per uiam tenebrosam et tortuosam et difficilem ualde. Et cum multum laborarent in eundo per tenebras, uidit anima a[3] longe bestiam incredibili magnitudine et horrore intollerabili, que maior erat omnibus montibus quos prius uiderat. Oculi eius quasi colles igniti, os eius ualde patens et apertum uidebatur ei[4] posse capere nouem milia hominum armatorum. Habebat autem in ore suo duos gigantes[5] uersis capitibus ualde incompositos, quorum unus habebat caput sursum ad superiores dentes prefate bestie et pedes deorsum ad inferiores, alter econuerso; et erant quasi columpne in ore eius, qui os illud in similitudinem trium portarum diuidebant. Flamma inextinguibilis ex ore illo exibat, que in tres partes per illas tres portas diuidebatur: et contra ipsam flammam anime dampnate intrare cogebantur. Fetor quoque intollerabilis ex ore ipso exibat, et planctus multitudinis de uentre eius per idem os audiebatur. Intus enim erant multa milia uirorum ac mulierum dira tormenta luencium. Ante eius os eciam immundorum spirituum multitudo, animas intrare cogencium, stabat, eas antequam intrarent multis plagis et uerberibus afficientes[6]. Cumque anima Tundali diu aspexisset tam horribile monstrum, nimis exterrita dixit ad angelum: 'Domine, quare illuc appropinquas?' Et angelus: 'Iter nostrum aliter explere non possumus. Hoc tormentum non possunt uitare[7] nisi electi. Hec bestia uocatur Acherons, et deuorat omnes auaros. De hac scriptum est: "Absorbebit fluuium et non mirabitur; et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius." Hii uero qui in ore eius et inter dentes apparent contrapositi, gigantes sunt, et suis temporibus in secta sua nulli tam fideles fuerunt[8].' Et cum hec dixisset angelus, accedens propius antecedebat animam et stetit ante bestiam, anima uero licet nolens sequebatur. Et cum simul starent ante bestiam, angelus disparuit et anima misera sola remansit. Demones autem circumdederunt eam ut canes rabidi, et flagellatam traxerunt secum in uentrem bestie. Quanta uero ibi passa sit, uultus eius et morum conuersio postea indicauit. Passa est ibi morsus et laceraciones, canum, ursorum, leonum, serpencium et animalium aliorum innumerabilium incognitorum et monstruosorum feritatem, demonum ictus, ardorem ignis, asperitatem frigoris, fetorem sulphuris, caliginem oculorum, fluxum lacrimarum ardencium, stridorem dencium, copiam tribulacionum. Ibi se misera anima de preteritis accusabat et pre nimia desperacione et tristicia genas proprias lacerabat. Et cum se putaret ibi eternaliter dampnatam, nescia quo ordine, extra bestiam se esse sensit. Et cum longius a bestia iaceret debilis, aperiens oculos uidit prope [se] illum qui antecedebat angelum lucis. Tunc illa gaudens, licet afflicta multum, laudauit dominum de sua misericordia. Angelus autem tetigit illam et confortauit. Euntes inde longius uiderunt stagnum amplum ualde et tempestuosum; eius fluctus elati non permittebant cernere celum. Ibi [in] erat plurima multitudo bestiarum terribilium, mugiencium ut animas deuorarent. Per latum stagni pons multum angustus erat, et longus usque ad duo miliaria; latitudo eius erat unius palme. Longior erat et angustior

[1] al. precedens. [2] T. et VB. in. [3] Sch. non. [4] T. et. [5] al. parasitos. [6] al. affligentes. [7] T. intrare. [8] Sch. adds: Vocantur enim Fergusius et Conallus.

quam pons superior. Eratque tabula illa pontis plena[1] clauis ferreis acutissimis insertis, qui omnium transeuncium pedes perforabant. Omnes autem bestie ad illum pontem conueniebant, ut cibum inde sumerent, animas scilicet que transire non poterant. Erant autem bestie tante magnitudinis, ut magnis turribus assimilarentur. De ore ipsarum exibat ignis tam uehemens, ut stagnum ipsum a cernentibus bullire putaretur. Vidit autem ibi animam quandam in ponte ualde plorantem et se multis criminibus accusantem: eratque magno pondere manipulorum frumenti onerata, et hunc pontem transire cogebatur; et quamuis clauis perforatas plantas nimis doleret, magis tamen timebat in stagnum cadere et in ora patencia bestiarum. Querenti Tundalo quid hoc esset, dixit angelus: 'Ista pena specialiter tibi est condigna et tui similibus furtum perpetrantibus, uel magnum uel modicum; non tamen eodem modo paciuntur qui in minimis et qui in magnis delinquunt, nisi illud modicum sacrilegium fuerit. Maxime uero rei sunt qui sub habitu religionis delinquunt. Hunc pontem oportet te transire, et uaccam indomitam tecum ducere et illesam michi ultra pontem reddere: quia uaccam compatris tui aliquando furatus es.' Ad quem Tundalus: 'Domine, nonne ego illam reddidi?' 'Reddidisti, inquit, set quando illam abscondere non potuisti; et ideo non plenum pacieris supplicium, quia minus est malum uelle quam perficere, licet utrumque malum sit ante deum.' Et ostendit ei angelus uaccam indomitam: et Tundalus uellet nollet tenuit uaccam et quibuscunque minis poterat instigare conabatur ad pontem. Bestie uero mugientes ueniebant et cibum suum de ponte expectabant. Tundalus cepit iter agere, uacca autem nolebat eum sequi. Cum staret[2] Tundalus, cadebat uacca; et cum stabat illa, cadebat Tundalus. Et sic uersa uice modo cadendo modo stando, uenerunt ad medium pontis. Cumque illuc uenissent, uidit [illum] qui portabat manipulos tritici sibi uenire obuiam: qui rogabat animam Tundali, que uaccam ducebat, ne sibi pontem preocuparet, et Tundalus, similiter illum rogabat ut iter suum eum complere sineret, quod iam medium perfecerat. Neuter, non dico reuerti, set (nec) respicere retro poterat. Sic[que] stantes et plorantes, pontem plantarum suarum sanguine cruentabant. Cumque ita diucius starent, (nes)cientes quomodo, uterque alterum se pertransisse uidit. Tundalus autem angelum suum, quem retro reliquerat, ante se uidit, qui dixit ei: 'Bene uenias, de uacca amplius non cures, quia nichil ei debes amplius.' Cumque Tundalus ostenderet pedes suos diceretque quod amplius ire non posset, respondit angelus: 'Meminisse debes quam ueloces fuerunt pedes tui ad effundendum sanguinem: et ideo contricio et infelicitas in uiis tuis.' Et tangens eam sanauit eam, et sic precessit. (Cumque) diceret Tundalus 'Domine, quo imus modo?' respondit angelus: 'Quidam tortor teterrimus nostrum expectat aduentum, cuius hospicium non possumus preterire. Quod hospicium semper plenum est hospitibus, set hospes ille adhuc alios hospites ad supplicium desiderat inuenire.' Cumque irent per loca tenebrosa et arida, apparuit eis domus aperta maxima, quasi quidam mons arduus pre nimia magnitudine, rotunda quasi furnus: flamma inde exibat que per mille passus animas quas inuenire poterat comburebat. Quod uidens Tundalus, dixit ad angelum: 'Ecce appropinquamus ad portas mortis: quis me miserum liberabit?' Cui angelus: 'Ab ista quidem exteriore flamma liberaberis, set ipsam domum, unde procedit, intrabis.' Et cum propius accederent, uiderunt carnifices cum securibus et cultris et bisacutis et dolabris et terebris [et] falcibus et forcipibus acutissimis et fossoriis[3] et ceteris instru-

[1] So VB; Sch. inserta. [2] Sch. stabat. [3] T. fossoribus.

mentis quibus animas excoriare uel decollare uel findere uel truncare (poterant, in medio flammarum stantes), et (sub ma)nibus eorum multitudinem animarum hec omnia sustinencium. Quod uidens Tundalus, dixit ad angelum: 'Obsecro domine, si placet, ab hoc solo (m)e libera supplicio, et ceteris que post hec occurrent me tra di) concedo.' Cui angelus: 'Hoc (est) maius supplicium omnibus que hactenus uidisti, set adhuc uidebis unum maius. Intra istud supplicium, quia canes rapidi[1] te expectant.' Tundalus autem tremens et pre angustia deficiens, rogabat ne intraret, set non profecit. Demones autem uidentes eam sibi concessam, eam circumdederunt et magnis (conui)ciis exprobrantes, cum supradictis instrumentis in frusta discerpserunt. Dominus huius domus dicebatur Phistrinus[2]: in qua erat gemitus et tristicia, fletus et stridor dencium, lentus ignis extrinsecus, et intrinsecus uastum incendium; auiditas cibi inexplebilis ibi erat, nec saciari poterat nimietas gule, uerenda loca doloribus cruciabantur permaximis, pudenda ipsa putredine corrupta uidebantur scaturire uermibus, et in ipsa uerenda uirorum ac mulierum non solum secularium, set eciam religiosorum dire quedam intrabant bestie. Ibi anima Tundali se iuste pati talia fatebatur. Set quando deo placuit, nesciens quo ordine, se extra tormenta esse cognouit. Sedebat autem in tenebris et in umbra mortis, et uidens angelum suum, dixit: 'Heu, domine mi, ubi est quod audiuimus: "misericordia domini plena est terra?"' Respondit angelus: 'Hec sentencia multos decepit: Deus enim, licet sit misericors, est tamen iustus. Multa uindicat, set plura condonat. Tu iuste passus es, set tunc gratias ages quando uidebis que tormenta per misericordiam dei euasisti. Si deus cuncta dimitteret, cur homo iustus esset? Et si supplicia non pertimesceret, quare peccare timeret uel a uoluptatibus suis se auerteret? Et quid opus esset ut confessi peniterent, si deum non timerent? Peccatoribus in corpore penitenciam non agentibus misericorditer a deo parcitur, set tamen pro suis meritis post mortem punientur. Iustis quoque pro suis excessibus temporale comodum in corpore degentibus iuste tollitur, set bona eis sine fine mansura reseruantur. Multa mala opera condonat deus, nullum tamen opus bonum ab eo irremuneratum relinquitur. Nemo liber est a peccato, nec infans unius hore; multi tamen liberantur a pena, ut eos non tangat umbra mortis. Ideo autem iusti qui penas non paciuntur post mortem, ad uidendum tamen illas ducuntur, ut uisis tormentis a quibus per dei graciam liberantur, magis inardescant in amorem dei et in laudem creatoris sui. Sicut econtrario anime eternis suppliciis digne, prius ducuntur ad sanctorum gloriam, ut uisis premiis que sponte deseruerunt, magis postea doleant. Nullum enim tam graue supplicium est quam a dei et sanctorum gloria et[3] consorcio sequestrari. Ideo ille presbiter quem primo pontem secure transire uidisti, ductus est ad supplicium, ut uisis penis ard(encius) laudet illum qui uocauit eum ad gloriam suam. Nam fidelis seruus et prudens inuentus est, et ideo accipiet coronam uite, quam repromisit deus diligentibus se. Set quoniam nondum omnia mala uidisti, properemus.' Procedente igitur angelo, uidit Tundalus bestiam ceteris quas ante uiderat longe dissimilem, duos pedes et duas alas habentem, collum longissimum et rostrum ferreum et ungulas ferreas; de cuius ore flamma inextinguibilis eructuabatur. Sedebat autem hec bestia super stagnum glacie condensum, et deuorabat animas, que in uentre eius per supplicia redigebantur ad nichilum, et iterum pariebat eas in stagnum glacie congelatum, ibique renouabantur iterum ad tormentum.

[1] *al.* rabidi. [2] *al.* Phristinus. [3] gloria et om. in VB.

Impregnabantur uero omnes anime tam uirorum quam mulierum, que descendebant in stagnum, et ita[1] grauide prestolabantur tempus ad partum. Intus autem mordebantur in uisceribus more uiperino [a] prole concepta, sicque [uegeta]bantur[2] misere in unda frigida mortui maris glacie concreta. Cumque tempus esset ut parerent, clamantes replebant inferos ululatibus, et sic serpentes pariebant. Pariebant autem non solum femine, set eciam uiri, et hoc non per membra que natura constituit tali officio conueniencia, uerum per brachia simul et pectora, exibantque erumpentes per cuncta membra bestie, habentes capita ardencia et ferrea et rostra acutissima, quibus ipsa unde exibant corpora dilaniabant. In caudis autem suis habebant eedem bestie multos aculeos, qui quasi hami retro retorti, ipsas a quibus exibant animas pungebant. Bestie namque ille uolentes exire, cum caudas suas non possent secum trahere, in ipsa corpora unde exibant rostra sua ardencia et ferrea retorquere non cessabant, donec ea usque ad ossa arida consumerent; et sic simul conclamantes stridor glacierum inundancium et ululatus animarum sustinencium talem penam et mugitus bestiarum exeuncium ab eis peruenientad celum. Erant enim in omnibus diuersis membris et digitis diuersarum bestiarum capita, que ipsa membra mordebant usque ad neruos et ossa. Habebant autem linguas uiuas in modum aspidum, que totum palatum et arterias consumebant usque ad pulmones. Verenda quoque ipsa uirorum ac mulierum erant (in) similitudine serpencium, qui inferiores partes uentris lacerabant et ipsa uiscera [inde] abstrahere studebant. Tunc ait angelus: 'Hec est pena canonicorum, monachorum, s(anctimonialium) ceterorumque ecclesiasticorum, qui (mentiri deo per ton`suram et habitum noscuntur, (qui linguas) suas ex(acuerunt) sicut serpentes, (et membra sua non) cohibuerunt ab immundis (operibus et ue)ntris illecebris. Hanc penam (sustinebunt qui immoderata lux)uria se polluunt, et (ideo istam sustinere) te oportet.' Hiis dictis rapuerunt eam demones cum impetu et dederunt (bestie) deuorandam[3]. Cum autem post (predicta) tormenta esset in partu uiperarum, affuit ei angelus lucis, et tangens eam sanauit, et sequi precepit. Preter fulgorem autem (angeli) nullum lumen habebant. Pergebantque per loca terribilia et multo precedentibus diriora, uia ualde angusta et quasi de (cacumine altissimi montis tendente) in precipicium. (Quanto autem) plus descendebat illa anima, tanto minus) reditum ad uitam sperabat. Dix(it autem Tundalus ad angelum): 'Domine, quo imus?' Respondit angelus: 'Hec uia ducit ad mortem.' Et anima: 'Quid est ergo quod scriptum est "Lata et spaciosa est uia que ducit ad mortem, et multi sunt (qui in)trant per eam"; cum neminem hic preter (nos) uideamus?' Respondit angelus: 'Non de (hac uia) dictum est, set de (im)pudica et illicita (seculari[4] uia,) que ducit ad istam.' E(untes autem longius et) ultra modum la(borantes, uenerunt in uallem) fabrorum, ibique uide(runt) fabricas in quibus (max)imus audiebatur (luctus). Tunc ait angelus: 'Tortor iste uo(catur Vulcanus), per cuius ingenium corruerunt plur(imi et ab ipso cruciantur).' 'Domine, inquit anima, (si debeo pati) illud tormentum?' 'Debes,' ait. (Quo dicto) precedebat eam, illa autem plorans (sequebatur eum). Et ecce (tortores) cum ignitis forcipibus ceperunt illam et proiecerunt in caminum ignis ardentem, et sic sufflantes[5] follibus, sicut solet ferrum in fornace examinari ita examinabant eam, donec ad nichilum redigerentur anime que ibi paciebantur. Cumque ita liquefierent ut nichil aliud nisi aqua apparerent, iugulabantur

[1] T. iterum. [2] T. mergebantur. [3] T. deuorandum. [4] VB. et s. [5] T. fluctuantes.

tridentibus ferreis, et posite super incudem percuciebantur malleis, donec[1] in unam massam redigerentur, et tamen, quod est grauius, (nec sic perirent; desiderabant) enim mortem et (inuenire non poterant. Loquebantur) autem tortores (ad inuicem dicentes: 'Nunquid) sufficit?' Et (alii in alia fabrica respondebant): 'Prohicite no(bis, ut uideamus si sufficiat.' Et proiicie)bant, et (alii capiebant eas in forcipibus ferreis) antequam terram tangerent, et sicut primi ita et ipsi eas ignibus tradebant. Et ita misere modo huc modo illuc prohi(ciebantur et ubique comburebantur), donec simul pelles et carnes (et nerui) et ossa in fauillam redigerentur et (flammam) ignis. Post multas passiones affuit Tundalo aduocatus suus et apprehendens eum de medio fauille dixit: 'Quomodo uales? Nunquid fuerunt tibi tam dulcia carnis oblectamenta, ut pro eis tot et tanta mala (debeas sustinere?' Illa penitus respondere) non poterat, quia post (tantum supplicium non) habebat uires ad loquendum. (Tunc angelus ait: 'Conf)ortare, quia dominus deducit ad inferos et reducit). Quamuis enim magna sint que huc(usque passa) es, maiora tamen sunt a quibus per dei misericordiam liberaberis.' Et addidit: 'Omnes quos superius uidisti, iudicium expectant, set hii qui adhuc sunt in inferioribus, iam iudicati sunt. (Ad)huc enim (non peruenisti ad inferos inferiores).' Et more (solito tangens eam et confortans), precessit. Cumque simul pergerent (et in)cedentes sermocinarentur, ecce (subitus horror et) frigus intollerabile et fetor (intollera bilis[2] et tenebre prioribus incomparabiles, (tribulacio et) angustia animam Tundali inuaserunt, ita ut omnia fundamenta terre ui derentur sibi) contremiscere, et angelo precedenti com(pulsa est[3] dicere): 'Heu michi[4], quid est quod pre solito (stare non possum?)' Quo dicto non potuit se mouere (pre nimia for)midine. Et ecce angelus cito disparuit, et eum amplius uidere non potuit. Non est enim sapiencia, non est sciencia nec racio apud inferos quo illa properabat. Audiuit autem clamores et ululatus mire magnitudinis, et tonitruum tam horribile, ut nec paruitas nostra potuerit capere, nec lingua [eius][5] enarrare. Circumspiciens ergo si quo modo uidere posset unde uenerant, uidit fossam quadratam et quadrangulam quasi cisternam, qui puteus putridam flamme et fumi emittebat columpnam, que columpna extendebatur usque ad celos; et in ipsa columpna erat multitudo maxima animarum et demonum more fauillarum cum flamma ascendencium, et ad nichilum redacte, iterum cadebant cum demonibus in fornacem usque in profundum. Quo uiso anima Tundali uolebat se retro retrahere: set non ualebat a terra pedes leuare. Et dum hoc sepius temptaret, set facere non posset, nimio furore repleta in semet ipsam exarsit et genas suas unguibus lacerans clamauit: 'Ve michi, quare non morior? que me decepit demencia!' Audientes hoc demones qui cum flamma ascendebant, circumdederunt eam cum instrumentis quibus animas ad tormenta rapiebant, dicentes: 'O misera anima penis et cruciatibus digna, unde huc uenisti? Nil adhuc experta es; adhuc uidebis dignum operibus tuis tormentum, de quo exire non poteris nec in eo perire, set semper in cruciatu uiuens ardebis, sine refrigerio, sine lumine, sine consolacione, sine omni auxilio, nullam deinceps misericordiam sperare poteris. Appropinquasti usque ad portas mortis et infernis inferioribus sine mora presentaberis. Qui te huc adduxit, ipse te decepit; liberet te, si potest, de manibus nostris, non uidebis eum amplius.' Et adinuicem loquebantur: 'Quid amplius moramur? trahamus eam et demus eam Lucifero deuorandam,' et sic [arma][5] in eam uibrantes minabantur

[1] *al.* donec vicene vel tricene vel centene. [2] so VB., Sch. antea inexpertus.
[3] so VB., Sch. compelleretur. [4] *al.* mi domine. [5] om.

illi mortem eternam. Ipsi autem immundi spiritus erant nigri sicut carbones, oculi eorum ut lampades igni ardentes, dentes eorum niue candidiores; caudas habebant ut scorpiones, ungues ferreos acutos, alas ut uulturis. Interea affuit angelus domini, qui fugatis spiritibus tenebrarum consolatus est (ea)m dicens: 'Gaude et letare, filia lucis, quia (misericordiam et) non iudicium consequeris. Penas (enim magnas ui)debis, set eas non pacieris. (Veni ergo et os)tendam tibi pessimum humani generis inimicum,' et precedens ad portas inferni, dixit: 'Veni et uide. Scito tamen quod nullum lumen hiis qui huc deputantur lucet; set tu poteris eos uidere et ipsi non uidebunt te.' Appropians autem anima uidit principem tenebrarum et profundum inferni. Que autem et qualia ibi uiderit inaudita tormenta; si centum capita, et in unoquoque capite centum essent lingue[1], enarrare nullo modo possent[2]. Ibi uisus est princeps diabolus, qui magnitudine precedebat omnes bestias quas ante uiderat, cuius corporis quantitati ipsa que uiderat anima nichil sciebat comparare. Erat enim bestia nigerrima sicut coruus, formam habens humani corporis a pedibus usque ad caput, excepto quod plurimas habebat manus, habebat[3] et caudam. Habebat siquidem non minus mille manibus, et in longitudine quasi centum cubitos, in grossitudine decem habeba[n]t[4]. Vnaqueque manus digitos uicenos habuit, et digiti eius in longitudine centenas palmas habeba[n]t[5], et in grossitudine denas. Habebat ungues lanceis militum grossiores et longiores, et ipsos ferreos; in pedibus totidem. Rostrum eius nimis longum et grossum, cauda asperrima et longa, ad nocendum animabus aculeis acutissimis preparata. Iacet autem illud horribile monstrum super cratem ferream suppositis ardentibus prunis, et ab innumerabili multitudine demonum follibus sufflancium circumdatus. Circumdat autem ipsum tanta multitudo animarum et demonum, quod nulli credibile esset quod mundus tot animas parere posset a principio. Ligatus est autem ille hostis antiquus per singulas membrorum iuncturas cathenis ferreis et ereis[6] ignitis et ualde grossis. Cumque sic uersaretur[7] in carbonibus et undique combureretur, nimia exardescens ira uertit se de uno latere in aliud latus, (et omnes) manus suas in illam multitudinem (animarum ex)tendit, easque repletas (animabus constrin)xit sicut (rusticus siciens racemos comprimit ut inde uinum eliciat; in tantum ut nulla esset ibi anima que tali contricione non priuaretur capite aut pedibus uel manibus. Et tunc suspirans sufflauit et sparsit animas in diuersas partes gehenne, et statim eructuabat puteus ille de quo prediximus fetidam atque horribilem flammam. Et cum retraheret anhelitum suum dira illa bestia, retraxit ad se omnes animas quas ante sparserat, et cum fumo et sulphure in os eius cadentes deuorauit. Set et quecunque manus eius effugerant ne stringerentur, illas cum cauda sua percussit. Et sic misera bestia percuciens semper percuciebatur, et tormenta animabus inferens, in tormentis omnibus super omnes cruciabatur. Tunc ait angelus ad animam: 'Hic est Lucifer, principium creaturarum dei, qui uersabatur in deliciis paradisi. Qui si solutus fuerit, celum simul et terram usque ad inferos cuncta perturbabit[8]. Hii tamen qui cum eo sunt, partim sunt angeli tenebrarum, partim filii Ade et iam iudicati sunt, et multos alios expectant qui uel Christum negauerunt uel negancium) opera f(ecerunt. Passi sunt ea que uidisti,) prius (minora tormenta, et postea ducti sunt ad) ista, de (quibus nullus qui semel) ea intra(uerit, amplius exire poterit. Hic sunt) prelati et princi(pes mali,

[1] *al.* haberet linguas. [2] *al.* posset. [3] om. in Sch. [4] T. VB. habebat. [5] T. habebat. [6] T. ereis et. [7] *al.* versatur . . . comburitur . . . constringit, etc. [8] so Sch., VB. perturbaret.

de quibus scriptum est): "Potentes pote(nter tormenta paciuntur," qui scilicet) non bene usi (sunt potencia sibi a deo data).' Tunc anima (ait ad angelum: 'Quare poten)cia non bonis (datur, ut bene presint?' Respondit angelus): 'Aut sub(ditorum culpe hoc exigunt ut bonos) doctores[1] (non habeant, aut ipsis) bonis in hoc parcitur, ut (saluti animarum suarum) melius prouideant. Hic autem (infelix, princ)eps tenebrarum dictus est, non propter potenciam quam habeat[2], set propter primatum quem [tenet] in tenebris. Omnes autem alie pene, quamuis (maxime sint, respec)tu huius pro nichilo computantur.' Et anima: 'Verum certe est, nam uidere tantummodo locum istum magis me turbat, et fetorem eius sustinere me plus (grauat, quam pati omnia que antea paciebar. Vnde rogo, si potest fieri, ut hinc me subtrahas cito, et hic me amplius cruciari non permittas. Hic enim uideo multos cognitos et sodales et notos meos, quos mecum in seculo gaudebam habere socios, quorum hic consorcium multum abhorresco. Scio[3] autem pro certo quod nisi michi diuina succurrat gracia, meritis meis exigentibus non minus ista paciar quam ipsi.' Ad quam angelus: 'Veni o felix anima, conuertere in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Non enim hoc pacieris, neque amplius, nisi promerueris, ista uidebis. Hucusque uidisti inimicorum dei carcerem, ammodo uidebis gloriam amicorum dei.' Conuersa anima sequebatur angelum precedentem: et cum non longe pergerent, fetor euanuit, destructisque tenebris lux apparuit. Fugatoque timore securitas rediit, et deposita tristicia anima illa repleta est gaudio et leticia, ita ut se tam cito mutatam miraretur, et diceret: 'O domine, quomodo tam cito mutata sum?' Cui angelus: 'Benedicta sis: ne timueris; hec est enim mutacio dextere excelsi; per aliam autem uiam transire debemus in regionem nostram. Tu ergo benedic dominum et sequere me.' Euntes autem uiderunt murum nimis altum, et intra murum ex illa parte qua uenerunt, erat plurima multitudo uirorum ac mulierum) pluuiam (et uentum sustinencium: et erant ualde) tristes, (famem et sitim sustinentes; lumen tamen habebant, et fetorem non senciebant). Tunc ait an(gelus: 'Isti quidem mali fuerunt, set non) ualde: hones(te uixerunt, set bona temporalia) pauperibus non (sunt largiti: et ideo per aliquot annos) pacientur (pluuiam, uentum, famem et sitim), set post du(centur ad bonam requiem.' Euntes paul)ulum, uene(runt ad portam, que ultro aperta est) eis. Quam cum intrassent, (uiderunt) campum pulcrum, odoriferum, floribus (plenum, luci)dum et satis amenum, in quo (multe anime) erant utriusque sexus (exultantes; et nox ibi) nunquam fuit, neque (sol unquam occidit, et est) ibi fons aque uiue. Et dixit angelus: 'Hic habitant boni set non ualde, qui de cruciatibus erepti nondum merentur sanctorum consorcio coniungi. Fons iste uocatur uiuens: si quis ex hac aqua gustauerit, (uiuet in eternum nec) sicict ultra.' (Et procedens paululum) uidit laicos sibi (notos, inter quos) erant Concober et Donatus[4] reges. Quibus uisis ait anima ad angelum: 'Domine, quid est hoc? Isti duo uiri erant in uita sua nimis crudeles et inter se inuicem multum inimici: quo ergo merito huc uenerunt?' Respondit angelus: 'De hac inimicicia ante mortem penituerunt. Concober autem diu languit et uotum uouit quod si uixisset monachus fieret. Donatus autem per multos annos in uinculis religatus, omnia quecunque habuit dedit pauperibus, et ideo iusticia eius manet in seculum seculi; et tu narrabis uiuentibus omnia hec.' Cum autem modicum procederent, uiderunt domum mirabiliter ornatam, cuius parietes et omnis structura ex auro et argento erant et

[1] *al.* rectores. [2] T. habebat. [3] VB. scito. [4] *al.* Donacus.

Dominican Order

ex omnium lapidum preciosorum generibus; set[1] fenestre ibi non erant, nec hostium, et tamen omnes qui intrare uolebant intrabant. Erat autem intus tam splendida ac si non dico unus sol, set quasi ibi multi splenderent soles. Eratque nimis ampla et rotunda, et nullis columpnis fulta, et totum eius uestibulum ex auro et lapidibus preciosis erat stratum. Circumspiciens autem Tundalus, uidit unum sedile aureum, cum gemmis et serico et omnibus ornamentis ornatum, et regem Cormarcum in ipso trono sedere, uestitum mirabilibus uestimentis, supra omne precium terrenum. Et cum staret admirans, uenerunt plurimi in domum illam cum muneribus ad regem, et offerebant singuli cum gaudio munera sua. Et dum staret Tundalus diucius ante dominum suum regem Cormarcum—erat enim dominus suus in seculo—, uenerunt multi sacerdotes et leuite, solempniter induti sicut ad missam cantandam, cum sericis casulis et aliis ornamentis ualde preciosis, et ornabatur undique domus illa regia mirabili ornamento. Ponebant ciphos et calices aureos et argenteos et pixides eburneas super paxillos et tabulas, et sic domus illa ornabatur, ut si maior gloria in regno dei non esset, ista posse sufficere uideretur. Omnes ergo illi qui ministrabant, ante regem uenientes et genua flectentes dicebant: 'Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit.' Tunc Tundalus ait ad angelum: 'Miror, domine, de tot ministris, inter quos nec unum de sua familia recognosco.' Et angelus: 'Non sunt isti de sua familia, set pauperes Christi et peregrini quibus rex bona sua largiebatur, et ideo per manus eorum retribuitur ei merces eterna.' Tunc ait Tundalus: 'Domine, passusne est dominus meus aliqua tormenta post mortem?' 'Passus est, inquit, et adhuc cotidie patitur, et adhuc pacietur. Expecta paululum et uidebis.' Et cum paululum expectasset, obscurata est domus, et omnes habitatores eius illico consternati sunt et rex contristatus exiuit cum fletu. Quem cum Tundalus sequeretur, uidit hanc multitudinem quam ante intus uiderat, expansis in celum manibus deuotissime deprecantem deum et dicentem: 'Domine deus omnipotens, sicut uis et sicut scis, miserere serui tui.' Et respiciens uidit regem in igne usque ad umbilicum et ab umbilico sursum cilicio indutum. 'Hanc penam, inquit angelus, cotidie patitur per tres horas et horis uiginti una requiescit: et hoc ideo, quia legitimi coniugii maculauit sacramentum, ideoque patitur ignem usque ad umbilicum. Cilicium uero portat quia iussit interfici comitem iuxta sanctum Patricium et preuaricatus est iusiurandum. Exceptis hiis duobus, cuncta ei crimina dimissa sunt. Set iam ascendamus.' Et cum paululum processissent, uiderunt murum nimis altum et nimis preclarum. Erat enim argenteus totus, splendidus ualde et decorus. Et cum nulla porta ibi appareret, Tundalus tamen, nesciens quomodo, intrauit, et circumspiciens uidit choros sanctorum exultancium et dicencium: 'Gloria tibi deus pater, gloria tibi deus fili dei, gloria tibi spiritus sancte deus.' Erant autem uiri et femine uestiti candidis uestimentis et preciosissimis, sine macula et ruga, iocundi et hilares, gaudentes semper et sanctam trinitatem laudantes. Candor autem uestimentorum (sicut nix recens erat) percussa solis radio. Voces uero consonantes quasi) musicum melos reddebant sonos. Claritas autem, iocunditas, amenitas, hilaritas, pulcritudo, honestas, sanitas, (eternitas, unanimitas, omnibus erat equalis, et charitas. Odor illius) campi ubi (erant isti, superabat omnia aromata et odoramenta. Tunc Tundalo ait angelus: 'Hec sunt gaudia coniugatorum qui fidem coniugii seruauerunt et familias suas in timore dei bene et iuste rexerunt et bona sua pauperibus et ecclesiis Christi communicauerunt,

[1] T. set et.

qui in iudicio audituri sunt: "Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum est ab origine mundi."' Tundalus autem multum rogabat ut ibi remaneret: set non obtinuit. Post hec profecti sunt. Videbatur autem eis nullus labor in ambulando, et quoscunque pertransibant, inclinatis capitibus et letisuultibus cum ingenti gaudio anime[1] occurrebant et eam proprio nomine salutabant, et deum qui eam liberauerat glorificabant dicentes: 'Laus tibi, domine, rex eterne glorie, qui non uis mortem peccatoris set ut con)uertatur (et uiuat, qui secundum misericordiam tuam) ab inferni (cruciatibus animam istam eripere dig)natus es et (sanctorum tuorum consorcio sociare).' Cum autem sic plu(rimas turbas pertransissent, ap)paruit alius (murus tam altus ut primus, set) de auro (purissimo et preclarissimo, ita ut ma)gis delecta(retur quecunque uidisset anima in) solo nitore (metalli, quam in omni gloria quam an)te uiderat. (Cumque simili modo intrassent illum) ut primum, (apparuerunt illis plurima sedilia de) auro et gem(mis et uniuersis lapidum precio)sorum gen(eribus constructa et preciossimis or)namentis (cooperta, in quibus sedebant seniores) uiri et fe(mine uestiti sericis et stolis candidis et) tiaris[2] (et uniuersis ornatibus, qualia nec an(te uiderat (nec cogitare poterat. Et erat) facies (uniuscuiusque splendida sicut sol splen(dens in (meridie, et capillos habebant auro si(millimos, (et coronas aureas hisdem gem)mis orn(atas. Set et lectoria posita erant) cum[3] eis aurea, quibus superpositi erant libri au)reis literis (scripti,) et cantabant domino Alleluia cum (nouo cantico et tam dulci melodia,) ut cunc(torum preteritorum obliuisceretur) anima que semel (audiret uoces eorum.) Tunc ait angelus (ad Tundalum: 'Isti sunt sancti qui pro testamento dei sua corpora tradiderunt et) in sanguine (agni lauerunt stolas suas; et continentes qui de seculari uita ad dei seruicium conuersi sunt et qui semet ipsos cum uiciis et concupiscenciis crucifigentes, sobrie et iuste et pie uixerunt.' Cum autem Tundalus curiosius circumspiceret, uidit quasi castrum et papiliones plurimas, purpura et bisso, auro et argento et serico mira uarietate confectas, in quibus chordas et organa, timpana et citharas cum organistris et cimbalis canentes, cetera quoque omnium musicorum genera suauissimis sonis audiuit concinentes; et quesiuit que hec essent. Cui angelus: 'Ista est religiosorum requies, monachorum et conuersorum, canonicorum et sanctimonialium, qui promissam obedienciam hiis qui presunt hilariter et deuote impendunt et qui magis gaudent subesse quam preesse, qui uoluntatem propriam relinquunt et aliene) obtemperant, (qui dum sunt in corpore, celestia s)apiunt, qui (refrenant linguas suas non so)lum a malis, (set etiam a bonis propter taciturnit(atis amorem.' (Tunc ait Tundalus: 'Domine, si tibi placet, uolo (propius accedere et eos qui intus su)nt uide(re.' 'Placet, inquit, ut uideas eos) et audias, (set non intrabis ad eos. Isti) enim fruuntur pre(sencia sancte trinitatis, et qui semel) ad eos (intrauerit, omnium immemor preteri(torum ulte rius non disiungitur a consorcio sanctorum,) nisi forte (uirgo fuerit et coniungi mereatur) choris an(gelorum.' Et accedentes propius, uiderunt) utriusque (sexus animas que assimilabantur ang(elis, (quarum splendor et odor delectabilis et) sonus su(auissimus omnem gloriam quam ante ui)derat su(perabat. Omnia instrumenta nemine) tangen(te sonos reddebant, set hanc omnem) dulcedi(nem superabant uoces ipsorum spirituum, quibus nullus (labor erat in exultacione[4] uocum, nec) labia (uidebantur moueri; nec manus ad) instrumenta musica leuare curabant, et tamen ad libitum cuiusque melos reddebant. Firmamentum quod erat super capita eorum multum splendebat, de quo cathene pendebant auri purissimi uirgulis argenteis intermixte, pulcherrima

[1] om. in VB. [2] so Sch.; VB. variis. [3] *al.* coram. [4] Sch. extensione.

uarietate contexte[1], de quibus ciphi et phiale, et tintinnabula et cimbala, et lilia et sperule pendebant auree. Inter quas multitudo maxima uersabatur angelorum uolancium et aureas alas habencium, qui leui uolatu inter cathenas uolantes, suauissimum atque dulcissimum audientibus reddebant sonum. Cum ergo Tundalus delectatus uellet ibi stare, dixit ei angelus: 'Respice.' Et respiciens uidit unam arborem maximam et latissimam, frondibus uiridissimam et floribus pulcherrimam omniumque fructuum generibus fertilissimam; in cuius frondibus aues multe diuersorum colorum et diuersarum uocum generibus cantantes et organizantes moraba[n]tur, sub cuius ramis lilia et rose et cunctarum herbarum specierumque odoriferarum genera oriebantur. Et [erant][2] sub eadem arbore uiri multi et femine in cellis aureis et eburneis, semper benedicentes et laudantes deum pro uniuersis beneficiis suis et donis. Et habebat unusquisque coronam auream in capite suo mirabiliter ornatam, et sceptrum aureum in manu sua, et erant uestiti talibus in[d]umentis[3] quibus usi sunt[4] monachi. Tunc ait angelus ad Tundalum: 'Hec arbor [typus][2] est sancte ecclesie; hii qui sub ea sunt, constructores sunt et defensores ecclesiarum, et pro beneficiis que sanctis ecclesiis largiti sunt. fraternitatem ipsorum consecuti sunt, quia per illorum commonicionem secularem habitum reliquerunt et religiose uixerunt.' Cumque inde profecti essent, uiderunt murum altitudine, pulcritudine et splendore ceteris dissimilem. Erat namque ex omnium lapidum preciosorum constructus[5] uariis coloribus, metallis interpositis, ita ut habere uideretur aurum pro cemento. Lapides eius erant cristallus, crisolitus, berillus, iaspis, iacinctus, smaragdus, saphirus, onich[in]us, topasius, sardius, crisop[r]assus, ametistus, tintachus[6] atque granatus. Hiis et si(milibus) splendebat murus ualde, et mentes (intuen)cium multum in se prouocabat. Ascend entes igitur) murum [uidere][2] procul dubio quod (oculus non uidit nec) auris audiuit nec in cor (hominis descendit, que) preparauit deus diligentibus se. (Viderunt ibi no)uem ordines angelorum et beatorum spirituum cum illis immixtorum, et audierunt ibi uerba ineffabilia, que non potest homo, nec licet homini, loqui. Dixit angelus: 'Audi filia et uide et inclina aurem tuam et obliuiscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. Ecce patet quanta sit amenitas, iocunditas, dignitas, sublimitas, interesse choris angelorum et omnium sanctorum, et quod omne precellit gaudium, eum qui panis est angelorum ac uita omnium, sentire clementem et pium.' Ab illo enim loco in quo tunc stabant, non solum omnem quam ante uiderant gloriam, uerum et predicta supplicia uidebant, et quod [magis][2] mirandum est, ipsum orbem terrarum quasi sub uno solis radio uidebant, sicut scriptum est: 'Cernent terram de longe.' Non enim potest quicquam creature uisum obtundere, cui semel concessum est omnium creatorem uidere. Et miro modo cum starent in eodem loco in quo prius steterant, non se uertentes in aliquam partem, cunctos tamen ex eodem loco ante et retro positos uidebant. Non solum autem uisus, uerum eciam rerum sciencia dabatur insolita, ita ut non esset ibi opus interrogare amplius aliqua, set omnia sciebat ibi Tundalus aperte et integre quecunque uolebat. Cum autem ita esset ibi Tundalus, affuit ibi[7] sanctus Ruadanus confessor, cum magna leticia salutans eum, et amplectens intime caritatis uisceribus ait: 'Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum ex hoc nunc et usque in seculum. Ego sum Ruadanus patronus tuus, [cui][8] iure debitor es sepulture.' Et cum hoc dixisset, stetit nichil amplius dicens. Tundalus autem respiciens, uidit sanctum Patricium Hiberniensium

[1] Sch. contextis. [2] om. [3] T. instrumentis. [4] VB. ante visi m. [5] T. constructum. [6] *al.* turcatus. [7] *al.* ei. [8] T. ego.

apostolum cum magna turba episcoporum, inter quos quatuor uidit [sibi notos], scilicet Celestinum ardmachanum (archiepiscopum, et Malachiam qui Celestino successit, qui Romam ueniens tempore Innocencii pape, legatus et archiepiscopus ab illo est constitutus, qui omnia que habere poterat sanctis[1] et pauperibus diuidebat. Hic constructor extitit xliiii cenobiorum monachorum, canonicorum, sanctimonialium, quibus omnia necessaria prouidebat, et nichil omnino sibi retinebat. Ibique uidit Christianum lugdunensem episcopum, fratrem predicti Malachie uterinum, mire continencie uirum et uoluntarie paupertatis amatorem, et Neemiam cluanensis ciuitatis antistitem, uirum simplicem atque modestum, sapiencia quoque et castitate pre ceteris fulgentem. Hos quatuor cognouit episcopos. Eratque iuxta eos unum sedile mirabiliter ornatum, in quo nemo sedebat. Et dixit Tundalus: 'Cuius est istud sedile, et quare sic uacat?' Respondit sanctus Malachias: 'Cuiusdam de fratribus nostris, qui nondum migrauit a corpore; hic sedibit cum migrauerit.' Cum autem in hiis omnibus anima Tundali ualde delectaretur, affuit angelus domini, qui eam antecedebat, et blande eam alloquens ait: 'Vidisti hec omnia?' Et illa: 'Video, domine. Obsecro, sine me hic esse.' Cui angelus: 'Debes ad corpus tuum redire et omnia que uidisti ad utilitatem proximorum memoriter retinere.' Quo audito, anima tristis et flens respondit: 'Domine, inquit, quid tanti mali egi ut relicta tanta gloria ad corpus redeam?' Ad quam angelus: 'Hanc non merentur intrare nisi uirgines, qui corpora sua ab omni immundo tactu, et corda sua ab omni immundo affectu custodiunt, et aduri magis pro) tan(ta gloria quam coinquinari aliqua turpi concupis)cencia (uolunt, quod scilicet tu noluisti facere et uerbis) meis[2] (credere, et ideo non poteris hic manere. Reuer)tere ergo ad (corpus tuum et abstine ab hiis) que ante fa(ciebas. Consilium meum et auxilium tibi) non deerit, (set presencialiter atque fideliter tibi) manebit.' (Et cum hoc dixisset angelus, conuersa anima) statim sensit (se mole corporis esse grauatam); nullum inter(uallum nec ullum[3] temporis intercessit momentum set (in uno eodemque temporis puncto in celis) loquebatur ad ang(elum et in terris se sensit inducre) corpus suum. (Tunc ipsa debilis corporales aperuit) oculos et (suspirans nichilque dicens respexit) clericos circum(stantes; et sumpsit corpus domini cum) graciarum accione, (et omnia que habuit dispersit et) dedit pauperibus, (et signum sancte crucis uestimentis) suis affixit. (Cunctaque que uiderat et retinere po)terat, post(modum recitauit, bonam uitam) ducere mo(nuit, uerbumque dei quod ante nescierat) cum magna (deuocione et utilitate ac humilitate et sciencia predicabat).

¶ De sancto Paulino episcopo et confessore[4].

ANno ab incarnatione domini quingentesimo octogesimo secundo, imperante Mauricio, Gregorius eiusdem principis anno decimo romane sedis papatum adeptus est. Hic misit Augustinum et Paulinum cum ceteris ad predicandum euangelium genti Anglorum: gensque northanhumbrana, que ad aquilonem Humbrie fluminis plagam inhabitat, cum suo rege Edwino verbum vite, predicante

[1] Sch. cenobiis. [2] Sch. scripturarum. [3] Sch. unum. [4] Collected from Beda II. 14. 16. 20; III. 14; the Translatio is added.

(beato) [1] Paulino, suscepit. Edwinus igitur rex cum gentis sue parte magna predicante beato Paulino fidem Christi suscepit anno regni sui vndecimo, et incarnationis dominice sexcentesimo vicesimo septimo, ab aduentu vero Anglorum in Britanniam anno circiter centesimo octuagesimo. In Eboraco vero doctori suo Paulino sedem episcopatus donauit, ecclesiam in honore beati Petri apostoli de lapide edificare cepit; sed, priusquam consummaretur, occisus est [2], opus successori suo Oswaldo perficiendum reliquit. Paulinus autem ex eo tempore sex annis continuis, vsque ad mortem videlicet regis, verbum dei, annuente ac fauente eodem rege, in illa prouincia predicabat; credebantque et baptizabantur quotquot erant preordinati ad vitam eternam. Tantus autem fertur tunc fuisse feruor fidei ac [3] desiderium lauachri salutaris genti Northanhumbrorum, vt quodam tempore Paulinus veniens cum rege et regina in villam regiam que vocabatur Adgebrin [4], triginta sex diebus ibidem cum eis cathezizandi et baptizandi officio deditus moraretur, illisque diebus cunctis a mane vsque ad vesperam nihil aliud ageret quam confluentem illuc de cunctis viculis ac locis plebem Christi verbo salutis instruere, atque instructam in fluuio Gleni [5], qui proximus erat, lauachro remissionis abluere. Hec villa tempore sequentium regum deserta, et alia pro illa est facta in loco qui vocatur Melmin: et est in prouincia Berniciorum. Sed et in prouincia Deirorum, vbi sepius manere cum rege solebat, baptizabat in fluuio Swalwa, id est Swala, qui vicum Cataractam [6]—id est Keterik—preterfluit. Nondum enim oratoria vel baptisteria in ipso exordio nascentis ibi ecclesie poterant edificari. Attamen in Campo-dono [7], vbi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodum pagani a quibus rex Oswinus occisus est cum tota eadem villa succenderunt; pro qua reges posteriores fecere sibi villam in regione que vocatur Loidis [8]. Euasit autem ignem altare, quia lapideum erat, seruaturque [9] in monasterio quod est in silua Elmete. Predicabat autem Paulinus verbum vite prouincie Lindeseie, prefectumque Lincolnie, cui nomen erat Blecca [10], cum domo sua primo conuertit ad dominum. In qua ciuitate ecclesiam operis egregii de lapide fecit; cuius tecto vel longa incuria vel hostili manu deiecto, parietes hactenus stare videntur, et omnibus annis aliqua sanitatum miracula in eodem loco solent ad vtilitatem eorum qui fideliter querunt ostendi. In qua etiam Paulinus, transeunte ad Christum Iusto, Honorium pro eo consecrauit episcopum. Multos insuper in fluuio Trenta ad eum de prouincia illa confluentes baptizauit. Erat autem Paulinus vir [11] longe stature, paululum incuruus,

[1] om. in T. [2] om. in Bed. [3] E. ad. [4] B. Adgefrin, now Yeverin. In T. follows: modo agbrig dicitur, but these words are crossed out in red. [5] E. Gleui; = the Glen, a small river which falls into the Till. [6] E. catharactam. [7] Camden supposes Almonbury, Gale Tanfield, *al.* Doncaster (Archaeologia I. 221). [8] At Oswinthorp. [9] que om. in T. [10] E. blecta. [11] so T.; E. longe stature vir.

nigro capillo, facie macilenta, naso adunco pertenui, venerabilis simul et terribilis aspectu. Habuit autem secum in ministerio Iacobum diaconum, virum vtique industrium et nobilem in Christo: qui vsque ad tempora Bede permansit. Martirizato autem rege Edwino turbatisque rebus, Paulinus, assumpta secum regina Ethelburga, rediit Canciam nauigio [1], atque ab Honorio archiepiscopo et rege Edbaldo honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Basso, milite regis Edwini fortissimo, habens secum Eanfledam filiam et Iosfridum [2] filium Edwini, necnon et Yffi filium Osfridi filii eius, quos postea mater metu Edbaldi et Oswaldi regum misit in Galliam nutriendos regi Dagoberto, qui erat amicus eius; qui in infantia mortui sunt. Attulit autem [3] secum vasa preciosa Edwini regis perplura, et crucem magnam auream et calicem aureum, que hactenus in ecclesia Cancie conseruata monstrantur. Quia vero Romanus presul roffensis ab Honorio [4] Rome missus absorptus fuerat fluctibus italici maris [5], Paulinus, inuitante Honorio, episcopatum roffensem suscepit, et quamdiu vixit tenuit. In qua ecclesia moriens pallium suum reliquit. Reliquerat autem in ecclesia eboracensi Iacobum diaconum suum, virum vtique ecclesiasticum et sanctum, qui multo tempore ibi manens, magnas antiquo hosti predas docendo et baptizando eripuit. Tandem sanctus Paulinus in senectute bona, anno domini sexcentesimo quadragesimoquarto, sexto idus octobris, ad dominum migrauit, et in Secretario beati Andree, quod Ethelbertus rex in ciuitate roffensi a fundamentis construxerat, sepultus est. [6] Elapso autem multo tempore, Gundulpho ibidem pontificante, Lanfrancus archiepiscopus veterem ecclesiam beati Andree funditus destruxit nouamque basilicam reedificauit, ossa sancti Paulini de terra leuauit et in scrinio honorifice collocauit. [6] Erat autem matrona quedam inter alias que ibi aderant infirmitate corporis sui grauata, sed multo vehementiori sceleris pondere pressa; que ad sepulchrum sancti Paulini accedens, votum deuot(issim)e [7] commisit quod (ipsa) [8], si ab infirmitate sua meritis beati Paulini liberari mereretur, facinus in quo misera iacuerat, quoad viueret iterum non committeret: et protinus sanitati restituta est. Non multum vero post, sicut canis ad vomitum, instigante diabolo rediit ad peccatum. Cum autem vir suus super crimine lese maiestatis infamaretur, matrona illa candelam fieri fecit, quam ad ecclesiam sancti Andree detulit: et ad sepulchrum sancti Paulini primum gradum ascendens, vi quadam repulsa retro abiit, et fere ad terram cecidit. Et mirans estimabat quod aliquo corporis sui aut mentis defectu hoc accidisset [9]: ad gradum vnde repulsa erat rediit, sed nullo conamine ascendere potuit. Quasi per

[1] E. nauigio Canciam rediit. [2] Bed. Vuscfrean. [3] Bed. quoque. [4] Bed. ad Honorium papam a Iusto archiepiscopo. [5] E. italici maris fluctibus. [6] Cf. Vita Gundulfi in Wharton II. [7] T. deuote; E. deuotissime. [8] om. in T. [9] E. accedisset.

capillos retrorsum tracta repellebatur, et a sancto loco inuisibiliter excludebatur. Tandem ad se rediens et reatum suum agnoscens, ante altare, quod ibi erat, flens et eiulans se proiecit, et facta ibidem oratione, surrexit et monachos ecclesie, vt pro domino suo ac pro se ad deum preces funderent, lachrimosis singultibus exorauit. Quod cum fecissent, pietas[1] diuina virum eius de obiecto sibi crimine nimis perterritum liberum effecit. Propulsato vero timore mulier leta effecta redditur secura, vitiumque cui diu subiacuerat non relinquitur, immo frequenter committitur, nec de violata promissione concutitur nec omnia videnti[2] confitetur. Quapropter immani corporis infirmitate deo volente percutitur, et ad extrema perducitur. Vite sue desperat, gemebat, pauebat, longa suspiria educebat, et quid faceret, quo se verteret nesciebat. Vidit hanc qui omnia videt, et respexit eam, sepe contemptus ab ea. Itaque vocato episcopo scelus suum confessa est; qui ait: 'In vltimo vite articulo posita per penitentiam satisfacere non vales: propterea deo promitte quod peccatum illud amplius non committas, et quod sepulchrum sancti Paulini cum oblatione deuote adibis.' Illa respondit: 'Quod precipis, mones, et hortaris, me impleturam promitto: et si beatus Paulinus munus meum susceperit, veniam a deo me promereri posse cognoscam; si vero suscipere renuerit, sciam mihi imminere penam eternam sine fine.' Conualuit mulier, pallium vnum quod habebat optimum sancto obtulit et sepulchrum eius inde operuit. Munus enim mulieris sanctus suscepit, qui prius suscipere despexit. Non enim munerum[3] distinxit quantitatem, sed diuersam attendit vnius eiusdemque mulieris qualitatem.

¶ *Narratio*[4].

Fuit in Alexandria virgo nomine Eufrosina: quam cum pater eius vellet nuptiis tradere, illa monachum quendam adiens petiit se doceri ea que dei sunt. Cui ille: 'Si potes temptamenta carnis ferre, relinque omnia et fuge,' et abscidens crines eius, induit tunicam viri, et 'Smaragdum' eam vocauit. Que simulans se eunuchum, monasterium intrauit. Diabolus vero multos concitabat ad decorem vultus eius per malas cogitationes, ita vt omnes molesti essent abbati, qui talem pulchritudinem in monasterium introduxisset. Et ait abbas: 'Pulchritudo tua fratribus infirmis fit[5] ruina: volo te sedere in cella tua ibique psallere [et] manducare, nunquam egressurum.' Smaragdus ergo ingressus cellam, vigiliis, ieiuniis, et orationibus vacabat. Cumque quesita esset per totam Alexandriam, et nusquam inuenientes eam, lugebant quasi mortuam sponsus sponsam, pater filiam. Pater vero non ferens dolorem suum, venit ad abbatem et cadens ad pedes eius dixit: 'Peto ne cesses orare dominum pro filia

[1] T. E. et p. [2] E. viuenti. [3] E. numerum. [4] Ex Vinc. Bell. XV. 76. [5] E. fit infirmis.

mea: quia quid actum sit ei nescio.' Ieiunantibus autem fratribus et orantibus, nihil reuelatum est de illa, nam et ipsa iugiter orabat dominum ne manifestam eam faceret in vita sua. Abbas autem consolabatur virum, dicens: 'Credo quia bonam partem sibi elegit, ideo nihil nobis de illa deus reuelauit. Si enim in malis operibus incidisset, nunquam dominus tantum laborem fratrum despexisset. Vis, inquit, loqui cum quodam fratre spirituali qui venit de palatio Theodosii?' Cui ille: 'Volo.' Cumque filia subito vidisset patrem et cognouisset eum, tota lachrimis repleta est. Quod ille compunctionem esse putans, non cognouit eam, quia species eius pre abstinentia et lachrimis emarcuerat. Et cepit patri loqui de futura beatitudine, quomodo per elemosinam et charitatem et patientiam possit quis ad eam pertingere. Nec diligendos esse filios, asseruit, plus quam deum, nec patrem plus eo qui est factor omnium. 'Si filia tua, inquit, in perditionem anime iuisset, deus eam tibi oratione fratrum manifestasset. Potens est autem dominus in hoc seculo manifestare eam tibi, tu tantum gratias age, nil desperans. Nam et ego tibi compatiens sepius oraui deum vt tibi sufferentiam tribuat et tam de te quam de filia tua quomodo expedit adimpleat.' Confortatus ille dixit abbati: 'Edificata est anima mea sub isto fratre, et ita letus effectus sum tanquam si filiam meam inuenissem.' Completis autem Smaragdus intra cellam triginta octo annis cum in infirmitatem decidisset, introiens ad eam pater et deosculans clamare cepit: 'Heu me, vbi sunt verba tua dulcia quibus mihi filiam meam videndam promittebas? Ecce non solum illam non videbo, sed et te, per quem consolationem habebam, amitto.' Cui Smaragdus ait: 'Iam pone finem tristicie; recordare quia Iacob manifestauit deus Ioseph quem quasi mortuum lugebat: et quia desiderium meum deus impleuit et vsque in finem viriliter certando perduxit, nolo te esse solicitum pro filia tua: ego sum illa misera, et tu es pater meus. Corpus meum ab alio nudari et lauari non permittas, sed per teipsum hoc facias. Et quia in ingressu meo promisi abbati me multas possessiones habere et, si perdurare possem, in hunc locum eas adducere, tu imple quod promisi, et ora pro me.' Hec dicens tradidit spiritum. Et ingemiscens pater, quasi mortuus ad terram cecidit, et veniens abbas concidit super eam eiulans et dicens: 'Eufrosina sponsa Christi, ne obliuiscaris seruorum tuorum, sed ora pro nobis ad dominum Ihesum Christum.' Pater vero puelle substantiam suam monasterio tradidit, et habitu assumpto decem annis in sancto proposito vixit[2].

[1] T. ad.

[2] Collect in T.:

Honorabilis Rome, acceptabilis Anglie, desiderabilis ubique; dux angelice, legate apostolice, preco dei in fines terre: o Pauline digne apostolico nomine, o qui regiones et naciones incredulas Christo lucraris: Ora pro nobis.

Deus cui beatus Paulinus pontifex ita sanctitatis gracia decoratus complacuit,

¶ De sancto Petroco abbate et confessore[1].

BEatus enim Petrocus, natione Cumber[2], ex regali ortus prosapia, ita vixit a puero, vt sequax fidei, et operum apostolorum principis imitator, quodam quasi presagio ex proprii nominis assignatione percepto diuinitus, se etiam petram esse contenderet, in qua suam ecclesiam ipsa veritas superedificare promiserat. Cui talem deus contulerat gratiam, vt in omnium oculis beneplacitus et acceptus appareret. Erat enim modestus, humilis, dator hilaris; continua charitate feruens, ad omnia religionis opera promptus. Mortuo autem rege patre suo, optimates quique, consona populi acclamatione, regem hereditario iure ipsum constituere nitebantur. Ille vero, neglecta regali pompa, assumptis secum sexaginta sociis monasterium intrans habitum religionis suscepit. Elapsis post hec aliquot annis in Hiberniam proficiscens, litterarum disciplinis et sacre scripture viginti annis se mancipauit. Repatriare tandem cogitans, in maris littore ratem, quam dudum ibidem nullo preter deum custode reliquerat, nulla compage soluta integram inuenit. Expansis autem velis naueque vento commissa, prospere Britanniam applicuit. Egressis de naue discipulis, messores illic operantes amare eis loquuti sunt; insuper et importune petunt quatinus ad restringendam sitim suam fontem eis dulcis aque de scopulo eliceret famulus dei: siue vt irriderent aduenam, siue vt eius sanctitatem experimento tali cognoscerent. Ille vero, qui petentibus dare rogata[3] consueuerat, dei exorata clementia, saxum percussit baculo: et mox inde fons aque dulcis atque lucidus scaturire incepit, et vsque in hodiernum diem manare non desinit. Mirabantur hiis visis barbari [4](christiane religionis penitus ignari)[4], et querenti[5] seruo dei si quis religionis cultor in illa esset prouincia, sanctum quendam ei monstrarunt Sampsonem; narrationemque[6] facientes de solitaria vita eius et parcimonia, labore, vigiliis et precibus, et quomodo panis tantum ordeacei parco vesceretur edulio. Hec audiens seruus dei, cum Sampsonem esset intuitus, ad deum preces fudit ne a loco illo abscederet, quousque colloquium eius habere mereretur. Desiderium statim anime eius tribuit ei dominus, voto eius adiiciens quod orare non presumpsit. Nam statim Sampson[7] ita membris diriguit[8], vt instrumentum, quo terram euertere solebat, manu mouere non posset, orationis hominis dei vinculo vinctus. Et accedente Petroco, in eius salutatione Sampson saxeo illo rigore soluitur; et dato inuicem pacis osculo, gratias et laudes deo dederunt. Petrocus autem

ut tuorum consorcium in celis promereretur sanctorum, da ecclesie tue, quesumus, eius interuentu perpetuam consequi leticiam, cuius deposicionis diem gratulando celebrat sôlempnem, per.

[1] Ed. in Act. SS. Boll. 4 June I, p. 392, ex MS. Rub. Vallis and Capgr.; abr. from the Life quoted by Leland Itin. viii. 52. [2] E. cuniber, Lel. Camber. [3] E. rogate. [4–4] om. in T. [5] Boll. querente. [6] Boll. om. que. [7] E. samson. [8] T. dirriguit.

in loco ibi propinquo cum suis sociis mansionem fecit. Per triginta annos ita innocentem vitam ibi egit, vt nemini faceret quod sibi fieri nollet. Carnem ita ieiuniis et vigiliis afflixit et algore, vt ad reprimendos motus illicitos voluptatis, a gallicantu vsque diluculum in torrentis medio nudus pernoctaret. Ita gulam edomabat, vt non solum deliciosos apparatus non quereret, verum etiam solo panis edulio gauderet. Diebus dominicis, pro reuerentia resurrectionis dominice, aliquod pulmentum sobrie gustabat, quo depulsa esurie, neruorum ariditas a domini militia illum debilitatum non redderet. Decursis igitur triginta annis Romam peregre profectu[ru]s [1] cum in Cornubiam regressus fuisset, concitato ventorum turbine facta est pluuia magna valde. Et cum ob hoc conquesti essent discipuli sui, compescuit murmur eorum vir dei, pollicitans in crastinum aeris serenitatem, et iter prosperandum fore. Et cum in crastino non cessasset pluuia, vir dei cepit mestus fieri, seque ipsum presumptionis arguere, quod [2] aliter esset pollicitus quam deus prouiderat. Sedata tandem tempestate die tertia, palam se Romam profecturum confitetur eo quod lingua temerarius extiterat et aduersus dei dispositionem falso prophetauerat. Quo cum peruenisset, et loca sancta visitasset, Hierusalem vsque proficiscitur. Cumque ad sepulchrum domini pias preces fudisset et lachrimas, versus Indiam iter maturare cepit. Per plurima tandem latronum fluminumque pericula orientalem vsque peruenies occeanum, multa confectus lassitudine solus dormiuit in littore. Euigilans autem a sompno, vidit vas ad se per mare aduectum, intro lucidum, vnius solummodo capax hominis. Et intuens vas, confidenter in illud ingressus est: et solo maris impetu sine remo transuectus et remige, insule cuidam letus applicuit, vbi septem annis contemplatiuam egit vitam, vno tantum pisce pastus, horis interim oportunis diuinitus apposito. Peracto autem septennii spacio, angelus domini in sompnis ei astitit dicens: 'Age iam, serue dei Petroce, proficiscere te iubet dominus, cuius nutu piscis ille quo te septem annis pauit, totus restat integer, et vas quo aduectus fueras recessuro presto est. Vbi vero mare transieris, cum baculo, quem cum melote reliqueras, assistentem lupum reperies, quem tibi dominus collegam uie [3] preparauit preuium, donec notas in partes peruenias.' Omnibus vt ab angelo dictum fuerat repertis, in occidentalem Britanniam peruenit. Regnabat eo tempore Tendurus, vir atrox et ferus moribus, qui ad furum penam et reorum supplicia, effera tirannide, serpentes et genus omne vermium nocentium congregari in lacum fecerat. Quo mortuo, cum filius qui ei successit hoc tormenti genus inhiberet, huiusmodi serpentes famelici [4] insurgentes, alterutrum sese crebris congressibus dente liuido attriuerunt: vt de tanto numero solum vnus remaneret, horrendus, enormi corpore, et rictu venenoso pecudes hominesque seuis faucibus laniaret. Et

[1] T. E. profectus. [2] Boll. qui. [3] E. me. [4] so T., E. famelici serpentes.

accedens illuc vir dei, et flexis coram omnibus ad orandum genibus, mortuum quendam resuscitauit, et monstrum illud, ex tunc nemini nociturum, iussit in solitudines transmarinas secedere. Et assumptis secum duodecim sociis in solitudine arida manere cepit, et terram baculo percutiens, lucidum fontem, iugiter manantem, de humo produxit. Quadam die vidit ceruum ad se fugientem, quem Constantini cuiusdam diuitis serui venatores cum canibus sequebantur. Hunc sanctus pietatis affectu conseruauit illesum; et venatores, ceruum sub tutamine viri sancti tangere verentes, rem diuiti[1] ex ordine retulerunt. Qui indignatus et acri ira permotus cum dei seruum gladio ferire niteretur, subito stupore totis membris diriguit, quousque humiliatum, interuentu militum, piis sancti precibus persoluit; et sibi et viginti militibus suis fidem Christi docens, ex tirannis mites, et ex paganis reddidit christianos. Epulante seruo dei, vas aque sibi appositum casu concidit, et liquore effuso signum crucis edidit et vas integrum aqua plenum recepit. Qua gustata et fratribus porrecta, liquoris dulcedinem potantes admirantur. Aliquando cum orationi sub diuo vacaret, et circumquaque abundanter plueret, minima[2] pluuie gutta eum non tetigit. Quodam tempore viro dei cum quodam sancto episcopo sermonem faciente[3], ecce miri decoris palla inter eos de celo descendit. Quam cum honore preuenientes inuicem alterutrum porrigerent, causasque pia contentione vterque exponeret quare magis alterius esse deberet: statim ipsis intuentibus assumpta est in ethera, et repente ambobus inde sue[4] emisse descendere videntur. Quidam tribunus patrie grauissimo dolore torquebatur: cui soporato beatus Petrocus apparuit, iubens vt reos quos vinctos tenebat de claustris educeret[5], et sanitatem reciperet. Quibus solutis, pristine valitudini redditur. Mulier quedam annis plurimis fluxum perpessa sanguinis, sancti viri veste clanculo tacta, sanitatem fidei merito perfectam recepit. Dracho quidam magnus, secus eius cellam conuersans[6] in heremo, ligno dextrum confixus oculum, deposita nocendi seuitia ad locum festinauit vbi sanctus vacabat orationi, et inclinato capite tribus diebus iacuit sancti patrocinium expectans. Qui beati Petroci iussu suffusus aspergine facta latice permixto pauimenti puluere, statim vi medicaminis exempto ligno ab eius oculo, sanus ad solitum regressus est volutabrum. Mulier quedam, serpentem paruulum cum aqua bibens, cum nihil in ea medici proficerent, ad sanctum virum adducta est. Qui facta mixtura terre ac laticis, mulieri potum dedit. Qua hausta, serpentem iam tripedalem euomens sed mortuum, ipsa hora recepta sanitate gratias egit deo. Conuocatis tandem discipulis, de vera religione cepit eos diligenter instruere, vt qui seculi negocia reliquerant, seductorias voluptates respuerent, furorem reprimerent, fugerent

[1] Boll. domino. [2] Boll. ne una quidem; non om. [3] Boll. sermocinante. [4] Boll. due. [5] Boll. absolveret, de c. om. [6] Boll. convolans.

mendacia, inuidiam execrarentur, nec solum [non][1] detraherent, sed nec male de proximo suspicarentur; ex[s]uperarent superbiam, darent locum virtutibus, vt corda sua munda deo prepararent habitacula, et templum spiritus sancti esse mererentur. Cumque hec et multa discipulis documenta dedisset, plenus omni sanctitate et miraculis celos penetrare meruit, pridie nonas iunii.

[MS. Tib. adds: *Incidencia*[2].

Cunebertus rex Longobardorum dum stans iuxta fenestram camere sue consiliatus esset cum quodam secretario suo quomodo Aldonem militem interficeret: affuit quedam magna musca, quam dum rex occidere uellet, eius solummodo pedem abscidit cum cultello quem tunc manu tenebat. Interim Aldo prefatus regie machinacionis ignarus, uersus curiam regis tetendit. Cui obuians quidam claudus baculo nixus, sic ait: 'Caue tibi Aldo, quia si ad curiam regis accesseris, manu eius interibis.' Hoc audito, Aldo ad ecclesiam confugit. Interrogatus autem a rege cur sic faceret, respondit quendam claudum de morte ipsum certificasse. Cognouit igitur rex ipsum malignum fuisse cui in specie musce pedem truncauerat, qui sic secretum suum denudasset; sic quoque Aldonem recepit ad graciam.]

¶ De sancto Pirano episcopo et confessore[3].

BEatus autem Piranus qui a quibusdam Keranus[4] vocatur, in Cornubia vbi quiescit Piranus appellatur. De primis enim Hibernie sanctis, floruit eo tempore quo beatus Patricius a Celestino papa missus populum Hibernie ad dominum conuertit. Piranus itaque ossiriensi Hibernie prouincia, ex patre Domuel[5] et matre Wingella[6] originem traxit. Postquam autem puer in vtero matris iam conceptus esset, quadam nocte mater eius in lectulo quiescens quasi stellam aliis clariorem in os suum cadentem vidit. Nato vero infantulo, et educato, ad insulam nomine Cleram accessit, et triginta annis in magna abstinentia et operibus sanctis deo seruiuit. Quadam itaque die accipiter, que et nisus dicitur, cum impetu descendens auem quandam super nidum cubantem coram Pirano vngulis rapuit et in aera asportauit. Quo viso, eam benedixit: et statim a niso dimissa, super nidum suum cubare cepit. Demum Romam profectus, scripturas sanctas legens et ecclesiasticam regulam di[s]cens[7] quindecim[8] annis ibidem mansit, et gradum episcopalem suscepit. Illis diebus fuit in Italia sanctus ille magnus Patricius; qui spiritu sancto edoctus beato Pirano ait: 'Festina ante me, fili dilecte, et in medio insule super ripam fluminis Waran[9] tibi locum construe: placet enim

[1] om. in E. [2] Cf. Pauli Diac. Gest. Long. vi. 6. [3] Cf. Vita S. Kiarani Sagirensis, ex libro Kilkenniensi ed. in Colgan 5 March I. 458, ex Ms. Salmatic. ed. in Smedt Act. SS. Hib. [4] E. Keramus. [5] Colg. Luygneus. [6] C. Liadain. [7] E. dicens. [8] Colg. viginti. [9] Colg. Fuaran.

deo, et preuidit quod in eo loco honor sanctitatis tue hominibus declaretur; [1]in Britannia tamen demum perueniens, vsque[2] ad finem vite tue deo seruiens communis resurrectionis et vite eterne beatitudinem expectabis[1].' Cui Piranus humiliter respondit: 'Forsitan locum illum mihi ignotum non inueniam.' Patricius ait: 'Perge, fili, securus, dominus tecum erit, et in quocumque loco cimbalum tuum sponte sonuerit, sine omni dubietate tibi locum constitue.' Veniens ergo in Hiberniam Piranus, et iuxta predictum flumen, cimbalum suum, nemine[3] tangente, clarum sonum dedit. Aper vero, vulpes, taxus, lupus, et cerua cum hinnulo ei humiliter venientes obedienter seruierunt. Quadam autem die vulpes beati Pirani ficones furata est, et volens comedere ad suum pristinum habitaculum secum deportauit. Tunc Piranus taxonem in siluas misit, vt vulpem cum ficonibus quereret. Qui pergens ad latibulum vulpis, et eum inueniens, aures eius et caudam dentibus detruncauit et pilos eius violenter detraxit. Tunc vulpes, sequens taxum, cum sanis ficonibus ad sanctum Piranum hora nona venit: cui et dixit: 'Quare tantum malum fecisti, penuriam esce et potus non sustinens?' Vulpes vero penitentiam agens tribus diebus ieiunauit. [4]Postquam autem per predicationem sancti Pirani episcopi fides in Hibernia creuisset, exemplo eius multi in amorem dei accensi, vitam heremiticam ducentes omnia mundana deum sequendo reliquerunt, inter quos erat quidam nomine Brendanus, qui non procul a Pirano sibi locum constituit. Habuit autem vaccam vnam, quam prefectus regis Laginensium furatus est et cum ad montem quendam peruenisset, caligo et tenebre circumdederunt eum vt tanquam cecus nihil videre posset, et huc atque illuc oberrans in quendam fluuium cadens submergitur, et vacca ad sanctum Piranum reuertitur. Quam cum Brendano dare vellet, et ille eam accipere nollet, quia nunquam se vaccam habiturum decreuerat; cogitauit Piranus qualiter efficere posset vt vaccam illam Brendanus acciperet. Et simulato morbo quesiuit modicum lactis a Brendano sibi dari. Brendanus autem vas plenum aqua benedixit, que statim versa est in lac nouum quasi nouiter mulsum. Quod Piranus accipiens benedixit: et in aquam iterum reuersum est. Quo audito, Brendanus vaccam libenter a Pirano accepit. Cui Piranus gratias agens pro accepto a se munere, ait: 'Vere tibi dico quia quolibet anno vsque in finem seculi dabit deus loco tuo vaccam vnam cum vitulo[4].' [5]Cum enim sanctus Geranus[6] cuidam regi tiranno et infideli seruiens nec haberet quod pauperibus errogaret, largitus est eis concauum[7] regis, quamobrem iratus rex in carcerem eum misit; et postea ei dixit: 'Si vis vt te liberum dimittam, quere mihi septem vaccas sine cornibus, hispidas,

[1–1] *al.* Colg. [2] E. et v. [3] E. nomine. [4–4] om. in Colg. [5] Cf. Colgan cap. 33. [6] Colg. S. Kieranus abbas de Cluain Mic-nois. [7] Colg. bonum.

rubrasque cum capitibus albis.' Quesitis vero talibus, nec inuentis, peruenit tandem ad sanctum Piranum, et duos Brendanos[1] viros sanctos secum inuenit. Et gauisus pro hospitibus, Piranus dixit puero suo: 'Quid habes sub manu tua vt nostris hospitibus detur hac nocte?' 'Ego, inquit, non habeo nisi humerum suis; et cogito quod dies ieiunii est et tempus quadragesime.' Cui Piranus ait: 'Pone illum coram hospitibus nostris[2] vt comedant, et fiet illis panis et olus, piscis et mel, [et][3] oleum et vinum.' Erat autem inter hospites quidam laicus, qui cum ceteris comedere per superbiam indignabatur. Cui beatus Piranus pro superbia eius quasi offensus, in spiritu dei futura preuidens ait: 'In penam huius superbie tue, quod cum aliis hospitibus nostris comedere contempsisti, carnem de asina in ieiunio quadragesimali ante pascha comedes et in illa hora ab inimicis tuis iugulatus et decollatus, a regno dei alienus eris.' Et factum est ita. In crastino autem Geranus cum benedictione viri dei pergens iuxta ripam cuiusdam fluminis, septem vaccas sine cornibus, hispidas et rubras cum capitibus albis inuenit: et regi pro sua liberatione dedit. Nocte autem sequenti disparuerunt et nusquam postea in terra illa vise sunt. Puer quidam seruus Gerani, diabolo instigante ignem sub liquore potus[4] monachorum Pirani extinxit. Et ait fratribus Piranus: 'Ecce ignis noster a maledicto puero Gerani extinctus est: in hoc loco ignis non erit, donec a deo nobis ignis aduenial.' Puer autem ille die crastina in silua a lupis occisus, mortuus iacebat. Aduenientе autem Gerano, exiuit Piranus foras: et fusa ad deum prece, ignis de celo in gremium illius cecidit, quem ad hospitium vestibus illesis detulit. Apposita autem cena, dixit Geranus: 'In loco isto non comedam, donec puer meus viuus ad me veniat.' Et orante Pirano, puer a morte resurgens, venit ad eos et comedit cum illis. Iterum a quodam fratre extincto igne, lapidem benedixit: et statim flammis ardere cepit: et nudis manibus lapidem assumens, ad sanctum Rodanum[5] (qui ad califaciendum se venerat) sine lesione deportauit. [6]Alio tempore sancta Wingella, mater sancti Pirani, non procul cum suis virginibus habitabat, habens alumpnam valde pulchram nomine Brunetam[7], cuiusdam regis filiam: cuius pulchritudine rex quidam[8] illectus, eam rapuit, et in arce castri sui multis diebus captiuam detinuit. Quam cum Piranus a rege peteret, et ille non acquiesceret, ait: 'Nolo hanc mulierem tibi relinquere, si in aurora vox ciconie me a sompno excitare non contingat.' Erat enim hiems, et nocte illa nix magna descendens castrum et totam terram operuit, locum vbi Piranus cum suis erat non tetigit. In arce autem regis inconsuete et contra naturam suam ciconia cantabat et regem a sompno excitabat. Tunc rex surgens

[1] sc. Brendan of Cluainfert (16 Mai), and Brendan of Birr (29 Nov.). [2] E. vestris. [3] so T.; om. in E. [4] Colg. ignem paschalem. [5] = Ruadan of Lothra. [6] Colgan cap. 10. [7] Colg. Bruinecha. [8] sc. Dymma.

prostrauit se ad pedes sancti Pirani, et veniam petens, alumpnam matris sue reddidit ei. Postea vero dolens rex quod eam dimisisset; cum eam rapere vellet, illam mortuam inuenit. Et offensus valde, Pirano dixit: 'Quia, inquit, vxorem meam occidisti, in loco isto non habitabis, sed inde expellam te.' Et ille: 'Tu non es deus, neque locus iste tuus est, sed dei: et ego in hoc loco manebo.' Et exiens rex cum ira et furore magno, vidit arcem suam, cum domibus adiacentibus, flammis ignis comburentem. Regina autem duos filios habens, filium cariorem in domo oblita, flens et eiulans dixit: 'In manus beati Pirani charissimum commendo filium meum.' Tota autem domo igne penitus consumpta, filius regine sanus et incolumis reperitur. Tunc rex vehementer admirans, et ad Piranum venit et quecunque precepit prompta mente impleuit, et duos filios ad seruiendum deo sub disciplina eius obtulit. Recedente vero rege, oratione Pirani Bruneta matris sue alumpna a morte viua resurrexit. [1] Rex quidam nomine Cohingus [2] septem citharistas in arte sua habens peritos, qui in vrbe vicina a plebe occisi sunt; pro quorum mora rex multum solicitus, quesiuit a Pirano quid de eis factum fuisset. Qui ait: 'Viri, inquit, illi a plebe occisi in aquarum stagno proiecti sunt, citharis eorum super ripam stagni in arbore suspensis.' Rogatu autem regis Piranus cum multis ad locum pergens: trium dierum expleto ieiunio, arefactum est stagnum, corporibus mortuorum in fundo repertis. Quos, licet mense integro sub aqua stagni mortui iacuissent, fusis ad deum precibus sanctus Piranus statim resuscitauit. Stagnum vero illud vsque hodie sine aqua [3] remansit. Prefectus cuiusdam [4] regis cum viginti suis sociis porcum viri dei rapiens, cum [5] iugulatum super ignem posuissent, [6] porcum omnino videre non potuerunt. Fugientibus vero omnibus, in terram mortui corruerunt [6]. Quo intellecto, Piranus accedens ait defunctis: 'In nomine Ihesu Christi, surgite, et ad locum meum mecum venite.' Qui cum statim a morte ad vitam resurrexissent, videns Piranus porcum, suscitauit et illum. Alio tempore eundem regis prefectum a quodam occisum, prece vxoris sue sanctus Piranus ad vitam suis meritis reuocauit. [7] Seruus beati Pirani equum quendam occidens, a rege Cohingo in vinculis detinebatur: quem cum nisi precio redemptum Piranus habere non posset, magnum pondus auri et argenti dedit regi. Pirano vero cum captiuo recedente, aurum et argentum euanuerunt nec vnquam postea videri potuerunt. Offensus igitur rex venit ad Piranum, dicens: 'Quare seduxisti me? Da mihi aurum meum et argentum, nam omnia que dedisti mihi fantasmata erant et vana.' Multisque verbis asperis loquutus est viro dei. Cui Piranus ait: 'Pro auro tuo et argento, maledictum portabis.' Et statim rex tenebris circumdatus, in terram cadens expirauit. Quo

[1] Colg. cap. 17. [2] Colg. Aengus, rex Mumenie. [3] E. aliqua. [4] Colg. predicti. [5] E. eum. [6—6] Colg. inimici sui irruerunt super eos et occiderunt. [7] Colg. cap. 16.

viso, nepos quidam regis[1] contristatus valde, cum omni humilitate rogauit beatum Piranum vt regem a mortuis resuscitare dignaretur. Quo orante, rex a mortuis resurgens, prostrauit se ad pedes sancti Pirani, et penitentiam agens dedit ei filium suum. [2]Tempore autumni sanctus Piranus lintheamen vnum expandit super rubum quendam moros nigros habentem, et illud ibi reliquit, preuidit enim in spiritu quod rubus ille necessarius esset futurus. Post pascha enim venit Cohingus rex ad cenam magnam quam sibi parauerat Concolor[3] rex in finibus Ossirie. Regina autem Cohingi amabat regem Concolorem et vxor eius fieri volebat. Rex autem Cohingus senex erat: sed Concolor peccatum committere renuens, viuentis regis vxorem accipere detestabatur. Videns autem regina se esse contemptam, inter duos reges discordiam suscitare non timuit; se etiam infirmam simulauit. Cui omnes dixerunt: 'Quid vis vt detur tibi?' Regina ait: 'Desiderium meum non est huius temporis: volo moros comedere.' Timens autem Concolor rex ne regina eum ad peccandum alliceret, a sancto Pirano humiliter auxilium petiit. Tunc Piranus misit ad rubum supradictum: et inuentus est cum suo fructu plenus, et lintheamen super se habens expansum. Et allato fructu regina satiatur, et erat quasi mel in ore comedentium. Facta autem per Piranum inter reges pace, regina prostrauit se ad pedes viri dei. Cui vir sanctus ait: 'Non possum te a morte iugulationis defendere.' Et factum est vt ipsa regina postea iugulata sit; et Concolor rex obtulit se Pirano cum omni potestate sua in eternum. Cum venisset Loigaire[4] rex cum exercitu suo ad bellum contra regem cassiliensem, Piranus exiens venit vt pacem mitteret inter illos. Sed reges superbia inflati pacem recipere recusarunt. Orans igitur beatus Piranus, quod ab hominibus adipisci non potuit a deo impetrauit. Nam cum hostes hinc et inde ad bellum processissent, subito[5] inter illos silua radicitus prostratur, et exercitus vterque sine desiderii sui effectu ab inuicem digressus est. Piranus vero exercitui regis vaccam vnam et humerum suis cuiusdam dedit: et toto exercitu inde saturato nonnullas reliquias dimiserunt. Latrunculi quidam ad spoliandum et iugulandum exeuntes dum in quadam silua se occultarent, Louanus[6] quidam nobilis irruit super eos. Cuius faciem illi videntes, timuerunt timore magno, et desperantes se viuere posse, orauerunt vt deus meritis sancti Pirani adiuuaret eos. Et subito tota illa silua inter eos flammis ignis[7] choruscante, Louanus, ignem repentinum timens, ad sua rediit: et latrones illi salui effecti, ad sanctum Piranum venientes, vsque ad diem mortis sue cum eo permanserunt. Sanctus autem Piranus sanctum Patricium episcopum cum decem regibus Hibernie et eorum exercitibus, occisis

[1] sc. S. Carthacus, S. Kierani alumnus. [2] Cf. Colg. cap. 19. [3] Colg. Conchrydhius dux Ossorie. [4] Colg. rex Themorie, name om. [5] E. subita. [6] Colg. Lonanus. [7] E. signis.

octo vaccis suis miraculose tribus diebus pauit; et aqua fontis ab eo benedicta per idem tempus in vinum optimum conuersa est. Quidam a sancto Pirano a morte resuscitatus, dedit ei filium suum cum agris multis. Sanctus autem Piranus in nocte natalis domini, postquam populus eius sacrificium accepisset, de manibus illius exibat ad remota loca ad cellam sancte Cote[1] virginis, vt sibi etiam corpus Christi afferret; et ante matutinas iterum veniebat a mari occidentali vsque ad Cluanam[2] ciuitatem. Petra autem sancte Cote virginis, super quam ipsa sola orare solebat, in mari erat, non procul a loco suo constans inter vndas; ad illam autem petram sanctus Piranus sepe sine naui siccis pedibus super mare ambulabat. [3] Quadam autem die cum venisset Piranus ad cellam sancte Cote, et multa turba cum eo, dederunt ei ibi in cibum humerum suis: et ex illo humero fecit Piranus frumentum, mel, piscem et cereuisiam; et cum aquam[4] fontis benedixisset, in vinum optimum versa est. Erat autem numerus illorum qui de cena illa saturati sunt, nongenti et quadraginta viri. Quodam tempore cum sanctus Piranus sederet in magno consilio hominum, erat ibi rex Corbanus, qui oculos nequam et nephandos habebat: erat enim talis natura malitie sue vt quem maliciose et perspicaciter aspiceret, statim solo visu interficeret. Cum ergo iuuenis quidam cum Pirano ad consilium venisset, Corbanus rex eum maliciose diu intuitus est et iuuenis in terram cadens mortuus est. Hoc videns Piranus iratus est contra regem: et statim rex cecus effectus est. Tunc rex prostrauit se ad pedes sancti Pirani, cum magna humilitate veniam precabatur. Orante autem pro eo sancto Pirano, aperti sunt oculi regis; iuuenis etiam mortuus illo orante resuscitatus est[3]. Cum autem alumpna sancte Cote cum alumpno[5] sancti Pirani carnalem amicitiam vellet coniungere, et in silua quadam conuenientes vterque faciem alterius prospexisset, subito columba[6] de celo cecidit inter eos, et nimio timore perterriti, nihil sibi dicentes ad inuicem fugam arripientes ad domos suas abierunt. Ab illa autem die vsque ad mortem suam virgo illa ceca permansit; et iuuenis, a Pirano trans mare gallicum in exilium missus, septem annis penitentiam egit, et scripturas sanctas didicit. [3] In domo sancte Cote lignum in pariete positum ignis incaute apprehendens, domum incendit. Videns autem Piranus globum ignis de domo in altum con[s]cendere, eleuata manu signum crucis igni opposuit: et statim ignis vehementia cessauit, et domus integra et illesa permansit. Quedam puella ab hostibus iugulata et decollata, orante sancto Pirano viua et sana surrexit. Geranus, presbiter sancte Cote, cum per viam ambulans mortuus fuisset, precibus sancti Pirani resuscitatus, multis annis sancte Cote ministrauit[3]. Odranus et Medardus[7] fratres proficisci volentes, cum ad sanctum Piranum venissent, Medardus cum ipso manere volebat.

[1] Colg. Cocchee. [2] i. e. Cluainfert; or r. Sagiriam? [3–3] om. in Colgan. [4] E. aquis. [5] sc. Carthacus. [6] Colg. ignis. [7] Colg. Medranus.

Cui frater suus dixit: 'Non id mihi dixisti, sed mecum in peregrinationem ire promisisti.' Piranus autem ait illi: 'Deus inter nos iudicet vtrum tecum eat an mecum maneat: Teneat ipse lucernam siccam in manu sua sine igne et oleo, et si ipsa lucerna accensa fuerit flatu oris illius, mecum maneat.' Tunc Medardus lucernam in manu sua tenens insufflauit in eam: et statim accensa est. Mansit ergo Medardus cum Pirano, vsque ad diem mortis sue. Quedam matrona nomine Ethilde dum de suo curru cadens mortua fuisset, sanctus Piranus resuscitauit eam post iii dies: et ipsa obtulit ei agrum suum qui dicitur 'Saltus Ethilde' vsque hodie. [1] Prefectus cuiusdam regis cocum sancti Pirani Cronanum iugulauit: quem post septem dies obitus sui Piranus resuscitans, dixit: 'Vir qui iugulauit Cronanum, et ipse iugulatus mala morte interibit.' Et factum est ita. Venit ergo rex ad Piranum, vt suum prefectum peteret ab eo: quem beatus Piranus resuscitans secum retinuit. Cumque rex ille verbis asperis offendisset Piranum, statim mutus effectus est. Tunc rex ad pedes eius prostratus, fecit quod illi placuit: et lingua eius soluta est. Corbanus quidam laicus et monachus Pirani timens mortem iugulationis, rogauit sanctum Piranum vt ab instanti morte liberaret eum. Cui sanctus ait: 'Quod petis, impetrare non possum, quia exibis in hac nocte; et sanguine tuo effuso, rogabo pro te dominum meum vt ab inferno liberetur anima tua.' Et factum est ita. Quadam nocte exiuit Piranus et aquam frigidam intrans vt deum oraret; quidam peregrinus nomine Germanus cum eo pergens nimio frigore corripitur: sed Pirano aquam benedicente, calida facta est. Sanctus autem Piranus in tota vita sua nunquam lanis ouium, sed pellibus luporum ferarumque indutus est. A carnibus et carnalibus desideriis viriliter se abstinuit, et potum inebriantem non bibit; sompnum etiam non curauit, nisi modicam quietem. Illum autem angeli crebris visitationibus frequentabant. Innumerabiles presbiteros, episcopos, et clericos ordinauit. Plusquam enim ducentis annis vixit in corpore, sine dolore qui senes naturaliter intestare solet, et sine diminutione tam dentium quam lucis oculorum. Ipse enim erat vnus ex duodecim primis episcopis quos ille sanctus magnus Patricius, qui primo fidem in Hibernia predicauit, ad predicandum euangelium in Hibernia constituit. Amicos sibi de inimicis faciebat, et bonum pro malo reddebat. Indulgentiam, misericordiam, et pietatem in proximos habuit; operationem manibus exercuit, vt indigentibus necessaria tribuere posset. Affligebat enim carnem suam ieiuniis et vigiliis, in frigore, fame et siti, in nuditate et castitate, charitate et hospitalitate. A pueritia sua vsque ad diem mortis sue vitam suam in magna mundicia duxit, orans, legens, faciens, et docens; humilis, affabilis, prudens, sobrius, et misericors. Nihil de mandatis dei preteriuit; esurientes pauit, sitientibus potum dedit, hospites suscepit, nudos

[1] Colg. c. 30. 31.

vestiuit; monachos se inuicem diligere, oculos mentis ad deum dirigere, celestem patriam desiderare docuit. Demum conuocatis filiis suis quos deo genuit, et populo, ait: [1] 'Fratres mei et filii charissimi, oportet me dispositione diuina ab Hibernia peregre proficisci et Cornubiam petere, et finem vite mee ibidem expectare: voluntati dei resistere non possum. Moneo vos, fratres, edificare locum in bonis operibus et exemplis, quia filii perditionis et mortis futuri sunt. Venient etiam mortalitas et prelia; ecclesie destructe erunt et deserte, et veritas in iniquitatem vertetur; fides bonis operibus non lucebit, pastores plus sibi intendent quam ouibus, plus seipsos quam gregem pascentes. Deum, queso fratres, rogate, ne tenebrosum sit iter meum, et ne regem meum et dominum iratum post obitum inueniam sed mitem et placabilem et letum, quando ante faciem eius apparebo.' Hiis et aliis prolixius peroratis, in Cornubiam nauigans, mansionem sibi fecit, et multa miracula ad honorem dei in populo ostendit. Demum cum infirmitate correptus languesceret, conuocatis fratribus, multis sermonibus de regno dei eos instruxit, sepulchrum parari iussit: et in foueam descendens, tertio nonas marcii cum magna claritate anima eius celos penetrauit. Quiescit autem in Cornubia [2] supra mare sabrinum, a Petrokstowe miliaribus quindecim, et a Mousehole vigintiquinque.

[MS. Tib. adds: *Narratio* [3].

Marina uirgo (unica erat) patri suo. Cum autem (pater) monasterium quoddam intrasset, habitum (mutauit) filie sue, (quam precibus) eius inclinati fratres (in monachum receperunt, et) frater Marinus appellatur. Demum pater morti appropinquans, ipsam in bono proposito (confirmauit), et ne aliquando reuelaret quod mulier esset (precepit). Ibat igitur Marinus cum (plaustro et ligna monaste)rio deferebat. Consueue(rat autem hospita)ri in domo cuiusdam (uiri, cuius filia, cum de quodam) milite concepisset, (interrogata Marinum mona-) chum se uiolasse asseruit. (Interrogatus autem Marinus) cur tantum flagicium perpetrasset, se peccasse fatetur et ueniam precatur. Et statim de monasterio eiectus, ad hostium monasterii (m)ansit, et tribus annis ibidem permanens; post filii ablactacionem abbati mittitur et Marino educandus traditur. Omnia in magna paciencia recepit et in omnibus gracias deo retulit. Humilitatis demum et paciencie miserti fratres eum in monasterium recipiunt et queque officia uiliora sibi iniungunt. Ipse autem hilariter omnia suscipiebat et cuncta pacienter et deuote agebat: et in bonis operibus uitam ducens, migrauit ad dominum. Cum autem corpus eius lauarent, et in uili loco sepelire disponerent, respicientes mulierem ipsum esse uiderunt. Stupefacti omnes et timore perterriti, se in dei (famulam plurimum deliquisse)

[1] *al.* Colgan, where nothing is said of a visit to Cornwall. [2] sc. at Perranzabuloe. [3] Cf. Leg. Aurea, p. 353.

fatentur. Currunt (omnes ad tam) grande spectaculum et ueniam postulant ignorancie et delicti. Corpore autem honorifice in ecclesia sepulto, infamatrix eius a demone arripitur, et scelus suum confitens ad sepulcrum uirginis ueniens liberatur. Ad cuius tumulum populi undique confluunt et multa miracula fiunt].

¶ De sancto Richardo episcopo et confessore.

1. Text in E.[1]:

SAncte perpetueque memorie Richardus, natione Anglicus, Wygorn[iensis] diocesis, villa que a puteo salis ibidem Wike vel Wych.[2] appellatur, parentibus secundum seculi statum non ignobilibus, patre Richardo, matre vero Alicia nomine, extitit oriundus. Qui iuuenis choreas, tripudia, et vana consimilium spectaculorum genera sic detestando fugiebat, vt nec blandiciis nec coetaneorum suasione, contra naturam etatis, ad ea flecti poterat ve[l][3] induci. Omnesque[4] coetaneos et condiscipulos suos breui tempore tam eruditionis quam conuersationis et morum maturitate precessit. Fraterque[5] ipsius senior, in custodia infra etatem existens, ad plenam etatem suam de custodia exiens, nudus et pauper nimis terram suam ingreditur. Videns igitur Richardus fratris paupertatem, cum nihil haberet vnde s[ibi][6] posset[7] subuenire, seipsum in seruientem sibi tradidit: vbi per tempora non modica in omni patientia, paupertate et deiectione magna, nunc ad aratrum, nunc ad bigam, nunc ad alia huiusmodi opera manus mittens, humiliter et modeste seruiuit. Vnde frater eum in tanta affectione[8] recollegit, quod totam hereditatem suam sibi sua carta confirmauit. Postea cum Richardus totam hereditatem pacifice obtinuisset, amici eius carnales de quadam nobili et generosa puella ei matrimonial[iter][9] copulanda tractare ceperunt. Quod cum frater eius intellexisset, et iam Richardum dictam nobilem puellam cum multis bonis recepturum: de collatione terre sue penituit, et cepit contristari. Richardus autem hoc intelligens, dixit fratri suo: 'Non, charissime frater, non propter hoc turbetur cor tuum; nam adeo curialis vt fuisti erga me, ero et ego erga te. Ecce restituo tibi terram et cartam, sed et puellam, si sibi et amicis suis placuerit: nunquam enim os ipsius deosculatus sum.' Confestim igitur reliquit Richardus tam terram quam puellam, et omnes amicos, et ad studium vniuersitatis primo Oxonie, deinde Parisius se transtulit, vbi Logicam addidicit. Tantaque fuit sibi addiscendi[10] affectio, quod de victu aut vestimento parum aut

[1] Ed. in A. SS. Boll. Apr. I, p. 278 (and, modified, in Surius). MS. T. and Tanner have a shorter Life, but the same miracles and Narratio. The text in E. is abridged (by Capgrave?) from the Vita by Radulph (Bocking) of Chichester in MS. Sloane 1772 (imperfectly ed. in Boll. p. 282), which was written on the canonization. T. is abr. partly from the canonization-bull of Urban IV, Jan. 22, 1262. [2] Sl. Wycha. [3] E. ve. [4] Boll. quoque. [5] Boll. Fr. interim. [6] E. se. [7] E possit. [8] E. effectione. [9] E. matrimonialem. [10] Boll. om. sibi; discendi.

nihil curauit. Nam, sicut narrare consueuerat, ipse, et duo socii sui[1] existentes in camera, non nisi vnicam habebant capam, et quilibet eorum tunicam tantum[2], sed et lectum infimum. Exeunte ergo vno cum capa ad lectionem audiendam, reliqui in camera residebant; et sic alternatim exierunt. Panisque et parum de vino cum potagio eis pro cibo sufficiebat: non enim carnes aut pisces, nisi in die dominica, vel die solempni, vel sociorum seu amicorum presentia, eorum paupertas ipsos comedere permisit; et tamen sepe retulit quod nunquam in vita sua tam iocundam, tam delectabilem duxerat vitam. Et cum Richardus, scientie et eloquentie donis adornatus, magistralem cathedram ibidem ascendere ab omnibus acclamabatur dignus; rediit ad patriam suam, et ad vniuersitatem oxoniensem se declinauit, et ibidem post modicum tempus cathedram magistralem ascendit, aliis, que antea collegerat, liberaliter studens errogare. Postea beatus Richardus Bononiam proficiscens, per septennium et amplius [iuris[3]] canonum fluenta sic hausit, quod magister suus, infirmitate detentus, ad lectiones suas vice sua continuandas, pre omnibus discipulis suis dictum Richardum elegit. Qui per dimidium annum et amplius sic prudenter et humiliter in officio illo se habebat, quod a tota vniuersitate laudem et honorem meruit obtinere singularem: necnon a magistro suo tantam gratiam inuenit, quod vnicam filiam suam sibi heredem, cum omnibus terris et bonis suis, ex voluntate filie obtulit affectuose. Sed beatus Richardus alia cogitans, a spiritu sancto inspiratus, humiliter gratias eis[4] referebat; et exponens quasdam curiales cautelas et peregrinationis causam, promisit se voluntatem ipsorum in suo reditu[5] perficere. Ac sic Richardus ad terram suam reuersus, statim post aduentum suum in Angliam ad vniuersitatem Oxon[ie] remeans, in laboribus, vigiliis et multimoda afflictione corporali viuens, vnanimi assensu cancellarius ibidem est effectus. Beatus vero Edmundus, tunc archiepiscopus cantua[riensis], qui conuersationem eius et discretam scientiam diu ante cognouerat, ac etiam Robertus lincoln[iensis] episcopus, dictu[s][6] Grossum-caput, vir venerabilis sanctitatis, vno eodem[que] tempore, licet vtriusque intentio vtrumque late[re]t[7], magistrum Richardum in cancellarium suum adoptarunt magna cum instantia laborantes[8]. Tandem voto dicti[9] patris Cantuar[iensis], cuius preces et mandata preuenerant, gratis obsequitur et reuerenter obtemperat voluntati. Beatus igitur Edmundus propriam sui nominis inscriptionem et dignitatis imaginem, titulum scilicet et sigillum, et totius archiepiscopatus maiora queque ei commisit. Cepit igitur Richardus quotidie in bonis crescere, ministerium sibi traditum, [10]fastu superbie dempto, fideliter exercere; manus excutiens penitus a munerum acceptione, que oculos excecare

[1] Boll. eius. [2] Boll. cappam, et tunicam tantum, et quilibet eorum l. i. [3] so Sl.; E mel, Boll. mellea. [4] Boll. ei. [5] E. redditu. [6] E. dictum. [7] E. lateat. [8] Boll. adoptare . . laborarunt. [9] E. dicto. [10] E. cum fastu.

solet etiam sapientum. Inerant siquidem ei inenarrabilis equitas, affabilis benignitas, modesta simplicitas, simplex humilitas, ceterique tranquilli mores et actus. Constanter etiam et perseueranter[1] beato Edmundo in suis tribulationibus, tam in prouincia sua quam in exilio, adhesit; non ignarus quod qui fuerunt socii passionum simul erunt et consolationis, et qui compatiuntur simul regnabunt. Mortuo autem beato Edmundo, Richardus solutus tam a curie quam a cure solicitudine, ad theologiam[2] se contulit Aurelianis in domo fratrum predicatorum addiscendam. Non vt plerique, qui auribus audiunt et non intelligunt; sed audiens exterius, audiuit interius; vt efficatius postmodum perimpleret quod audiuit. Et vt pro grege domini[3] Patri[4] filium immolaret, ad sacrum presbiteratus ordinem se fecit inibi promoueri. A suscepti autem ordinis sacerdotalis tempore, ornatus vestium plus habuit humiliores. Et cum ibidem sacre scripture pocula suauia luculenter hausisset, ad agendam curam proximorum, ad[5] oues proprias pascendas accedit: ad vnicam siquidem solam, quam habebat, parochiam reuertitur, vt in illa pusillanimes consoletur et corripiat inquietos. Cupiensque[6] post hec venerabilis pater Bonifacius, cantuar[iensis] ecclesie tunc electus, successor beati Edmundi, ad commodum discipline, iocundum cohabitationis[7] tam graciosi hominis experiri, ipsum ad officium pristinum, videlicet cancellarie ecclesie Cantu[ariensis] vocauit inuitum. Et postea per mortem Rad[ulph]i de Neuelle, quondam ecclesie cicestren[sis] episcopi, ipsa ecclesia viduata fuit pastore. Vnde canonici dicte ecclesie, licentia ab Henrico tertio rege Anglie prius habita prout moris est, quendam aulicum[8] regis, canonicum etiam eiusdem ecclesie, in episcopum elegerunt[9]. Que quidem electio, iuxta canonum iura per dictum Bonifacium et quosdam suffraganeos suos, viros vtique vite et scientie eminentis—inter quos dictus venerabilis pater Groshed, tunc lincoln[iensis] episcopus vnus extitit—cassata fuit, eo quod dictus canonicus electus, scientia[10] et moribus inuentus est minus habilis: dictusque Richardus ex communi consensu omnium episcopus est electus. Quod[11] cum ad aures regias innotuit, et sui clerici[12] cassata electio, et sui inimici—quippe qui beato Edmundo in suis causis, quas contra regem habuit, adhesit—facta prouisio; rex nimis indignatus[13] bona cicestren[sis] ecclesie precepit confiscari. Beatus tamen Richardus, de consilio prelatorum[14] predictorum, cum litteris predicti[15] electi Cantuar[iensis] ad regem proficiscitur, postulans omnia temporalia ad episcopatum pertinentia ac bona sua sibi liberari: quod nullo modo obtinere potuit, sed longas fatigationes et obprobria multa sustinens, ad illud extremum post deum refugium in hoc mundo, sedem loquor[16] aposto-

[1] et p. om. in Boll. [2] E. theologicam. [3] E. deum. [4] E. pater. [5] Boll. et. [6] Boll. om. que. [7] Boll. iocundam cohabitacionem. [8] E. Allicum. [9] E. eligerunt. [10] E. scientie. [11] Boll. Quare. [12] E. est sui cā. [13] E. ind. est. [14] E. prelatarum. [15] om. in Boll. [16] E. loquar.

licam, se contulit: vbi quoque regios[1] procuratores contra se paratos et instructos inuenit. Regebat tunc romanam ecclesiam sancte recordationis Innocentius quartus: qui ipsum benigne suscipiens, auditis vtriusque partis causis, prouisionem de beato Richardo factam sue sanctitatis auctoritate confirmauit, et sacrarum manuum suarum impositione munus consecrationis solempniter impendit. Cum [autem][2] quidam magnus prelatus de partibus illis pariter cum beato Richardo munus consecrationis recepisset, et peruentu[m][3] esset ad sanctam vnctionem recipiendam, dominus papa de ampulla sanctum oleum super caput predicti magni volens confundere, vix guttam potuit habere; ad [caput autem beati Richardi cum][4] peruenisset, subito et mirabiliter magna vnctionis multitudo super eum effluxit, ita quod vix ministri, ne super collum et corpus illa sancta vnctio a capite descenderet, possent cum lintheis impedire. Vnde tam dominus papa quam cardinales et alii admirantes, quidam cardinalis dicebat: 'Vere iste plenitudinem gratie recepit.' Rediensque[5] Richardus cum litteris apostolicis, sepulchrum beati Edmundi, iam miraculis choruscantis, visitare non omisit. Et postea veniens in Angliam, omnia bona cicestre[nsis] ecclesie per ministros regis consumpta inuenit, exiitque publice prohibitio regia ne quis ei aliquid commodaret mutuo. Ostensisque regi et[6] suis litteris apostolicis et mandatis, indignationem regis et iram potius quam reconciliationem et gratiam prouocare videbatur. Vnde pauper et inops a rege recedens in diocesem suam, sub alieno tecto hospitatus, et aliena sub mensa pedes[7] ponens suscipitur. Exiit sepe interim diocesis sue loca visitando, et sacramenta, prout necesse conspexit, ministrando. Et ne deses et sui iuris desertor posset reputari, regis curiam aliquando adiit, bonorum ecclesie[8] restitutionem humiliter petens: sed cum obprobriis et contumeliis semper expellitur. Vnde semel cum vidisset decanum Cicestren[sem] et canonicos ipsius ecclesie, propter regis durum responsum, turbatos et tristes, hilari vultu confortabat eos dicens: 'Nonne intelligitis quod scriptum est: "Ibant[9] apostoli gaudentes a conspectu consilii, etc.?" Ego vobis dico quod per gratiam dei in gaudium nobis conuertetur tribulatio ista.' Mandat igitur beatus Richardus domino pape regis responsum: qui mirabiliter ei compatiens, districtissimum mandatum duobus episcopis Anglie misit, vt regem moneant[10] quod maneria et bona ecclesie Cicestren[sis] beato Richardo infra diem statutum restituat; alioquin sententias, in[6] mandato contentas, per totam Angliam denunciare non omittant. Post duos igitur annos, quibus sic pugnauit tribulationes sustinendo[11], rex maneria sua, ruinosa et nuda, ei restituit. Hic

[1] Boll. regis. [2] E. Arcten. [3] E. peruentus. [4] so Sl.; E. ad baptizandum Arcten. Cum beatus Richardus, etc. [5] que om. in Boll. [6] om. in Boll. [7] Boll. pedem. [8] E. ecclesia. [9] E. Ibunt. [10] Sl. moueant. [11] E. sustinendum.

beatus vir, post regimen episcopale susceptum, factus est solito in oratione feruentior, in elemosinarum [1] largitione profusior, in proprii corporis castigatione rigidior. Extunc fuit ei pauperum cura maior, habitus abiectior, gestus et effatus humilior. In mensa quoque sua lectio personabat: et si quando lector cessaret, aut de hiis que legerat aut de [2] edificatoriis aliquibus cum assidentibus tractabat. Cum villas sue diocesis intrare contigisset, languentes, infirmos, et pauperes diligenter fecit inquiri, et ipsos non solum sue elimosine subsidio, sed etiam proprie presentie solatio solebat visitare, et verbi dei alimento spiritualiter refouere. Et cum per largas elimosinas redditus consumuntur [3], et dominus Richardus Bachedene—frater eius carnalis, cui curam temporalium commiserat—dixit [4] quod ad tantas elimosinas tante pauperum multitudinis redditus sui non sufficerent; respondit: 'Estne iustum, chare frater, vt nos de vasis aureis vel argenteis comedamus et bibamus, Christo in suis pauperibus fame cruciato?' [et] [5] subiunxit: 'Noui ego valde bene – sicut et pater meus – de parapside [6] et cratere [ligneo] [7] escam sumere et potum degustare. Vendantur igitur vasa argentea et aurea; sed et equus cui insideo, bonus et preciosus est: vendatur obsecro; et eorum precio pascantur Christi pauperes.' Et non solum nouerat beatus Richardus egenos alimonie subsidio pascere, sed etiam nudos vestire pariter et calciare, mortuos quoque propriis manibus sepelire. Multotiens autem, antequam peteretur, elemosinam pauperibus errogabat: et cum diceretur ei quare tribueret pecuniam non petentibus, respondit: 'Scriptum est, "Domine preuenisti eum in benedictionibus dulcedinis," etc. Et illud: "Chare satis emitur quod precibus obtinetur."' Pauperibus presbiteris quoque [8], senio confectis, cecis vel alias corpore impotentibus, hospitalem [9] constituit; et ne publice mendicitati subiicerentur, victus et vestitus necessarios eisdem [10] ibidem miseriorditer ordinauit. Vnum panem ad ipsius benedictionem habundare fecit in tantum, quod preter estimationem astantium, refectis habunde quasi tribus milibus pauperum consuetas recipientium portiones, habundauerunt partes que secundum eandem distributionem centum adhuc pauperes refecissent. Nec semel tantum vel bis hec sue benedictionis superabundantia facta probatur, sed et [11] pluries [12], ipso manum suam aperiente qui replet omne animal benedictione. Posuit enim vestimentum suum cilicium, loricamque superinduens, arma macerationis adiecit. Vestimentaque [13] et calciamenta eius, nec nitida nimis nec abiecta plurimum, sed ex moderato et competenti habitu erant, in quibus nihil potuit notari nouitatis. Sed nec faleris auro vel argento fulgentibus equos suos ornari voluit, nec mutatoria superflua circumferre; non solum pompam vitans, sed etiam timens ne pau-

[1] E. elemosinorum. [2] om. in B. [3] B. consumerentur. [4] B. diceret. [5] om. [6] B. paropside. [7] so Sl. [8] B. quoque pr. [9] Sl. B. hospitale. [10] E. eiusdem. [11] om. in B. [12] E. plures. [13] que om. in B.

peres, secundum quod scribit Bernardus, clamarent dicentes: 'Pontifices [1], in freno quid facit aurum, nobis fame et frigore miserabiliter laborantibus?' Quendam dominum Iohannem filium-Alani, pro iniuria ecclesie Cicestren[si] facta ab eo exco[m]municatum [2], ad se tamen venientem, familiariter recepit et ad prandium retinuit, dicens: 'Quamdiu in curia nostra fueritis, a vinculo excom[m]unicationis vos absoluemus; et in recessu vestro, nisi ad satisfactionem veneritis, istam absolutionem reuocabimus;' Dixitque quod, si partes alique [3] pro iure recuperando discentiant seu laborent [4], nihilominus charitas seu charitatis signa inter christianos subtrahi non debere [5], 'quia si quod meum est volo recuperare, illud quod dei est non debeo subtrahere.' Et similia de Abbate de Fiscanno [6], et de nobili viro domino Richardo tunc comite Cornubie, ac de comitissa Cancie fecisse probatur, contra quos pro sua ecclesia causas habuisse dinoscitur, pro contumeliis tamen honores, et amicitiam pro inimicitiis recompensauit. Quendam clericum qui sanctimonialem a suo extrahens monasterio corrupit, beneficio ecclesiastico, quod in suo habuit diocesi, cum non modico dedecore priuauit. Et dum dominus rex ac archiepiscopus Cantu[ariensis] et alii plures prelati, comites et barones, pro dicto clerico preces effunderent [7], in dei iusticia inflexibilem eum inueniebant; percutiensque pectus suum ait: 'Quamdiu spiritus in isto corpore permanserit, talis ribaldus qui monialem professam corrupit et impregnauit, et adhuc tanquam meretricem suam detinet, de voluntate mea in episcopatu Cicestren[si] curam animarum non obtinebit. Faciat dominus meus [8] hic archiepiscopus, ad quem idem clericus appellauit, secundum quod voluerit respondere in die iudicii coram altissimo.' Et videntes constantiam suam, eum vltra non temptabant. Aliudque [9] non dissimile erga tres vicarios egit qui focarias publice tenere conuicti fuerant: quas quia noluerunt dimittere, eos sententialiter suis priuauit beneficiis. Burgenses quoque de Lewes, qui quendam furem, ad ecclesiam confugientem, violenter extractum suspenderant, ipsius cadauer, putridum per quindenam et amplius, exhumare coegit, et ad ecclesiam vnde ipsum extraxerant, propriis humeris deferre [10] compulit. [Cum] [11] domorum et rerum suarum combustio et iactura [12] non modica ei nunciaretur, plangente et dolente familia, ipse serenata facie vultuque iocundo deo gratias referens, dolentes confortabat, dicens: 'Non contristemini, amici! habemus adhuc vnde nobis necessaria prouideamus,' et subiunxit: 'Quia elemosinas, prout debemus, largas non fecimus, ista nobis acciderint. Ideo volumus et precipimus vt de bonis nostris de cetero elemosine fiant largiores.' O generose mentis thezaurus, qui deficere inter defectus nesciens, ex

[1] S. Bernard Ep. 42 (Migne) quotes Persius Sat. 8, 69 Dicite pontifices, etc. [2] E. exc. esset. [3] E. aliqui. [4] E. laborant. [5] so Sl., B. deberent. [6] E. Fiscanino. [7] E. effunderant. [8] om. in B. [9] B. Al. quoque. [10] B. referre. [11] om. [12] E. natura.

ipso defectu nouerat augere profectum! Suis etiam senescallis et balliuis, sub periculo animarum et diuini iudicii obtestatione, terribiliter inhibuit ne quicquam iniuste ab liquibus ad se pertinentibus exigerent, vel indebitis actionibus[1] vexarent. Ipse autem sanctus aliquando etiam ea que de iure ei competebant, petentibus misericorditer relaxabat. Consanguineos quidem suos, etiam maturos, ad beneficia ecclesiastica nullo modo admittere voluit; intelligens quod princeps pastorum dominus, non beato Iohanni euangeliste suo consanguineo, [sed] Petro seniori, in nullo carnaliter eum attinenti, claues tradidit celorum. Tante quoque mansuetudinis extitit, vt ad matutinas solem ortumque diei preueniens, si clericos suos, vt solet contingere, sompno grauatos reperiret, iterum se ad orationes conferens priuatas[2], ipsos in pace quiescere sineret, tanquam illud dominicum dulciter inquiens: 'Dormite iam et requiescite.' Quantum enim[3] sacre orationis deuota libamina deo oblata beato Richardo placuerunt, in hoc duntaxat ostenditur quod cum viros religiosos visitaret vel ad se venientes in osculo sancto susciperet, dicere solebat: 'Bonum est deosculari labia thimiamate sanctarum orationum deo cum deuotione incensarum fragrantia': hoc ipsum ex beati Edmundi consuetudine, vt sepe retulit, commemorans. Quam laboriose etiam iste beatus Richardus officium predicationis compleuit[4]: etiam in alienis dioce[sibus][5] quam gratanter[6] contritos refouet[7], confitentes audit et instruit, penitentes absoluit, consultantibus respondet[8], desperantes reformat[9], alacres adhortatur[10], trementes roborat, denique qualiter omnibus omnia factus sit, quis sufficiet enarrare? Pro subsidio terre sancte crucis predicationem suscepit, a papa delegatam[11]. Ideo a cicestren[si] sanctuario incipiens, per loca maritima transiens, ad ciuitatem cantuariensem vsque peruenit. Et decima die antequam ad illum famosum portum qui Douer[i]a dicitur, peruenisset, cepit egrotari. Nec tamen in agro dominico laborare omisit; sed singulis diebus predicando, confessiones audiendo, pueros confirmando, et etiam ordines celebrando, vsque ad exinanitionem virtutis corporis sui indesinenter laborauit. Ad Doueriam igitur perueniens, in quadam domo [que] vocatur hospitale dei, hospitauit. Rogatusque a magistro dicti hospitalis, ecclesiam quandam cum cimiterio, pauperum sepulture constructam, in honore quondam domini sui beati Edmundi, patroni sui, solempniter consecrauit; dicens predicando eodem die, quod semper a tempore quo munus consecrationis assumpserat, optauit et votis omnibus exquisiuit, vt, antequam diem clauderet extremum, vnam saltem basilicam in honore dicti domini sui[12] beati Edmundi posset consecrare; et deinde dixit: 'Deo gratias refero, qui anime mee desiderio me non

[1] Sl. exactionibus. [2] E. priuatos. [3] B. autem. [4] B. compleuerit. [5] B. alienis diocesi. [6] E. gratenter. [7] B. refouerit etc. [8] B. responderit. [9] B. reformarit. [10] B. adhortatus fuerit. [11] E. deligatam. [12] om. in B.

fraudauit. Et nunc scio enim[1] quia velox est depositio[2] tabernaculi mei, quam vestrarum orationum suffragio peto communiri.' Dominic[a][3] enim sequenti, que fuit in crastino dedicationis basilice predicte, licet laboribus predictis et infirmitate demotus[4], hora tamen surgendi nesciens tetricare[5], mane oratorium ingressus psallere cepit. Dum autem ad missam audiendam stetisset, et morbo ingrauescente membra imbecilla sustentare non valens[6], quasi sincopin passus pauimento prosternitur. Suorum igitur manibus subleuatus, ad lectum reducitur, ibidemque reclinatur. Et[7] cuidam Willelmo, capellano suo, ei valde familiari, dixit quod ab illa infirmitate euadere non potuit: iussitque eum funeri necessaria caute preparare, ne familia sua percipiens turbaretur; et magistro Simoni de Terringes certum diem obitus sui indixit[8]. Amplexatusque imaginem crucifixi, quam sibi deferri deuote postulauerat, loca vulnerum pie deuotionis osculis, ac si recenter morientem saluatorem videret, cepit dulciter demulcere, in hec verba prorumpens: 'Gratias tibi ago, domine Ihesu Christe, de omnibus beneficiis que mihi prestitisti; pro penis et obprobriis que [pro] me pertulisti, propter que planctus ille lamentabilis vere tibi competebat: "Non est dolor similis sicut dolor meus." Et tu nosti, domine, quod si tibi placeret, omnia obprobria et tormenta atque mortem pro te paratus essem sustinere: et sicut tu scis hoc verum esse, miserere mei, quia tibi commendo animam meam.' Illam autem psalmiste vocem que dicit: 'In manus tuas domine commendo spiritum meum,' frequentius iterans, et ad gloriosam virginem vicissim corde simul et voce se conuertens, ait: 'Maria mater gratie, mater misericordie, tu nos ab hoste protege, et in hora mortis suscipe': et precepit capellanis quod illa verba in auribus suis dicere non cessarent. Inter suspiria igitur pie deuotionis atque verba sacre orationis, astantibus religiosis, presbiteris ac clericis pariter et laicis fidelibus, Beatus Richardus animam, supernis ciuibus[9] copulandam, reddidit creatori. Transiit de hoc mundo etatis sue anno circiter quinquagesimo sexto[10], pontificatus sui anno nono, tertio Nonas aprilis, circa noctis medium, quo[11] sponsus ille celestis ad nuptias venturus describitur. Post cuius transitum corpus ipsius sanctum, antea[12] grauatum vigiliis, terre duritia in qua solebat frequenter decubare confractum, ieiuniis maceratum, macerationibus multis afflictum: preter humanum morem nitidissimum apparuit, vt quoddam future resurrectionis insigne videretur preferre[13]. Corpore autem rite[14] aptato ac scemate[15] pontifici digno in feretro collocato, et in ecclesia predicta per eum dedicata[16] deportato: vndique[17]

[1] Sl. carissimi, B. inquit. [2] E. dispositio. [3] E. Dominico, B. Die. [4] Sl. deuictus. [5] B. se tricare. [6] B. valeret. [7] om. in B. [8] E. induxit. [9] E. superius cuiuslibet. [10] E. quinquagesimum sextum; Sl. quadragesimo sexto. [11] E. que. [12] om. in B. [13] E. proferre. [14] E. ante, *al.* om. [15] E. stemate. [16] E. dedicatum. [17] E. vnd. vero.

concursus populi ad tam venerabiles exequias cateruatim affluxit[1], felicem se quisque reputans, si vel feretrum tangat, vel vestimentorum sacrorum fimbriam contrectet; annulos siue monilia que sanctum corpus tetigerunt, sanctificata reputabant et pro reliquiis conseruabant. Et quia corpus suum apud Cicestre[nsem ecclesiam][2] sepeliendum delegauit, ad Cicestriam defertur: et in ipsa ecclesia coram altari beati Edmundi, quod ipsemet ad aquilonarem ecclesie partem dedicauerat, in humili loco sepultum est: vbi magna et miranda ad dei laudem fiunt miracula. [3]Contractorum quorundam membra, naturaliter gressui ministrantia, ita totaliter plurium annorum paralisis inueterata contraxerat, vt eisdem membris, huiusmodi ministerio ineptis redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas: ille cuius mira sunt opera, ad ipsius inuocationem subito membris ipsis in solitam virtutem erectis, in liberi gressus libertatem erexit. Tres mortuos, quorum vnum currentis currus per medium rota compresserat, reliquos vero febris extinxerat, ille qui mortem moriendo destruxit, precibus sub eiusdem porrectis nomine inclinatus, suscitauit ad vitam. Et quod non est pretereundum silentio sed solempni vulgandum gaudio, in abortiuum, de vtero transferendum ad tumulum, eius inuocato nomine animam viuentem animarum creatos infudit.—Quidam febricitans per tactum cape beati Richardi sanatus est. Alius podagra laborans per botas suas sanitati est restitutus. [4]Cum piscatores diu laborando nihil prendidissent, ad eius benedictionem quatuor pisces magnos et speciosos, cuiusmodi generis nunquam vidissent, sagena concluserunt. Cum enim[5] nauigio mare transiret, orta tempestate grauissima, fusis ad deum precibus et benedictione mari porrecta, procella in tranquillitatem, et intemperies in aerem luminosum mutatur. In purificatione beate Marie extinctis in processione subito turbine cunctis cereis, sancti presulis cereus, noui luminis igne accensus, ab omnibus rutilare videtur. Puer[o] [cui]dam contract[o][6], potu eidem in cipho beati Edmundi porrecto, sola benedictione gressum solidum et pristinam sanitatem reddidit. Aliis duobus visu priuatis, signo crucis super oculos impresso, oculorum aciem et luminis claritatem restituit. Multi in eius stratu dormientes, a febrium ardoribus liberati, gratias deo et seruo eius exoluerunt.

---

2. Text in T. (and Tanner)[7]:

(Sanctus enim Ricardus, cum) annos adol(escencie attigisset, inuitatus per) fratrem suum (ad coniugale cuiusdam nobilis puelle consorcium, consentire r enuit[8], ad castitatis aspirans priuilegium.)

[1] E. effluxit. [2] E. Cicestrem. [3] From Canon. Bull. [4] The following from T. [5] E. etiam. [6] E. Puerum . . . contractum. [7] Abr. from the Canonization Bull of Urban IV, 22 Jan. 1262, in Boll. p. 313 [8] T. rennuit.

Contempsit temporale patrimo(nium, ut hereditatis) eterne particeps fieri me(reretur. Proficiens enim in uirtu)tum excerciciis, a sancto (Edmundo archiepiscopo cantua)riensi ad officium can(cellarie cantuariensis) assumptus est, [qui][1] circa (tocius archiepiscopatus administracionem) ipsius mi(nisterio utebatur; ipsum) suam dexteram, et fidum sui (pectus consilii sanctus) Edmundus reputabat. (Vocatus autem demum ad) regimen cicestrensis ecclesie, (factus est solito longe magis per-) uigil ad (curam gregis,) ad omne opus bonum non seg(nis. Extunc enim) fuit ei pauperum cura [maior][2], habitus (abieccior, g)estus et affatus humilior; in (persecucione forci)or, in libertatis ecclesiastice de(fensione con)stancior, in iusticie censura in(flexibilior, in oracione fer)uencior, in elemo(sinarum largicione profu)sior, in proprii corporis (castigacione rigidi)or, districcior in obser(uancia discipline): posuit enim uestimentum eius (cilicium, et ipsius) stimulos, corrigia ligneis et (ferreis pungente) stimulis se nudum com(primendo repressit; loricam) superinduens, arma ma(ceracionis adiecit.) Quodam enim tempore inopi(nata concurrente pauper)um ad ianuam eius (turba, panem qui ad no)naginta refeccionem pauperum (uix sufficere potuit, ad ipsius benediccionem in tantum abundare fecit, quod refectis tribus milibus egenorum,) post[3] consuetas recipiencium porciones, que centum refecissent pauperes partes adhuc relique remanserunt. Ad ipsius quoque inuocacionem contracti, paralitici multi ualitudini restituuntur. Tres enim mortuos, quorum unum currentis currus per medium rota compresserat, reliquos uero febris molestia extinxerat, meritis suis Christus post eius obitum ad uitam resuscitauit. In abortiuum quendam ad sepeliendum delatum, eius inuocato suffragio[4] animam uiuentem animarum creator infudit. Migrauit autem ad dominum plenus bonis operibus et exemplis, tercio nonas aprilis.——[5] Hic enim domini seruus ab ineunte etate pudendos fugit affectus, iugiter cogitans etatis lubrice motus actusque leues arcere; et spectacula uana sic detestando fugere curauit, ut nec blandiciis petencium nec suasione quacunque ad ea flecti poterat uel induci. Coetaneos suos non[6] tam erudicione, quam morum maturitate precessit. Artibus et sciencia philosophorum imbutus, ad iuris ciuilis et canonici studium se transtulit, Bononiam proficiscens, ubi adepto cathedralis honoris officio, iuris canonici regimen ascendit. Eos nempe reprehendere consueuit qui ante infundere[7] optant quam infundi, et loqui quam audire sunt paraciores, et prompti docent quod minime didicerunt. Vbique necessitatibus miserorum subuenit; gaudens semper et hilaris perseuerauit in tribulacione et egestate. Carnem enim cilicii asperitate domabat, ideoque carnis[8] adest macies, facies pallore liuescit[9]. Positus in regimine, a bonis operibus non torpet per inerciam,

[1] T. et. [2] om. [3] *al.* om. [4] Tan. nomine suf. [5] Extracted from the Vita in MS. Sloane. [6] So MS. Sl. [7] Tan. effundere. [8] Tan. carnium. [9] From an unknown source.

subditos non spoliat per auariciam nec calcat, pascit egenos, infirmos uisitat, oppressos consolatur: cum superbis increpando contendit, adulantes corripit; ad pauperem et infirmum uox eius suauis et dulcis, ad obstinatum aspera et acuta. Infirmos et debiles langore contractos in tuguriis suis personaliter uisitare curauit. Cuidam enim magistro egenti argenteam cupam deauratam clam contulit: 'Hoc donec redimam, inquit, pro pignore pone:' sicque paupertatis clauso pudore, fugata inopia erigit desolatum. Camisia et femoralibus utebatur cilicinis; et ex corio spisso bouino uel equino latitudinis trium digitorum, laminis ferreis triangularibus per transuersum affixo, cingulo[1] sub cilicio se cinxit, que quidem lamine tali arte fuerant facte ut pars una ceteris preminencior et acucior carni pressa carnem confoderet, et lateribus applicata latera laniaret. Fecit siquidem rotas seu sperulas de buxo ligneas et ferreas, spissas uersus centrum et per omnes circumferencie partes tenues, sed ordine dentatas, ita quod in qualibet sperula erant multe cuspides peracute; in quarum eciam centro facto foramine et cordula per medium intromissa, nodo quodam inter quaslibet duas sperulas interposito, cincto sub cilicio nudo corporis medio carnis stimulos stimulis urgendo perurget. Interdum quoque tunicam ferream adiecit onerosam. Cum piscatores diu laborando nichil prendidissent, ad eius benediccionem quatuor pisces magnos et speciosos, cuiusmodi generis nunquam uidissent, sagena concluserunt. Cum enim nauigio mare transiret, orta tempestate grauissima, fusis ad deum precibus et benediccione mari porrecta, procella in tranquillitatem, et intemperies in aerem luminosum mutatur. In purificacione beate Marie extinctis in processione subito turbine cunctis cereis, sancti presulis cereus, noui luminis igne accensus, ab omnibus rutilare uidetur. — Puer[o] [cui]dam contract[o][2], potu eidem in cipho beati Edmundi porrecto, sola benediccione gressum solidum et pristinam sanitatem reddidit. Aliis duobus uisu priuatis, signo crucis super oculos impresso, oculorum aciem et luminis claritatem restituit. Multi in eius stratu dormientes, a febrium ardoribus liberati, gracias deo et seruo eius exsoluerunt[3].

¶ *Narratio*[4].

Quidam vir, secundum Bedam, in laico habitu et officio militari positus, quantum pro industria exteriorum[5] regi Merciorum Conredo placens, tantum pro interna sui negligentia displicens erat. Ammonebat[6] illum sedulo vt confiteretur et relinqueret scelera sua,

[1] T. singulo. [2] T. Puerum . . contractum.

[3] Coll. in T.: Aue coheres celorum, aue Ricarde lux angelorum: salue cleri norma, ex quo uiret tue forma, gaude gloriose, inter sanctos speciose; uale uere camera, et celesti domo nos semper irrora. V. Ora pro nobis. Deus qui ecclesiam tuam meritis b. Ricardi confessoris tui atque pontificis fecisti miraculis decorascare gloriosis concede nos famulos tuos ipsius intercessione ad eterne beatudinis glo`riam peruenire, per (cf. Boll. p. 276. 313).

[4] Ex Beda, H. E. V. 13. [5] Bed. exteriori. [6] E. Ammouebat.

priusquam subito mortis euentu tempus omne penitendi perderet. Qui, licet frequenter admonitus, spernebat tamen verba salutis, temporeque sequente penitentiam se acturum dixit. Tactus demum infirmitate, acri dolore torqueri cepit. Ad quem ingressus rex, hortabatur vt vel tunc antequam moreretur penitentiam ageret commissorum. At ille respondit, non se tunc velle confiteri, sed cum ab infirmitate resurgeret, ne exprobrarent sibi sodales quod timore mortis faceret que sospes facere noluerat. Ingrauescente morbo[1] cum ad eum visitandum denuo rex intraret, clamauit statim miserabili voce: 'Quid vis modo? quid huc venisti? Non enim aliquid vtilitatis potes vltra conferre.' Et ille: 'Noli, inquit, ita loqui, vide vt sanum sapias.' 'Non, inquit, insanio, sed pessimam mihi conscientiam[2] certus pre oculis habeo. Paulo ante intrauerant duo pulcherrimi iuuenes, et residens vnus ad caput, et vnus ad pedes, protulerunt libellum pulchrum, sed modicum, mihi ad legendum; in quo omnia que vnquam bona feceram intuens scripta repperi, sed pauca et modica. Receperunt codicem, nec aliquid mihi dicebant. Tunc subito superuenit exercitus malignorum et horridorum vultu spirituum, domumque hanc et exterius obsedit, et intus maxima ex parte residens impleuit. Tunc ille, qui et[3] obscuritate faciei et primatu sedis maior esse videbatur, proferens codicem horride visionis et magnitudinis enormis, iussit[4] vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferre. Quem cum legissem, inueni omnia scelera mea, non solum que opere vel verbo, sed etiam que tenuissima cogitatione peccaui, manifeste in eo tetris[5] esse descripta litteris. Dicebat[6] autem ad illos, qui mihi assederant, viros albatos et preclaros: "Quid hic sedetis, scientes certissime quia noster est iste[7]?" Responderunt: "Verum dicitis; accipite et in cumulum dampnationis vestre ducite." Quo dicto, statim disparuerunt. Surgentesque duo nequissimi spiritus, habentes cultra in manibus, percusserunt me, vnus in capite, et alius in pede. Qui modo cum magno tormento in interiora corporis mei irrepunt, moxque vt [ad se][8] inuicem peruenient moriar, et paratis ad rapiendum me demonibus in inferni claustra pertrahar.' Sic loquebatur miser, desperans: et non multo post defunctus, penitentiam, quam ad breue tempus cum fructu venie facere supersedit, in eternum sine fructu penis subditus facit. Non enim pro se ista, cui non profuere, sed pro aliis vidit, qui eius interitum cognoscentes, differre tempus penitentie, dum vacat, timerent, ne improuiso mortis articulo preuenti impenitentes perirent. Quod autem codices diuersos per bonos siue malos spiritus sibi vidit offerri, superna dispensatione ideo factum est vt meminerimus facta nostra et cogitationes nostras non in ventum diffluere, sed examini summi iudicis cuncta seruari, et siue per amicos angelos in fine nobis ostendenda, siue per hostes.

[1] E. morte. [2] Bed. scientiam. [3] E. et qui. [4] E. iussitque. [5] Bed. tetricis. [6] E. Dicebant. [7] E. ille; Ta. iste. [8] om. in E.

Quod vero prius candidum codicem paruum protulerunt angeli, deinde atrum demones et magnum, animaduertendum est quod in prima etate bona aliqua fecit, que tamen praue agendo iuuenis obnubilauit.

¶ De seruo dei Roberto abbate venerabili[1].

VEnerabilis abbas Robertus, ex prouincia eboracensi ortus, in puerili etate leuitates et infantium ludos deuitans, et in litteratura proficiens, cuiusdam ecclesie[2] rector efficitur. Dimissa tandem ecclesie et animarum cura, in monasterio de Whiteby[3] habitum monasticum petiit et accepit. Illis autem diebus Richardus[4], prior monasterii Sancte Marie eboracensis, cum duodecim sociis, locum quendam nomine Fontes[5] a Thurstino archiepiscopo suscepit, et in abbatem electus monasterium construxit, et habitum cisterciensium assumens, vitam illorum et mores zelabat. Nec[6] erat qui panem sumeret ociosum, nec[7] quieti indulgeret, nisi labore fatigatus. Famelici accedebant ad mensam, fatigati ad lectum; nunquam saciati, sine tristicia et murmure, cum omni alacritate benedicebant dominum. Huic etenim congregationi sancte vir domini Robertus, obtenta abbatis sui licentia, se adiungens, in labore erat strenuus[8], in lectione et meditatione assiduus, in oratione deuotus, in consilio prouidus, in sermone facundus. Elapsis autem quinque annis, anno scil. domini millesimo centesimo tricesimo septimo, collata a quodam nobili possessione magna, in plaga Northumbrie, venerabilis Robertus in abbatem electus, assumptis secum vndecim fratribus Nouum-monasterium[9] construxit. De mensa saciatus nunquam surrexit, et in quadragesima panem et aquam comedere consueuit. Quodam tempore paschali, mortificato gustus appetitu cum apposita sumere non posset, frater qui ministrabat dixit ei: 'Quare non comedis, pater?' Cui ille: 'Si haberem, inquit, panem auenaceum butiro litum, puto quod inde comedere possem.' Quo allato, considerans se modicum concupiscentie consensisse, vehementer expauit: et seuerus in se iudex et vltor effectus, gustare renuit et incibatus permansit. Et cum cibum illum pauperibus ad portam mitteret, iuuenis quidam, splendidam habens faciem, totum cum parapside[10] sumpsit, et statim euanuit: cumque de vase ablato sermo fieret, parapsis super mensam coram abbate subito cecidit. Erat enim angelus domini, qui elemosinam viri dei de celo missus accipere venit. Preter solitum seruitutis et orationis pensum, centum quinquaginta psalmos quotidie domino decantabat. Factum est enim vt quodam tempore solito attentius orans, et lachrimis abundanter faciem rigans, animam suam coram

[1] Ed. in Act. SS. Boll. June II. p. 47 and Surius; abridged from the Vita of which another abridgment is in MS Lansd. 436, f. 116–121. A different Saint is S. Robert of Knaresborough, Yorkshire, hermit, whose life, in Old Engl. verse, was ed. Roxb. Club, 1824. [2] MS. L. eccl. de Gargrave, ubi natus fuerat. [3] T. Whitebi. [4] T. ricardus; it is Richard de Merly. [5] = Fountains, near Ripon. [6] Boll. Non. [7] vel. [8] E. strenuis. [9] sc. Newminster, near Morpeth. [10] Boll. paropside.

deo effunderet, petens vt acceptam haberet seruitutem suam et fratrum suorum, et nomina eorum in libro vite conscriberet. Et facta est ad eum vox de celo, dicens: 'Confortare, fili, quoniam exaudita est deprecatio tua: et nomina filiorum tuorum, pro quibus rogasti, in celis scripta sunt. Soli enim duo de numero illorum in terra scripti sunt, quia cor eorum a terrenorum amore nunquam recessit.' Nec multo post duo conuersi, relicto ordine, vitam in seculo misere finierunt. Cum autem per Nouum-castrum transitum faceret, inter iuuenum copiam hominem videt mirabili curiositate huc et illuc discurrendo, procaci vultu blandiri, et quasi negocium arduum suggerere[1]. Et considerans vir dei non esse hominis officium, sed inimici ludibrium, potenti virtute verborum imperat vt societatem illam quantotius relinquat; 'Heus tu, inquit, calamistrate, non es viris illis necessarius: recede velociter, et sequere me.' Qui statim demisso vultu abbatis vestigia per lutum platearum, velut ad caudas equorum ligatus, cunctis mirabili stupore perculsis sequebatur. In diuerticulo semitarum extra vrbem dixit ei vir dei: 'Quis es tu, et quid cum hominibus illis tractabas?' Et ille: 'Quis sum, inquit, bene nosti, et opera mea non te latent. Nuptie cum magna pompa a diuitibus parate in vico illo celebrantur; paraueram et ego quomodo sponsus in conuiuio ab emulis suis occisus rueret, et indignati conuiue in vltionem sponsi festinarent, et ira et ebrietate excecati, mutua cede multi perirent; futurum etiam vt vrbs in seditionem versa, intestinum bellum conflaret, per quod multorum anime cesis corporibus in sortem nostram deuenirent. Putabam me gaudium magnum de adepta victoria magistro meo nunciare: nunc dissipato per te consilio meo vacuus redeo, et inanis recedo.' Vir autem domini, malitiam illius execrans, precepit in nomine domini, vt deserta loca petens, vlterius hominibus illudere non presumeret. Ad hanc vocem liquefactus inimicus euanuit, et tantum post se horrorem reliquit, vt equi, hinnitu, fremitu, et vngularum fossione seuientes, vix a sessoribus suis poterant coerceri. Quadam autem nocte vidit diabolum secus introitum chori consistere, volentem, sed non valentem, introire. Erat autem quasi rusticus succinctus, nudis et longis tibiis, portans in tergo sportellam, ligno ante pectus funibus innex[am][2]. Et producto collo, rotatu oculorum cepit chorum circuire, et acuto intuitu cunctos considerare, si quid sibi placitum[3] inuenire potuisset. Viro enim dei instantius orante, et fratres a torpore excitante, dum improbus explorator diu frustra expectans nihil proficeret, cum indignatione recedens chorum conuersorum diligenter intuetur: si quem sompnolentum videt, cachinnando contempnit; si quem noxiis cogitationibus occupatum, huic toto conatu tripudians applaudit. Demum inter nouitios iuuenem repperit, corde ad illicita vagante[4], solo corpore

[1] T. suggere. [2] T. E. innexo. [3] E. L. placidum, L. om. sibi. [4] T. uagante; E. vagantem.

presentem, et[1] quomodo latenter posset exire, iam fugam meditabatur. Hunc inimicus suum esse aduertens, fuscinula tridenti arreptum in fiscellam suam proiecit, et veloci cursu foras extulit. Tunc vir sanctus, pro fratre illo solicitus, eum mane diligenter perquiri iussit. Sed ante auroram vagus et profugus, relicto suaui iugo Christi, sequutus fuerat inimicum; et coadunatis[2] iniquitatis filiis latrociniis deditus, capitis abscisione vitam in breui finiuit. Cum vice quadam missam celebraret, vidit mare multiplicatis voluminibus fluctuum in sublime erectum, et fracto nauis sue gubernaculo et ruptis rudibus (!), incerta vagatione ferebatur, donec scopulis illisa, a compage sua penitus dissolueretur; et hiantibus vndis viri absorpti[3], pro meritis premia recepturi, animas reddiderunt[4]. Post missam vero misit fratres; qui quarto die in littore et loco a viro dei designato submersorum corpora inuenientes, ecclesiastice sepulture tradiderunt. Matrona quedam, admonitione serui dei vitam suam emendans, seculi pompam et ornamentorum vanitatem contempsit, vt inter delicias domus sue solitariam vitam agere videretur; sepius ergo[5] dominam illam visitare, et ad meliora prouocare consueuit. Hinc fratres quidam prauis suspicionibus fatigati, familiaritatem illam carnalis affectionis illicite causa fore incusant: et multorum auribus infectis, demum ad beatum Bernardum conquestio[6] deuenit: ad quem seruus dei veniens, cui in spiritu[7] nomen et meritum diuinitus innotuit, et vocans eum secretius, dixit: 'Frater, inquit, Roberte, falsa sunt omnia que contra te sinistra suspicio machinari conata est.' Et in signum amoris zonam suam eidem contulit: que meritis vtriusque multis infirmis postmodum sanitatis beneficia restituit. Sanctum enim Godricum, vtpote confessionis et conscientie illius medicus, sepius inuisere et alloqui consueuit. De morbis vitiorum et virtutum remediis, de secretis celestibus et angelicis visitationibus, de sanctorum patrociniis interserentes[8], diem cum noctibus continuabant. Cumque Godricus tandem in cella sua consisteret, vidit duos muros candidos ad celum vsque porrectos, inter quos[9] tres spiritus angelici apparebant, qui spiritum prefati abbatis in globo igneo ad superna deferebant[10]. Vnus a dextris, alter a sinistris procedebant; tertius supra omnium verticem nimia cum exultatione preibat. 'Non enim, inquit Godricus, disponente domino solus a corpore migrare potuit, quia cum eo quedam bone vite femina de Hastinges discessit, nomine Editha. Et licet fuerint longo terrarum spacio separati, eadem tamen hora in eadem beatitudinis sorte sunt coniuncti. Irruerunt in occursum eiusdem abbatis spiritus nequam; sed decertantibus pro eo angelis, diabolus in sua presumptione confunditur, et in sinum Abrahe Robertus seruus Christi excipitur.' Obiit autem

[1] Boll. qui. [2] E. coadunatus. [3] T. absorti. [4] T. reddiderunt; E. dederunt. [5] om. in T. [6] Boll. et qu. [7] E. spiritum. [8] Boll. inter se disserentes. [9] so L., T. E. in quo. [10] T. deferrebant.

anno domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, septimo Idus iunii.——Quidam ab vtero matris sue mutus effectus, in magno luctu et lamentatione opem sancti Thome martiris diu perseuerando postulauit. Cui sanctus Thomas in visu apparens, dixit: 'Surge velociter et ad Nouum-monasterium festinando progredere, et a sancto Roberto illius loci abbate loquelam et perfectam sanitatem nihil hesitans consequeris.' Ille vero in corde suo murmurans, dixit: 'Quis prebebit ducatum? quis exhibebit viaticum?' Sanctus respondit: 'Ille tibi ductor erit qui verbo cuncta creauit.' Credidit igitur, et gaudens peruenit ad locum: et salutem optatam adeptus, glorificabat deum. Alteri insuper muto loquelam reddidit, contractum curauit, frenetico sensum et rationis vsum dedit, puerum contractum gressibus direxit, cecum illuminauit, et multis aliis sanitatis beneficia suis meritis deuote poscentibus contulit. [1] Miles quidam nobilis putabat se in visu noctis ad orientalem Noui-monasterii stare plagam iuxta crucem ibidem erectam, et videre exercitum quasi cuiusdam magni principis congregatum, princeps autem in medio eorum, terribilis valde, tractabat in quos vellet irruere, et ait: 'Venite visitemus fratres istos in valle.' Et facto impetu, versus monasterium direxerunt [2] aciem. Fumus enim de naribus equorum ascendit, et nebule puluis pedum eorum. Et cum monasterio appropinquarent, monachus quidam egrediens, candidissimo indutus habitu, baculo pastorali eleuato, ne propius accederent interdixit. Nec mora, in tempestate et turbine, quorum violentia crux illa pulcherrima confracta corruit, reuertuntur. Euigilans miles a sompno, et misso ad videndam crucem nuncio, illam, vt viderat, confractam intellexit. Anno autem domini millesimo centesimo octogesimo octauo, octauo decimo [3] kalendas maii, feria quinta, in cena domini coadunatis pauperibus in claustro Noui-monasterii ad mandatum secundum morem ecclesie, singuli monachi pauperes singulos ad lauandum suscipiunt. Prior autem, nomine Gilbertus, ante se sedentem videt quendam capa indutum, que manus, pedes, et corpus totum protexit, caputio vsque ad pectus pendente. Quem leprosum vel paraliticum existimans, inuolutam circa pedes capam explicat, et genibus flexis in nomine domini ad lauandum pedes eius se parat. Cui sedens pedem sinistrum porrexit: quem ille letus suscepit, et cum omni deuotione lauans, eum plorantem audiuit, et lachrime per maxillas erumpentes super caput senis deciderunt. Qui non modicum stupefactus, et quis esset scire volens, intra caputium sursum oculos leuat: et hominem niueo candore fulgentem et celesti gratia choruscantem vidit. Cuius splendore [4] reuerberatis oculis, timens tremuit, nec secundo oculos leuare ad videndum apposuit. Pede interim sinistro loto, pes alter dexter est exhibitus. Quem dum lauaret, inclinauit se incapatus ille,

[1] The following om. in Boll. [2] E. duxerunt. [3] E. decimo octauo kal. [4] E. splendorem.

et indice manus dextere[1] ceteris digitis[2] in vola complicatis extento, plagam adeo nouitatem sue fixure retinentem ostendit, ac si eadem die clauo confossus fuisset. Plaga illa sanguinea non extitit, sed iuxta plagam ipsa cutis dilacerata, et caro contrita apparebat. Mirum enim non fuit quod plagam pedis sinistri non vidit, quando cicatricem in dextero pede videre non potuit, donec ipse crucifixus passionis sue signum reuelans, digitum plage superponeret. Fuit autem ipsa pedis transfixura aperta non modico clauo perforata: quam senex non sine lachrimis vidit, tractauit, lauit, extersit, et osculatus est. Expleto demum mandato, singuli monachi denarios singulos pauperibus errogarunt. Senex vero, flexis genibus ante dominum Ihesum, ei denarium obtulit, et osculo manum eius demulcet. Quem ille suscipiens, manum senis tenuit, ad os suum misit, et super oculos suos posuit. Ex lachrimis enim Ihesu manus senis madefacta est. Eodem autem anno circa festum apostolorum Petri et Pauli, ecclesia hierosolimitana a paganis exterminatur, et Christiani deuincuntur. Ipse [et]enim[3] dominus Ihesus Christus in hoc forte mandato subuersionem ecclesie, pro qua passus est, lachrimabatur, qui et ruinam perfide gentis flere voluit, dicens 'quia si cognouisses, et tu' etc. Vel magis credo, ipsum fleuisse locum in quo flens apparuit, et ruinam[4] morum virtutumque penuriam. Iam enim multiplicantur tenebre et condensantur super terram, vt palpari queant. Quid sunt palpabiles tenebre nisi transgressiones manifeste? Ira, odium, et cetera vitia inundauerunt, et sanguis sanguinem tetigit.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[5].

Illis diebus in prouincia Aquitannie cum sanctus (Bern)ardus legacione fungeretur ut ducem Aquitanie ecclesie reconciliaret, et ille modis omnibus renueret, uir dei ad altare celebraturus accessit, ipso duce tanquam excommunicato pre foribus prestolante. Cum autem 'pax domini' dixit, corpus dominicum super patenam posuit et secum tulit atque ignea facie et flammeis oculis foras egreditur, uerbis terribilibus ducem aggrediens. 'Rogauimus, inquit, te et spreuisti nos: ecce ad te processit uirginis filius, qui est dominus quem tu persequeris. Adest iudex tuus in cuius nomine omne genu curuatur, in cuius manus illa tua anima deueniet; nunquid et ipsum sicut et seruos eius contempnes? Resiste ei, si uales.' Statim dux totus irriguit et membris omnibus dissolutus[6] ad pedes eius protinus se prostrauit[7]. Quem uir sanctus calce pulsans surgere iubet et dei audire sentenciam. Ille autem tremebundus surrexit et quicquid uir sanctus precipiebat, sine mora adimpleuit. [8]Prope Lugdunum iuuenis quidam pelliparius patre defuncto matrem suam proprio labore sus-

[1] T. dextre. [2] om. in T. [3] E. enim. [4] E. ruina. [5] Cf. Leg. Aur. p. 536. [6] LA. dissolutis. [7] LA. prosiluit. [8] Cf. Vinc. Bell. XXVI. 38.

tentans, singulis annis sanctum Iacobum adire solebat. Cumque diu caste uixisset, quadam tandem nocte cum muliere fornicatus est. Mane autem facto cum iter ad sanctum Iaco(bum inciperet), diabolus in specie sancti Iacobi appar(uit ei) dicens: 'Nosti quis sum?' Cui neganti, ait: '(Ego sum) Iacobus apostolus, quem singulis annis ui(sitare) consueuisti. Scias quod multum gaudebam de te, quia (ma)gnum bonum sperabam de te: set antequam de domo tua exires cum muliere fornicatus es, nec confessus nec penitens huc uenire ausus es, et cum peccato tuo profectus es quasi peregrinacio tua deo et michi placeret. Non debet ita (esse, set quicunque prop)ter me uult peregrinari, prius debet (peccat)a per confessionem delere[1], et post peregrinando eadem commissa penitere.' Hiis dictis d(emon) euanuit: et iuuenis rediens, et peccata con(fitens), iter reincepit. Et ecce demon ei ut prius apparens, dixit quod peccatum illud nullo modo delere posset nisi sibi genitalia mem(bra secaret, et) multo beacior esset et mar(tir foret)[2] si se occidere auderet. Iuue(nis ergo sim)plex, sociis dormientibus cultello genitalia membra amputans, et per uentris medium se transfixit. Cum igitur sanguis effluerent et ille moriens palpitaret, socii crimen (homi)cidii timentes fugam arripiunt et ipsum solum relinquunt. Cum eius fouea pararetur, ecce defunctus surrexit, et que ei acciderant enarrauit, et adiunxit: 'Cum me, inquit, occidissem, demones me ceperunt: et cum uersus Romam me ducerent, sanctus Iacobus uelociter aduolauit. Cumque pro me et contra me diucius adinuicem disceptassent, illo cogente uenimus ad quoddam pratum ubi beata Maria cum innumeris sanctis ad colloquium residebat. Beatus ergo Iacobus ante eam pro me contra demones conqueritur. Et cum illa demones increpasset, iussit ut reuiuerem. Sicque sanctus Iacobus me suscepit, et hic confestim me restituit.' Quod cum audissent astantes, eum cum gaudio in domum detulerunt: et eo sanato, sole cicatrices loco uulnerum remanserunt.]

¶ De sancto Rumwoldo confessore[3].

IN Britannia Maiori fuit[4] rex quidam nomine Penda, clarus potentia, honestate elegans, sed dei fidem ignorans[5]: qui filiam genuit, que in ipsa tenera etate cepit deum timere eiusque mandatis inherere. Erant autem tunc in Britannia regnantes reges plures, aliqui ydolis seruientes, aliqui vero deum verum colentes. Inter quos rex quidam potentissimus extitit, sed paganus, qui filiam Pende diligens in vxorem petiit, et accepit. Cum igitur in nuptiis iuxta

[1] VB. dicere. [2] VB. et multo beatiorem et martirem fore. [3] Ed. in Act. SS. Boll. 3 Nov. I. p. 685. Abr. from the Vita (with Prologue) in MSS. Reg. 13 A. x. fol. 55 61, Corp. Chr. Coll. Cambr. 9, p. 53-58 (XI cent.), Trin. Coll. Dublin B 2, Arund. 91, fol. 194 (without Prol.); an abridgment in MS. Lansd. 436. Our tex follows that of MS. Arund. 91. [4] T. Vit. Fuit in B. [5] *al.* Vit.; sacri baptismatis unda perfusus.

morem vescentes letarentur, cogitabat puella quomodo posset ad viri thorum ingredi ipsique carnali commixtione copulari, qui Christi signo nondum erat insignitus. Ex intimo ita(que)[1] cordis longa trahens suspiria, oculosque ad ethera leuans, Christum regem omnia moderantem inuocat, taliterque cum lachrimis exorat: 'Domine deus creator et omnium redemptor, ne sinas corpus meum pollui cum viro a te alienato, sed conuerte cor eius ad amorem tuum, et illumina illud splendore vultus tui: daque illi intelligentiam, vt te intelligere valeat, et gratiam baptismi tui percipiat[2].' Et hec orans, illico cum sponso[3] intrat ad thalamum, illumque ita affatur: 'Scias, inquit, domine rex, nunquam me intraturam tuum thorum, priusquam[4] baptismum accipias deumque trinum et vnum ex toto corde confitearis, abiectis culturis idolorum.' Cumque hoc dixisset, gratum atque acceptabile, deo volente, fuit sponso salutis verbum; sicque suscepto ieiunio, tertia die baptizatus est, et iuxta ritum christianorum coniugii legi coniunctus. Concepit ergo regina ex eo filium. Et appropinquante tempore pariendi, misit rex Penda ad generum suum et ad coniugem eius, vt pariter ad eum venirent, et mutuo amore exultarent. Rex denique Northanhumbrorum prefatus dum cum[5] vxore pregnante carperet iter, cogebat partus mulierem parere: sicque in quodam prato famuli militesque papiliones[6] extendunt atque tentoria, et mox regina filium peperit, a multis optatum et a deo sanctificatum. Cumque infans natus fuisset, statim clara voce omnibus audientibus clamauit dicens: 'Christianus sum, christianus sum, christianus sum.' Ad hanc vocem [reponderunt][7] presbiteri duo Widerinus et Edwoldus[8] dicentes 'Deo gratias.' Et post hec subsequitur infans: 'Trinum et vnum deum colo, confiteor et adoro, patrem et filium et spiritum sanctum.' Ad hec presbiteri et astantes[9] et omnes qui aderant[10] mirantes ceperunt cantare 'Te deum laudamus.' Quo finito, rogabat se infans cathecuminum a Widerino sacerdote fieri, et ab Edwoldo teneri ad presignaculum fidei, et Rumwoldum vocari. Perfecto presignaculo, dixerunt parentes ad inuicem: 'Mittamus ad conuicinos reges ac duces, vt nostrum accipiant filium charissimum de sacro baptismatis fonte[11].' Hoc audiens beatus Rumwoldus, accersitis parentibus, ait illis: 'Non enim decet me seruum dei in manibus superborum ac diuitum mundi huius de regeneratione sancti baptismatis excipi, sed dei imitari exemplum, qui humilis factus[12] pro nobis carnem suscipiendo humanam, ex almo virginis vtero conceptus de spiritu sancto, noluit baptizari in fluenta[13] Iordanis a potentibus caduci eui, sed a precursore natiuitatis sue, qui pilis cameli indutus in heremo degebat, cuius esca mel siluestre erat ac locusta, factus inter

[1] T. ita. [2] E. suscipiat. [3] E. sposo. [4] T. prius, quam om. [5] E. cum dum. [6] E. papilones. [7] so T.; om. in E. [8] Vit. Eadwaldus. [9] Vit. parentes. [10] E. aderunt. [11] T. funte. [12] T. E. factus est. [13] Vit. fluentis.

homines pauper, venerandus propheta, precursor atque baptista. Nam ab angelo nunciatus, a patre sacerdote genitus, merito sanctum baptizauit sanctorum regemque omnium seculorum sacerdotemque[1] eternum: dans cunctis in se credentibus baptismum[2] salutis in remissionem omnium peccatorum, quoniam in illo nulla macula extitit vitiorum. Hinc ergo rogo, me a sacerdote Widerino, qui me presignauit, baptizari, atque ab Edwoldo suscipi, quia in illorum manibus per dei virtutem atque misterium christianus fieri concupisco.' Et hec dicens Rumwoldus, diuina protegente[3] gratia, ostendit indice concauum lapidem non procul iacentem in quodam tugurio humide adiacentis vallicule, iubetque circumstantibus domesticis vt illum festinanter afferant. Cumque euntes lapidem nec mouere nec aliquo ingenio a terra extrahere possent, reuertentes asserebant se incassum laborare et nullatenus lapidem mouere posse. Quibus pater precepit vt afferrent velociter vas ligneum, vt Christi tiro baptismum susciperet in eo. Euntibus illis et vas plenum aqua deferentibus, Rumwoldus, hoc intuens, Widerino et Edwoldo presbiteris ait: 'Ite et in nomine domini nostri Ihesu Christi ac sancte trinitatis, soli sine hesitatione saxum indubii accipite, et in summo omnium confidentes auctore, huc adducite.' Qui protinus pergentes, magni ponderis lapidem mox leuiter a terra eleuant, atque ante [sanctum][4] Rumwoldum deponunt. In quo sanctificato baptismatis fonte, a sacerdotibus prefatis puer baptizatus, missam sibi postulat celebrari, corpusque Christi et sanguinem sibi dari; vt cuius susceperat baptismum, ipsius sumeret sacramentum. In eodem autem prato in quo baptizatus est sanctus Rumwoldus, nunquam gratissimus odor deficit, neque ibi herbe pallescunt, sed semper in viriditate permanentes, magna nectaris suauitate redolent. Vocatur autem locus ille nunc ab incolis Suttunus[5]. Post missarum itaque solemnia[6], alloquitur sanctus Rumwoldus[7] parentes suos sacerdotesque prefatos; de catholica fide veraque religione, necnon de omni honestate, de preceptis legis diuine, et maxime de dilectione dei et proximi illos docens. Post exhortationem vero multorum sermonum, omnibus clara voce dixit: 'Audite, queso, cuncti hic astantes, verba que ego loquor hodie in auribus vestris: quoniam sapientia, que os mutum aperit[8] linguasque infantium disertas esse facit, per me sua misteria[9] vobis vestrisque sequacibus pandit, quo ipsius agnitionem habere possitis. Nam hec est illa sapientia in qua deus fundauit terram celosque stabiliuit, que sola girum celi circuiuit et in fluctibus maris ambulauit, superborumque et sublimium colla propria virtute calcauit. Hec etenim clamitat in plateis vocatque se diligentes vt ad illam declinent: quia[10] eam inuenient, et eam cum inuenerint, beati sunt si tenuerint eam. Hec quippe sua virtute

[1] E. sacerdotumque. [2] E. baptimum. [3] Vit. providente (Reg. prodente). [4] om. in E. [5] = King's Sutton in Northampton. [6] T. solempnia. [7] T. rumwollus. [8] T. E. aperuit. [9] T. E. ministeria. [10] Reg. qui.

me loqui iubet, quia sapienter cuncta creauit; meque in hoc euo nasci voluit, spiritumque vite in me spirauit. Non ergo mirum vobis videatur quod contra morem nature mihi scientia vel possibilitas [1] data est fandi a deo, quia inscrutabilia sunt iuditia eius, et inuestigabiles vie eius. Deus enim sapientia fundauit terram, sed [2] sapientia vera summaque est que [3] mundum ex nihilo condidit [4] celique machinam cum siderum inenarrabili pulchritudine fabricauit, cuius celum sedes est, et scabellum pedum eius terra est, sicut Ydidas testatur in persona illius dicens: "Ego in altissimis habito, et thronus meus in columpna nubis." Est namque ipse sapientia, qui[a], vt ait Psalmista, "in sapientia fecit omnia," ideoque illi flectitur omne genu, et omnis lingua confitetur. Est quidem et conditor omnium rerum, quia [que] [5] creauit in potentia, ordinauit constituendo in magnificentia. Est quoque principium et finis, quia in principio, hoc est in filio, creauit vniuersa; ipse enim ait: "Ego sum alpha et oo, initium et finis, qui ante mundi principium viuo in eternum." Vnde et filius, qui cum patre et spiritu sancto vnus est deus, illum interrogantibus quis esset respondit: "Ego principium, qui et loquor vobis." Ab eo est enim omne principium et quod [6] per initium factum est, quoniam ipse est creaturarum exordium et finis, atque redemptio mundi. Sicut enim deus in sapientia cuncta creauit, sic etiam suum plasma perditum in sapientia redemit. Sapientia quidem patris filius est. Est [7] ergo pater in filio et filius in patre, et spiritus sanctus [8] per quem omnes renascuntur [9] fideles, est in vtrisque: et ex hoc intelligi sine dubio oportet, quia idem deus pater, idem et filius, idem deus est et spiritus sanctus. Quamuis autem alia sit persona patris, alia filii, alia spiritus sancti, vna est substantia, eadem est equalitas, vna est maiestas atque potestas, vna eternitas atque perfectio, dignitas, honor, decus, et vnum imperium et beatitudo, vna immensitas et gloria atque immortalitas. Ita itaque est credenda hec trinitas vt indubitanter confiteatur vna deitas vnaque esse essentia. Hanc quippe mecum confitemini, quoniam [hec] [5] confessio vita est cunctorum eam confitentium.' Cumque omnes lachrimabili voce dicerent: 'Credimus, confitemur, adoramus, laudamus et benedicimus,' extemplo sanctus Rumwoldus hilari vultu ac sonora voce ait illis: 'Audistis, fratres in Christo atque consanguinei, qualiter sanctam trinitatem confiteri debetis, qualiterque ipsius vnitatem firmiter in vestri cordis pectore oportet retinere, et in ea credulitate, qua pater et filius et spiritus sanctus vnus deus est, fideliter perseuerare: nunc igitur vos docebo quomodo fructus agere debeatis dignos penitentie, et, si aliquod crimen in vobis est, quomodo possitis emundari ab eius vulnere celesti medicamine. Deus enim non vult mortem peccatoris,

[1] Reg. potestas. [2] sap.—sed om. in Reg. [3] *al.* qui. [4] Reg. creauit. [5] om. [6] T. E. per quod. [7] om. in T. [8] T. E. spir. s. in vtroque. [9] T. E. vt omnes renascantur.

sed vt conuertatur et viuat. Ideo namque vnicuique peccatori dicitur per prophetam : " Declina a malo et fac bonum : inquire pacem [et][1] sequere eam." Et iterum : " Peccasti, quiesce." Penitentiam quippe agere est, peccatum perpetratum dimittere bonisque semper operibus inherere et veram pacem dilectionis dei et proximi inquirere eamque sequendo totis nisibus exercere. Parum [et]enim[2] proderit peccatori a peccato cessare, nisi studeat ieiuniis et orationibus elemosinisque commissum deflere, vt, sicut extiterat operator malicie, ita quoque efficiatur post peccatum cultor iusticie. Alioquin quodsi aliquis non deliquit, tamen debet exhibere mandata atque iustificationes Christi propter sacramentum fidei quod in baptismate promisit, quia diues qui purpura[3] et bisso induebatur et quotidie splendide epulabatur, non proprio[4] reatu dampnatur criminis, sed propterea quod in paupere non exhibuit officium charitatis. Iccirco, fratres, satagite vtrumque agere, hoc est ad fontem sapientie accedere, et ex eo potando, immunditiam cordis vestri abluere,Christum deum et dominum misericordem animarum corporumque medicum indesinenter expetere, illique vestra colla humili ac nitida [con]scientia[5] eius precepta seruando subiicere, ipsumque ex toto corde et tota virtute diligere, et ad ipsius ecclesiam omni tempore concurrere, preces ad illum pro vestris excessibus effundere, oblationes vestras sine dolo illi offerre, sacerdotes honorare, et doctrinam euangeliorum, que per eos manifestantur[6], gratuita ac etiam hilari deuotione excipere ; omnes christianos quemadmodum uosmet[7] ipsos amare, et vnusquisque uestrum[8] studeat alterum honore preuenire, non maledicere, non occidere, non aliquem accusare, non vicino detrahere, non insidias[9] vel laqueos ad decipiendum alicui opponere, non furari neque periuria[10] facere, non blasphemare vel simplices deridere, sed in omnibus bonis operibus perseuerare, deumque omnipotentem siue in prosperitate vel aduersitate[11] omni tempore laudare.' Hec itaque omnia cum dixisset sanctus Rumwoldus, cuncti qui aderant gratias deo referebant, eo quod in tam paruulo infante gratia diuina inspirante tanta virtus esset eloquentie. Tunc iterum ait beatus Rumwoldus : 'Ecce ego ingredior viam vniuerse carnis : quoniam mihi fas non est viuendi in hoc mortali corpore ab hora qua natus sum. Post transitum autem meum volo esse in loco quo ortus sum per vnius anni spacium ; postmodum vero in Braccalea[12] constitui esse per biennium. Finitis autem hiis tribus annis, proposui vt mea ossa requiescant in loco qui vocabitur quandoque Bukingham[13] omni tempore.' Istorum autem nomina non erant eo tempore vocata[14], sed post multorum temporum curricula inuenta vel cognita sunt. Sunt quoque nunc ville illis in locis site, fertiles sege-

[1] om. [2] E. enim. [3] E. in p. [4] Vit. pro. [5] T. E. scientia. [6] Reg. manifestatur. [7] E. nosmet. [8] E. nostrum. [9] E. insideas. [10] Reg. periurium. [11] E. auersitate. [12] E. bractalea ; now Brackeley. [13] E. bukingam. [14] Vit. nota.

tibus, iugerum multorum habentes copiam, atque dense hominum habitatione. Finita itaque tertia die sanctus Rumwaldus emisit deo gratissimum spiritum, tertio nonas nouembris, manibus susceptus angelorum : et, vt iusserat, in [eodem][1] loco sepultus est. Defuncto demum Edwoldo[2] presbitero, translatus est in alium locum prefatum a Wederino presbitero. Finitis autem tribus annis, delatus est apud Bukingham : vbi vsque hodie in magna veneratione habetur. Ibi enim et in multis locis inuocatus prestat multa[3] beneficia se petentibus, cecis visum, claudis gressum, (et)[4] diuersis languoribus et morbis grauatis sospitatis munus, annuente domino nostro Ihesu Christo.

[MS. Tib. adds : *Narratio*[5].

Quidam frater iuuenis cum uidisset quosdam senes iter agentes et laborantes in ambulando, onagris iussit ut uenirent et portarent eos. Illi autem senes indicabant hoc abbati Antonio, qui dixit : 'Videtur michi monachus iste similis esse naui onerate omnibus bonis, de qua incertum est utrum peruenire possit ad portum.' Et post aliquantulum temporis subito cepit abbas Antonius (flere et) trahere sibi capillos et lugere, dicens discipulis suis : 'Magna columpna ecclesie ce(cidit) modo. Ite ad fratrem illum iuuenem et uidete quod factum est.' Qui pergentes inuenerunt monachum illum super mattam sedentem et flentem peccatum quod fecerat. Et uidens discipulos Antonii ait : 'Dicite seni ut obsecret deum decem tantum dierum dare michi inducias, et spero me satisfacturum ei.' Qui infra quinque dies mortuus est.]

¶ De sancto Sampsone episcopo et confessore[6].

SAnctus Sampson, de Britannia Maiori, nobilissimis parentibus originem habens[7], beati Maglorii consanguineus extitit. Huius (autem)[8] mater Anna, cum sterilis putaretur, desperato iam fetu, cum marito suo Amone[9] ieiuniis et elemosinis frequentibus incumbebat. Cui nocte quiescenti per visum dominus ait : 'O mulier firma in fide, stabilis in dei dilectione, ac perseuerans[10], ne timeas : quia prolem habebis, quem Sampsonem vocabis. Hic erit sanctus coram deo, et sacerdotali officio condignus.' Itaque mulier cum gaudio concepit, et peperit, et infanti baptizato nomen Sampsonis imposuit. Cumque septem esset annorum, ad sanctum Iltutum[11] abbatem discendi gratia adducitur : qui videns puerum, osculatus

[1] om. in E. [2] E. edwaldo. [3] *al.* om. [4] om. in T. [5] Ex Vit. Patr. 905. [6] Derived from the old Vita in Mabillon I. 165, A. SS. Boll. 28 July VI. 571, and the abridgment in Vinc. Bell XXI. 105, and from the life in Lib. Landav. p. 85 (also derived from the old Vita). The life in Du Bosc Bibl. Floriac p. 464 (and Surius) gives part of the old life with foreign additions; a life by Balderic of Dole is unprinted. [7] T. ortus; E. originem habens. [8] om. in T. [9] E. amoue. [10] Vit. p. in prece. [11] T. eltutum.

est eum dicens: 'Gratias deo agimus, qui lumen hoc nobis indignis de gente nostra accendere dignatus est in terra. En caput omnium nostrum, en pontifex summus multum ecclesie dei profuturus.' Cum autem quindecim esset annorum, ieiuniis ac[1] vigiliis intendens, sepe biduana ieiunia faciebat. Quodam die ille et magister eius in quandam questionem altam inciderunt, cuius explanationem nullatenus reperire potuerunt. Tunc Sampson ieiuniis et vigiliis[2] insistens, per dominum rogauit scire quod per magistrum non potuit. Cum autem tertia nocte oraret, assistere sibi vidit lucem celitus emissam, ac vocem audiuit de luce suauiter sibi dicentem: 'Ne fatigeris amplius, electe dei; ecce etenim non solum hanc questionem pro qua[3] laboras consequeris, sed quecunque petieris a deo per orationem tuam et ieiunium, exigentibus[4] meritis tuis consequeris.' Dum fratres ad purgandam messem pergerent, coluber de rubo exiliens quendam fratrem momordit in inguine: et accedens Sampson signum crucis imposuit, et fratrem incolumem reddidit. Veniens autem episcopus Dubricius ad abbatem Iltutum[5], Sampsonem diaconum ordinauit, et vna cum Iltuto[6] columbam celitus emissam descendere ac super Sampsonem immobiliter stare vidit. Quando enim episcopus manum super eum posuit, illa in scapula dextera[7] eius descendit, ibique donec officium esset consummatum mansit. Ab eodem autem episcopo cum in sacerdotem ordinatus esset, idem signum, eius innocentiam ostendens, apparuit. Quanto enim ad maiorem gradum ascendit, tanto arctiorem vitam ducens, in tota vita sua nullam carnem prorsus gustare voluit. Celerarius monasterii, post auunculum suum Iltutum monasterio preesse affectans, sed successus prosperos Sampsonis metuens, fortissimum venenum confecit, et experimenti gratia animali dedit: quo hausto, saltum precip[item][8] dans expirauit. Celerarius autem cum consilio germani sui in calicem sancti Sampsonis fudit: quod ille per spiritum sanctum intelligens, et potum benedicens, totum bibit, et nihil lesionis sensit. Post prandium dixit celerario vir dei: 'Mi frater dulcissime, sanet te deus ab omni egritudine, quia magnam sanitatem corpori meo poculum hodie mihi porrectum prebuit.' Ille vero in obstinatione perdurans cum die dominica sacram communionem de manu Sampsonis susciperet, diabolus eum arripiens multum vexare cepit. Vir autem dei dolore fratris commotus fleuit, aquam et oleum benedixit et ad potandum dedit, et sanitati restituit. [9]Vir itaque dei totam diem operibus manuum suarum et orationibus, totam vero noctem lectionibus scripturarum et meditatione ducebat. Et si quandoque vt homo quiescere opus haberet, parieti inclinans, nunquam in lecto, dormiuit. Egrotans pater suus ad mortem, affir-

[1] E. et; T. ac. [2] so T.; E. vigiliis et ieiuniis. [3] T. E. quo. [4] E. exientibus. [5] T. eltuti; E. iltutum tum. [6] T. eltuto. [7] E. dextere; Vit. scapulam dexteram. [8] T. E. precipuum. [9] Cf. VB. In Vita, he leaves S. Iltut for S. Piro.

mabat se nunquam sanitatem percepturum, nec sacramentum, nisi Sampsonem primogenitum suum videret, per quem pariter corporis et anime sanitatem se suscepturum[1] dicebat. Quo per nuncios audito, ingemiscens Sampson dixit: 'Iam, nisi fallor, Egiptum reliqui: non est opus me in ipsam redire. Potens est autem deus egrotantem sanare.' Cui Iltutus[2] abbas ait: 'Quare sic dicis, electe? curam te oportet habere de animarum profectu, tuaque merces grandis erit cum deo, dum vbi carnalia creuerint, spiritualia seminentur[3].' Qui respondit: 'Vtinam voluntas dei fiat, nam propter deum et lucra animarum omnibus[4] paratus sum.' Cumque per vastam solitudinem cum vno diacono pergeret, horribilem vocem iuxta se audierunt. Ob quam vocem perterritus diaconus equum dimisit et pallium suum proiiciens, in fugam se conuertit. Quem theomaca[5] hirsuta et cornuta cum lancea trisulcata[6] per vastas siluas veloci cursu quasi volitans[7], seminecem prostrauit. Beatus vero Sampson intrepidus progrediens, et theomacam a longe fugientem aspiciens, exclamare cepit: 'Quid fugis, mulier? et ego homo sum sicut ille quem prostrasti. Si in potestate tua datus sum, ecce assum.' At illa non attendente, sed semper fugere nitente, iterum clamauit: 'Impero tibi in nomine Ihesu Christi, ab eo loco in quo modo stas, donec veniam ad te pedem ne moueas.' Tunc illa tremente, vir sanctus adueniens ait: 'Que es, mala[8], vel qualis?' Illa cum ingenti tremore respondit: '[9]Theomaca sum, cuius gentes hucusque uobis[10] preuaricatrices extiterunt, et nunc nulla de meo genere remansit in hac silua nisi ego. Habeo enim octo sorores et matrem, que non sunt hic, sed in vlteriori silua degunt. Ego autem marito in hac heremo tradita sum, eoque iam mortuo, recedere de hac silua non possum.' Cui sanctus ait: 'Nunquid potes fratrem quem percussisti rediuiuum tradere[11], vel certe sollicitari de profectu anime tue?' Et illa: 'Nolo, nec in melius reparari possum: nullum enim bonum facere possum, sed semper ab infantia mea hucusque ad mala exercitata sum.' Tunc sanctus ait: 'Deum omnipotentem implore ne amplius hominibus noceas, sed, cum sis irremediabilis, ab hac vita citius discedas.' Tunc illa saltum precipitem in latere sinistro dans ad terram corruit et expirauit. Tunc ad fratrem iacentem veniens vir dei, et vitalem flatum in pectore vix manentem inueniens, pro eo orauit: et sanitati restituit. [9]Veniente illo ad patrem suum, in eius aduentu gauisus pater, capitale crimen quod vsque tunc celauerat publicauit, et caput suum totondit, vxore sua maxime ei suggerente, atque dicente: 'Non solum ego et tu, vt decet et conuenit, seruiamus deo, sed et totam prolem nostram in dei seruitio iungamus.' Presentatis

[1] T. suscepturum; E. recepturum. [2] T. eltutus, Vit. Piro. [3] E. seminent. [4] E. omnibusque. [5] = saga, venefica, ἀπὸ μετὰ Θεοῦ μάχεσθαι. [6] so Lib. Land. [7] E. volutans; Vit. volucritans. [8] Vit. mala forma. [9] Cf. VB. [10] E. nobis. [11] Vit. reddere.

vero quinque fratribus sancto Sampsoni vna cum sorore valde paruula[1], paululum silens respondit: 'Fratres mei boni sunt et deo donati, sed hec pusilla ad mundanas voluptates data est.' Sanato itaque patre, et missis ad monasteria suis, in operibus bonis (omnibus)[2] confirmatis, Sampson cum patre et auunculo[3] et diacono iter pergens: vidit semitam, et quasi igni exusta rura circa eam, ac vestigium quoddam quasi trabes per exustas herbas traheretur. Et ecce a longe serpentem flammeo capite spirantem[4] aspexit, qui morsu glebam de terra apprehendens, in aduenientis faciem iactauit ac sibilum dire vocis quasi gladio cederetur emisit, postea tremens et caudam rapidis[5] dentibus rodens, in spheram[6] se velociter collegit. Sanctus autem circulum faciens ac signum crucis imponens, ait: 'Precipio tibi in nomine Ihesu Christi, vt sine mora nobis presentibus moriaris.' Qui mox caput sursum eleuans et venenum omne euomens, expirauit. Sampsone facto celerario et pauperibus sedule ministrante, frater qui ei, vt premittitur[7], inuidebat, auribus Dubricii episcopi instillabat, Sampsonem omnia dilapidando consumpsisse, et vasa melle plena euacuasse. Episcopus, rei veritatem scire cupiens, cellarium intrauit: quod Sampson per spiritum agnoscens, super vasa vacua signum crucis imposuit: et episcopus illa plena inuenit. Mortuo abbate[8], Sampson ab omnibus electus, annis tribus monasterium rexit. Ad Scotiam[9] postea pergens, tanquam angelus domini ab omnibus religiosis receptus, cecos illuminauit, leprosos mundauit, demones fugauit, et cunctis viam salutis monstrauit. Rediens vero, in quadam heremo secretissimum specum inuenit, in quo fontis venam precibus promeruit, et soli deo vacans, angelorum consolatione et alloquio crebro fruebatur. Nocte quadam vidit se densissimis candidatorum circumdari turmis, et tres episcopos vestibus[10] aureis ornatos cum illo ecclesiam ingredientes orare. Cui[11] vnus illorum ab ipso inquisitus qui essent, ait: 'Ego sum Petrus Christi apostolus, et hic frater domini Iacobus, et euangelista Iohannes. Dominus Ihesus Christus te sibi in presulem elegit, et te consecrare nos misit.' Quem cum benedictione consecrassent, ab eius oculis elapsi sunt. Nec multo post angelus domini beato Dubricio apparens, Sampsonem ordinari episcopum precepit. In cuius consecratione, qui aderant columbam celitus emissam immobiliter super eum stare videbant. Eodem die Sampsone celebrante, Dubricius cum monachis duobus columpnam ignis de ore eius procedentem rutilare perspexit. Ille vero omni tempore vite sue angelos, dum celebraret, sibi assistere et in sacrificio ministrare videre meruit. Nocte quadam resurrectionis dominice orante viro dei, angelus domini cu magna claritate apparuit, dicens:

[1] E. paruula valde; T. valde paruula. [2] om. in T. [3] r. patruo. [4] Vit. serpitantem. [5] Vit. rabidis. [6] T. speram. [7] *al.* Vit.: qui ante eum pistor fuerat. [8] sc. Pirone. [9] i. e. Hiberniam. [10] *al.* diadematibus. [11] E. Cuius.

'Sampson deo dilecte, viriliter age, de terra et [de][1] cognatione tua egredere: predestinatus enim es a deo vltra mare fundator monachorum magnificus et rector in populo gloriosus.' Assumptis enim secum quibusdam fratribus, cum per pagum Tricurium transiret, homines idolis immolantes vidit. Quo viso ingemuit, et eos ab errore sua predicatione reuocare curauit. [Et][1] ecce puer equo insidens et circa ydolum currens, ad terram corruit et fracto collo expirauit. Et ait vir sanctus: 'Si ydola vestra destruere vultis et in deum meum credere, inuocato nomine domini vestrum resurgere mortuum faciam.' Acquiescentibus illis, mortuum resuscitauit, et illi credentes destructis ydolis baptizati sunt. In eadem prouincia erat serpens quidam mire magnitudinis, qui mortifero flatu suo duos pene pagos deleuerat. Ad quem, in antro latitantem, Sampson accedens, lineam zonam[2] circa collum eius ligauit, et de rupe precipitans eum, ne amplius viueret precepit. Constructo in loco illo monasterio, fontis venam iugiter fluentem aperuit. Nauigans post hec in Britanniam[3], vidit in portu tugurium, et in eo quendam miserabiliter plorantem semperque ad mare respicientem. Cui ait: 'Frater, quid ploras?' Et ille: 'Vxorem habeo leprosam, et filiam demoniacam, quas mihi dominus sanare promisit per quendam transmarinum, quem triduo hic expectans venturum in hunc portum spero.' Tunc super eas supplex orauit, et sanitati restituit. Reperto ibi loco aptissimo, monasterium nomine Dolum construxit, vbi multa miracula fecit, et per prouinciam cenobia edificauit. In curia regis Hildeberti comitem energuminum[4] curauit; et cum iubente regina venenum ad bibendum in vitro sancto episcopo esset porrectum, diuinitus hoc cognoscens signum crucis vitro imposuit: et in partes quatuor crepuit, et effuso super manum tenentis veneno, cunctis intuentibus vsque ad ossa corrosa est cutis et caro. Tunc Sampson ait: 'Non est conueniens hoc poculum ad bibendum.' Turbato rege cum quo vir sanctus in mensa sedebat, et cunctis admirantibus, manum lesi signauit, et sanam reddidit. Indurata vero regina non multum post contra virum dei leonem ferocem dimitti iussit: sed electum dei virtus Christi protexit, et veluti conto leo percussus in fugam se conuertit. Et ait sanctus: 'Impero tibi in nomine Ihesu Christi, ne cuiquam amplius noceas, sed velociter pereas.' Qui statim saltum dans precipitem, expirauit; et regina cum suis fautoribus Sampsonis pedibus prostrata veniam postulauit. Iuxta Secanam[5] ad preces regis serpentem, patriam infestantem, solo sermone occidit, et monasterium ibidem construxit. Biduo seu triduo, et quandoque septimo die se refecit; noctes orationibus assiduis stando insompnes ducebat. In remotiori loco ab hominibus in quadragesima segregatus, oblationes tres secum portans, vsque

[1] so T., om. in E. [2] T. linea zona. [3] sc. Armorica. [4] = daemoniacum. [5] Vit. Sigonam.

ad pasca illis dei virtute victitabat. In Dolo tandem monasterio corpus seculo, animam reddidit celo, quinto kal. Augusti.

[MS. Tib. adds : ¶ *Incidencia*[1].

Diaconus quidam a Longobardis captus et ligatus erat : a quibus uir dei Sanctolus peciit ut sibi eum ad custodiendum traderent. 'Tibi,' inquiunt, 'eum damus ad custodiendum, set ea condicione interposita, ut si ipse fugerit, ipse moriaris pro eo.' Quod uir dei libenter accipiens, diaconum in sua custodia suscepit : et media nocte, soporatis inimicis, ait : 'Surge et concitus fuge, liberet te omnipotens deus.' Et ille : 'Fugere, pater, non possum, quia si ego fugero, pro me sine dubio morieris.' 'Surge, inquit uir dei, et uade uelociter, omnipotens te dominus eripiet ; nam ego in manu eius sum. Tantum in me possunt facere quantum ipse permiserit.' Fugit itaque diaconus, et quasi deceptus in medio fideiussor remansit. Facto autem mane cum uir dei diaconum fugisse respondisset, omnibus placuit ut Sanctolus moreretur. Et impetrato uix orandi spacio cum paululum diucius oraret, electus iugulus[2] eum calce pulsauit ut surgeret, dicens : 'Surge et flexo genu tende ceruicem.' Et cum tenso collo eductam contra se spatam uideret, dixit : 'Sancte Iohannes, suscipe illam.' Tunc carnifex brachium percussurus leuauit, set deponere nullo modo potuit, et obriguit ac inflexibile remansit. Tunc omnis turba cepit uirum dei cum timore uenerari, et brachio carnificis curato boues et iumenta depredata[3] ei offerre uolebant : set uir dei renuens ait : 'Si michi aliquid uultis concedere, omnes captiuos quos habetis michi tribuite, ut habeam unde pro uobis possim orare.' Et ita factum est[4].]

¶ [5] De sancta Sexburga regina et abbatissa[6].

Sancta Sexburga, vera imperatrix, diuitiis imperabat, nec hiis quas tenebat teneri poterat. Nemo illa inter delicias continentior, nemo in regio fastu humilior nec spiritu pauperior. Fuit namque hec beata regis Anne Estanglorum filia, generosis moribus et omnibus amabilis ac gratiosa. Cum enim adoleuisset, Ercomberto regi Cantuarie a parentibus traditur in vxorem, natique sunt illi filii reges

[1] Ex Vinc. Bell. XXII. 83; cf. Greg. Dial. III. 37. [2] VB. interfector.
[3] VB. que depredati fuerant.
[4] Collect in T. :
Omnipotens sempiterne deus, tribue nobis per intercessionem sancti Sampsonis episcopi poscentibus peccatorum ueniam, querentibus salutis uiam, pulsantibus aperi(re celestis regni aulam, ut ad eternam maiestatis tue habitacionem te adiuuante peruenire mereamur, per). Cf. Brev. Sar.
[5] Ed. in Act. SS. Boll. Jul. II. p. 349. Abr. from the Lectiones in MS. Calig. A. VIII. fol. 89, Corp. Chr. Coll. Cbr. 393. [6] et abb. om. in T.

Egbertus et Lotharius, filie quoque sanctissime Ermenilda et Erkengoda, quarum prior iuncta est Merciorum regi Wifero, que sanctam peperit Werburgam; altera transmarina monasteria adiit, vbi peregrina quiescens, se a Christo susceptam claris miraculis ostendit. Quis autem digne memoret qualiter sanctissima Sexburga sub ipso iugo matrimonii vitam duxerit? Duces nouerunt[1] dominam, pauperes alumpnam: illi principem, isti frequentabant matrem; illi venerabantur maiestatem, isti colebant humilitatem; superioribus imperialis, inferioribus videbatur equalis; summis precipiebat, infimis ministrabat: vt omnium mater, omnibus[2] erat amabilis, omnibus venerabilis; rara in turba, frequens in ecclesia; regem attentius accendebat ad diuinum obsequium. Rex itaque crebro ipsius instinctu, primo omnia ydola que sub prioribus regibus adhuc erant residua, ab vniuerso regno suo cum omni paganismo funditus[3] exterminauit, regnumque Christi non tam dilatauit quam totum Christi esse fecit. Instinctu regine deo dilecte, rex monasteria ampliauit, ecclesias construxit. Primus etiam quadragesimalis abstinentie ita omnibus indixit obseruantiam, vt violatori decerneret vindictam. Liberos autem sanctissima parens ad omnem dei timorem et reuerentiam erudiebat ac mandatorum ipsius custodiam. Tandem Ercombertus vicesimo quarto regni sui anno obiit, et beata Sexburga regalia ornamenta cum pompa et luxu seculi abiicit et habitum sanctimonialem induit apud cenobium heliense, sub sorore sua sancta Etheldreda. Se quoque in omnem virtutem erexit, ieiuniis, vigiliis ac variis laboribus corpus affligere[4], voluptatum maculas igne amoris dei decoquere, lachrimarum fluuiis abluere, omnique[5] continentia et humilitate emulari sanctimoniam beate sororis sue cepit. Post obitum sororis[6] sue successit regimine, omnium vnanimi electione. Intellexit beata tunc se maiori oneratam diligentia, cum etiam pro omnium commissorum sibi vigilandum[7] esset tutela. Omnibus ergo deuote et humiliter[8] satagebat ministrare. Inter innumera autem gratiarum Christi charismata hoc etiam[9] altius accendit ad virtutum premia, quod[10] predicte germane sue gleba, post sexdecim annos sepulture, inuenta est tota incorrupta. Exacto tandem in bonis operibus vite sue cursu, pridie Nonas iulii ad eterna gaudia conscendit[11], et iuxta sororem suam sepulturam meruit.——Floruit autem circa annum domini sexcentesimum quadragesimum[12].

[1] Vit. nouerant. [2] E omnibusque. [3] E. funditer. [4] E. afligere. [5] E. omniumque. [6] E. sorori. [7] E. vigulandum. [8] E. humiter. [9] Vit. eam. [10] E. quam. [11] E. concendit.

[12] Antiph. et Collect in T.:

Tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te. V. Ora pro nobis.

Presta quesumus, omnipotens deus, ut qui beate Sexburge commemoracionem agimus, eius meritis et precibus sibi in celesti societate, ubi gloriose uisionis tue perhenni gratulemur iocunditate, per.

¶ *Narratio*[1].

Huius enim filia Erkengoda, magnarum fuit virgo virtutum, seruiens domino in monasterio quod in regione Francorum constructum[2] est a sancta virgine Phara, nomine Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia monastice conuersationis gratia Galliarum monasteria adire solebant, filiasque suas Christo sacrandas mittebant, maxime in Brige, in Cale, et in Andelegum: inter quas erat Sethritha[3] filia vxoris Anne regis Orientalium Anglorum, et filia naturalis eiusdem regis Ethelburga: que vtraque, cum esset peregrina, eiusdem monasterii brigensis est abbatissa constituta. Erkengode vero virginis multa solent opera virtutum et miraculorum narrari; verum nos de transitu illius, quo celestia regna petiit, aliquid breuiter dicere sufficiat. Imminente vocationis sue die, cepit circuire in monasterio casulas infirmarum Christi famularum, et maxime prouecte etatis, et que morum probitate erant insigniores: quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum suum, quem reuelatione didicerat, esse futurum non celauit. Quam reuelationem esse talem perhibebat[4]: Vidit enim[5] albatorum cateruam hominum monasterium intrare, hosque a se interrogatos quid quererent aut quid ibi vellent, respondisse quod ob hoc illuc fuerunt destinati, vt aureum illud nummisma[6], quod illuc de Cancia venerat, secum assumerent. Aurora autem ipsius noctis, presentis mundi tenebras transiens, supernam migrauit ad lucem. Multi vero fratrum concentus angelorum psallentium manifeste se audisse referebant, sed et sonitum quasi plurime multitudinis monasterium ingredientis. Mox egressi, viderunt lucem celitus missam fuisse maximam, que sanctam illam animam carnis vinculis absolutam, ad eterna patrie celestis[7] gaudia ducebat. Placuit post diem sepulture eius tertium vt lapis quo monumentum eius tegebatur, altius ipso in loco reponeretur: quod dum fieret, tante fragrantia suauitatis[8] ab imis ebulliuit, vt cunctis qui astabant fratribus ac sororibus quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta. Matertera vero eius Ethelburga perpetue virginitatis gloriam in magna corporis continentia seruauit. Elapsis post eius obitum septem annis, ita intemeratum corpus eius inuentum est, sicut a corruptione concupiscentie carnalis erat immune; cuius dies natilicius Nonis iulii in magna gloria celebrari solet.

[1] Abr. from Beda H. E. III. 8. [2] so T., E. constitutum [3] T. sechritha. [4] E. prohibebat. [5] Bed. vidisse se. [6] T. numisma. [7] so T., E. celestis patrie. [8] E. suauitatis fragrancia.

¶ De sancto Swithuno episcopo et confessore[1].

GLorioso rege Anglorum Egberto regnante, qui regi[2] Kinegilso[3], de idolatria reuerso per beatum Birinum, octauus successit in regnum, beatus Swit[h]unus[4], pater et pastor in ecclesia dei futurus, cursus sui in stadio mundi huius, diuina misericordia ordinante, accepit exordium. Nam annis puerilibus in bona simplicitate transactis, iugum seruitutis dominice accipere festinauit, susceptumque humiliter viriliterque portauit. Itaque suscepto clericatus[5] officio, de gradu in gradum, de virtute in virtutem, gressus eius deo per omnia dirigente, conscendens, sub Helmstano[6] Wentano[7] episcopo ad honorem sacerdocii prouectus est. Curabat enim seipsum ministrum probabilem deo semper offerre, verbum veritatis catholice et recte tractare, benignitati et mansuetudini inseruire, opera pietatis super omnia exercere, inordinate viuentes virga correptionis increpare, humiliterque omnibus ministrare. Cuius famam rex audiens, eum accersiuit[8], et inter precipuos amicos eum esse constituit; commendauitque [ei] filium suum nomine Adulphum liberalibus disciplinis erudiendum et sanctis moribus instruendum: quem postea in subdiaconum ordinauit. Sed quia pater suus sine herede preter illum decessit, ordinauit Leo papa vt in regno succederet, vxorem duceret et liberos procrearet. Defuncto tandem Helmstano[6] episcopo, voto omnium Swit[h]unus[4] electus est. Huius enim oratione et exhortatione rex Adulphus ecclesiis dei vniuersam decimam terre regni sui benigne donauit et libere possidere concessit. Hic etiam sanctus pontem ad orientem Wintonie construxit. Cuius operi cum sollicite operam daret, residente illo ad opus quadam die, contigit pauperculam mulierem illuc venire, oua venalia in vase deferre, et[9] ab operariis lasciuientibus et ludentibus miseram apprehendi, oua vniuersa non eripi sed confringi. Que cum pro illata iniuria et dampno flens et eiulans in presentia episcopi conquereretur, ille pietate motus, vas in quo erant oua reposita sumit, dexteram leuans signum crucis edidit, et incorrupta et integra restituit. Sanctus ille ecclesias in locis in quibus non erant, studiose fabricauit, dirutas et fractas reparauit. Dedicaturus enim ecclesiam, nullius equi vehiculum, neque secularis pompe sibi dignitatem adhibuit, sed clericis ac familiaribus suis comitantibus, nudis pedibus humiliter incedebat. Conuiuia sua non cum locupletibus, sed cum egenis et pauperibus erant; os suum semper apertum habebat vt inuitaret peccatores ad penitentiam: stantes ne caderent, lapsos vt resurgerent admonebat. Cibos non ad

[1] Ed., with a modified text, in Surius and A. SS. Boll. July I, 290, and by Earle, 1861; abr. from the Vita ascribed to Goscelin, in MS. Arund. 169, Digby 112, and the Translatio et Mirac. in MS. Arund. 169, f. 52a. [2] T. E. rege. [3] Kinegilfo. [4] E. switunus [5] E. claritatis. [6] E. helinstano. [7] T. wentano; E. wintano. [8] T. accerciuit. [9] om. in Vit.

impletionem, sed ad sustentationem sui parce et moderate sumebat. Post multas vigilias, post multos labores, ne deficeret sompni paululum admittebat, psalmis et canticis spiritualibus semper intentus. Proximo semper tanquam sibi quod vtile, quod honestum, pium, sanctum est, modesto et humili sermone referebat. Vixit autem beatus dei seruus Swit[h]unus[1] vsque ad exitum vite in obseruatione vera mandatorum dei, omni custodia conseruans cor suum in omni munditia et puritate spirituali , catholice et apostolice doctrine custos integer, filiorum spiritualiter regenerator[um][3] in sancte conuersationis studio eruditor peruigil et magister. Humilitati enim et mansuetudini curiosius inherebat; pacem et sanctimoniam sequens, fontem vite et beatitudinis eterne sitiebat. Migrauit ab hoc seculo ad sidereas mansiones sexto nonas iulii, anno domini octingentesimo sexagesimo secundo. Non enim intra ecclesie septa, sed extra ecclesiam in indigno loco et vili se tumulari[4] precepit.——Post obitum suum multis miraculis choruscauit: inter que apparuit cuidam viro, incredibili infirmitate per omnia membra percusso, admonens vt Ethelwoldum Wintonie episcopum adiret, referens, diuina miseratione prouisum, ipsum a loco vbi iacebat debere leuari et[5] intra ecclesiam loco digniori honorificentius tumulandum. Si diffidat, si hesitet, signum pro testimonio habiturum, molestiam infirmitatis sue qua hactenus detinebatur, ipsa eadem hora illum relicturam, salutisque leticiam perfecte reuersuram. Addidit etiam vt ad locum sepulture veniat, et vnum de ferreis anulis, qui lapidi adhuc infixi videntur, si abstrahat, cum omni facilitate et absque omni lapidis illius lesione exiturum, ac iterum eadem facilitate, eodem integritatis tenore seruato, in locum vnde abstrahebatur rediturum. Surgit itaque perfecte sanitati redditus; sicut predicta sunt omnia repperit, et cuncta ex ordine pontifici intimauit. Curuatum quendam[6] [et][7] bestiali more in terram respicientem, sanum et incolumem reddidit. Quidam nobilis et diues cum tempore meridiano iuxta ripam fluminis deambularet, apparuerunt ei subito tres supra modum horrende quasi mulieres, et altitudinis immense. Que cum fugientem apprehendissent et[8] multiplici angustia afflixissent[9], et* pene suo flatu suffocantes pestifero, horrore incredibili similem insano reddiderunt. Cui ad ecclesiam adducto nocte apparuit sanctus Swit[h]unus, et omni dolore excusso, eum sanitati restituit. Cum autem Ethelwoldus episcopus corpus eius de terra leuaret, mira odoris fragrantia omnes perfudit: mulier ceca visum recepit, et multi diuersis infirmitatibus oppressi sancti meritis curati sunt. Facta est autem translatio corporis eius anno a[10] dormitione sua centesimo decimo, et incarnationis dominice nongentesimo septuagesimo primo, Idus iulii.

[1] E. switunus. [2] E. spir. puritate. [3] E. regenerator. [4] E. cumulari. [5] om. in Vit. [6] om. in T. [7] om. in E. [8] om. in Vit. [9] Vit. afflixerunt. [10] E. et.

Eadem die puerum a natiuitate mirabiliter contractum curauit; tribus mulieribus oculorum lumine priuatis visum reddidit; nexibus ferreis mulierem (quoque)[1] in carcere compeditam, ruptis vinculis liberauit; paraliticum sanauit; matronam nobilem cecitate percussam illuminauit; vigintiquinque infirmos variis morbis vexatos, diuersis e locis venientes, vna die perfecte valitudini reddidit. Cecus quidam sanitatis gratia apostolorum Petri et Pauli limina visitauit, quam cum assequi non valeret, rediit, et prima aduentus sui nocte in ecclesia sancti Swit[h]uni lumen oculorum recepit. Mulieres duas cecas, duasque contractas vna die curauit. Triginta et sex, tam de diuersis partibus, quam variis afflicti doloribus, infra[2] spacium trium dierum sancti viri meritis salutem optatam consequuti sunt. Nec multo post centum vigintiquatuor infra[2] dies quatuordecim a suis infirmitatibus liberati sunt. Rex Edgarus ad arcendum latrocinia solicitus, legem statuit vt in furto deprehensus oculis priuaretur, auribus, manibus pedibusque precisis[3], cute capitis exueretur, et hac pena multatus feris et auibus laniandus traderetur. Cumque innocens quidam eodem iuditio dampnaretur, effodiuntur eius oculi, manus et nares amputantur, auribus excisis[4] foramina audiendi cruor fere obstruxit infusus. Dum autem a parentibus ad oratorium sancti Swit[h]uni delatus fuisset, vt sibi melius solus[5] redderetur auditus: et statim quod petiit obtinere meruit, sed et quod non rogauit obtinuit, dum, oculis qui sibi effossi fuerant restitutis et naribus recuperatis, visum domino miserante recepit. In villa quadam ciuitati Wintonie contermina mulier quedam longeua, iam senectute confecta, dum nocte quadam ad lectum dormitura descenderet, ostium domuncule sue super se claudere oblita est. Contigit autem lupum de silua egressum domum illius ingredientem vbique lustrando peruagare, eamque in lecto quiescentem fortuitu reperire. Quam illico correptam[6] per brachium quod extra lectum sopore depressa pendulum extenderat, non multum reluctantem secum in siluam semiuiuam abducit, et iam prope defunctam tam lassitudine quam pauore, deposuit. Ad vlulatum eius nemus omne circumiacens, aliis respondentibus, multiplici et miserabili vlulatu personante contremuit. Illa quid faceret? Inedia et etate debilis erat, cruentus hostis, raptor immanis, illa sola, hostes plures adesse festinant. Cumque ad deum et sanctum Swithunum preces deuote fudisset, audito nomine Swit[h]uni lupus dormire cepit. Fugit illa et a loco declinare festinat, currit non pedibus humanis, sed leuamine[7] et auxilio diuine subuentionis. Lupus vero euigilans, cum aliis suis sociis magnum clamorem emittens insequitur: sed nullus eorum mulieri nocere potuit, quam dei et beati pontificis misericordia liberare curauit. Statuam quandam sancti Swithuni

[1] om. in T. [2] Vit. intra. [3] T. prescisis. [4] T. exscisis. [5] Vit. meliusculus. [6] E. coreptam. [7] T. lauamine.

episcopus schirburnensis a fratribus acquisitam honorifice in ecclesia sua locauit, vbi gloriosa miracula crebro fieri solebant. Ad hanc quidam elephantie morbo percussus, non curationis gratia sed vt ab orantibus in loco elemosinam acciperet, deuenit. Cumque illic[1] paulum obdormiret, visum est ei sanctum Swit[h]unum adesse et lepram suam manu detergere, et infirmitate seposita integre salutis beneficium repente se recipere. Euigilans autem, letus a sompno coram omnibus cingulum soluit et sanatum se ostendit.

Narratio[2].

[MS. Tib. adds:

(Cum) autem Dorothea uirgo apud Cesa(ream Capadoci)e a preside tradita esset duabus sororibus (que apos)tatauerant, iterum eas conuertit: et cum ad decollandum duceretur, Theophilus (scholasti)cus ait: 'Eya tu sponsa Christi, mitte michi rosas et mala de paradis[o] sponsi tui.' Que respondit: 'Plane sic faciam.' Cumque orasset, ecce puer ante eam apparuit ferens tria mala optima et tres rosas. Cui illa: 'Obsecro te, inquit, ut hec Theophilo scolastico deferas.' Cum ergo Theophilus narraret circumstantibus promissionem uirginis irridens, ecce puer ante eum stetit (et ait: 'Ecce tibi) petenti mittit (Dorothea uirgo sacratissima quod promisit.' Qui accipiens, statim conuersus est ad fidem. Eratque mensis Februarius quando rose ille misse sunt, et to)tam Capadociam glaciale frigus tegebat[3].]

¶[4] De sancto Thatheo[5] confessore.

REx quidam Hibernie nomine Thathalius filium genuit nomine Thatheum, optimis moribus ornatum et a primeua etate ab omnibus illecebris immaculatum. Cum enim viderent parentes puerum secularia despicere et ad celestia tendere, eum litteris imbuendum tradiderunt. In omni demum virtute docilis puer proficiens, percurrente per vniuersam Hiberniam fama eius, confluebant vndique iuuenes ad audiendam doctrinam eius. Rege interea infirmitate depresso, de communi omnium consilio vocatus est Thatheus vt a patre regiminis curam susciperet. Ille vero regnum

[1] T. illuc. [2] Ex Vinc. Bell. XII. 47.

[3] Ant. and Collect in T.:

O Swithune pater, presul mitissime noster, Per quem mira deus signa facit dominus: Nos fragiles animo, petimus, defende paterno, Sanctis atque tuis protege nos meritis: Quo, te pro nobis interueniente patrono, Possimus uitam scandere perpetuam. ' Ora pro nobis. (Cf. Boll. Jul. I. 287.)

Deus qui hodiernam diem sacratissimam nobis in beati Swithuni confessoris tui atque pontificis deposicione celebrare concedis, adesto propicius ecclesie tue precibus, ut cuius gloriatur meritis, muniatur suffragiis, per.

[4] Abr. from the Vita in MS. Vesp. A. XIV. ed. Rees, p. 255. [5] T. Tatheo (but with Th elsewhere).

terrestre despiciens et celeste desiderans, ne retineretur inuitus, indutias postulauit. Nocte sequenti vox angelica alloquitur eum dicens: 'Ecce asto et consulo ne postponas intentionem tuam primam; caducam hereditatem ne diligas, infinitam patriam non amittas. Quecunque vides in seculo euanescunt cum luctu et periculo; luctuosa vniuersa que audis, periculosa omnia que respicis. Qualis enim et quantus debet esse vigor intrinsecus, vt possit expelli occultus insidiator et inimicus! Die ergo crastina festinanter ad mare tende, et ad Britanniam transito ponto deo comite perge.' Mane autem, assumptis secum octo discipulis, venit ad mare, et nauiculam quandam sine remige [1], remo et velo intrans, prospero flante vento Britanniam applicuit [2]. Relicta autem ad littus sine retinaculo nauicula, dum in villa proxima quieti fratres membra darent, missus est vnus ad mare qui nauiculam solutam alligaret. Qui littori accedens, vidit ceruum more humano cum pedibus funem retinentem et a submersione nauiculam preseruantem. Adducto autem ad virum dei ceruo, virtus dei coegit bestiam in terram iacere, collum protendere et signum occisionis ostendere. Occiderunt ergo eum et cibaria fratribus preparauerunt. Rex prouincie illius nomine Cradocus, audita viri dei fama, legatos ad [illum] [3] misit, quatinus euangelica hortamenta ab illo audiret, et audita retineret. Ille autem humiliter legatis respondit: 'Rex vester, si cupiat nos [4] visitare, huc veniat; ego autem regem secularem, et copiosam eius familiam, non visitabo.' Quo audito rex, assumptis secum militibus multis, sanctum Thatheum visitauit, immensis precibus rogans quatinus in vrbe sua scolarum studium regeret. Qui talentum sibi commissum seminare cupiens, [con]fluentibus [5] vndique scolaribus, ad rogatum regis studium regere cepit; et collato sibi a rege agro, ecclesiam sancte trinitatis honore construxit, et de consilio landauensis episcopi duodecim canonicos ibidem deo seruientes instituit. Cum vacca viri dei in prato custodiretur, superuenerunt armigeri quidam, cum quadragintaseptem equis, qui incidendo et calcando totum corruperunt: et sine mora equi omnes in terram cadentes, mortui inuenti sunt. Quo audito, rex illos armigeros verberibus afflictos a curia sua expulit, et nudis pedibus, familia sequente, ad virum dei ueniens [6], genuflexit, et veniam postulans, quicquid sui deliquerant, ad voluntatem Thathei satisfactionem [7] pollicetur. Et data humiliter a seruo dei venia, omnes equi in statum pristinum restituti sunt. Hoc viso miraculo, dedit ei rex totam vrbem [8] cum palatio suo. Nocte quadam latrones de regione Gundlei regis venientes vaccam viri dei secum ad illius curiam adductam interfecerunt, et in cal-

[1] E. remigi. [2] sc. in Gwent. [3] so T.; E. eum. [4] E. vos. [5] E. fluentibus. [6] T. dei ueniens; E. deueniens. [7] Vit. emendare. [8] T. urbem totam.

darium[1] carnem incisam ad coquendum posuerunt. Sed quanto plus ignis augmentatus extitit, tanto caro in caldario[1] posita magis cruentata apparuit. Audiens vir dei vaccam suam furatam, vestigium eius inuenit miro modo in lapide impressum: et cum sociis suis vsque ad palatium regis vestigia vacce sequendo peruenit. Cuius aduentu cognito, caldarium[2] aqua plenum[3] feruente, iuncis[4] coopertum[5], ab igne depositum[6] quasi sedile preparant, et virum dei ibidem sedere inuitant. Et cum iniquitatis filii virum sanctum in[7] feruidam aquam subito cadere putant, sedile factum est solidum et firmum, quasi lapideum esset. Rex enim, hoc cognito, flexis genibus veniam implorauit. Indulta regi venia, carnem et ossa vacce sue super corium poni iussit: et statim coram omnibus viua surrexit. Sanctus autem Cadocus, in iuuenili etate illo tempore in curia genitoris manens, viso hoc miraculo sancto Thatheo[8] traditur virtutibus informandus. Et extincto igne die quadam missus est Cadocus ignem ad ecclesiam deferre: sed rusticus quidam ignem sibi tradere renuit, nisi in clamide illum baiularet. Locatis tandem in mantello carbonibus, ad magistrum veste illesa deportauit. Quo viso miraculo, doctor Thatheus instructum Cadocum in omni virtutum exercitio ad heremum transmisit. Puella, Machuta nomine, dum oues sibi commissas custodiret, latrones duo, rapto ariete et necato, puellam in siluam abductam, ne latrocinium proderet decollarunt. His auditis doluit vir dei: et dum orationibus vigilaret, homicide ad ostium suum venerunt, confitentes se arietem furatos et, quod nequius erat, homicidium perpetratos (!)[9]. Illis veniam petentibus precepit ad antistitem pergere, et post confessionem penitentiam impositam implere. Vir autem dei in loco vbi occisa virgo extitit, ecclesiam fundauit, et corpus virginis in monasterio suo sepeliuit. Vir dei instinctu[10] bubulci[11] cuiusdam fontem limpidissimum de terra produxit. Idem iterum bubulcus venit ad virum sanctum, dicens: 'Lupa, inquit, seuissima de silua exiens septem porcellos de grege porcorum abstulit.' Cui sanctus: 'Vade in pace nec amplius doleas: quia deus visitabit seuitiam lupe, nec amplius tibi nocere poterit.' In crastino vidit subulcus lupam venientem, et suum catulum in ore tenentem: et quasi alienum ad ostium subulci reliquit. Catulus vero relictus ad porcam orbatam accessit et continuo eius vbera suxit[12]. Creuit enim vt canis domesticus, non quasi lupus, et gregem tribus annis sedule custodiuit. Sanctus tandem Thatheus, post multa virtutum patrata miracula, vigilias et abstinentias deo acceptas, septimo kal. Ianuarii in manus creatoris sui spiritum emisit; et in monasterio suo sepeliri cum honore meruit.

[1] so T. Vit.; E. caldariam. [2] E. caldaria. [3] E. plenam aqua. [4] T. iunccis. [5] E. coopertam. [6] E. depositam. [7] om. in T. [8] = Meuthi in Vita Cad. [9] r. operatos; Vit. operari. [10] T. instinctu; E. instructu. [11] Vit. subulci. [12] E. sugit.

¶ De sancto Theliao episcopo et confessore [1].

SAnctus enim Theliaus [2] ab infantia dei cultor existens, orationibus et vigiliis deo militauit: seipsum, vt alios pinguesceret, macerabat, omnia que possidebat pauperibus errogabat, et aliorum miserebatur [3], vt misericordiam consequeretur. Ex nobilibus parentibus ortus est, vt carnis nobilitas inter homines honestaret eum, qui iam animi nobilitate [4] apud deum acceptabilis [5] erat. Post incrementum autem etatis, virtutum et sapientie, congrue [6] nomine 'Helyos [7]' a sapientibus nuncupatus est—'elyos' enim grece, latine 'sol' interpretatur: fulgebat enim sicut sol doctrina eius, fidelium illustrando corda. Sed laicis extremum vocabuli corrupte proferentibus, adoleuit quod non 'Elyos,' sed 'Eliud' appella[ba]tur [8]. A sancto enim Dubricio episcopo in scripturis sanctis eruditus fuit, donec eum tante indolis puerum perpendit, vt spiritu sancto cooperante scripturarum nodos perfecte explicaret. Tunc puer sanctus, audita cuiusdam Paulini sapientis viri fama, accessit ad eum, et scripturarum secreta cum illo conferebat: vbi sanctum Dauid, perfecte hominem vite, sibi associauit; quos tanta coniunxit dilectio et sancti spiritus gratia, quod idem velle et nolle ambobus esset. In istorum autem sanctorum diebus quidam populi, qui siue a pictis vestibus, siue propter oculorum stigmata, 'Picti' dicebantur, cum innumera classe de Scithia ad Britanniam venerunt, et capti amore terre possidende, magis fraude quam viribus Britannos inuaserunt, et in eos [9] ad tempus miram tirannidem exercuerunt. Quorum [quidam] [10] princeps miseros incolas trucidando, edes et templa comburendo, vsque Meneuiam procedens, palatium ibi construxit. Et videns sancti Dauid et Eliud aliorumque sanctorum vite et morum sanctitatem, non solum illis inuidit, sed multa eis obprobria sepe ingessit. Precepitque vxori sue ad sanctos ancillas suas dirigere et motibus corporum impudicis et blandimentis sanctorum mentes a proposito peruertere. Que dum domine sue mandata sequentes, quasi insanas se simularent, insane facte sunt. Quo viso persequutor ille et domus sua tota fidem Christi suscipientes baptizati sunt. Cum enim sanctus Theliaus, qui et Elyud, et Madocus lectionibus vacarent, superuenit famulus quidam, dicens ligna deesse quibus cena fratrum preparari posset. Qui egre ferentes audita, ad siluam cum festinatione pergebant. Et ecce duo cerui mansueti occurrentes, quasi ad seruiendum parati, colla sua iugo submittebant. Cumque sancti onerato plaustro redirent, viris longe precedentibus sanctis, nullo vrgente cerui velociter eos sequuti sunt:

[1] Ed. in A. SS. Boll. Febr. II. p. 308. Abridged from the Vita by Galfrid of Llandaff in MS. Vesp. A. XIV. (and, with additions, in the Liber Landav. or Liber Teilo, ed. Rees, 1840, p. 92); partly ed. in Wharton A. S. II. 662a. [2] *al.* Teliaus, Teliau, Teilo, Eliud, Elios. [3] E. miserabatur. [4] E. nobilitatem. [5] T. acceptalis. [6] Vit. congruo. [7] T. elyos; E. Vesp. helyos. [8] So T.; E. appellatur. [9] E. eis. [10] om.; so Vit.

et multo post tempore ligna et alia necessaria monasterio deferebant. Misit autem dominus angelum suum sanctis Dauid, Theliao, et Paterno, qui Hierusalem peregre proficisci, et donatiua ibi recipere eis precepit. Tunc illi sine pera et baculo, in domino tantum confidentes, iter arripiunt, et per diuersas prouincias sue sanctitatis vestigia relinquentes, occurrentium debilium dolores alleuiabant. Cumque [latrones][1] in via obsisterent, non tantum spolia illis pacifice concedebant, sed si quid prede immemores ipsi relinquerent, predatoribus hilari vultu porrigebant. Illi autem simplicitatem sanctorum considerantes, redditis spoliis veniam de commissis postulabant, et ad tuta loca [eos] conducebant. Ingressis autem illis Hierusalem, occurrit omnis populus psallens in canticis et hymnis, vsque ad templum domini eos deducens. Continuatis enim triduo ibi precibus, adeo supernorum contemplationi vacabant quod terrenorum immemores penitus erant. Expectabat interea totus clerus attente considerans[2] quis sanctorum quam sedem sibi oratione finita eligeret, vt, sicut celitus per angelum docti erant, in sedium electione notarent quem ceteris illorum prelatum constituerent. Erant [enim][3] in templo tres cathedre senioribus ab antiquis temporibus constitute. Quarum inferiorem et magis humilem Theliaus eligens, nobiliores fratribus propter reuerentiam dimisit. Quo viso, omnes qui aderant in facies suas proni cadentes coram viro dei dixerunt: 'Salue sancte dei Theliae, et vt apud dominum nobis valeant preces tue propitius concede, quia hodie plus ceteris confratribus tuis sublimatus es, residens in sede domini nostri Ihesu Christi, in qua patribus nostris predicabat regnum dei.' Hoc audiens vir dei, cum magno stupore surrexit, et se in terram prostrauit, dicens: 'Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit et in cathedra pestilentie non sedit[4]. Et benedictus saluator qui sedem sibi fieri elegit de ligno, qui per lignum succurrere voluit pereunti mundo.' Rogauerunt ergo eum omnes quatinus ad instructionem virtutum parabolam eis de Christo diceret, vt sicut illum imitatus fuerat in cathedra residendo, eum imitaretur verbum dei predicando. Qui videns amorem diuini verbi flagrare in cordibus eorum, cum lingue [illorum][5] penitus expers fuit, miro modo sollicitudo et angustia premebant eum. Vt tamen populo supplicanti et illorum voto satisfaceret, sacras scripturas exponere cepit: et vnusquisque astantium illum sua lingua loquentem audiuit. Cumque omnes tanta dulcedine sermonis illius essent affecti, vt quanto eum diutius audirent, magis illum audire desiderarent; ne predicandi officium videretur presumere si solus predicasset, populo dixit: 'Audite iam a fratribus meis verba vite, qui me perfectiores in vita sunt[6] et diligentiores in doctrina.' Surrexerunt ergo sanctus Dauid et Paternus, et predi-

[1] so T.; om. in E.; Vit. persecutores. [2] *al.* om. [3] so T.; om. in E.
[4] Ps. i. 1. [5] E. eorum. [6] om. in T.

cauerunt populo, omnibusque[1] in sua lingua perfecte intelligentibus eos. Post hec vero, admonitione angelica, a clero et populo electi, pontificali dignitate sublimati sunt: et quasi in testimonium gratie quam ibi domino largiente[2] susceperant, data sunt eis preciosa tria munera, prout cuique competebat: Paterno baculus et capa choralis precioso serico contexta, eo quod illum cantorem egregium videbant: Sancto autem Dauid altare mirificum, nulli bene notum de qua materia fuerat factum; nam iocundius ceteris celebrauit. Beato autem Theliao cimbalum dederunt magis famosum quam sit magnum, magis preciosum quam pulchrum, quia dulci sono organum omne videtur excellere: periuros dampnat, infirmos curat; et singulis horis nullo mouente[3] sonabat, donec peccatis hominum exigentibus qui illud pollutis manibus temere tractabant, a tam dulci obsequio cessaret. Sicut enim cimbalum a torpore sompni et inertie cunctos ad ecclesiam inuitat, ita sanctus Theliaus, Christi preco factus, incessanter predicando subiectos ad celum verbo et exemplo incitabat. Sancti itaque dei prospere in regionem suam reuersi, propter pestilentiam que fere totam[4] deleuerat gentem, diutius in terra[5] morari non poterant. Pestis autem illa 'flaua' vocabatur, eo quod flauos et exsangues[6] vniuersos quos inuasit efficiebat. Que in columpna aquose nubis hominibus apparebat, vnum caput verrens[7] per terram[8], aliud sursum trahens per aerem, et per totam regionem discurrens. Quecunque autem animantia suo pestifero flatu attigit, aut illico moriebantur aut vsque ad mortem egrotabant. Si quis vero medelam egrotanti adhibere conaretur, sine medicaminis effectu medicantem cum egroto atra lues ad interitum trahebat. Seuiente enim in hominibus et iumentis illa peste, sanctus Theliaus in ieiunio et planctu clamauit ad dominum, dicens: 'Parce, domine, parce populo tuo, qui non vis mortem peccatoris, sed vitam, [et][9] ne des hereditatem tuam in perditionem.' Ira demum dei eius oratione aliorumque sanctorum ad tempus sopita, celitus admonitus cum his qui[10] residui fuerant de gente in longinquas discessit regiones, donec deus eis reditum in patriam innuere dignaretur. Deus autem, cuius misericordia plena sunt vniuersa, non tantum gentis tandem miseriam, sed sanctum pro gente exorantem propitius respiciens, concessit eis de exilio reuerti, et a periculo penitus liberari. Vir autem dei, gentis reliquias colligens[11], natale solum repetit, et principatum super omnes ecclesias occidentalis Britanie vsque ad finem vite sue tenuit. Sanctus demum Theliaus, virtutibus et omni sanctitate plenus, in senectute bona, quinto idus februarii seculum relinquens migrauit ad celum. In nocte autem depositionis eius inter tres cleros trium ecclesiarum

[1] r. omnibus. [2] E. lagiente. [3] E. monente. [4] E. totam fere. [5] E. terram. [6] E. exangues. [7] E. verens. [8] T. perram. [9] om in E. [10] E. que [11] E coligens.

illius magna oritur dissentio, singulis suas auctoritates de habendo corpore eius et priuilegia pretendentibus[1]. Discretorum tamen habito tandem consilio, orationibus et ieiuniis insistere[2] acquiescunt, vt summus arbiter Christus, qui est vera auctoritas et priuilegium sanctorum, ostendere dignaretur quibus sancti sui corpus dignius esset committendum. Mane autem facto, quidam senior, vbi corpus sancti positum erat inspiciendo considerans[3], voce magna exclamauit dicens : ' Exaudita est, fratres mei, a domino oratio nostra. Surgite, et que facta sunt a Christo domino ad vestram sedandam discordiam respicite, vt ' sicut in beati confessoris Theliai vita sanctissima, sic et in eius morte ad honorem et laudem dei fierent miracula.' Et ecce vident ibi corpora tria, quibus par erat quantitas in corpore, idem color in facie, et in nullo discrepantia totius compaginis aut vestium lineamenta possidebant. Sicque sedata lite singuli cum suo corpore cum gaudio reuersi, et diuersis in locis cum summa reuerentia sepelierunt. [5]Vnum autem corpus in landauensi ecclesia, aliud non longe ab vrbe Caermerthin[6], tertium in Westwallia, in magno honore habetur[5].

[MS. Tib. adds : ¶ *Narratio*[7].

(Erat quidam) monachus in (spelunca, summe abstinencie, cunc)tis animi florens uirtutibus. (Cumque in profecti)bus confidens non totum deo, set (sibi ipsi retribue)ret, temptator hanc presumpcionem (intuens, quodam) uespere fingit se in speciem mulieris (oberran)tis per heremum. Que ut fessa (ad hostium spelun)ce lassitudinem simulans, (intus se proiecit) et (obuo)luta genibus eius ut sui misereatur exor(at. ' Nox,) inquit, me comprehendit : iube me quiescere in angulo cellule tue, ne forte efficiar bestiis preda.' Et ille primo miseracionis ob(tentu recipit) eam in spelunca, querens causam erroris eius[8] per heremum. At illa causam fingit, et interim uenena blandimentorum per textum narrationis interserit, et nunc se miserandam, nunc defensione dignam ostendens, elegantia et suauitate sermonis aff(ectum ho)minis illecebroso amore deflectit. Hinc iam blandiora colloquia, ioci risusque miscentur, manus eciam procax ad mentum barbamque [quasi] uenerando speciem protendit ; iam uero palpare ceruicem mollius collumque leuigare. Quid multa ? ad (ultimum) captiuum ducit militem Christi : Continuo (enim) libidinis fluctibus (estuans), eciam laborum (preteritorum) ac professionis oblitus, obscenos iam conabatur inire amplexus. Illa uero ululatum teterrimum emittens, sicut umbra erat tenuis, per manus amplectentis elabitur ipsumque fedissima cum irrisione deseruit. Tunc multitudo dæmonum in aere ad hoc spectaculum congregata ingenti clamore (in)quit : 'O qui te usque ad celum extollebas, quo-

[1] E. precedentibus. [2] E. instituere. [3] Vit. respiciens. [4] E. et. [5–5] Cf. Lib. Land. p. 109. [6] E. caermerchin. [7] From Vinc. Bell. XVII. 6. [8] VB. errandi eam.

modo demersus es in infernum! (Disce) ergo quia qui se extollit humiliabitur.' Tunc ille uelut amens effectus et de(cepcionis) sue non ferens pudorem, grauius a se (ipso decipitur, quam fuerat a) demonibus deceptus. (Cum enim se reparare et cer)tamen renouare deberet, (desperans semetipsum), tradidit se omni impudicie et impietati[1].]

¶ De sancto T[h]eodoro archiepiscopo[2] et confessore[3].

ANno domini sexcentesimo sexagesimo quarto, mortuo archiepiscopo Deusdedit, missus est Romam Wigardus presbiter, vir doctissimus de genere Anglorum, ab Egberto rege Cantuar[ie], et Oswio rege Northanhumbrorum, vt in archiepiscopum consecraretur. Qui cum Romam venisset, cum omnibus pene qui cum eo venerant pestilentia superueniente deletus est. Cum autem Adrianus abbas, vt in eius vita superius liquet, a Vitaliano papa accitus, onus episcopatus subire humilitatis gratia recusaret, indutias petiit, si forte alium qui episcopus ordinaretur ex tempore posset inuenire. Erat ipso tempore Rome monachus beato Adriano notus, nomine Theodorus, natus Tharso Cilicie, vir in seculari et diuina litteratura, et grece instructus et latine, probus[4] moribus, et etate venerandus, id est annos habens etatis sexaginta sex. Hunc beatus Adrianus pro se obtulit pontifici, cum[5] aliter nulla ratione posset euadere. Quem vt idem papa ordinaret, ea demum condicione impetrauit vt ipse eum perduceret Britanniam, et ei doctrine cooperator existens, diligenter attenderet ne quid ille contrarium veritati fidei, Grecorum more, in ecclesia cui preesset introduceret. Qui subdiaconus ordinatus, quatuor expectauit menses donec illi coma cresceret, quo in coronam tondi[6] posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium sancti Pauli apostoli. Qui ordinatus est a Vitaliano papa anno domini sexcentesimo sexagesimo octauo. Qui Britanniam veniens, dedit statim Adriano abbati monasterium beati Petri apostoli apud Cantuariam, vbi archiepiscopi seperiri solent; et peragrata insula tota, rectum viuendi ordinem, ritum celebrandi pasche canonicum, cooperante abbate Adriano, docuit. Is enim primus erat in archiepiscopis cui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret. [7] Congregata autem discipulorum caterua,

[1] Ant. et Collect in T.:

Theliae presul eximie, pastor gregis, doctor egregie: Funde preces ad regem glorie pro salute tue familie. V. Amauit eum.

Deus qui beatum Theliaum confessorem tuum doctorem (preci)puum catholicequе fidei predicatorem eligere dignatus es, presta quesumus ut ipso pro nobis intercedente peccatorum (nostrorum) malis mereamur exui et tibi domino sinceris mentibus famulari, per.

[2] T. episcopo. [3] Abridged from the Vita by Goscelin in MS. Vesp. B. XX. f. 223-232; Harl. 105; an amplification of Beda H. E. III. 29 ff. [4] E. probis. [5] E. pontificium. [6] E. condi. [7] Cf. Vita S. Adriani.

metrice artis, astronomie, et arithmetice ecclesiastice disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus tradiderunt. Vnde et plerique eorum discipuli latinam grecamque linguam eque vt propriam in qua nati sunt nouerunt. Set et sonos cantandi in ecclesia, quos eatenus in Cancia tantum nouerant, ab hoc tempore per omnes Anglorum ecclesias discere ceperunt. Itaque Theodorus perlustrans vniuersa, ordinauit locis oportunis episcopos, tenuit concilia[1], correxit imperfecta, fidem[2] catholicam vbique predicauit, sanctitatis exemplis sua documenta illustrans. Ordinationem sancti Cedde, non rite consecrati, vt in eius vita superius patet, confirmauit[3]. Huius sanctissimi Theodori tempore non solum Grecis et Latinis litterarum gymnasiis[4], sed etiam sanctorum maxime frequentia instar clarissimorum siderum tota resplenduit Anglia. Et audiens fidem ecclesie per heresim Euticetis[5] constantinopolitani[6] multum esse turbatam, [et] ecclesias Anglorum ab huiusmodi labe immunes perdurare desiderans, collecto sacerdotum doctorumque cetu, cuius essent fidei singuli sedulus inquirebat, omniumque vnanimem in fide catholica repperit consensum. Vnde et idem sanctus pater ad instructionem sequentium litteris inter cetera talia commendare curauit: 'Credimus et constanter confitemur, secundum patres sanctos, proprie et veraciter patrem et filium et spiritum sanctum, trinitatem in vnitate consubstantialem, et vnitatem in trinitate, hoc est, vnum deum in tribus [subsistenciis vel][7] personis consubstantialibus, equalis glorie et honoris.' Et post multa que ad fidei confessionem pertinebant, scripsit: 'Suscipimus sanctas et vniuersales quinque synodos beatorum patrum: suscipimus et glorificamus dominum nostrum Ihesum Christum sicut illi glorificauerunt, nihil addentes vel subtrahentes, et glorificamus deum patrem sine initio, et filium eius vnigenitum ex patre genitum ante secula, et spiritum sanctum procedentem ex patre et filio inenarrabiliter, sicut predicauerunt hii quos memorauimus sancti apostoli, prophete, et doctores.' Agatho vero papa in basilica saluatoris Rome illis diebus in concilio[8] scripsit: 'Diffinimus et statuimus vt vnumquodque regnum in Britannia insula constitutum habeat secundum moderaminis mensuram prouinciarum episcopos ita statutos, vt simul omnes cum archiepiscopo duodecim ecclesiarum presules numerentur, quos archiepiscopus, qui ab [hac][7] apostolica sede pallii honore decoratur, prouehat atque sacerdotali gradu eos canonice ordinet, ipsiusque tantum ordinationi sint subiecti. Statuimus etiam vt quicunque ecclesiastici ordinis, armis non vtantur, nec citharedas habeant vel quecunque simphoniaca[9], nec quoscunque iocos vel ludos ante se (exerceri)[10] permittant: quia omnia hec disciplina sancte ecclesie sacerdotes fideles suos habere non

[1] E. consilia. [2] E. fidemque. [3] Bed. consummauit. [4] T. gygnasis. [5] r. Eutychetis. [6] Bed. Constantinopoli. [7] so T.; om. in E. [8] E. consilio. [9] Vit. symphonia. [10] om. in T. Vit.

sinit, sed precipit diuinis seruitiis et prouidentie pauperum[1] ecclesiasticis vtilitatibus occupari.' Anno autem domini sexcentesimo nonagesimo Theodorus, octoginta octo annorum existens, ex hac luce migrauit ad dominum, tertiodecimo kalendas octobris: quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse iam dudum diuina reuelatione edoctus suis predicere solebat: et vixit in episcopatu annis viginti duobus. Tantum enim profectus spiritalis tempore presulatus illius Anglorum ecclesie, quantum nunquam antea potuere, consecute sunt. Post multorum annorum curricula translato eius sanctissimo corpore et amoto tumbe eius operculo, sua omnibus affatim satisfecit thurificatio, ita vt in claustrum fratrum etiam hec erumperet oblectatio. Ita enim cinis corporis sui ex tactu potentiori vernabat fragrantia, vt redolere solent aromata.

¶ *Narratio*[2].

Colonie fuit quidam episcopus clarus religione sed turpis corpore, qui (vt ait Vincentius) hoc modo factus est episcopus. Imperator venatum pergens, sociis hac illacque dispersis, ad locum quendam deuenit in quo presbiter quidam agrestis, deformis valde et quasi portentum nature, ecclesiam habebat. Imperator se militem fingens, suppliciter missam rogat: et ille confestim se parat. Imperator interim cogitabat quare deus, a quo cuncta formosa procedunt, tam deformem hominem conficere sacramenta sua sineret. Ventum est ad illum versum tractus: 'scitote[3] quoniam dominus ipse est deus': in quibus verbis cum discordaret puer presbiteri, sacerdos concitatiori voce respondit quasi imperatori cogitanti: 'Ipse fecit nos, et non ipsi nos.' Quo dicto repercussus imperator, et propheticum virum estimans, inuitum fecit eum episcopum. Huius hoc factum fuit: Quidam diues sanctimonialem abducens loco coniugis habuit et ab episcopo excommunicatur. Veniente autem episcopo ad exitum vite, rogarunt eum multi pro excommunicato. Quibus ille respondit: 'Si miser ille mulierem deseruerit, sit absolutus; sin autem, hac eadem die et hora qua ego decedam, anno reuoluto sit ante dominum rationem reddere paratus. Videbitis autem me quando signum ad sextam insonuerit spiritum efflare.' Et factum est ita. Anno enim sequente eodem die et eadem hora qua predixerat, excommunicatus ille cum amica sua exanimatus est[4].

[1] E. et eccl. [2] Ex Vinc. Bell. XXV. 12. [3] E. scito.
[4] Ant. et Collect in T.:

Ortus Tharso Cilicie Theodorus onomathe, paulicans sacro dogmate, Rome gaudebat uiuere sub Petri moderamine; Hinc antistes ecclesie assumptus est Britannie. V. Ecce sacerdos.

Deus qui ecclesiam tuam apostolicis uoluisti constare doctrinis, concede propicius ut intercessione beati Theodori confessoris tui atque pontificis, et uirtutum semper proficiat incrementis, et sempiternis foueatur auxiliis, per.

¶ [1]De sancto Thoma episcopo Her[e]fordie[2].

SAnctus Thomas Herefordensis episcopus, natione Anglicus, genere nobilis, ex patre Willelmo de Cantilupo, matre vero Milicenta comitissa ebroicensi originem duxit. Ipse autem Thomas puer docilis, etatem moribus transiens, animum nulli dedit voluptati, sed ab annis puerilibus deum colere pariter et timere cepit. Cum enim literarum studiis informandus traderetur, quotidie horas canonicas dicere et missam audire solebat. Vnde ad vniuersitatem Oxonie primo, postmodum Parisius se transferens, rationalem scientiam aggreditur et philosophie secreta rimatur, magistralem cathedram ascendens. Oxoniam demum rediens, iuris canonici doctor et cancellarius vniuersitatis efficitur. In quo quidem officio in causarum discussionibus prudens inuestigator extitit, in iudicio iustus, in sententiis proferendis discretus, in omni actione compositus, et morum honestate preclarus. Fama vero eius vbique diffusa, cancellarius regis Henrici tertii (licet inuitus) preficitur. Erat namque in sermone verax, in consilio prouidus, in ministerio sibi commisso fidelis. Ce-[3]pit igitur extunc cotidie in bonis crescere, et in omni negocio et causa a munerum acceptione manus penitus excuciens. Tumentium fastum diuitum attendens, a veritate non declinauit, et auris auditu omnibus pauperibus inclinans, manum misericordie extendit. Mortuo rege Henrico, sanctus Thomas Oxoniam regreditur, et theologie studiis se applicans, gradum magistralem habere meruit. Tante namque sobrietatis erat, vt nunquam aliquis familiaris eius vel extraneus ipsum in cibo vel potu viderit excessisse; immo tante abstinentie extitit, vt quandoque cum maiori appetitu de mensa surrexit quam illuc accessit. Cum tanta deuotione diuinis se immiscuit, quod intuentium fidem et mores informaret; tantam in missa lachrimarum habundantiam emisit, quasi presentialiter in carne dominicam passionem videret. Detractionis vitium in tantum odio habuit, vt nulli vnquam detraheret; nec ab aliis, quantum in ipso fuit, detrahi permittebat, detrahentes castigare et corripere atrociter consueuit. Mundus enim mente et corpore extitit: quod et bone memorie Robertus de Kilwardby[4], quondam cantuariensis archiepiscopus, postea vero portuensis episcopus cardinalis, testabatur in 'vesperiis'[5] prefati sancti cum Oxonie sub ipso in theologia inciperet, ita dicens: 'Ita me iuuet deus sicut homo iste ita mundus est hodie quoad mentis et corporis castitatem, sicut ipso die quo de matre sua in mundum natus est. Et si queratis a me qualiter hoc sciam; coram deo fateor, ita pure et

[1] Ed., with a modified text, by Surius; extracted from materials used in the Processus canonizationis, a. 1307, ed. in A. SS. Boll. Oct. I. p. 600.
[2] Heref. om. in T. [3] In the Brit. Mus. copy of the edition, the next 11 foll. are torn out; I supply the lacuna from a Bodl. copy. [4] E. Kilwarby.
[5] Tanner vesperis. Boll. disputationem [doctorandi] . . . solent scholares Vesperias appellare.

aperte lego[1] in conscientia sua et vita, confessionem eius ab annis puerilibus vsque nunc audiendo, sicut vos possetis legere in libro optime scripto, coram oculis vestris aperto. Et, vt spero, deus, qui eum in tanta munditia hactenus custodiuit, ipsum perpetuo conseruabit.' Corpus suum vigiliis et ieiuniis macerauit, aspero cilicio annis plurimis secretius vtens. Vacante herefordensi[2] ecclesia, omnium consensu electus, anno domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto in episcopum consecratus est. [3]Factus est ergo longe solito magis vigil ad curam, non segnis ad opus, suauis ad mores; pauperum illi cura maior, gestus et affatus humilior; in persecutionum perpessione fortior, in iusticie censura inflexibilior, in oratione feruentior, in elemosinarum largitione perfectior[4], in proprii corporis castigatione rigidior[3]; in iuribus ecclesie defendendis, et ab aliis iniuste occupatis recuperandis, cum magna instantia laborabat. Vnde super iuribus her[e]fordensis ecclesie graui suborta materia, decreuit vir dei ad romanam curiam se transferre, pro congruo super huiusmodi grauaminibus a summo pontifice remedio impetrando. Cumque non sine magno[5] sui corporis grauamine per tam longa et laboriosa itinera Romam veniret, a papa Martino honorifice susceptus est: et peractis ad votum negociis, dum rediret ad patriam suam, infirmitatis molestia depressus, apud Florentinum iuxta Montem Flasconis, sexto Nonas octobris[6], anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo[7] septimo[8], migrauit ad dominum. Cumque corpus suum per sex dies custodiretur, odor suauissimus nihilominus ab ipso procedebat. Postea vero caro ab ossibus separata in ecclesia sancti Seueri honorifice est sepulta[8], et ossa in Angliam ad sedem suam per tot terrarum et maris spacia delata sunt. Cum enim ossa sancta comiti Glouernie Gilberto de Clara, qui ipsum pro iuribus ecclesie fatigauerat laboribus et expensis multis, in itinere obuiarent, sanguinem statim in magna habundancia effuderunt, vt vasa, in quibus erant posita et delata, sanguine rubricata apparerent[9]. Quo viso, comes timore et horrore percussus, vniuersa[10] ecclesie iura restituit, penitentiam pro commissis agens. Iohannes enim papa vicesimus secundus sanctum episcopum Thomam cathalogo sanctorum conscripsit, et sexto nonas octobris festum eius solempniter celebrari instituit. Miracula vero que post obitum eius ad laudem et honorem nominis sui peccatoribus ostendere dignatus est omnipotens dominus, in diuersis voluminibus in loco requietionis eius quasi infinita vidi[11]. Inter que sexaginta mortuos resuscitauit, quadraginta vnum ceccos illuminauit, quinquaginta duos contractos valitudini restituit, paraliticos viginti vnum curauit, et ceccos et mutos viginti tres recepta salute optata deum

[1] Boll. legi. [2] T. herfordensi. [3–3] Same words in S. Richard. [4] *al.* profusior. [5] E. magna. [6] A mistake; he died on Aug. 25, 1282. [7] E. octuogesimo. [8] E. sepulta est. [9] T. apparuerunt. [10] E. vniuersas. [11] Such a volume is in Exeter Coll. Oxf., clviii.

laudare fecit. Vidi etiam in vno volumine in loco prefato de diuersis miraculis et morborum generibus que per sanctum Thomam patrata fuerant et ostensa, quadringenta viginti quinque.

[MS. T. adds:

Narratio[1].

'Quando,' inquit abbas Macharius, 'eram iuuenis in heremo manens, secularis quidam opus quod faciebam a me tollebat et necessaria michi ministrabat. Contigit autem temptante diabolo ut uirgo quedam lapsum faceret; et cum in utero habere cepisset, interrogata de quo concepisset, dixit: "quia hic solitarius est qui mecum dormiuit." Et apprehendentes me uiri illius uici circumduxerunt me per uicum et cedentes dixerunt: "Hic monachus corrupit filiam nostram," et cedentes me usque ad mortem, dimittere noluerunt, donec uirum qui michi necessaria ministrabat fideiussorem dedi ut pascerem eam. Et reuersus ad cellam meam, quantas habui sportellas dedi ministro meo dicens: "Vende ea[s] et da illi mulieri mee manducare." Dicebam autem in animo meo: "Machari, ecce inuenisti tibi mulierem: opus habes modo amplius laborare, ut pascas eam." Et operabar non solum in die, set etiam in nocte, et transmittebam ei. Cum autem uenisset tempus pariendi, plurimos dies traxit in dolore: nec parere ualens, parentibus suis dixit: "Ego scio quare torqueor: quia illi monacho crimen imposui et fallens implicaui eum, cum causam non habeat; set iuuenis ille talis hoc fecit." Et ecce omnes habitatores ciuitatis illius uoluerunt uenire ad me et glorificare deum, penitenciam apud me agentes. Quod ego audiens surrexi et fugiendo in Sithi deueni.'][2]

De sancto Thoma archiepiscopo et martire[3].

ELectus ante mundi constitutionem beatus Thomas, ortu suo felici Londonias illustrauit, cuius pater Gilbertus cognomine Beket, mater Matildis vocabatur; hii enim diuitiis mediocres, sed religione ac morum honestate necnon pie conuersationis innocentia precel-

[1] Ex Vit. Patr. p. 958 (779). In MS. Tanner this Narr. is omitted.

[2] Collect in T.:

Lux fulget ex Anglia Thomas uir angelicus, nobilis prosapia, presul apostolicus, doctor ueritatis: dona nobis gracie Christi patrocinium, et post hoc exilium ac felicem transitum iunge nos beatis. Ora pro nobis.

Deus qui ecclesiam tuam in beati pontificis tui Thome angelica puritate et uirtutum gloria decorasti, concede nobis famulis tuis ut eius suffragantibus meritis angelorum cum ipso mereamur agminibus sociari, per.

[3] Abridged from the 'Quadrilogus' (i.e. extracts from the Vitae by Joh. Salisb., Alan of Tewkesbury, William of Canterbury, Herbert Bosham), ed. by Lupus, Brussels, 1682; the beginning, with the hist. de ortu mirabili b. Th., is, however, taken from the so-called first Quadrilogus, ed. Paris, 1495 (same text in Chr. Bromton and MS. Vitell. cxii.). The edition of Lupus was re-edited by Robertson, Materials for the hist. of Th. B., Rolls' Ser. 1875 ff., IV. p. 269 ff.; the hist. de ortu, ib. II. p. 453.

lentes, iusticie operibus iugiter insistebant. Gilbertus itaque etate iuuenis assumpto secum quodam de familia sua Richardo nomine cruce signatus Iherosolimam profectus est. Cumque loca sancta cum aliis christianis visitaret, a quodam admiraldo captus et compeditus, singulis diebus qualemcumque sibi victum laboribus impositis quodammodo comparauit[1]. Per menses decem et nouem sclauorum more seruiens, pre ceteris captiuis in oculis admiraldi gratiam et fauorem inuenit, et frequenter coram eo ad mensam veniens, de terrarum mirabilibus et gentium moribus et ritu, per interpretem inuicem[2] conferebant. Multa ob illius gratiam collata concaptiuis sunt beneficia: procurante potissime[3] vnica admiraldi filia, que miro affectu Gilbertum, nullo tamen sciente, diligebat. Nacta tandem die quadam oportunitate, inquisiuit ab eo de qua terra et ciuitate oriundus fuit, de fide etiam et religione ac conuersatione christianorum, [et][4] que forent credentium spes et seculorum premia futurorum. Qui cum responderet[5] quod Anglicus esset et ciuitatis incola Londoniarum, atque cum de fide christiana quedam catholice, sicut deus ei inspirauerat, breuiter explanasset, consequenter et ipsa ab eo scisciata est dicens: 'Num mortem pro deo tuo et fide Christi conseruanda intrepide sustinere velles?' 'Libenter, inquit, pro deo meo moriar et omnia tormenta pati paratus sum.' Quo audito, puella mox tota mutata, profitetur se christianam fieri, dummodo ipsam in coniugem accipere in fide sua sponderet. Tacuit ille secum deliberans, et mulieris fallatiam timens statim acquiescere noluit, sed puelle, importunis precibus insistenti, de die in diem consensum protelauit. Cumque puella vehementer affligeretur et ob dilationem in dies plus anxia efficeretur, Gilbertus cum sociis, cathenis diruptis, a carcere liber euasit. Ex illa vero hora et de profectione sua et de fuga puella cogitans, nocte quadam, vniuersis sompno depressis, modico pro necessariis secum assumpto, multiplici se tradidit discrimini fugiendo[6]. Paganismum igitur prospere pertransiens, cum quibusdam mercatoribus et peregrinis, qui linguam eius nouerant, transcursis cunctis periculis Angliam tandem applicuit. Cumque a suis comitibus dissociata fuisset, nihil aliud interrogare nisi tantum 'Londonias, Londonias'[7] nouit. Quo tandem perueniente, quasi bestia erratica per plateas ciuitatis incedens, '"Beket Beket" que sepe repetens[8] obuiantes quosque explorantis more circumspiciens, ob disparem ipsius habitum et linguam ab omnibus derisum passa est. Cumque[9] iuxta domum Gilberti – vbi nunc est hospitalis[10] sancti Thome – omnibus in eam intendentibus casu fortuito transitum faceret, diuulgatum est vbique quod quedam iuuencula quasi ydiota[11] multis eam sequentibus et irridentibus per plateam euagaret. Richardus

[1] E. comparuit. [2] E. mitem. [3] E. potentissime. [4] om. [5] E. responderent. [6] Q. fugiendi. [7] Q. Londonia Londonia. [8–8] om. in Q. [9] E. Dumque. [10] Q. domus hospitalis. [11] E. ydeota.

vero Gilberti famulus quasi ad spectaculum cum ceteris accurrens, cum propius accedens eam cognosceret, cum festinatione ad dominum suum rediit, et admiraldi filiam aduenisse, quam cuncti sequentes admirabantur, nunciauit. Quod cum vix tandem credere posset, Richardo iussit ad quandam matronam ei vicinam puellam adducere et honorifice ei in omnibus ministrare. Cum autem Richardum puella videret et eum agnosceret, mox quasi mortua cecidit, iacens in extasi resupina. Ab illa mentis alienatione tandem ad se reuersa, ad dictam matronam, sicut iussum fuerat, adducitur. Contigit enim tempore illo in ecclesia sancti Pauli sex episcopos regni et ecclesie negotia non parum ardua pertractare: quibus Gilbertus cum rei geste ordinem seriatim exposuisset, mox cicestrensis episcopus indubitanter asseruit, hanc vocationem non humanam sed potius fuisse diuinam, et magnifici operis prolem edituram, cuius sanctitate et labore vniuersalis esset ecclesia ad Christi gloriam sublimanda. Cumque adducta puella interrogaretur per Richardum, eorum interpretem, si vellet baptizari, respondit: 'Huius rei causa a remotis prouinciis huc adueni, dummodo Gilbertus voluerit mihi matrimonio copulari.' Baptizata itaque puella, Matildis vocatur, et Gilberto in coniugium traditur, breuiter tamen de fide catholica prius instructa. Prima enim carnalis copule nocte sanctum Thomam, futurum archiepiscopum et martirem, genuerunt. In crastino vero Gilbertus ad terram sanctam tanto desiderio reuertendi afficiebatur, quod suspiriis agitatus vultum solito pretenderet tristiorem. Cogitabat enim vxoris sexum fragilem, etatem teneram, linguam ignotam, et per absentiam suam pericula proinde non parua eidem de facili prouenire posse. Aduertens autem vxor vultum mariti in diuersis mutatum, cum multa precum instantia tristicie causam ab eo tandem extorsit. Que voto suo non solum annuit, immo rogauit vt, quocunque modo suo placere posset conditori, nulla de ea habita consideratione, tam prompte exsequeretur[1] quam deuote. 'Spero, inquit, firmiter et de deo meo tantum confido qui ad agnitionem nominis sui me vocauit, quod, te etiam absente, [me] non deseret, sed, sicut prius dum ipsum non agnoscerem, intactam ab omni periculo conseruabit. Tantum pro solatio Richardum[2] mihi relinque, qui lingua mea eruditus, ceteris melius mihi nouerit ministrare.' Gilbertus igitur letus effectus, quam citius poterat Hierosolimam profectus est. Post tres annos et dimidium rediens, et filium suum Thomam cunctis gratiosum inueniens, cum vxore sua per aliquot annos laudabiliter vixit, et vitam feliciter consummauit. [3] Beatus igitur Thomas, londoniensis vrbis indigena, parentum mediocrium proles illustris, a primis adolescentie annis gratia multiplici ditatus est. Erat enim statura procerus, decorus forma, ingenio perspicax, dulcis et iocundus eloquio; morigeratus ad exemplum, prudens ad sapientiam, iuuenilem venustatem facie pre-

[1] T. E. assequeretur. [2] T. ricardum. [3] Cf. Vit. by Joh. Sal.

ferebat, et virilem grauitatem. Ab ineunte etate didicit a matre timorem domini, et beatam dei genitricem tanquam ducem viarum suarum et vite patronam inuocare, et in illam post Christum totam fidutiam suam ponere. Mendicantibus quoque miro compatiebatur affectu. Liberalium denique disciplinarum scolas egressus, et ad curiales se transferens occupationes, tanto rationis vigebat acumine, vt prudenter inauditas et difficiles solueret questiones; et quod semel didicerat, quotiens volebat posset sine difficultate proferre. Videns igitur in curiis procerum plurima contra honestatem cleri geri, ad archiepiscopum cantuariensem Theobaldum se contulit; et inter primos eius familiares in breui admissus, tandem cantuariensis ecclesie archidiaconus ab eo constitutus est. Procurante quoque eodem archiepiscopo cancellarius regis Henrici effectus, regis[1] moribus ac curialium se conformans, numerosa clientela gaudere, gloriam quere, popularis aure flatibus delectari solebat. Nam et frenis argenteis vtens, mensas et expensas comitum antecedebat. At[2] licet [ei][3] mundus in omnibus lenociniis suis adulari et applaudere videbatur[4], tamen, quod rarius accidere solet, in affluentia rerum mirandus et imitandus erat corporis castitate. Erat autem in villa Staffordie mulier pulchra valde, ad quam rex consuetudinem habuisse dicebatur. Cum qua Thomas aliquando hospitatus; intempeste noctis silentio sumpta lucerna clam ad hospitis sui cubiculum ingressa est: Et videns eum ante lectum procumbentem pedesque et tibias discoopertum nam post geniculationes lapsus fuerat in sompnum—attonita rediit statim et confusa; et inuentus est religiosus qui luxuriosus putabatur. Defuncto tandem Theobaldo archiepiscopo, Thomas cancellarius, procurante potissime[5] rege Henrico, in archiepiscopum electus est et consecratus. Qui statim veterem exuit hominem, cilicium et monachum clam induit, 'carnem crucifigens cum vitiis et concupiscentiis suis'. A quodam namque cenobita cantuar[iensis] ecclesie habitum acceperat monachalem; cui dominus in visione loquutus fuerat quod si monachum indueret, deum in negotiis propitium et coadiutorem mereretur. Quotidie enim post matutinas decantatas sub profunda nocte introducebantur pauperes tresdecim, quibus discumbentibus ipse ministrabat, et argenteos quatuor singulis distribuit. Egredientibus vero illis introducti sunt duodecim, quibus frater quidam pedes lauans ministrabat, sine argenteis quidem, sed in cibis habunde. Tercio vero conuiuio, circa horam diei tertiam, centum pauperibus ministrabant victualia duo fratres. A mane quoque vsque ad tertiam solus pontifex in conclaui suo remanebat inclusus, ad quem nulla ex causa vllus erat accessus. Cedulas enim manicis suis complicare consueuerat edificationis aliquid continentes, vt semper penes se promptius haberet quod dicere[6] vellet. Cum autem pro suis et populi

[1] E. regiis. [2] E. Et. [3] T. E. corpore. [4] *al.* videretur. [5] E. potentissime. [6] *al.* discere.

delictis in missa oraret, adeo humiliatum erat cor eius et contritum, vt magis cum lachrimis singultus prodirent quam verba. Ob vagas etiam cordis cogitationes reprimendas[1] aliquem libellum orationum in missa tenere et legere consueuit; missamque festinanter semper consummauit propter immissiones per angelos malos, perniciosum necnon [uanarum][2] cogitationum superuentum. Manus autem suas excutiebat ab omni munere, et a domo sua sordes auaricie prorsus eliminabat. Vnde et[3] accidit vt abbas quidam, negotium habens in curia eius, aliquot aureos nunc hiis nunc illis qui iudiciis preerant offerret: sed cum omnes respuerent, abbas negotium peregit et aurum retulit, et recedens dixit: 'Curiam repperi que non solum post aurum non abiit, sed aurum abiicit, spernit et calcat.' Erat enim prouidus in consiliis, in ventilatione causarum diligens et modestus auditor, in interrogationibus subtilis, in responsionibus promptus, in iudiciis iustus, sine personarum acceptione iuris rectissimus executor. Nullus pauper ab eius ianuis vacuus rediit; lares egrorum et debilium per suos diligenter scrutabatur[4], et beneficiis visitabat. Religiosos viros tanta reuerentia excipiebat, vt credi posset in eis diuinam presentiam aut angelos venerari. In mensa enim a dextris eruditos suos, monachos vero et religiosos a sinistris statuit; milites vero ceterique potentes separatim semper et per se seorsum discumbebant, ne ipsos molestaret lectio que continue in mensa personabat. In mensa eius non audiebantur cornicines, non lira, non phiala, non vlla musicorum genera; nulla gule vel lasciuie, nulla penitus incitamenta luxurie videbantur. Inter multa enim[5] et varia que apponebantur in mensa, ad esum[6] proprium pauca, sed preciosa retinebat. Vnde cum quidam semel quasi subridendo notaret pontificem, aliquantisper motus episcopus sic respondit ei: 'Certe, inquit, frater, ni fallor, cum auiditate maiori tu tuam sumis fabam[7], quam ego appositam mihi phasidem auem.' Erat tunc auis hec ante presulem in parapside. Pontifex enim [quia][8] grossiora non poterat, vtpote tenere nutritus, deliciosa quidem, sed parce admodum sumebat et sobrie, vt non magis cibatus quam ieiunus, non post ieiunia[9] plus quam ante, vllam vix sentiret carnis rebellionem. Ocium summopere fugiebat: quod autem nocturno sompno sine grandi dispendio corporis extorquere potuit, lachrimis et orationibus indulgebat. Conuocato itaque ab Alexandro papa Turonis concilio[10], sanctus Thomas per totam Normanniam et Cenomanniam transiens, tanquam rex Anglorum ab omnibus exceptus est. Turonis vero appropinquans, mox ciuitas vniuersa commouetur, et obuiam exeunt vniuersi, non solum ciues [sed][11] et episcopi et archiepiscopi qui ad concilium[10] conuenerant fere[12] omnes; cardinales quoque omnes, preterquam

[1] E. reprimandas. [2] E. malarum; T. uanarum. [3] om. in T. [4] T. scrutabantur. [5] E. enim multa. [6] T. esum; E. vsum. [7] T. tua . . faba. [8] om. [9] Q. vina. [10] E. consilio. [11] om. [12] E. sed f.

duos qui pape assidebant, priusquam ciuitatem ingrederetur, occurrerunt. A papa benigne susceptus, renouatis ecclesie sue priuilegiis, finitoque concilio, cum benedictione pape ad Angliam prospere reuertitur. Conuocato autem Londoniis parliamento, rex instanter exigit[1] vt deprehensi vel conuicti in enormibus flagitiis clerici, ecclesie presidio destituti, suis lictoribus exponantur; ad nocendum promptiores eos esse adiiciens, nisi post penam spiritualem etiam corporali pene subdantur, et parum curare de ordinis amissione qui contemplatione ordinis a tam enormibus manus continere non verentur; et tanto deteriores esse in scelere quanto sunt ceteris ordinis priuilegio digniores: vnde et seu[er]ioribus cohercendi vindictis, quando reperiuntur in scelere, et semoti a clero curie tradentur[2]. Cum autem archiepiscopus cum suis suffraganeis luculenter ad ista respondisset, commotus rex sciscitabatur an consuetudines suas regias forent conseruaturi, quas tempore aui sui archiepiscopi et episcopi obseruabant. Qui responderunt, se illas obseruaturos, 'saluo ordine suo.' Rex vero dicebat, aciem contra se firmatam, et venenum verbo illi inesse, et capciosum[3] esse, scilicet 'saluo ordine suo.' Vnde petebat vt absolute et absque adiectione regias consuetudines se obseruaturos compromitterent. Respondit archiepiscopus quod fidelitatem iurauerant, vitam scilicet, membrum[4] et honorem terrenum, 'saluo ordine suo,' et quod in 'honore terreno' regie fuissent consuetudines comprehense, et se in alia forma minime obligaturos. In crastino rex munitiones et honores que archiepiscopus a tempore cancellarie in custodia habuerat a rege, repetita recepit, et nescientibus episcopis a Londoniis recessit. Post hec vero multi qui ad horam cum archiepiscopo steterant, regis voluntati se parituros promittebant, paucis cum archiepiscopo pontificibus remanentibus, et hii tamen occulti, propter metum. Rex enim conabatur archiepiscopum promissis et blanditiis ad suum inclinare consensum. Sed in petra solidatus, nec blanditiis emolliri potuit nec terreri minis, vt a tramite iusticie deuiaret. Multique ad regis gratiam eum hortabantur, nunc familiaritatem pristinam, nunc impensos honores, hinc quantum pacis [bonum], inde quantum dissentionis malum, proponentes; adiicientes etiam quanta foret insipientia, vnius verbi contenciosi[5] occasione tantam perdere gratiam, et tantorum malorum soluere[6] radicem. Abbas quoque de Elimosina, a romano pontifice directus, regis voluntati eum obtemperare persuadebat, asserens regem dominis cardinalibus iureiurando cauisse quod nihil in preiudicium ecclesie postularet[7]; et si quid presumeretur a rege, dominum papam sibi malle imputari, quam pacem non reformari. Vnde et ab omnibus persuasus, vix tandem ad regem accessit et verbum quod regi scandalo erat se mutaturum promisit. Rex igitur aliquantisper sedatus, obliga-

[1] E. exegit. [2] E. traderentur. [3] E. capsiosum. [4] E. membrorum.
[5] E. contensiosi. [6] Q. radicem fouere dissensionem. [7] E. postularunt.

tionem de regiis consuetudinibus obseruandis sibi fieri velle dicebat. Apud Clarendoniam quoque, episcoporum et prelatorum lachrimis et precibus motus, obligat se quod regias consuetudines foret obseruaturus bona fide, verbo illo suppresso 'saluo ordine meo,' et in verbo veritatis hoc se facturum spopondit[1], peccatum peccato adiungens. Idipsum et vniuersi pontifices iurauerunt. Scriptis igitur consuetudinibus, illas archiepiscopus sigillare differens, dicebat quod[2] propter negocii magnitudinem decere dilationem vel modicam, cum absque consilio nihil faciendum foret graue. Vnam partem consuetudinum secum scriptam suscepit, alteram archiepiscopus eboracensis, tertiam vero rex. Recedente itaque viro dei, et diuersis diuersa sentientibus, clericus qui crucem ferebat, acrius institit dicens: 'Concussit hec tempestas etiam columpnas ecclesie, et dum pastor disparuit, oues disperse latitant sub lupo. Quis triumphabit in prelio, principe deuicto? Quid,' inquit, 'virtutis sibi retinuit qui conscientiam perdidit et famam?' 'Quorum sunt hec, fili?' ait archiepiscopus. 'Teipsum, inquit, id respicit, qui hodie omnino perdidisti conscientiam et famam, deo odibili et honestati contrario exemplo in posterum relicto, cum manus tuas deo sacratas ad execrandas consuetudines obseruandas extenderes, et in confusione libertatis ecclesiastice cum nephariis[3] sathane ministris communicares.' Ingemuit igitur archiepiscopus, et suspirans ait: 'Peniteo, fili, et grauiter peniteo[2], meum exhorrens excessum; indignum me iudico de cetero ad eum accedere in sacerdotio de cuius ecclesia tam vile contraxi commercium. Silebo sedens in merore, donec a domino papa merear absolui. Peccatis enim meis exigentibus per me iam anglicana ancillatur ecclesia, et que ante me extitit domina, nunc per me miserum videtur ancillanda. Vtinam consumptus essem, ne oculus meus hec videret! Merito enim tempore meo passura est ecclesia, quia de aula assumptus sum, non de claustro, non de religione, ad officium hoc; sed vanus et superbus, de pastore auium factus sum pastor ouium; dudum fautor histrionum et sectator canum, nunc pastor tot animarum. Vnde plane video me iam a deo derelictum, et a sede sancta in qua locatus[4] sum abiici dignum.' Dum igitur dolor sic eum vrgeret, exitus aquarum deduxerunt oculi eius, ita vt inter continuas lachrimas, singultibus crebris erumpentibus, compelleretur irrumpere[5] sermonem magis quam finire. Et penitencia ductus, ieiuniis et asperitate vestium se affligens, ab altaris officio se suspendit, donec missis ad papam festinanter nunciis absolutionis beneficium meruit obtinere. Regi interim innotuit quod archiepiscopus a promissione sua resilire vellet: exasperatus grauibus cepit archiepiscopum vexare exactionibus. Verum quia confessio per scripturam fieri non solet, in propria

[1] T. spospondit. [2] *al.* om. [3] E. nepharie. [4] E. collocatus. [5] Q. rumpere.

persona vir dei papam adire disposuit : assumptisque secum tantum tribus ; quia palam non posset, noctu clam transfretare temptat. Bis enim mare ingressus, vi ventorum bis repulsus est. Dispersis autem familiaribus suis vnus audacior, Cantuariam veniens, in camera ipsius archiepiscopi nocte se recepit, et post cenam, quiescere volens, puero dixit : 'Vade et claude ostium aule, vt securius dormiamus.' Veniens illuc puer cum lumine, aperto ostio vidit archiepiscopum in angulo sedere solum : et territus, putans se fantasma vidisse, rediit. Et veniens illuc clericus, virum dei, sicut puer dixerat, inuenit. Conuocatis ergo ecclesie fratribus, quid sibi acciderat exposuit ; et statim ad regem perrexit. Qui audita dissimulauit, nisi quia iocando[1] improperauit ei quare terram suam deserere voluisset, tanquam si ipsos duos simul terra capere non posset. Archiepiscopus quoque eboracensis[2] pacem inter regem et virum dei reformare studuit. Vnde mittit sanctus ad romanum pontificem, tanquam rogans consuetudines illas confirmari. Que tam subita viri mutatio, que tam constantis inconstancia, vt modo rogaret enormia confirmari, ad quorum consensum non potuit prius inclinari? Nimirum maioris arbitrio reliquit quod per se non presumpsit, vt a se culpam transferret, et domino suo satisfaceret. Sed beati pape religio circumueniri non potuit, qui certamen archiepiscopi cognouit et porrigentis preces coactas agnouit. Rex enim clericos homicidas, fures, latrones, aut aliis flagitiis deditos, ad seculare iudicium trahebat, vt conuicti [officio][3] priuarentur, et priuati curie traderentur. Archiepiscopus vero clericos infames non nisi apud ecclesiasticos iudices permittebat conueniri[4], vbi conuicti[5] officio spoliarentur : quia 'non iudicat deus bis in id ipsum', vel ne forte duplici pena multati laicis infamibus conditione viderentur inferiores ; sed si post degradationem in flagitiis inuenirentur, a seculari iudice punirentur[6]. Talia enim iram regis accendebant. Nihil enim a viro dei vel dici vel fieri poterat quod non malicia infelicium hominum deprauaret : adeo quidem vt regi persuaderent quod si archiepiscopi potestas procederet, regia dignitas esset proculdubio peritura, et is demum futurus esset rex quem clerus eligeret, et quamdiu placeret archiepiscopo regnaturus. Proinde rex citari fecit archiepiscopum, vt die statuto apud Northamptoñ regi responderet de hiis que sibi forent obiicienda. Facta igitur contione, trahitur in causam archiepiscopus quod ad quandam regis citationem se in propria persona non exhibuerit. Qui licet sufficientem responsalem se misisse probauerit, tamen procerum et pontificum iudicio mox omnia eius bona mobilia sunt confiscata, nisi forte regia clementia vellet temperare iudicium, quod est : in misericordia regis esse[7] de omni mobili suo. Cum vero audisset se iudicatum sic : 'Quale, inquit, sit iudicium hoc, me etiam tacente secula post futura

[1] E. iocundo. [2] Q. Ep. ebroicensis. [3] om. [4] T. E. conuenire.
[5] E. coniuncti. [6] E. punerentur. [7] Q. iudicatus est.

non tacebunt. A seculo siquidem non est auditum aliquem cantuariensem archiepiscopum in curia regum Anglorum pro qualicunque causa iudicatum, tum propter dignitatem, tum propter auctoritatem, tum quia regis et omnium spiritualiter pater sit. Nouaque est forma hec[1], et ordo iudiciorum nouus, vt archiepiscopus a suis suffraganeis, aut pater a filiis iudicetur.' Die vero sequenti exegit[2] rex ab eo quingentas libras quas, vt asserebat, cancellarius tunc a se acceperat mutuo: et licet a rege donatas in veritate affirmauerit, adiudicatum est tamen quod, quia pecuniam illam confessus est se recepisse, et titulum donationis tunc probare non potuit, regi soluendam esse. In crastino, cum sederet archiepiscopus cum suis coepiscopis in conclaui, ex edicto regis seris obiectis ne pateret exitus, propositum est aduersus archiepiscopum quod cum vacantes haberet episcopatus et abbatias et multos redditus domini regis in manu sua, nullam ei super hiis reddidit rationem: quam tunc sibi rex requirebat exhiberi. Ascendebant enim ad triginta milia marcarum. Auditis enim episcoporum diuersis sententiis, ait archiepiscopus: 'Volo, inquit, loqui cum duobus comitibus qui cum rege sunt': quos et nominauit. Vocatis illis et ostio aperto, dixit: 'Non enim habemus ad presens [eos][3] quibus res ipsa magis innotuit, ideo vsque in crastinum petimus indutias, tunc responsuri.' Soluto itaque consilio, multitudo militum et aliorum qui cum archiepiscopo illuc conuenerant, regio metu perterriti, amplius cum illo non steterunt[4]. Vnde vir dei iussit circuiri sepes[5] et vicos, et ad se vocari pauperes et debiles, dicens 'per talem militiam celeriorem posse prouenire victoriam, quam per eos qui tempore temptationis turpiter recesserunt.' Impleta est igitur domus eius discumbentibus, et facta est leticia, nulla mentione habita de perturbacione pristina[6]. Die vero martis conuenerunt ad archiepiscopum pontifices attoniti et exterriti propter audita, suadentes vt ipse de omnibus, etiam de ipso archiepiscopatu, regis se per[7] omnia voluntati et arbitrio subiiceret, si forte regis ira et indignatio sedari posset. Si enim hoc non fieret, iam audiret sibi in curia periurii crimen imponi, et tanquam proditorem iudicandum, eo quod terreno domino honorem terrenum, fidelitatis iuramento comprehensum, non seruaret, et regias consuetudines ad quas obseruandas se iuramento astrinxerat, non [ob]seruaret. Quibus ille respondit: 'Fratres mei, sicut cernitis fremit contra me mundus, insurgit inimicus: sed quod plango lachrimabilius, filii matris mee pugnant contra me. Etsi ego tacuero, secula post futura enarrabunt qualiter me solum in certamine deseritis, et patrem vestrum, quantumcunque sim peccator, iam per duos dies iudicaueritis, et, vt conicio[8], [vos][9] adhuc[10] in foro[11] seculari me iudicare

[1] T. hec forma. [2] E. exigit. [3] om. [4] T Q stetit. [5] E. cepes. [6] E. pristina perturbatione. [7] E. semper. [8] T. E. connicio. [9] om. in E. [10] Q. Et adhuc coniicio vos. [11] E. fore.

paratos. Verum omnibus vobis in virtute obedientie, sub ordinis vestri periculo, hoc inhibeo ne deinceps intersitis iuditio quo mea persona iudicetur. Quod etiam ne faciatis, romanam matrem ecclesiam appello. Et si seculares manus iniecerint in me, in virtute obedientie precipio vt pro patre vestro et archipresule, quam decet, ecclesiasticam exerceatis censuram. Vnum autem sciatis quod, fremat mundus, tremat corpus, caro infirma, ego autem fauente domino nec turpiter cedam, nec creditum mihi gregem enormiter[1] derelinquam.' Citoque intrauit ecclesiam, et missam de sancto Stephano celebrauit, preter morem cum pallio. Qua peracta, indutus sacris vestibus, capa clericali superiecta[2], processit ad curiam regis; et quoniam timebat vt homo, clam eucharistiam secum deportauit. Ad ostium vero camere regis crucem in manu accipiens, sequentibus episcopis, baiulauit. Et cum Herfordensis illam deferre vellet: 'iustius est, ait, me ipsam deferre, sub cuius protectione tutus maneo, et eius viso vexillo non est mihi dubitandum sub quo principe militem.' Cum autem rex de viro dei grauem deposuisset omnibus querimoniam, omnes passim proditorem eum acclamabant, qui domino suo regi, a quo tot et tanta bona acceperat, non iam honorem terrenum, sicut iurauerat, seruasset: et propterea in eum tanquam in regis periurum et proditorem animaduertendum. Cum autem ostiarii cum virgis et baculis de cenaculo in quo rex erat cum magno impetu descendissent et vultu minaci et digitis extensis versus archiepiscopum respexissent, vir dei inclinato capite sedenti ad pedes discipulo ait: 'Timeo iam tibi. Verumptamen tu non timeas: adhuc enim corone mee particeps eris.' Cui ille: 'Nec tibi, inquit, timendum, nec mihi: Erexisti enim nobile illud et triumphale signum, omni potestati sanctum et terribile, in quo multi multa bella vicerunt.' Dum hec loquerentur, procidit exoniensis episcopus se ad pedes sancti, et ait: 'Pater, miserere tui et nostri: omnes enim hodie propter te perimus. Exiit namque edictum a rege vt qui amplius tecum steterit, publicus[3] hostis iudicetur, in capite puniendus. Dictumque est quod saresburiensis et norwicensis episcopi statim ad supplicium trahentur, in membris mutilandi.' Intuens in eum archiepiscopus, ait: 'Fuge: quia non sapis [ea][4] que dei sunt.' Demum inito ab episcopis consilio, contra archiepiscopum ad romanam sedem de periurii crimine appellarunt, et [regi][5] in verbi veritatis promissione se obligarunt omnem operam ad archiepiscopi depositionem pro viribus adhibituros, si rex eos ab hoc quod tunc immineret archipresuli, absolueret iudicio. Et accesserunt ad virum dei, dicentes: 'Quondam fuisti noster archiepiscopus, et tenebamur tibi obedire: sed quia domino regi iurasti fidelitatem, hoc est vitam, membra et terrenum honorem, et consuetudines suas obseruandas, et tu niteris

[1] E. enormitam. [2] E. subiecta. [3] E. publicis. [4] om. in E. [5] om.

eas destruere, ideo te reum periurii dicimus, et periuro archiepiscopo de cetero non obediemus. Ideoque ad presentiam pape te appellamus, super hiis responsurum.' Et diem statuunt. 'Audio' inquit archiepiscopus. Extunc principes et regni maiores periurum et proditorem archipresulem iudicarunt. Comes vero Leicestrie cum multis perrexit ad eum, dicens: 'Mandat tibi rex vt venias redditurus rationem super obiectis; alioquin audi iudicium tuum.' 'Iudicium,' inquit archiepiscopus, et surrexit dicens: 'Immo, fili comes, et tu prius audi. Non te latet, fili, quam fidelis fuerim regi: cuius rei gratia me in archiepiscopum promouit, deus scit me nolente. Nota enim fuit mihi infirmitas mea, et magis pro suo, quam pro dei, amore acquieui—ideo deus et se mihi subtrahit, et ipsum regem. In electione quoque mea liberum me fecit et quietum ab omni nexu curiali: nec super his a quibus sum liberatus, teneor, nec volo, respondere. Quanto enim dignior est anima quam corpus, tanto magis deo et mihi teneris obedire quam terreno regi. Nec lex nec ratio permittit vt filii patrem iudicent aut condempnent. Vnde regis et aliorum declino iuditium, sub deo solo a domino papa iudicandus, cuius presentiam appello; et omnia mea sub dei protectione et sua pono, et eius auctoritate munitus hinc recedo.' Abeuntem autem prosequebantur curiales et[1] contumeliis et iniuriis lacessitum[2], proditorem et periurum acclamantes. Occurrit ei multitudo maxima pauperum et infirmorum acclamantium et dicentium: 'Benedictus deus, qui eripuit seruum suum a facie inimicorum suorum.' Sicque a turba et clero perducitur ad monasterium sancti Andree. Et ait vir dei sequentibus se: 'Quam gloriosa processio nos conducit a facie tribulantis! Sinite pauperes omnes intrare,' inquit, 'vt in domino adinuicem epulemur': et implete sunt domus et atria[3] discumbentium. Nocte vero illa coram altare cum paucis, septem psalmos cum letania cecinit, ad singulorum sanctorum nomina singulas fecit genuflectiones. Deinde per posticum secrete exiens, parum ante gallicinium clandestinam iniit fugam. Ecce fugitiuus ille heritius de quo diaconus quidam vidit in visione. Nam rege Anglorum cum vniuersis nobilibus et prelatis venante in loco qui dicitur Wanberge[4], exiliit heritius de medio ipsorum, tanquam tumultu venantium excitatus. Quem cuncti videntes agitare clamoribus et insultationibus ceperunt. Ipse non in directum sed per flexuosas calles, portans in dorso suo librum intitulatum 'Actus apostolorum,' ad mare festinabat. Nemo autem eorum qui sequebantur erat sine vitio corporis sui, sed aut cecus aut luscus aut claudus aut labiis mutilatus aut naso[5] videbatur. Tandem cum heritius venisset ad mare, misit se in illud, et vlterius non comparuit. Quod videntes qui eum persequuti [fuerant, reuersi][6] sunt. Et ecce suborta est nebula densa et tene-

[1] Q. et inuidi. [2] so Q., *al.* om. [3] E. atrie. [4] Q. in luco . . Waberge. [5] E. aut simo v. naso; T. aut naso v. [6] fuerant reuersi om. in E.

brosa, occupans faciem terre, quam sequebatur imber sanguinis. Diuertit autem rex in aulam quandam, et sedit in ea, indutus veste candida linea et lata, caudisque vulpinis tanquam sertis caput cinctus. Non cessabat autem sanguis super eum distillare[1], quia domus vtpote deserta cooperta non erat, sed per dependentes caudas vulpinas defluebat in sinum suum. Cunque sinum implesset, refluere cepit et os eius habundanter impleuit. Eadem quoque nocte qua vir sanctus fugam iniit, quidam de clericis in sompnis sonum manifeste vocis[2] audiuit dicentem: 'Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est et nos liberati sumus.' Audita autem archiepiscopi fuga, rex plurimum turbatus solempnes nuncios cum muneribus ad papam misit, qui archipresulem super pacis perturbatione et reatu periurii accusarent. Vir autem dei de die latens et in nocte iter faciens, mare transiuit, et, indutus alba veste et monachali capa, pedes iuit. Quesitumque est ei lasso tandem iumentum vnum, non frenum sed plectam circa collum habens: et positis super dorsum vestibus, eum desuper sedere fecerunt. Et obuiantes ei armati quidam, quesierunt an ipse esset archiepiscopus Cantuariensis. Et [ille][3]: 'Siccine Cantuariensis phaleratus incedit?'—Tertia vero feria fugam iniit: tertia feria in transmarinis applicuit: tertia feria reuertens in Angliam applicuit: et tertia[4] demum feria gladio occubuit. Vocatus [est][5] autem a sociis 'frater Christianus'; et ne agnosci facile posset, vbique locum etiam in mensa tenuit extremum. Notauit enim vice quadam hospes suus eius singularem vescendi modum et in distributione affectum: de illo quod ei apponebatur singulis de domo dabat. Intuebatur proceritatem egregiam, frontem amplam, aspectum seuerum[6], faciem oblongam et venustam, formam manuum, et articulorum congruam et quasi exquisitam protensionem[7]; in modo edendi, in corporis qualitate et gestu ceteris dissimilem. Estimauit se magnum virum suscepisse, et suspicabatur hunc cantuariensem esse archiepiscopum[8]; eo quod circumquaque rumor increbuerat Cantuariensem a Northamptoñ clam recessisse et applicasse in partes illas, vel in proximo applicandum fore. Cum enim post cenam frater Christianus hospitem iuxta se ponere voluisset, constanter renuit, et in terra secus pedes eius sedens, dixit: 'Gratias ago domine[9] deo quod dignus fui vt sub tectum meum intrares.' Cui ille: 'Nonne ego frater pauper sum, et Christianus dicor?' 'Certe, inquit hospes, quicquid dicaris, scio te magnum virum esse, et cantuariensem archiepiscopum.' Igitur, cum nullis verborum inuolucris ab hospite se posset celare, confessus est quod ipse erat, et non negauit. Cum autem ad monasterium Sancti

[1] E. stillare; T. distillare. [2] so T., E. man. vocis sonum. [3] om. in E. [4] E. tercia et. [5] om. in E. [6] T. seuerum; E. serenum. [7] E. protentionem. [8] T. episcopum. [9] T. domine, E. domino.

Bertini nauigaret, piscis pergrandis proiecit se cum impetu in gremium[1] viri dei; et factus est transitus eius iocundus in laude dei. Nuncii vero regis Anglorum ad regem Francorum Ludouicum venientes, litteras domini sui ei[2] porrexerunt, in quibus continebatur quod Thomas, quondam cantuariensis archiepiscopus, de regno suo tanquam proditor fugerit, et ne ipsum in terra sua reciperet precabatur. Rex autem sapiens statim, quis eum deposuisset iterum et iterum sciscitatus est. Et adiecit: 'Certe, sicut rex Anglorum, ita et rex sum ego: verumptamen minimum de clericis regni mei deponere non valerem.' Nec enim ad petitionem suam[3] responsum pro voto nuncii retulerunt. Misit quoque archiepiscopus nuncios ad regem Francorum; quos benigne audiuit et ad oscula admisit. Cum autem labores archiepiscopi et pericula seriatim exposuissent, commota sunt viscera eius, et in regno suo pacem et securitatem archiepiscopo benigne concessit. Et adiecit, hoc de pristina dignitate regni Francorum fore vt exules, et presertim persone ecclesiastice, pace perfruantur et a persequutorum iniuria defendantur. Procedentes inde nuncii, Senonis ad papam accelerarunt, et eo-usque preualuit nunciorum regis Anglie suggestio, quod nec a cardinalibus sunt salutati nec ad oscula recepti. Eadem tamen die ad papam habentes accessum, archiepiscopi pressuras et angustias, dolores et pericula, labores et erumpnam seriatim exposuerunt. Et commota sunt paterne pietatis viscera super filio, et vbertim lachrimas effudit. In crastino cum nuncii regis multa contra [archi]episcopum[4] proposuissent in presentia pape, adhortabatur eos vt archiepiscopi aduentum expectarent, adiiciens, in absentia eius nihil in eum statuendum. Tandem illi, fraudati desiderio suo, ad Angliam reuersi sunt. Veniente interim archiepiscopo Suessionis, rex Francie ad hospitium eius descendit, et in salutatione preuenit, et in omni alacritate[5] suscipiens eum, et pacem et securitatem donans, quamdiu exularet sumptus necessarios de fisco regio gratanter concessit. Vir dei tandem ad dominum papam Senonis venit, et a cardinalibus tepide quidem acceptus est; sed cum coram papa sederet et propter reuerentiam surgere vellet, iussus residendo causam edicere, sic incepit: 'Licet non multum sapientes, nec tamen vsque adeo sumus fatui, vt regem Anglie, suos et sua, pro nihilo relinqueremus. Nam si vellemus sue per omnia placere voluntati, in sua potestate vel regno non esset quis qui nobis non obediret pro libito. Et dum sub hac conditione ei militaremus[6], quid fuit quod nobis non successit ad votum? Ex quo enim aliam ingressi sumus viam, etiam, si ab isto proposito vellemus resilire[7], ad eius gratiam recuperandam nullius persone egeremus interuentu. Verum quia

[1] E. gremio. [2] E. ei domini sui. [3] E. suum. [4] E. episcopum. [5] E. claritate. [6] *al.* militauimus. [7] E. resilere.

cantuariensis ecclesie nostris temporibus obfuscata est claritas, quodlibet tormentum, sed et mille mortis genera, si tot occurrerent, libentius exciperemus in domino, quam sub dissimulatione[1] sustineremus hiis diebus mala que patitur. Porro, ne videamur curiose vel obtentu vane glorie hec inchoasse, expedit vt oculata fide constet de effectu[2].' Et producens scriptum, in quo continebantur consuetudines ille pro quibus contentio facta est, cum lachrimis inquit: 'Ecce quid statuit dominus rex Anglie contra libertatem ecclesie! Si hec licet dissimulare sine dispendio anime mee, vos videritis.' Quibus perlectis moti sunt omnes vsque ad lachrimas, nec hii continere se poterant qui prius pro viribus aduersabantur; communi voce deum laudantes dum vel vnum sibi seruauerit qui pro ecclesia sua in illa tempestate ausus fuerit ex aduerso ascendere. Et reprobauit papa consuetudines illas, et ab ecclesiis inposterum dampnandas censuit[3]. Postera die in secretiori thalamo coram papa affuit archiepiscopus, sic inquiens: 'Patres mei et domini, ego gemens fateor quod has anglicane ecclesie molestias mea culpa suscitauit. Ascendi in ouile Christi, sed non per ostium, velut quem non vocauit canonica electio sed terror publice potestatis intrusit; licet hoc onus susceperim inuitus, tamen ad hoc me induxit humana, et non diuina voluntas. Nunc autem recognoscens ingressum meum minus catholicum, videns etiam vires meas oneri impares; ne gregi preesse videar ad ruinam cui datus sum qualitercunque in pastorem, in manu tua, pater, archiepiscopatum cantuariensem resigno.' Moxque anulum suum de digito trahens rogabat ecclesie dignum pastorem prouideri. Complensque orationem in lachrimis, dominum papam et omnes qui aderant flere compulit. Sedente[4] vero seorsum cum suis archiepiscopo, cepit papa cum cardinalibus conferre. Hinc inde diuersa et varia orta est sententia. Quibusdam visum est, ablata[5] occasione regis iram sedari posse facilius dum in alia persona ecclesie cantuariensi consuleretur, et Thome posset alias competentius prouideri. Hii siquidem ex phariseis erant. Aliis autem visum est quia si is qui pro tuenda ecclesie libertate summo discrimini[6] non solum diuitias, gloriam et dignitatem, sed et vitam exposuit, ad regis libitum deberet suo iure priuari: sicut forma fieret aliis in consimili causa regibus resistendi si ei iusticia seruaretur illesa, sic eo cadente caderent vniuersi episcopi, vt nullus futuris temporibus auderet obuiare principis voluntati: et sic vacillaret status ecclesie, et romani pontificis potestas deperiret. 'Expedit igitur vt inuitus restituatur, et qui pro omnibus dimicat ab omnibus succurratur.' Vocato igitur Thoma, ait papa: 'Nunc demum, frater, nobis liquet quem habuisti zelum pro domo domini, de tuo ingressu quam puram feceris confessionem: iam secure de nouo poteris de manu nostra pontificalis officii curam

[1] E. dissimilatione. [2] *al.* affectu. [3] E. sensuit. [4] *al.* Cedente. [5] *al.* oblata. [6] T. E. discrimine.

recipere. Nouimus enim te virum multis temptationibus probatum, prouidum et discretum, deo et hominibus charum, nobis et sancte romane ecclesie per omnia fidelem. Et sicut nostre persecutionis factus es particeps et consors indiuiduus, ita tibi, deo auctore, in nullo deesse poterimus, quamdiu nobis in hoc corpore vitalis durauerit spiritus. Verum hactenus deliciis affluens, de cetero discas esse debilium et pauperum consolator: pauperibus enim Christi te duximus commendandum, huic, inquam, abbati pontiniacensi'—erat enim ibi presens—'non splendide sed simpliciter educandum, vt decet exulem et Christi athletam, donec aspirauerit[1] dies pacis et consolationis tue. Interim forti animo esto, et hiis qui pacem perturbant resiste viriliter.' Sancto itaque Pontiniacum ingresso misit papa habitum monachalem, de lineo[2] vtique panno grosso et crudo; vnde et dixit: 'Dicite[3] domino Cantuariensi quia habitum ei misimus qualem habuimus, non qualem vellemus.' Vtebatur vir dei cilicio a nudo colli vsque ad poplites, et lectioni et orationi ac meditationi tota mente vacabat. Rex autem, cum redeuntibus nunciis se in suis petitionibus didicisset repulsum, res omnes archiepiscopi et suorum confiscari precepit, totamque cognationem eius et omnes qui eum familiaritate vel quouis titulo contingebant, proscripsit exilio. Nec sexui nec etati, nec in puerperio mulieri decubanti parcebatur; compulsique sunt iurare quod contristandi causa archiepiscopum, vbicumque inueniretur, expeterent. Prohibitumque est ne pro eo oraret ecclesia. Vir autem dei illos per diuersas prouincias cum literis suis transmittebat: qui benigne suscepti sunt, et plurimi felicius in exilio quam in patria degebant. Erat enim vir sanctus sacrarum scripturarum amator precipuus, vt[4] post horas regulares quotidie sacri codices per totum diem vix de manu eius discederent. Vnde et in breui adeo profecit, vt [in] nodosis scripturarum sententiis[5] etiam super docentes se sepius intellexit. Direxit autem rex Anglie literas ad generale capitulum Cisterciense[6], ordini eorum plurimum comminatus, si vlterius aduersarium suum apud se retinerent. Quod cum archiepiscopo nunciatum fuisset, respondit nulla ratione se velle lesionem vllam vel dampnum hospitibus suis euenire; 'Dominus, inquit, coexulibus meis et mihi prouidebit, qui volucres celi pascit et lilia vestit.' Cum autem hec omnia audisset rex Francie, ait: 'O, inquit, religio, o religio, vbi es? Ecce enim quos credebamus seculo mortuos, seculi minas timent, et pro rebus caducis quas se propter deum contempsisse profitentur, a dei opere quod ceperant conuertuntur retrorsum, dei causam et pro dei iusticia exulantem eiicientes a se.' Et conuertens sermonem ad eum qui missus ei fuerat, ait: 'Renuncia domino tuo quod, si mundus, et etiam qui

[1] E. expirauerit. [2] *al.* laneo. [3] E. dicito. [4] T. post horasque; vt om. [5] Ta. nodosas . . . sententias. [6] E. Cistersiense.

mundo videntur mortui, eum deserant, ego tamen eum non deseram, sed suscipiam propter deum et propter[1] iusticiam pacientem.' Biennio igitur peregrinationis sue completo, a Pontiniaco discedens, Senonis vsque deuenit; et in itinere abbati pontiniacensi cum lachrimis dixit: 'Que de me sunt, finem habent: dominus seruo suo vite finem finisque modum in visu preterite noctis ostendere dignatus est: gladium spiculatoris subterfugere non potero.' 'Ergo, inquit abbas subridens, martirio interibis? Quid esculento et temulento, et martyrio[2]? Non bene conueniunt nec in vna sede morantur[3] calix vini quem potas, et calix martirii.' 'Fateor, inquit archiepiscopus, corporeis voluptatibus indulgeo; bonus tamen dominus, qui iustificat impium, indigno dignatus est reuelare misterium.' Et cum instaret abbas vt seriatim prosequeretur, subintulit: 'Domine abbas, etsi[4] familiaris meus sis, non prius edisseram nisi eo pacto vt secretum teneas quoad vixero ego.' Quod cum fecisset, ait: 'Nocte hac visum est mihi quod in ecclesia, nescio tamen qua, contra dominum regem Anglorum coram papa et cardinalibus contenderem, domino papa parti mee fauente, sed cardinalibus pro rege aduersantibus contra me. Tunc ecce subito quatuor superuenerunt milites, qui summitatem capitis mei excoriauerunt; adeoque angustiabar quod videbar mihi defecisse. Per hanc, ni fallor, reuelationem credo quod morte dura, sed spero preciosa, de hoc mundo sum transiturus.' Rex autem Anglie misit nuncios ad imperatorem Fredericum quod, si nomen [et][5] obedientiam Alexandri pape abiuraret, participem se scismatis haberet cum episcopis suis. Et factum est ita. Feralia quoque statuit edicta contra eos[6] qui pape litteras in Angliam deferrent; omnesque regni sui papam Alexandrum abiurare coegit. Episcopi quoque contra archiepiscopum suum appellarunt. Mittebantur etiam ad instantiam regis duo cardinales amici eius. Ad quorum colloquium cum veniret archiepiscopus, nocte proxima vidit in sompnis quod propinaretur ei venenum in calice aureo. Infecto tandem negotio, et absque spe pacis, cardinales ad papam redierunt. Habito enim papali priuilegio, multos in Anglia clericos[7] citauit vt ad ipsum venire non differrent; ac etiam sub ordinis sui et beneficii periculo nonnulla precepit: sed non paruerunt illi. Vnde appellationi non deferens[8] illos publice excommunicauit. Quosdam quasi inuasores, quosdam quasi rerum ecclesiasticarum violentes detentores; quosdam etiam episcopos excommunicauit propter inobedientiam manifestam, et maxime quia inter regem et ipsum totius dissentionis incentores[9] extiterant, quam et fouere non desistebant. Multos quoque alios, clericos et laicos, ob diuersas offensas publice et nominatim excommunicauit, adeo vt in capella regis vix esset nisi ex-

[1] om. in T. [2] *al.* martyri. [3] E. moratur. [4] E. si et. [5] om. in E. [6] contra eos om. in T. [7] *al.* aulicos clericos. [8] E. differens. [9] E. intentores.

communicatus nomine vel participio. Vnde turbatus cum suis nimium rex, cum omni festinatione ad papam nuncios mittit. Misit quoque rex Francorum ad summum pontificem et ad familiares suos cardinales, mandans quod qui archiepiscopum tangeret, pupillam tangeret oculi sui; super omnia vero rogabat ne dominus papa solueret quos tam sanctus archiepiscopus tam iuste ligasset. Scripsit quoque dominus papa Francorum regi, mandans et rogans vt pacis mediatorem se interponeret benignum. Vnde et ad pleraque colloquia inter ipsum et regem, archiepiscopum vocauit. Vnde semel se ad pedes regis Anglie procidit, dicens: 'Domine rex, totam causam vnde inter nos orta est dissentio, tuo committo arbitrio, saluo honore dei.' Tali adiectione audita rex vehementer scandalizatus, multis improperiis et obpropriis ipsum affecit, arguens eum tanquam superbum, et regie munificentie immemorem et ingratum; et ait regi Francie: 'Quicquid isti displicuerit, dicit honori dei esse contrarium, et sic sua et mea omnia sibi vendicabit. Sed ne videar honori dei vel sibi in aliquo velle resistere, hec offero: Que antecessorum [suorum][1] maior et sanctior fecit antecessorum meorum minimo, hec mihi faciat, et quiesco.' Acclamatur vndique: 'Satis rex se humiliat.' 'Domine archiepiscope, inquit rex Francie, vis maior esse sanctis viris, vel melior Petro? Quid dubitas? Ecce pax pre foribus.' Archiepiscopus respondit: 'Sancti predecessores[2] mei temporibus suis, etsi non omnia se aduersus deum extollentia, quedam tamen resecarunt—nam si omnia radicitus extirpassent, quis nunc aduersum nos ignem temptationis excitaret? Multo melius deo volente nobis est vt, sicut in eorum numero et sorte laborauimus, ita et illorum laboris et premii participes simus. Nec[3] si quis eorum tepuit vel excessit in aliquo, eius in hoc teporis vel excessus exemplum sequi tenemur. Petrum etenim Christum negantem arguimus, sed vsque ad capitis sui periculum Neronis impetum arguentem commendamus. Ex multis pressuris surrexit et creuit ecclesia. Patres nostri passi sunt quia noluerunt Christi nomen subticere, et ego, vt hominis mihi gratia restituatur, Christi honorem deberem supprimere? Absit, ait, absit.' Insurrexerunt ergo in eum omnes magnates, imputantes arrogantie archiepiscopi impedimentum pacis; vno comite palam protestante quod 'quia vtriusque regni consilio et voluntati resistit, decetero neutrius dignus erit auxilio, sed eiectum ab Anglia non recipiat Francia.' Soluto itaque concilio[4], insalutato archiepiscopo reges recesserunt; et qui pacis mediatores extiterant, in recessu multa etiam in facie viro dei obiecerunt: quod semper fuerat superbus, elatus, sapiens in oculis suis, proprie semper sectator voluntatis et sententie; adiicientes, grande fuisse malum et enorme ecclesie dampnum, quod ipse vnquam rector fuerat constitutus, et quod per

[1] om. in E. [2] E. predecessoris. [3] T. Ne. [4] E. consilio.

ipsum iam ex parte destructa, penitus cito destrueretur ecclesia. Sed vir dei ponens ori suo custodiam, siluit, tanquam non audiret: et regem Francie cum suis sequutus est. Plurimi vero in itinere dixerunt: 'Ecce archiepiscopus qui in hesterno colloquio deum propter reges negare noluit nec dei honorem subticere.' Cum vero archiepiscopus cum suis Senonis esset, et quo diuertere posset quereret, tandem subintulit: 'Potens est deus [et] in vltimo miserie articulo suis adesse, et infideli deterior est qui de dei desperat misericordia.' Et statim accessit seruiens[1] regis Francie, qui dixit: 'Dominus rex ad curiam vocat vos.' Ad hec vnus clericorum dixit: 'Vt eiiciamur[2] a regno.' 'Non es[3], inquit archiepiscopus, propheta, neque filius prophete; noli vaticinari sinistra.' Venientes ergo inuenerunt dominum regem cum tristi vultu sedentem, et non assurgentem de more archiepiscopo. Considentibus illis et adhuc tepide vocatis; facto silentio, et inclinato capite quasi dolens et inuitus cogitaret rex vt eos de regno eiiceret, subito obortis[4] lachrimis prosiliens cum singultu proiecit se ad pedes archiepiscopi, dicens: 'Vere, pater mi, tu solus vidisti; nos omnes ceci fuimus, qui contra deum tibi dedimus consilium vt in causa tua, immo dei, ad nutum hominis honorem [dei][5] rennueres[6]. Ignosce ergo, quia grauiter peniteo; et ab hac culpa me miserum absolue. Sed et deo et tibi me ipsum et regnum meum expono, et ab hac hora promitto quod tibi vel tuis non deero, quamdiu (omnipotenti)[7] deo auctore vixero.' Absoluto itaque rege dataque ei benedictione, archiepiscopus ad hospitium suum regressus est. Post hec vero coronatus est Henricus filius Henrici, viuente patre, ab archiepiscopo eboracensi, in preiudicium archiepiscopi cantuariensis, et contra inhibitionem papalem, eis antea directam. Vnde Francorum rex papam sollicitauit, in virtute amoris et sub impensi protestatione obsequii, ne vlterius dilationes frustratorias prorogaret, sicut regnum Francorum diligebat et honorem apostolice sedis. Archiepiscopus quoque senonensis a papa impetrauit vt rex Anglorum, omni appellatione cessante, subiiceretur anathemati, et regnum inderdicto, nisi cantuariensi ecclesie pax redderetur. Misit quoque papa eboracensi archiepiscopo et aliis episcopis qui coronationi interfuerunt, litteras suspensionis. Quosdam etiam episcoporum, quia coronationi interfuerunt, et ob alias causas, excommunicauit. Et has litteras beato Thome destinauit, vt illis loco suo et tempore vteretur. Videns itaque rex in arcto se positum, promisit certissime pacem. Reformataque per mediatores pace, rex et archiepiscopus soli duo seorsum in equis in quadam planicie diuerterunt, secretius colloquentes. Vbi archiepiscopus inter alia regi supplicauit vt iniuriam quam sibi et ecclesie sue suffraganei sui vna cum eboracensi archi-

[1] E. seruus; T. Ta. seruiens. [2] E eiiciam. [3] T. est. [4] T. E. abortis. [5] om. in E. [6] om. in T. Ta. Q. [7] *al.* remitteres.

episcopo in coronatione filii sui fecerant, secundum censuram ecclesiasticam sine ipsius offensa punire sibi liceret. Et annuit rex. Vnde archiepiscopus, gratias agens, confestim in oculis omnium descendit et humiliter ad pedes regis se inclinauit. Cum ergo archiepiscopus equum reascenderet, rex ascendenti ascensorium aptauit et tenuit. Et addidit: 'Optas (enim)[1], vt dicis, in Gallias redire: sed arbitror expedire tibi mecum aliquot dies commorari, vt palam videatur quod nondum estimatur. Sciunt omnes inimicitias nostras: pax inita paucis innotescit.' 'Ingratus, inquit archiepiscopus, non immerito reputabor, si benefactoribus meis vel vale non fecero. Ibo et reuertar.' Et amicabiliter ab inuicem recesserunt. Et quoniam rex pepigerat quedam predia[2] cantuariensis ecclesie episcopo reddere, misit quosdam ad regem, qui super promissa restitutione eum conuenirent. Quod cum aliquamdiu distulisset, tandem ad magistrum Iohannem saresburiensem, postea carnotensem episcopum, dixit: 'O Iohannes, inquit, nullatenus vobis que petitis faciam, nisi videro prius vos aliter gerere erga me quam hucusque gessistis.' Et sic infecto negotio redierunt. Audiens autem rex archiepiscopi post hec aduentum, quosdam de aulicis in occursum eius premisit, et demum ipsemet ciuitatem Turonis exiit et occurrit: nec tamen nocte illa rex archiepiscopum in hospitio suo respexit, nec suorum aliquis. Quin potius rex summo mane missam celebrari fecit pro defunctis, suspicans, vt dicebatur, [ne][3] si forte alii misse interesset archiepiscopus, osculum pacis sibi[4] offerret, quod ibi negare non esset christiani, sed plane inimici Christi. Petita post missam predictorum prediorum restitutione, iterum restitutio certissime repromissa est. Volebat tamen rex vt prius ad ecclesiam suam reuerteretur, qualem se in regno exhiberet, scire desiderans. Cum tandem vir dei ad mare descendisset, occurrit ei decanus Bolonie, asserens ex parte comitis Bolonie quia parati erant in Anglia qui querebant animam eius, portus obsidentes, vt exeuntem a naui rapiant et trucident vel vincularent (!). Cui archiepiscopus ait: 'Crede, fili, nec[5] si membratim discerpendus sim, ab incepto itinere desistam. Sufficiat dominicum gregem pastoris sui absentiam luxisse septennem.' Dum hec diceret, ecce nauis ab Anglia ad portum venit; cuius nauta sociis archiepiscopi dixit: 'Miseri, quid queritis? quid agitis? quo properatis? Certe in mortem vestram. Conuenerunt in portu milites multi, vt in archiepiscopum et suos, statim cum applicuerint, manus iniiciant.' Quo audito, ait archiepiscopus: 'Terram Anglie video, et fauente domino terram intrabo; sciens tamen certissime quod ibi mihi immineat passio.' Hoc dicto, nauem intrauit, et prospere apud Sandwicum[6] applicuit. Et statim milites, in alio portu eius aduentum audientes,

[1] om. in T. [2] E. predia quedam. [3] om. [4] E. sibi pacis. [5] T. ne. [6] T. sandicum.

illuc properabant. Et vix salutato archiepiscopo, sciscitabantur quare [in][1] ingressu suo episcopos regis excommunicasset et suspendisset. Miserat enim ante aduentum suum clericos suos cum bullis, qui episcopos cum clericis, prout supra exprimitur, excommunicarunt et suspenderunt. Archiepiscopus vero mansuete respondit: regem non propter hoc offensum[2], nec se quicquam contra regem vel regnum fecisse; sed de ipsius regis permissione sic factum esse, vt iniuria quam episcopi in coronatione filii regis ecclesie sue fecerant, non remaneret impunita. Hiis auditis, modestius loquuti sunt; instanter tamen postulantes vt episcopos excommunicatos absolueret et suspensos. Quod archiepiscopus ad consilium distulit, donec in crastino Cantuariam veniret. In crastino prefati milites cum clericis trium episcoporum ad archiepiscopum venientes, nomine episcoporum absolutionem postularunt. Respondit vir dei: episcopos auctoritate pape excommunicatos, nec ipsius esse a tanto iudice ligatos absoluere. Cum vero vrgentissime instarent, dixit archiepiscopus quod de domini pape clementia confisus, pro bono pacis in hoc articulo vsurparet que domini pape erant, prestita tamen cautione vt ecclesie iuditio parerent: alioquin se hoc facturum nullatenus, precise[3] respondit. Hoc illi audientes, indignanter recesserunt, et multa in superbia et abusione loquuti sunt. Archiepiscopus autem eboracensis londoniensem et saresburiensem sic commouit vt mare transfretantes regem adirent: et querulo sermone mox enarrarunt quam precipitanter, temere et superbe archiepiscopus in aduentus sui initio regnum perturbauerit et sacerdotium, pace regia sibi concessa abutens. Cumque in multis virum dei accusassent, ait rex: 'Si omnes excommunicationi subiacent coronationi filii mei consentientes, ego, per oculos dei, non excludor.' Qualiter enim et quantum rex commotus, immo in quantum furorem per illos et complices suos conuersus fuerit, ordo sequentis historie declarabit. Veniens itaque Cantuariam archiepiscopus, et honorifice ab omnibus susceptus, preparabat se alumpnum suum puerum videre regem, et postea prouintiam a qua tam diu absens fuerat circuire. Et ecce cum in itinere esset, regis iunioris nuncii, ex nomine regis ne procederet inhibentes, ad[4] ecclesiam suam eum redire precipiebant. Quibus vir sanctus mox respondit se nullatenus propter inhibitionem hanc regressurum, nisi quia tunc solennis natalis domini vrgebat dies, quo ecclesie sue abesse noluit: et ita reuersus est. Die vero natalis domini, qui ab aduentu suo in Angliam vicesimus septimus erat, archiepiscopus sermonem fecit ad populum et quod instaret tempus dissolutionis sue et in breui migraret ab eis predixit, et nominatim ceruicosos terre et plerosque de aulicis, necnon Ranulphum de Brok et Robertum de Brok, qui iumentum archiepiscopi mutilauerant, perpetuo anathemati tradidit.

[1] om. in E. [2] *al.* offensurum. [3] T. prescise. [4] T. set ad.

Cuius vero efficatie fuerat in Roberto sententia, postea clarum fuit. Cum enim in domo sua, quam de nemoribus archiepiscopi passim succisis in Cantuaria construxerat, conuiuium fecisset, canes panem, quem manus eius contrectauerant[1], recusabant, qui de manibus aliorum auide sumebant. Mirantibus cunctis et reliquias eius fragmentis aliorum commiscentibus, ab vtrisque visi sunt canes abstinere. Rex vero a tribus episcopis, vt premittitur, in furorem accensus, manifeste coram omnibus de archiepiscopo tanquam de hoste conquestus est, et sepe omnes quos nutrierat et beneficia contulerat maledixit qui[2] ipsum de sacerdote vno non vindicarent[3], qui ipsum et regnum suum sic perturbabat et suis dignitatibus ipsum exheredare querebat. Et adiecit: 'Vnus homo qui manducauit panem meum, leuauit contra me calcaneum suum. Vnus homo (profecto)[4] beneficiis meis insultat et totum genus regium dehonestat, totum sine vindice regnum conculcat.' Quod cum sepius in furore replicaret, quatuor milites aulici, dicentis votum concipientes, in archiepiscopi necem conspirauerunt. *Hii autem fuerunt:* Reginaldus filius Vrsi, Hugo de Moreuilla, Willelmus Traci, et Richardus Brito. Transeuntes autem isti quatuor prospere mare, Cantuariam in festo Innocentium, sola arma portantes, cum complicibus suis intrauerunt. Quinto igitur natalis die, sedente archiepiscopo in thalamo suo circa horam vndecimam, ecce quatuor milites predicti ad archiepiscopum ingressi sunt. Et considentes ante pedes eius in terra nec ipsum salutantes, et aliquantulum cum silentio sedentes; Reginaldus tandem filius Vrsi sic sanctum affatus est: 'A domino nostro rege de transmarinis partibus ad te directi, regia tibi mandata deferimus: vt ad filium suum regem pergas, facturus ei quod domino et regi facere debes, fidelitatemque ei interposito iuramento facias, et quod in regiam peccasti maiestatem emendes.' Et ille: 'Vnde ei fidelitatem tactis sacrosanctis[5] debeo confirmare, aut in quo maiestatis regie reus effectus sum?' Ille ait: 'De baronia exigitur a te cum iuramento fidelitas; et de clericis quos in terram adduxisti, si in terra remanere voluerint[6], securitatis iuramentum exigitur.' Vir dei respondit: 'De baronia domino regi quicquid ius vel ratio dictauerit, facere paratus sum. Verum pro certo teneat quod nec a me nec a clericis meis iuramentum aliquod poterit extorquere.' 'Intelligimus[7], inquit miles, quod nihil horum que proposuimus tibi, facturus sis. Preterea precipit[8] tibi dominus rex vt episcopos sine eius licentia excommunicatos absoluas.' Et ille: 'Episcopos enim non ego, sed dominus papa, cui data est potestas a domino, excommunicauit. Si enim ecclesie mee illatam iniuriam vindicauerit, fateor non mihi displicere.' 'Ex quo,

[1] E. contractauerant. [2] T. quoniam? *al.* quod. [3] T. vindicaret. [4] om. in T. [5] Ta. sacr. euangeliis. [6] E. noluerint. [7] T. Intellimus. [8] E. precepit.

inquit miles, in despectum regis talia tibi placent, credibile satis est quod coronam suam velis surripere, et rex nominari et esse: sed vsque ad regie dignitatis nomen reuera non proficies!' Vir dei ait: 'Nequaquam ad regis nomen aspiro, immo tres coronas, si mihi data esset facultas, annecterem corone sue.' Tandem vero post verba conuersi sunt milites ad monachos, dicentes: 'Ex parte domini regis vobis precipimus vt hunc hominem diligenter custodiatis, et cum placuerit, illum regi presentetis.' Archiepiscopus ait: 'Numquid me fuga labi velle putatis? Neque pro rege neque pro aliquo viuente fugam inibo. Non veni vt fugerem, sed vt impiorum rabiem et maliciam expectarem.' 'Vere, inquiunt, non effugies!' Illis itaque in tumultu et minis egredientibus, magister Iohannes de Saresburi dixit: 'Domine, res nimis admirabilis est quod nullius consilium admittis. Nonne sanctius[1] esset, mitius eis dedisse responsum?' Et ille: 'Consilium iam totum reuera acceptum est. Noui satis quid agere debeam.' Et ille: 'Vtinam annuente deo bonum sit!' Egressis igitur militibus, et armantibus se, intrant aliqui ad virum dei, dicentes: 'Domine, armant se!' Et ille: 'Que cura? sinite armare.' Cumque milites armati cum multis curiam archiepiscopi intrassent, vndique acclamatum est vt fugeret. Sed ille nec loco nec animo motus est, sed sedebat intrepidus: sed tandem monachi (licet inuitum) traxerunt eum ad ecclesiam. Audito autem armatorum aduentu, quidam ex fratribus ad vesperas persistebant, quidam timentes diuerticula petebant, quidam subuenire volentes ad virum dei veniebant. Quibus et ait: 'Ite et diuine seruitutis pensum explete.' Subsistens autem vir sanctus ad ostium, dixit: 'Quamdiu, inquit, tenebitis introitum, non introibo.' Et stans in limine et videns populares quasi ad spectaculum circa se constipatos, dixit: 'Quidnam metuit gens ista?' Responsum est: 'Armatos in claustro.' 'Ad ipsos (autem)[2], ait (archiepiscopus)[2], exeo.' Prohibentibus eum fratribus exire, cepit circa limen obuersari; et cum procedere moneretur et ad sancta sanctorum se conferre, vt defer[re]tur[3] ei ex reuerentia loci, non acquieuit. Tumultuantibus interim clericis et monachis et vectem ferreum obducentibus, vir sanctus ait: 'Abite, pusillanimes; sinite miseros et cecos delirare. Precipimus in virtute obedientie ne ostium claudatis: non enim decet ecclesiam incastellari.' Omissis interim vesperis accurrunt monachi, et pastorem, licet inuitum et renitentem, clausis ecclesie valuis introducunt. Sed regressus quantotius increpabat eos dicens: 'Dimittite[4] meos intrare;' et accurrens[5] ostium apperuit et suos qui deforis erant manibus suis trahebat in ecclesiam, dicens: 'Intrate citius.' Tandem a suis inde violenter abstractus, ostia patefacta reliquit. Valuis igitur apertis, milites perscrutato palatio per claustra ruunt, et gladios in

[1] *al.* satius. [2] om. in T. [3] E. defertur. [4] E. Dimitte. [5] *al.* occ.

manibus vibrant ; alii ‘ Vbi est proditor ?’, alii ‘ Vbi est archiepiscopus ?’ acclamabant. Et occurrit illis vir sanctus, dicens : ‘ Ecce ego, non proditor, sed archiepiscopus.’ Et accedens primus illorum, dixit sancto : ‘ Fuge : mortuus es.’ Et ille : ‘ Nequaquam fugiam[1].’ Et iniecta in virum dei manu, pilleumque mucrone deiiciens, dixit : ‘ Veni huc : captus es.’ Sanctus ait : ‘ Non veniam : hic mihi facietis quicquid facere vultis,’ palliumque de manu eius excussit. Quibus verbis miles repercussus, duos vel tres passus resiliit. Et ad alium militem conuersus, dixit : ‘ Quid est hoc, Reginalde ? Multa tibi contuli beneficia : et ad me armatus in ecclesiam accedis ?’ Cui ille : ‘ Iam scies : mortuus es. Impossibile est enim vt amplius viuas.’ Cui sanctus ait : ‘ Et ego pro deo meo mori paratus sum, et pro assertione iusticie et ecclesie libertate. Sed si caput meum queritis, prohibeo ex parte dei omnipotentis, et sub anathemate, ne alicui, minori vel maiori, in aliquo noceatis, sed sint immunes a pena sicut extiterunt a causa. Mortem enim libenter amplector, dummodo ecclesia in effusione sanguinis mei pacem consequatur et libertatem.’ Alterum etiam militem mox manu apprehendens, per loricam tam valide excussit quod ipsum fere vsque ad pauimentum prostrauit. Willelmus de Traci erat hic, sicut postea confessus est. Et inclinauit vir dei caput in modum orantis, hec nouissima proferens verba : ‘ Deo, et beate Marie, et sanctis huius ecclesie patronis, et beato Dionisio commendo meipsum et ecclesie causam.’ Accelerans ergo Reginaldus et toto conamine capiti protenso vulnus inferre nitens, clerico cuidam, Edwardo de Cantebirgia[2] dicto, brachium gladio opponenti, graue vulnus inflixit. Verumptamen cum pondus ictus sustinere non posset, brachium retraxit, et reliquum ictus caput recepit viri dei : et sanguis cepit manare per faciem. Et exclamauit percussor ille : ‘ Percutite, percutite ! ’ Et attollens sanctus in celum oculos, genu flexo iunctisque manibus[3], ante altare obtulit seipsum hostiam viuam deo. Secundo vero vulnere capiti eius inflicto, recto corpore quasi ad orationem prostratus in terram corruit. Tertius vero teste portionem amputando, vulnus precedens horribiliter ampliauit. Quartus, cum ferire tardaret, correptus, in idem vulnus gladium vibrauit, gladioque in pauimento marmoreo confracto, tam cuspidem quam gladii capulum reliquit ecclesie. Nec sathane filio tantum suffecit perpetrasse flagitium, nisi, quod dictu horribile est, iniecto in caput gladio, cerebrum eiiceret et per pauimentum spargens exclamaret : ‘ Mortuus est.’ Et exeuntes dixerunt : ‘ Regales milites, regales milites ! ’ Alii vero insultabant dicentes : ‘ Voluit esse rex, voluit esse plus quam rex : modo sit rex, modo sit rex.’ Ab hora vero qua vir dei primum vulnus excepit, nec verbum protulit, nec clamorem emisit, nec gemitum edidit, nec manum ferienti opposuit : sed caput

[1] E. fugeam. [2] E. cantibirgia ; *al.* Cantebrige. [3] E. manibusque iunctis.

inclinatum, donec consummaretur, immobile tenuit. Et sic athleta dei quarto kal. Ianuarii a seculo migrans, victor celos intrauit. Exeuntes vero milites, equos, aurum et argentum, et quicquid in palatio archiepiscopi repertum est, inter se diuiserunt. Scripta quoque et priuilegia Ranulpho de Brok tradita sunt ad regem deferenda. Cum autem duo viderent cilicia, consternati sunt et stupefacti, quod tam euidens obumbrate religionis cernerent argumentum. Exuentes autem monachi sanctum martirem vestibus suis, corpus eius cilicio inuolutum, ipsa etiam femoralia vsque ad poplites cilicina, habitumque superinductum monachalem, staminam videlicet et cucullam, repererunt[1]. Passus est autem anno gratie millesimo centesimo septuagesimo, vite vero sue anno quinquagesimo tercio.——

(Ex legenda sanctorum)[2]: Sacerdos quidam de beata virgine quotidie celebrabat, qui archiepiscopo accusatus, ab eo accersitur, et tanquam ydiota[3] et inscius ab officio suspenditur. Cum autem beatus Thomas cilicium suum suere deberet, et sub lecto ipsum abscondisset vt[4] ad suendum horam captaret[5], beata Maria sacerdoti apparuit, dicens: 'Vade ad archiepiscopum, eique dicas quod illa cuius amore missas dicebas, eius cilicium quod [est][6] in tali loco consuit, et setam[7] rubeam, de qua illud consuit, ibidem reliquit. Illa igitur mandat sibi quod interdictum quod tibi fecerat debeat relaxare.' Quod ille audiens, et ita inueniens, obstupuit, et interdictum relaxans sacerdotem hoc habere secretum precepit. Quedam domina de Anglia varios oculos habere, ob lasciuiam et maiorem pulchritudinem affectabat: super quo votum vouens, nudis pedibus sepulchrum beati Thome visitauit. Que cum in oratione prostrata esset, surgens inuenit se penitus excecatam. Statimque penitens, cepit rogare beatum Thomam vt iam non varios, sed saltem suos sibi redderet. Quod tandem cum multa difficultate vix valuit obtinere. Auis quedam docta loqui, cum nisus eam insequeretur, sicut didicerat cepit clamare: 'Sancte Thoma, adiuua me.' Et statim nisus cecidit mortuus, et illa euasit. Quidam quem sanctus Thomas valde dilexerat, cum grauiter infirmaretur, iuit ad eius tumbam et pro salute[8] rogauit: et ad libitum impetrauit. Sed dum sanus rediret, cepit cogitare[9] quod illa sanitas anime sue forsitan non expediret: vnde iterum rediens ad sepulchrum, orauit vt, si non esset vtile anime sue, continuo infirmitas ipsa rediret: statimque infirmitas rediit sicut prius. In eius autem interfectores in tantum vltio diuina desecuit, vt alii digitos dentibus frustatim[10] discerpentes, alii

[1] T. E. repperierunt. [2] Ex leg. sanctorum om. in T.; Ta. Narratio. From Leg. Aurea, p. 68. [3] E. ydeota. [4] T. et; E. vt. [5] LA. aptaret. [6] om. in E. [7] T. E. cetam. [8] LA. sanitate sua. [9] E. cogitare cepit. [10] T. frustratim.

sanie defluentes, alii paralisi dissoluti, alii amentes effecti, miserabiliter interirent.—De isto quoque martire quidam sic scripserunt:

Pro Christi sponsa Christi sub tempore Christi
In templo Christi verus amator obit.—
Anno milleno centeno septuageno
Anglorum primas corruit ense Thomas.—
'Quis moritur?' presul. 'Cur?' pro grege. 'Qualiter?' ense.
'Quando?' natali. 'Quis locus?' ara dei.—

[1] Cum autem audisset rex Anglorum gladiis suorum occubuisse beatum Thomam, misit duos clericos literas ferentes, qui Cantuariam venientes congregatis fratribus dixerunt: 'Infortunium, fratres, quod penes vos[2] accidit, adeo dominum regem contristauit, vt ab introitu ecclesie per triduum abstinuerit, cibum per tres dies preter lac amigdalorum[3] non sumpserit, consolationem non admiserit, in publicum non prodierit; sciens in suam redundare infamiam quod suorum seuitia actum est. Vnum est quod mordet [eum][4] conscientia[5]: cum enim omnes qui coronationi[6] filii interfuerunt excommunicatos accepisset, dolorem suum dissimulare[7] non poterat, sed suis querimoniam deposuit; qui eius compassi dolori, eo nesciente a curia latenter recesserunt. Quod cum audisset, euestigio misit qui portus preoccupantes illorum insaniam prohiberent: sed illi citius mare transeuntes, facinus tam horrendum expleuerunt. Si enim quicquam culpe contraxerit in eo quod aliquid dixisse videretur quod eos ad facinus inuitauerit, vestris orationibus conuenit expiari. Et nunc corpus iubet honeste tradi sepulture; non enim persequitur mortuum, quamuis viuentem habuerat infestum.' Heraclius patriarcha hierosolimitanus, Angliam veniens, talem referebat visionem: Cum enim in cenobio quodam terre sancte frater quidam infirmaretur, rogauit eum abbas vt post mortem suam de statu suo eum certificaret. Annuit frater, et obiit. Infra paucos vero dies reuersus, se dei frui visione, et eterne salutis premium sibi donatum, nunciauit. 'Et vt certissime, inquit, scias in nullo hesitans, scito quia cum egressus a corpore ab angelis statim deportatus fui in celum, et[8] venit magnus quidam cum processione ineffabiliter admiranda, sequente ipsum quam nemo dinumerare poterat angelorum multitudine, patriarcharum et prophetarum laudabili numero, cum glorioso apostolorum choro, et innumerabili sanctorum martirum purpurato, et candidato confessorum, exercitu. Stabat autem ille ante dominum quasi martir, toto lacerato[9] capite, cruore (vt videbatur) per vulnerum rimas distillante. Cui dominus ait: "Thoma, sic decet te intrare

[1] From the Quadrilogus: De gestis post martyrium. [2] E. nos. [3] Ta. amigdalarum. [4] om in E. [5] Ta. conscientiam. [6] E. Ta. coronationem. [7] E. dissimilare. [8] *al.* om. [9] Q. lacero.

curiam domini tui." Et adiecit: "Quantam gloriam donaui Petro, nec tibi minorem dabo." Et accepit dominus mire magnitudinis coronam auream et capiti eius dilacerato imposuit.' Et addidit frater: 'Scito igitur certissime quod Thomas cantuariensis antistes hiis diebus occisus est. Tu vero dicta mea nota, et signa tempora.' Et hiis dictis disparuit: et abbas Heraclio patriarche, qui hec in Anglia retulit, per ordinem enarrauit.

Sanctus quoque Thomas in exilio adhuc positus talem visionem vidit: 'Aspiciebam, inquit, in visu noctis: et ecce supra montem valde excelsum eram, et dominus rex Anglorum in infimo deorsum: et ecce subito vniuerse celi volucres aduersum regem conuenerunt, ipsum cum vnguibus suis et rostris subito et cito alarum suarum impetu [1] quasi turbinis vehementis spiritu impetentes. Singula mihi visa erant ibi volucrum genera, maxime que ex raptu viuunt, regem in genere suo impetentia. Cuius vestimentis per volucrum vngues et rostra confestim dilaceratis, rex sola camisia vix coopertus quasi nudus volucribus expositus est, et impetum auium sustinere non valens hinc inde impellebatur. Erat autem a tergo regis quoddam precipitium profundissimum et teterrimum, sibi improuisum. Cum autem appropinquasset rex precipitio ab impetentium ui se trahens, vnus de aulicis, quem rex honoribus et diuitiis inter regni primos erexerat et quasi seipsum dilexerat, in volucrum accessit adiutorium: camisia qua amictus erat rex, spoliare violenter attemptans, cum auibus regem cepit [2] pellere in precipitium. Commota [3] sunt enim viscera mea super rege, nec potui in offensa hac miserationes meas continere: quin de montis vertice in ictu oculi descendi et framea longa et acutissima vniuersas celi volucres dissipaui et dispersi, et regem vestibus suis regalibus decenter indui, et aulicum illum qui in auxilium volucrum venerat, acriter obiurgaui.' Rex autem Henricus per quadraginta dies audita Thome nece sedit merens, et acerbiorem multo plus quam mortuorum fecit luctum: lugentium cibos comedit, equum non ascendit; nulla causa, nulla consultatio, nulla querela ingrediebatur ad eum. Sedebat solitarius, ingemiscens et dolens, sepius hoc iterans: 'Heu, heu, accidisse sic!' Et statim nuncios ad papam Alexandrum misit, et humiliter in quo excessit confessus est. Verum quia confessio per scripta fieri nequaquam solet, missi sunt duo cardinales, qui excommunicatos absoluerent et regis salati prouiderent. In quorum presentia rex tactis euangeliis iurauit quod neque mandauit neque voluit quod archiepiscopus interficeretur, et quod audita morte eius plus doluit quam letatus est. Et addidit ex propria voluntate quod de morte patris vel matris sue nunquam tantum doluit. Iurauit etiam quod quamcunque penitentiam ei cardinales iniungerent, plenarie exequeretur. Dicebat

[1] *al.* om. [2] E. cepit regem. [3] E. conmota.

enim palam quod causa esset mortis archiepiscopi, et quicquid factum fuit propter eum factum esset; non quod ipse mandauerit, sed [1] familiares eius, videntes turbationem, iniuriam eius vindicabant. Tunc iniunctum est ei a legatis quod inueniret ducentos milites per annum integrum sumptibus suis in terra Hierosolimorum, vnicuique militi trecentos aureos assignando. Secundo: quod praua statuta de Clarendon̄, et omnes malas consuetudines [2] in ecclesiis diebus suis introductas dimitteret, et que male ante tempus suum [fuerunt] [3], iuxta mandata domini pape et religiosorum virorum consilia temperaret. Tertio: quod ecclesie cantuariensi in terris et aliis cuncta [4] restitueret, et quod omnibus quibus propter archiepiscopum fuerat offensus, pacem et amorem ac possessiones redderet. Quarto: quod, si dominus papa ei mandaret, iret [5] in Hispanias ab liberandam terram de manibus paganorum. Iniunxerunt ei secretius ieiunia et elemosinas, et alia quedam. Ad hec omnia rex benigne assensum prebuit, ita vt palam diceret: 'Ecce, domini legati, corpus meum in manu vestra est: quicquid enim iusseritis [6] paratus sum facere.' Vnde multi, eius humilitatem videntes et deuotionem, vix poterant lachrimas continere. Deduxerunt eum legati extra ostium ecclesie: et ibi flexis genibus absolutus, in ecclesiam introductus est. Iurauit autem rex Henricus filius suus, si pater suus decederet, se omnia [7] predicta obseruaturum. Elapsis autem post hec quinque annis, filius suus Henricus, inito cum rege Francorum federe, aduersus patrem intestina bella mouit. Vnde pater quasi in desperatione positus, mare transiuit: et vt cantuariensem ecclesiam vidit, mox incredibiliter humiliatus, nudis pedibus et preter tunicam quandam vilem nudato toto corpore, palam ciuitatem intrauit, cum suspiriis et gemitibus tumbam martiris adiit, et tota die et nocte ieiunus [8] et peruigil ante martirem pernoctauit: et ibidem a singulis fratribus quadraginta percussiones disciplinalis virge accepit. Eadem quoque die rex Scotorum captus est sine pugna casu fortuito, ab exercitu suo parum digressus. Videntes autem alii tam subito cum rege manum domini validam, siluerunt vniuersi. Cum enim sanctus Thomas Senonis esset post nocturnum officium subito cogitans de rege et filiis eius, et potissime de primogenito eius, et de quodam alio de quo postea nesciebat an de Richardo an de Galfrido fratre eius [9]: Et cum aliquamdiu de hiis cogitaret, dispositiones altissimi super illos scire desiderans, ecce [10] facta est [11] vox ad eum sic dicens: 'Mors tulit vna duos, tulit altera, sed male, patrem.' Vnde et cras hoc referens addidit: 'Proch dolor, Henricus noster, antequam pater vel fratres sui, morietur.' Et factum est ita: vna cum Galfrido

[1] Q. sed quod. [2] om. in T. [3] om. in T. E. [4] om. in Ta. [5] T. quod iret. [6] E. miseritis. [7] T. singula; E. se omnia. [8] E. ieiuniis. [9] add: somno indulgere non potuit, cf. Q. [10] T. Et ecce. [11] om. in T.

frat[er] su[us] [1] morbo dissenterio, pater vero quasi morte subitanea [periit] [2].

[Ms. T. and Ta. add:

CONsuetudines autem subsequentes recitauit sanctus Thomas Cantuariensis coram papa Alexandro; quarum aliquas dampnauit, aliquas uero tollerauit [3].

Dampnauit [4]: De aduocacione et presentacione ecclesiarum si controuersia emerserit inter laicos [5] uel inter clericos, in curia domini regis tractetur et terminetur. *Tollerauit:* Ecclesie de feudo regis non possunt imperpetuum dari absque consensu ipsius. *Dampnauit:* Clerici accusati de quacunque re, summoniti a iusticia regis uenient in curiam ipsius responsuri de hoc ibidem [6], et in curia ecclesie unde uidebitur quod sit ibi respondendum, ita quod iusticia regis mittet in curiam sancte ecclesie ad uidendum qua racione res ibi tractabitur. Et si clericus conuictus uel confessus fuerit, de cetero non debet tueri eum ecclesia. *Dampnauit:* Archiepiscopis, episcopis et personis regni non licet exire de regno absque licencia regis; et si exire uoluerint, si regi placuerit assecurabunt quod nec in eundo nec in moram faciendo procurent malum uel dampnum regi uel regno. *Dampnauit:* Excommunicati non debent dare uadium ad remanens, nec prestare iuramentum, set tantum uadium et plegium standi iudicio ecclesie ut absoluantur. *Tollerauit:* Laici non debent accusari nisi per certos et legales accusatores et testes in presencia archiepiscopi uel episcopi, ita quod archidiaconus non perdat ius suum nec quicquam quod inde habeat; et si tales fuerint qui culpantur quod non uelit aut non audeat eos aliquis accusare, uicecomes requisitus de eo faciet iurare duodecim legales homines de uicineto seu de uilla coram episcopo quod inde ueritatem secundum conscienciam suam manifestabunt. *Dampnauit:* Nullus qui de rege teneat in capite uel aliquis dominicorum ministrorum regis excommunicetur uel terre eius sub [7] interdicto ponantur [8], nisi prius rex si in terra fuerit conueniatur, uel iusticia eius si extra regnum fuerit, ut rectum de ipso faciat; et ita ut quod pertinet ad curiam regiam ibidem terminetur, et de eo quod spectat ad ecclesiasticam curiam ad eandem mittatur ut ibidem terminetur. *Dampnauit:* De appellacionibus, si emerserint, ab archidiacono debent [9] procedere ad episcopum et ab episcopo ad archiepiscopum; et si archi-

[1] T. fratre suo; E. fratre suo Galfr.. [2] om. in E. [3] These 'Constitutions of Clarendon' are ed. in the Quadr. 1495, the Vita auct. Will. Cant. (Robertson I, p. 18), Lupus Epp. et Vita Th. p. 163, Roger Wendover. [4] So Ta; in T. these terms were on the margin. [5] *al.* add: uel inter laicos et clericos. [6] *al.* resp. ibidem de hoc unde uidebitur curie regis quod sit ibi respondendum, et in c. e. unde, etc. [7] T. Ta. uel certe sub eius. [8] Ta. ponatur. [9] T. Ta. non debent.

episcopus defuerit in iusticia exhibenda, postremo ad regem est perueniendum, ut precepto ipsius in curia archiepiscopi controuersia terminetur, ita quod non debet ulterius procedere absque assensu regis. *Dampnauit:* Si calumpnia emerserit inter clericum et laicum, uel econuerso, de ullo tenemento, quod clericus uelit ad elemosinam trahere, laicus uero ad laicum feodum, recognicione duodecim legalium hominum per capitalis iusticie regis consuetudinem uel consideracionem terminabitur utrum tenementum sit pertinens ad elemosinam siue ad laicum feodum coram ipsa iusticia regis. Et si recognitum fuerit ad elemosinam pertinere, placitum erit in curia ecclesiastica. Si uero ad laicum feodum, nisi ambo de eodem episcopo uel barone aduocauerint, in curia regis erit placitum. Set si ambo aduocauerint de feodo illo ad eundem episcopum uel baronem. erit placitum in curia ipsius. Ita quod propter factam recognicionem saisinam non amittat qui prius saisitus fuerat, donec per placitum disracionatum fuerit. *Dampnauit* [1]*:* Qui de ciuitate uel castello uel burgo uel dominico manerio regis fuerit, si ab archidiacono uel episcopo de aliquo delicto citatus fuerit unde debeat eis respondere, et ad citacionem eorum satisfacere noluerit, bene licet eum sub interdicto ponere, set non debet excommunicari [2] priusquam capitalis minister regis loci illius conueniatur ut iustificet eum ad satisfaccionem uenire. Et si minister regis inde defecerit, ipse erit in misericordia regis, et exinde poterit episcopus ipsum accusatum ecclesiastica iusticia cohercere. *Tollerauit:* Archiepiscopi, episcopi et uniuerse persone regni qui de rege tenent in capite habeant possessiones suas de rege sicut baroniam, et inde respondeant iusticiis regis et ministris et sequantur et faciant omnes consuetudines regias et rectitudines, et sicut ceteri barones debent esse [3] [in] [4] iudiciis curie regis cum baronibus, quousque perueniatur in iudicio ad diminucionem membrorum et mortem. *Dampnauit:* Cum uacauerit archiepiscopatus uel episcopatus uel abbacia uel prioratus de dominio regis, debet esse in manu regis et inde percipiet omnes exitus et redditus sicut dominicos. Et cum uentum fuerit ad consulendum ecclesie, debet dominus rex mandare pociores personas ecclesie, et in capella sua debet electio fieri assensu regis et consilio personarum regni quas ad hoc faciendum uocauerit. Et ibidem faciet electus homagium et fidelitatem domino regi sicut ligio domino suo de uita sua et membris et de honore suo terreno, saluo ordine suo, priusquam sit consecratus. [*Toll.:* [5]] Si quis de proceribus regni deforciauerit archiepiscopo uel episcopo uel archidiacono de se uel de suis iusticiam exhibere, rex debet iusticiare. Et si forte aliquis deforciauerit domino regi rectitudinem suam, archiepiscopi episcopi archidiaconi debent eum iustificare ut regi satisfaciat. [*Toll.:*]

[1] Ta. Tollerauit. [2] T. Ta. excommunicare. [3] *al.* interesse. [4] so Ta., *al.* om. [5] om.

Catalla eorum qui sunt in regis forisfaccione [1] non detineat ecclesia uel cimiteria contra iusticiam regis, quia ipsius regis sunt siue in ecclesiis siue extra fuerint inuenta. [*Damp.*:] Placita de debitis que fide interposita debeantur uel absque interposicione fidei, sint in curia regis. [*Toll.*:] Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini de cuius terra nati esse dinoscuntur.

[2] HEe sunt constituciones quas constituit rex Henricus in *Normannia* proscripto beato Thoma, et mandauit iusticiariis suis et omnibus principibus et populis Anglie iurandas et conseruandas contra papam Alexandrum et Thomam archiepiscopum. Si quis inuentus fuerit literas ferens domini pape uel aliquod mandatum archiepiscopi Thome continens interdictum christianis [3] in Anglia, capiatur et de eo sine dilacione iusticia fiat sicut de traditore regis et regni. Nullus clericus uel monachus uel laicus uel alicuius professionis homo permittatur transfretare uel redire in Angliam, nisi de transitu suo habeat literas iusticie uel de reditu suo literas domini regis. Si quis aliter inuentus fuerit agens, capiatur et incarceretur. Ne quis appellet ad papam uel ad archiepiscopum. Ne aliquod placitum teneatur de mandato domini pape uel archiepiscopi, nec aliquod mandatum eorum ab ullo homine accipiatur. Si quis aliter inuentus fuerit agens, capiatur et incarceretur. [4]Si episcopi uel clerici uel abbates uel laici interdicti sentenciam tenere uoluerint, sine dilacione de terra eiciantur et tota eorum cognacio, ita quod de catallis suis nichil secum ferant, set omnia in manu domini regis saisientur. Generaliter quoque interdictum est quod nullus ferat aliquod mandatum clerici uel laici ad papam uel ad archiepiscopum; si talis inuentus fuerit, incarceretur. Vt catalla omnium pape uel archiepiscopo fauencium, et omnes possessiones eorum et omnium eis pertinencium cuius[cun]que gradus uel ordinis uel sexus uel condicionis sint, capiantur et in dominio domini regis confiscantur [5]. Vt omnes [clerici] [6] qui redditus habent in Anglia sint summoniti per omnes comitatus ut infra tres menses ueniant in Angliam si redditus suos diligunt, et deinceps in Anglia remaneant; et si non uenerint ad prefixum terminum, redditus eorum in manu domini regis capiantur. Vt denarii beati Petri non reddantur ulterius pape, set diligenter colligantur et seruentur in thesauro domini regis, et expendantur ad eius preceptum [7].]

[1] *al.* forisfacto. [2] These New Constitutions are ed. in Quadr. 1495, in Vita Will. Cant. (Robertson I. 53, and Rog. Wendover. [3] *al* christianitatis. [4] The next two points *al.* transp. [5] *al.* confiscentur. [6] om.

[7] Ant. et Collect in T.:

Opem nobis o Thoma porrige: rege stantes, iacentes erige: mores, actus et uitam corrige, et in pacis nos uiam dirige, per.

Deus pro cuius ecclesia gloriosus pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit, presta quesumus ut omnes qui eius implorant auxilium, peticionis sue salutarem consequantur affectum, per.

[1]¶ De sancto[2] Thoma monacho a Gallis occiso.

CUm enim Gallorum classis valida armatorum manu repleta, ad infestandum Angliam siue potius subiugandum, iussu Ludouici[3] regis Francorum primogeniti, qui Angliam suo dominio, multorum terre nobilium promisso auxilio et fauore allectus[4] erat[5], Douoriam[6] applicuisset; villam et monachorum cenobium in ea constructum, de nauibus egressi, bonis omnibus spoliare ceperunt. Cumque monachi qui fugere poterant loca secura fuge presidio petissent, gens prede auida cenobium intrans, monachum quendam venerabilis senectutis virum, nomine Thomam, pium, modestum, bonis moribus, in sancta conuersatione monastica a pueritia nutritum, in dormitorio sedentem inuenerunt, qui nullo sociorum suasu induci poterat vt relicto monasterio fugiendo vitam saluaret. Et cum minis, terroribus, et blanditiis ad prodendum et propalandum thezaurum ecclesie, vasa et vestimenta et que preciosa erant, eum incitare niterentur, et ille nullo modo acquiesceret, verum de sacrilegio eorum, et ceteris flagitiis audacter et intrepide eos redarguendo corriperet; vehementer ira succensi, in christum domini[7] manum iniicientes, gladio vitam eius amputarunt, Nonis augusti, anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. Post eius transitum duo fratres germani, quorum alter precordialium passionibus nimis grauiter torquebatur, alter manum habebat ita contractam vt cuilibet operi inepta redderetur, [8]tumbam viri dei visitantes salutem reportarunt. Freneticum quendam sanauit; cecos quatuor illuminauit; surdo auditum tribuit; viros duos pedum ac manuum beneficio priuatos valitudini dedit; naues nonnullas maris tempestate periclitantes, sedatis ventis et commotione maris ad portum reduxit optatum; mortuos quinque resuscitauit; et alios nonnullos variis morbis oppressos salute gaudere fecit.

[MS. Tib. adds: *Narratio*[9].

Matrona quedam beato Gregorio singulis diebus panes offerebat. Qui cum post missarum solempnia corpus domini sibi offerret et diceret: 'Corpus domini nostri Ihesu Christi custodiat te in uitam eternam,' illa subrisit. Gregorius autem continuo dexteram ab eius ore conuertens, partem illam dominici corporis super altare deposuit, et matronam coram populo interrogauit quam ob causam ridere presumpsit. Et illa: 'Quia panem, inquit, quem manibus propriis feceram, tu corpus dominicum appellabas.' Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris se in oracione prostrauit: et surgens particulam illam instar digiti carnem factam repperit, et sic matronam ad fidem

[1] A longer life of this Thomas de la Hale is extant in MS. Bodl. 240, p. 798. Cf. Matth. Westm., Knyghton in Dec. Script. 2503. [2] om. in T. [3] A mistake; John of Tynm. confounds the expedition of 1295, in the reign of Philipp Pulcher, with that of 1216 (cf. Chron. Thorn.). [4] E. alectus. [5] r. subditurus erat? [6] E. donoriam. [7] E. deum. [8] T. qui tumbam. [9] Ex Leg. Aurea, p. 197.

reduxit. Orauit autem iterum et carnem illam in panem conuersam matrone sumendam dedit. [1]Quidam inuidi Gregorio ceperunt detrahere, asserentes quod totum thesaurum ecclesie tanquam uir prodigus consumpsisset. Vnde ob huius uindictam ad comburendos suos libros ceterorum animos inclinauerunt. Quorum dum quosdam combussissent et ceteros comburere vellent, Petrus diaconus eius familiarissimus, cum quo quatuor Dialogorum libros disputauerat, uehementer obstitit, asserens hoc ad eius delendam memoriam nil ualere, cum in diuersis mundi partibus exemplaria tenerentur; adiungens immane sacrilegium esse, tanti patris tot et tales libros exurere, super cuius caput ipse spiritum sanctum in similitudine columbe frequentissime perspexerat. Tandem in hanc eos sententiam adduxit ut si illud quod dixerat iureiurando confirmans continuo mori meruisset, ipsi a librorum exustione desisterent; si uero mori non meruisset, set superstes sui testimonii extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque cum apparatu diaconi euangeliorum librum baiulans uenerabilis leuita Petrus aduenies, mox ut tactis sacrosanctis euangeliis Gregorii sanctitati testimonium perhibuit, a dolore mortis extraneus spiritum inter uerba uere confessionis emisit[2].]

¶ De sancta Walburga virgine[3].

POstquam Anglorum natio per beati Gregorii pape apostolatum a gentilitatis errore ad christianitatis veritatem conuersa est, multi illorum ob celestis spei remunerationem ex maritima patria ad Francorum peruenerunt imperium. Ex quibus sanctus Bonifacius, dum adhuc in peregrinatione[4] peruenisset prouinciam, quasi natiuam sibi adeptus est patriam, et maguntinensis[5] presulatus ob sua merita cathedram adeptus est. Ex eodem quoque Anglie insule solo peregrinati sunt fratres duo pro Christo, scil. Willebrordus[6] et Winniboldus[7], cum castissima sorore eorum virgine Christi Walburga. Quorum prior a prefato antistite Bonifacio heistatensis ecclesie cathedram suscepit, alter vero totum se Christi seruitio mancipans locum qui dicitur Heidanhem ad incolendum elegit, vbi continuis orationibus deditus, in monastica conuersatione sancta vitam finiuit, et multos bene instructos fratres reliquit. Post horum vero disces-

[1] Cf. Leg. Aurea, p. 199.

[2] Ant. et Collect in T.:

(R)eligione stabilis, deuotus et amabilis, Thoma resplenduisti; uita morte laudabilis, uirtutibus mirabilis, seruis succurre Christi. V. Iustum deduxit.

Omnipotens et misericors deus, qui superbis resistis et humilibus das graciam, da nobis quesumus exemplis et meritis preciosi Thome monachi et martiris superba non sapere, set s . . . .

[3] Abr. from the Vita ascribed to Adelbold, in A. SS. Boll. Febr. III. p. 548, which is contracted from Wolfhard's Vita.

[4] Vit. huc (!) in peregrinam.

[5] T. mauguntinensis.

[6] Boll. Williboldus.

[7] E. wineboldus.

sum soror eorum Walburga, sanctum omnibus prebens exemplum, in eodem monasterio multarum virginum abbatissa effecta[1], ad omnia que a Christo semper posceret[2] extitit[3] efficacissima. Contigit enim hora vespertinali peracta, vt custos ecclesie, ingruentibus noctis tenebris, petenti Walburge lumen sibi preuium[4] denegaret. Ad quam iniuriam cum insuperabilem retineret patientiam, dormitorium adiit: et mox tanta luminis flagrantia enituit vt domicilii pauimentum penetrare videretur, et vsque ad horam matutinarum perdurauit. Stupentibus inde sororibus, et ad lectulum virginis sancte currentibus, illa proruit in lachrimas, eleuatisque ad deum oculis et manibus dixit: 'Tibi, domine Ihesu Christe, cui[5] humilis ancilla a cunabulis deseruire decreui, de hoc collato munere gratias refero, qui ad exercendas ancillarum tuarum mentes me indignam luminis tui adiuuamine consolari dignatus es. Hoc enim nequaquam meis, sed fratrum meorum, tuorum uidelicet[6] famulorum, meritis ascribo.' Nocte quadam virgo sancta sola de monasterio egressa, ad cuiusdam diuitis domum venit: et ante fores eius quasi quedam peregrina et ignota constitit. Quam videns dominus domus, ignarus que esset, timuit ne rabida suorum canum audacia eam laniando discerperet. Iussit ergo vt que esset ocius indicaret. Et illa: 'Nequaquam, inquit, metuo quos tu vereris canes me posse crudeli contingere dente, nec Walburgam—sic enim nuncupor—mordere valebunt. Ipse enim qui me huc ad tuam domum perduxit incolumem, ad locum vnde veni poterit me reducere illesam.' Hoc audito consternatus ille animo, quare ad ostium tam nobilis puella et dei ancilla staret requisiuit, et cum omni veneratione illam suscipiens, omnem famulatum ei exhibuit. Hora vero nocturne requietionis interrogata vbi requiescere vellet, respondit: se velle pausare in loco quo filia eius vsque ad mortem infirmata iaceret. Et intrans cubiculum, et orationibus vacans, in crastino puellam pristine sanitati restituit, et ad monasterium rediit. Bonis tandem operibus plena, Kalendis Maii migrauit ad dominum, et in eodem quo semper Christo seruierat monasterio cum maximo honore sepelitur. Paruo exhinc tempore decedentibus heistatensis ecclesie pastoribus, contigit Otgarium venerabilem virum eiusdem sedis cathedram obtinuisse. Qui dum minus, quam ratio deposceret, honeste idem monasterium excoluisset, quadam nocte per visionem virgo sancta huiusmodi verbis illum compellebat[7]: 'Cur, inquit, Otgari presul deo digne, monasterium quo corpore sum recondita, sic negligenter hactenus[8] habere voluisti? Nam illuc conuenientium cenulentis[9] quotidie calcor pedibus, vulgaribusque vestigiis comprimor. Scito ergo cognoscens[10] quoniam tale

[1] Vit. e. est. [2] Vit. posceret semper. [3] om. in T. [4] E. primum. [5] E. cum. [6] T. uidelicet; E. scil. [7] *al.* compellabat. [8] E. hacte. [9] Boll. temulentis. [10] Vit. Cito ergo cognosces.

aliquid[1] tibi inditium pandam, quo non recte te erga me et domum dei egisse comperias: vt si te reum iam exinde cognoueris, veniam merearis.' In proximo enim dum eiecti[2] essent parietes eiusdem fabrice prominentes, trabiumque compago sequenti die super muros deberet apponi, noctu aquilonaris paries subito vsque ad terram corruit, et terrorem maximum cunctis incussit. Quo audito, Otgarius[3] episcopus, visionem quam viderat esse completam intelligens, ecclesiam instaurauit, et festinanter dedicare curauit: et corpus sancte virginis vna cum sancto corpore fratris sui Winniboldi ad haistatensem transtulit ecclesiam.

[4]¶ De sancto Walleuo[5] abbate[6].

COmes autem Walleuus[7] serenissimi Siwardi comitis filius, comitatum Northumbrie et eboracensis prouincie principatum possidens, Iulittam[8], Willelmi regis et conquestoris neptem, in vxorem duxit, et iniuste demum accusatus, ab eodem rege innocenter decollatur, et Croulandie sepelitur. Eius enim filia nomine Matildis, Symoni comiti Huntingdonie nupta, virum dei Walleuum siue Walthef concepit, et ad multorum salutem peperit. Nomen eius in Anglorum ydiomate dissillabum, si secunda syllaba[9] correpto accentu proferatur, 'electus sapor,' si producto accentu, 'electus latro' interpretatur. In verbis enim et moribus saporem spiritualis suauitatis omnibus exhibuit, et pio furto regnum celorum latrocinari videbatur, qui virtutes suas et reuelationes sibi diuinitus ostensas et signa patrata occultare semper nitebatur. Exheredato demum patre eius et in transmarinis partibus mortuo, mater eius cum comitatu regi Scotie Dauid copulatur. De qua idem rex Henricum comitem, patrem regum duorum: Malcolmi[10] scil. et Willelmi, procreauit. Walleuus[7] enim vita et moribus proficiens, parentes et mundum fugiens, in cenobio sancti Oswaldi eboracensis diocesis habitum canonicorum suscepit, et in omni sanctitate speculum fratribus effectus, et de sacrista in priorem de Kirkham vnamini consensu electus est. Et quanto in oculis omnium videbatur sublimior[11], tanto in oculis propriis humilior[12] apparebat. In natali domini, cum missam in magna cordis deuotione et lachrimarum profusione celebrans verba sacramenti proferret, infantulum pre filiis hominum speciosum in manibus suis vidit, et in capite eius coronam auream gemmis stelliferis rutilantem. Erat autem omni niue candidior, et dulcifluo luminum risu vultuque sereno blandoque manuum applausu

[1] *al.* aliquod. [2] *al.* erecti. [3] T. otgarus. [4] Abridged from the Vita S. Waltheui by Jordan Joscelin) of Furness, in A. SS. Boll. 3 Aug. I. 249. [5] E. Walleno. [6] T. De Walleuo uiro dei et abbate. [7] so T., E. Wallenus. [8] E. inlittam. [9] T. sillaba. [10] E. malcolini; T. malcolmi. [11] T. sullimior. [12] E. humiliter.

caput et faciem eius tangens, contrectans, complanans demulcebat, et quandoque caput capiti, et os ori applicans, oscula crebrius imprimebat. Dilectus tandem infantulus ille eleuatis manibus crucis impressione eum benedixit, et ab oculis eius disparuit, nihilque preter hostiam vir dei in manibus vidit. Quotiens huius visionis postea recordatus fuit, inestimabili cordis iubilo repletus, lachrimarum profluuio genas rigabat. Canonicus quidam cum in eius presentia celebraret, aranea in calicem circa Agnus dei cecidit, et metum ac horrorem celebranti incussit. Walleuus[1] autem, hoc viso, fusa oratione et data benedictione, imperauit vt araneam cum sacro libamine in nomine domini sumere non dubitaret. Ille vero patris precepto deuote obtemperans, cum magna constantia, (cum magna quoque)[2] fide totum sumens, nullam sospitatis iacturam vel nausie prouocationem sensit. Sedentibus post comestionem in claustro fratribus, canonicus ille digitum suum confricabat: et tumor turgescens in digito apparebat. Nec mora, aranea, rupta cute, viua egreditur, et cunctis rei euentum obstupentibus, iubente priore flammis comburenda traditur. Sanctus Malachias episcopus, natione Hibernicus, Eboracum veniens, a pluribus cum magno honore suscipitur, potissime quia a Sigaro presbitero de Neubald, dei famulo, predicebatur[3] aduentus eius. Hic enim sacerdos, spiritu prophecie[4] pollens, episcopi aduentum, vultum, staturam, et sociorum numerum euidenter designabat. Huic sancto[5] pontifici prior[6] Walleuus[1] equum subnigrum et dure portantem dedit, qui infra paucos dies totus albus et suauiter ambulans effectus est. Deuotione demum arctioris religionis et cisterciensis[7] ordinis allectus, vir[8] dei Walleuus[1] in monasterio de Wardona[9] habitum suscepit, et inde ad Rieuallem translatus, postremo in abbatem de Melros, id est Meuros, eligitur. Multotiens enim muscam vel culicem ledentem faciem eius et quandoque sanguinem elicientem si per impatientiam percutiendo perimeret, virgarum mox verbere in seipsum vltor grauis insurgens, sanguinem copiosum de corpore suo traxit. Eius enim instinctu et hortatu Symon, germanus suus, monasterium sancti Andree in Northampton[10] [et][11] cenobium monialium sancte Marie extra vrbem fundauit, necnon et Saltreiam ordinis cisterciensis. Quodam famis tempore bladum modicum in duobus horreis, vix pro duabus septimanis sufficiens, fusa oratione benedixit: et non solum fratribus, sed et quatuor pauperum milibus per tres menses habundanter suffecit. Alio enim tempore famis singuli fratrum, supplici rogatu abbatis, dimidium panis sui pauperibus errogandum stiderunt: et impleta sportella vsque ad messem sine diminutione multis pauperibus habundauit. Et cum fratres die

[1] E. wallenus. [2] E. cum magna quoque; T. et. [3] E. predicabatur. [4] E. prophetico. [5] E. sancti. [6] E. prios. [7] E. cistersiensis. [8] E. viri. [9] Wardon, in Bedfordshire. [10] T. nortampton. [11] om.

illa ad cenam accederent, coram singulis panis integer et quasi de clibano recenter extractus inuenitur, et omnia granaria frumento replentur. Alia etiam vice sportella habens duodecim panes, aduentantibus multis hospitibus per diem et noctem sine diminutione suis meritis perdurauit. Hospites tres ab ipso humiliter suscepti, lotis iuxta morem pedibus cum ad mensam locati essent, hospes tertius non comparuit. Nocte sequenti quidam vultu preclarus et splendidus in sompnis cuidam fratri apparens dixit: 'Ego sum hospes ille hesternus qui ab oculis vestris euanuit, huius loci custos a domino constitutus. Elemosine enim et orationes abbatis vestri sicut fumus aromatum ascendunt in conspectu domini.' Vix aut raro orationem sine lachrimis fudit, rarissime sine fletu missam celebrauit. Quadam vigilia epiphanie domini, fratribus in choro psallentibus, vidit in spiritu stellam radiantem, reges ab oriente cum magno apparatu venientes precedentem, et puerum Ihesum in gremio matris misticis muneribus ab ipsis honoratum, et demum in sompnis diuinitus reges admonitos vt per aliam viam redirent[1] in regionem suam. In quadam nocte pasche, dum matutinis insisteret, videbatur sibi videre dominum Ihesum post flagella et illata ludibria [et][2] coronam spineam capiti impositam, crucifixum in patibulo, palmas et plantas clauis expositas, in manus patris animam commendantem expirasse, et ex latere lancea perforato sanguinem et aquam profluxisse. Contemplabatur animam, exuto corpore baratrum spoliantem, ex[3] eo innumeram multitudinem educere, corpus resumere, et milites sepulchrum custodientes velut mortuos effectos iacere, et demum [ipsum][2] letantibus choris angelicis celum intrare. Completorio dicto precibus in ecclesia incumbere solitus, vidit nocte quadam angelum sathane in varias formas se transfigurantem. Cumque se signasset, et ille euanescens, demum in specie[4] loricati militis[5] appareret, et ignem de ore et naribus emittens, lanceam contra virum dei vibraret, abbas pixidem corpus domini continentem reuerenter assumpsit, et se cum illo signans contra demonem processit, dicens: 'Ecce pessime miles, funeste satelles, iudex tuus te missurus in abyssum; expecta, si audes, illum.' Ad hanc vocem victus et confusus inimicus velut fumus euanuit. Vidit enim vice quadam, iugi orationi et contemplationi deditus, celos apertos et gloriam dei et mansiones in regno celesti. Equus suus, dum sanctum haberet sessorem, quasi agnus mansuetus modeste se habuit, et cum abbati ascendenti famulus qui strepam teneret non adesset, equus genua flexit et ventre terre adherens latus versus abbatem vertit; et cum abbas ad placitum in sella se composuisset, equus mature surgens recto gressu viam carp[s]it[6]. Si quandoque abbas dormire inciperet, equus ille moderate passus diri-

[1] Vit. reuersos. [2] om. [3] T. E. et ex. [4] T. E. speciem. [5] E. in loricati militis speciem. [6] T. E. carpit.

gens, lutosam et lubricam viam declinauit, planam et mundam eligens; excusso autem sopore, celeri gressu primos precedere solebat. Cumque famulus eum adaquare vel inequitare deberet, fremitu et vario membrorum motu se agitare consueuit. Mortuo abbate, equus expilatus emarcuit, et vsque ad interitum elanguens, nulli operi aptus fuit. Electus autem ad episcopatum Sancti Andree in Scotia, et consentire recusans, dixit: 'Expoliaui me tunica mea: quomodo induam illam? Laui pedes meos: absit vt iterum puluere secularis solicitudinis inquinem eos.' Duos ydropicos tactu suo sancto et oratione sanauit. Conuersus quidam, actu et moribus [1] peruersus, et viribus corporis robustus, vidit in sompnis quendam statura et vultu terribilem, qui mores eius increpans, et manus eius et cetera membra frustatim [2] scindens, in sportellam quam gessit posuit et abiit. Et ecce obuium habuit virum preclarum et splendidum, qui precepit vt membra membris coaptaret et hominem integrum redderet, eo quod Walleuus [3] in hora illa pro omnibus sibi commissis deuotas domino preces fudisset. Illo vero ad statum pristinum restituto, mores componere, vitam de cetero corrigere admonetur, et ad deum conuertere. Obiit autem vir domini Walleuus anno domini millesimo centesimo sexagesimo, tertio Nonas augusti, et celos conscendit [4]. Conuersus quidam [5], a sathana temptatus in tantum desipuit, vt lumen rationis pene perderet et iudaicam sectam veritati catholice credendo preferret; demum nullam alteram vitam nisi presentem credidit, et quod de penis reproborum et gaudiis iustorum scriptura sancta loquitur, inane reputauit. In tali errore septennio sub habitu religionis viuens, singulis diebus ac noctibus ad seculum redire, et dies suos in malum consummare disposuit. Quadam ergo meridie in lecto quiescens, vidit duos viros preclaros ipsum apprehendentes dextera et in quendam hortum viridissimum vernantem, odoriferum, florigerum et satis amenum inducentes [6]; illi vero eius infidelitatem [7] improperantes [8], et aspera et amara se meruisse [9] asserebant. Cumque circumspiceret si forte ei auxilium aut solatium proueniret, vidit abbatem Walleuum in eminenti loco et perlucido sedentem, cum magna turba candidatorum circumstante et sedente. Adductus ille in conspectu abbatis, et pedibus eius prostratus, veniam petiit. Et ait vir dei: 'Quod in cordis secreto diu occultasti, nunc in publico reuelabitur.' Et ductoribus eius inquit: 'Sicut promeruit, rote versatili imponatur, vbi similes sibi [10] sunt imponendi; deinde ducatur ad loca penalia, vbi [11] discat quanta sit inter reos et iustos distantia.' Imponitur [12] ergo rote, cuius statura et altitudo erat horribilis valde, eius summitas celos, et

[1] E. et p. [2] E. frustratim. [3] E. Wallenus. [4] E. concendit. [5] Vit. nomine Walterus. [6] om. in T. [7] E. infelicitatem. [8] Vit. improperabant. [9] Vit. se illi illaturos. [10] *al.* sui. [11] Vit. vt. [12] E. Imponiter.

extremitas abissum tangere videbatur; subtus igneus erat fluuius decurrens, et si quis forte de rota caderet, in ignis voraginem demergebatur. Erant autem in rota radii dentati quasi clauis ferreis acutis et longis. In hac rota frater imponitur, et quibusdam clauis rotam percutientibus, mox velotius versabatur quam lapis molaris in molendino vertitur[1]. Demum inde depositus ad quoddam mare ducitur, in cuius profundum mersus, vidit baratrum, cuius os superius angustum, pars interior inestimabilis profunditatis et latitudinis apparebat. Ibi ploratum tantum et vlulatum audiuit, et neminem pre tenebris densissimis videre potuit. Inde per vastitatem cuiusdam heremi, spinis et tribulis exustis gradientium plantas perforantibus repleti, adducitur, et viso castello quodam altissimo et nigro, et in eius fastigio igne piceo et putrido, qualiter inde dimissus fuit penitus ignorauit. Venit ergo ad vallem infinite longitudinis, latitudinis et profunditatis, flammis feruentibus terribilem, animabus plenam. De quibus nonnullos in seculo nouit, quorum aliqui seculares, alii religiosi et pontifices et abbates fuerunt; vnum pre ceteris eiulantem audiuit, qui in seculo prelatus magni nominis et loci fuit. Et cum tremulus mediis flammis se proiiciendum timeret, et velociter fugam arriperet, duo tetri illum insequentes comprehendere nitebantur. Quo velociter currente, sanguis ab ore eius et manibus manare cepit. Et cum venisset ad quandam portam, dealbati quidam illum per brachia, et nigri per tibias ad se trahebant. Et statim euigilans, ceruical sanguine respersum inuenit, et se sanguine[2] fluere sensit.—Nec multo post in sompno coram abbate Walleuo ab eisdem dealbatis adducitur. Quem vultu sereno et iocundo accerciens, ne timeret admonuit, et ductoribus precepit vt ad loca requiei et gaudii videnda eum adducerent. Sublatus ergo in montem excelsum valde et in quandam regionem maximam lucis et pacis, vidit mansiones multas, quasdam quasi de auro purissimo, quasdam de argento, quasdam de lapidibus preciosis constructas. Omnes incole iuuenes splendidi, leticia pleni. Vidit ibi fluuium mellifluum et delectabilem, et omnia genera arborum et florum. Ductus est vltra murum quendam aureum et altum in regionem lucidissimam, vbi canticum leticie audiuit quale humane aures vel lingua exprimere nequeunt. Affuit ibi Walleuus abbas et ait: 'Vidisti supplicia[3] reorum et premia iustorum: amodo noli esse incredulus, sed fidelis; declina a malo et fac bonum, et propositum ordinis in quo vocatus es diligenter obserua. Rota, inquit, et vorago et vallis, que prius vidisti, loca purgatorii sunt; infra castelli ambitum puteus putridus igneus et sulphureus, aditus est inferni, infidelibus et criminosis impenitentibus deputatus. Prima regio quam [nunc] vidisti, iustis sed imperfectis assignatur; ista vero patria, proxima est celo, quam nullus

[1] The text in Boll. here has a gap. [2] so T., E. sanguinem. [3] E. suplicia.

ingreditur nisi perfectus et innocens et ab omni peccato penitus purgatus.' Hiis dictis ductoribus eius subito in celum receptis, ad portam de Meuros frater ille dimittitur. Simplex ille frater ante visionem, et impedite lingue, ita eloquens et subtilis postea factus est, vt de euangeliis, expositionibus, et historiis rithmos[1] rethorice et venuste componeret, et audientes in admirationem conuersos ad lachrimas prouocaret. In abstinentiis, vigiliis et virtutum exercitiis vsque ad mortem perseuerans, sanctam Mariam ante obitum suum vidit corporeis oculis ipsum consolantem, et diem egressionis anime sue a corpore fratribus predixit. Apparuit autem seruus dei Walleuus cuidam fratri in sompnis, dicens: 'Suffragante mediatrice dei et hominum sancta Maria matre domini [nostri][2], et precibus assiduis meis, omnibus quos sub cura pastorali suscepi a saluatore nostro, vite eterne beatitudinem impetraui; si quis [illorum][3] negligentius vixerit, post ignis purgatorii emendationem ad celum migrabit. Hoc, inquit, signum verbis meis fidem certam tibi prestare potest: cras enim hora tertia tres fratres portam intrabunt, qui eodem ordine quo intrauerunt a seculo migrabunt.' Et factum est ita. Vir dei abbas Walleuus ydropicos[4] tres curauit; monachum mutum et cecum pristine[5] saluti restituit; calculosum et intestinorum molestia vexatum sanauit; demoniacum liberauit. Elapsis autem post obitum eius annis tresdecim, corpus eius, cum pannis quibus fuit inuolutum, incorruptum et integrum, multo dormienti similius quam mortuo inuenitur.

[MS. Tib. adds: ¶ *Incidencia.*

[6]Cum abbas Iohannes ad uisitanda apostolorum limina Romam uenisset et beatum Gregorium papam per medium ciuitatis transire uidisset, uoluit ei occurrere ac, ut decebat, reuerenciam exhibere. Cernens uero beatus Gregorius quod se in terra uellet prohicere, festinauit et primo se coram ipso in terram prostrauit, nec inde surrexit quousque abbas primo surrexisset. [7]Quidam heremita qui omnia propter deum reliquerat et nichil preter unam catam possidebat, quam blandiens crebro quasi cohabitatricem in suis gremiis refouebat; orauit ad dominum ut sibi ostendere dignaretur cum quo future remuneracionis mansionem sperare debuisset, qui illius amore nichil ex seculi diuiciis possidebat. Et reuelatum est ei quod cum Gregorio mansionem sperare deberet. Et cum fortiter ingemisce[ns][8] Gregorii diuicias sue paupertati die nocteque suspirando conferret, alia nocte audiuit dominum dicentem sibi: 'Cum diuitem non possessio diuiciarum faciat, set cupido: cur audes paupertatem tuam

[1] Vit. adds anglica lingua. [2] om. in E. [3] E. eorum. [4] E. tres ydropicos. [5] T. pristini. [6] From Leg. Aurea, p. 193. [7] Cf. Leg. Aurea, p. 195. [8] T. ingemisceret.

Gregorii diuiciis comparare, qui magis illam catam tuam, quam habes, cotidie palpando diligere comprobaris, quam ille[1] tantas diuicias, quas non amando set contempnendo, cunctis liberaliter largiendo dispergit?' Solitarius itaque deo gracias agens, rogare cepit ut cum eo mansionem quandoque percipere mereretur.]

¶ De sancto Walstano confessore[2].

SAnctus Walstanus deo acceptus, australi in parte Maioris Britannie, in villa de Bawburg[3] oriundus, ex stirpe regia, patre scilicet Benedicto, matre vero Blida nomine, preclaram duxit originem. Hic a primeuo etatis sue tempore cultor diuine voluntatis in omnibus, iuxta mentis sue veram intentionem extitit. Maioribus etiam et minoribus tanquam gratia humilitatis preditum, omni fastu superbie remoto, sub columbina simplicitate humilem et fauorabilem toto mentis conamine seipsum secundum omnem honestatem exhibuit. Sanctus vero Walstanus etatis sue duodecimum attingens annum, diuina inspiratione et euangelica doctrina, in qua dicitur 'Qui non renunciat omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus,' spiritualiter imbutus, accepta licentia generali a suis parentibus, contra eorundem voluntatem omni iuri regalis successionis inposterum sibi qualitercunque competituro renunciauit. Et vt liberius orationi aliisque contemplatiuis actibus sine pompa seculari integraliter vacaret, locum proprie originis dereliquit, et partes aquilonares citius quo potuit petere non tardauit. Sanctus vero Walstanus pro Christi nomine seruituti et quasi obedientie districtionis cuidam incole in villa de Tauerham[4], sibi in omnibus deseruiendum humiliter se obligauit. Tanta igitur fuit diuine virtutis gratia inspiratus, vt non tantum victualia sue sustentationi exhibita pauperibus errogaret, verum etiam vestimenta sua et sotulares proprios, nudis pedibus seipsum exponendo diuersis angustiis, egentibus et debilibus personis distribueret. Contigit autem, cum quodam die pauper quidam a sancto Walstano elemosinam peteret, ipso nimia pietate commoto, predicto pauperi sua calciamenta exhibuit; cum ista tamen adiecta conditione [ne] cuiquam illam reuelaret donationem. Sed quia regulariter dictum est quod nulla peior pestis quam familiaris iniquus: contigit, cum vxor malefica et nimis perniciosa hominis illius cui sanctus Walstanus deseruiuit seriem huius donationis intellexisset; quesito astute quodam colore magne necessitatis, predictum Walstanum sanctissimum hunc confessorem sine mora ad spinas ac tribulos onerandos in quadam carecta ad siluam nudis pedibus destinauit.

[1] T. ille qui. [2] This life is om. in T. Cf. Blomfield, Hist. of Norfolk, I. p. 641. [3] Bawburgh, commonly called Baber, four miles from Norwich. [4] A village adjoining to Cossey, near Norwich.

Sed cum omnipotens deus suos omni in periculo defendat, predictum sanctum Walstanum miraculose visitauit, vt super acutissimos spinarum stimulos ac tribulorum nudis suorum pedum plantis tanquam super roseos flores omni suauissimi odoris fragrantia redolentes, sine aliqua punctionis lesione audacter staret et insideret; eos in predicta carecta decenti modo, domino adiuuante, (vt mulier illa obprobriosa precepit) coadunauit. Quod quidem miraculum cum mulier predicta vidisset, reatum sue iniquitatis cognoscens, ad pedes sancti Walstani deuote prouoluta fusis lachrimis veniam postulauit. Quam vir dei benigne erexit et omnem iniuriam sibi illatam condonauit. Videns igitur magister sancti Walstani signa et miracula que per ipsum fiebant, deo permittente, ardenter eum dilexit, et ipsum heredem suum, cum naturalem vel legittimum proprium sibi successurum non haberet, publice facturum protestabatur. Quam quidem promissionem sanctus Walstanus toto conamine negauit: vnde nihil aliud pro labore suo petiit nisi futurum fetum cuiusdam vacce, et hoc pro mercede sua sibi sufficere asseruit. Cui petitioni magister suus illico consensum prebuit. Instante vero tempore oportuno, predicta vacca duos vitulos masculos fetauit; quos sanctus Walstanus diligenter pro posse suo custodiuit et pauit: non propter humanam cupiditatem, sed vt voluntas dei [per] eos adimpleretur, prout per angelum dei sibi diuinitus a deo erat prenunciatum, videlicet quod per eos miraculose duceretur ad locum vbi nunc corpus suum iacet humatum. Cum vero sanctus Walstanus quadam die, videlicet feria sexta, in quodam prato cum socio suo falcaret, angelus dei apparuit ei, dicens: 'Walstane frater, hodie in tertium diem paradisum introibis,' et statim ab oculis suis euanuit. De qua predestinatione diuinitus sibi facta, gratias deo reddidit: et sine vlteriore dilatione confessionem et sacramenta preciosi corporis et sanguinis domini nostri Ihesu Christi et extreme vnctionis cum magna cordis contritione a suo sacerdote honorifice petiit et deuotissime suscepit. Proximo die sabbati, cum hora nona diei illius instaret, sanctus Walstanus falcem suam a se proiecit et operari ab illa hora vsque mane secunde ferie subsequentis nullatenus licere asseruit: quia sonum campanarum celicarum et sonitum ineffabilem buccinarum hac[1] instanti hora de supernis sedibus audiuit emanantem; et consocio[2] suo ait: 'Si hoc credere volueris, et ad me accesseris et pedem tuum super pedem meum deuote posueris, mecum videbis coelum apertum et angelos dei campanas pulsantes ad gloriam sancte et indiuidue trinitatis et laudem.' Instante[3] tempore sancti Walstani decessus, videlicet proxima secunda feria sequenti, iuxta modum operari in prato predicto cum consocio suo processit: et ibidem, conuocato magistro suo et quibusdam aliis honestis personis, vltimam fecit voluntatem, et animam omnipotenti deo, beate Marie virgini omnibusque sanctis

[1] E. hanc. [2] E. consortio. [3] E. Instanti.

commendauit. Addidit insuper quod corpus suum in quadam carecta sua decenter poneretur, et iunctis[1] in eadem firmiter duobus suis bobus et nemine ducente, sed vbi deus ordinauerit, per dictos boues veheretur; et statim prostrauit se et orauit deum dicens: 'O spes et salus credentium, O decus et quies laborantium, Ihesu bone, fac hanc cum seruo tuo misericordiam, vt quicunque operarius infirmitatem seu aliud impedimentum in corpore suo habuerit, vel qui[2] necessitate compulsus pro brutis animalibus me cum bona voluntate [in][3] nomine sancto tuo reuerenter visitare voluerit, optato non carere[4], et bruta animalia, rogo te domine, pristinam sanitatem recipiant.' Qui cum loqui cessasset, vox de coelo sonuit: 'O sancte Walstane, concessum est tibi quod petisti. Veni de labore ad requiem, veni de miseria ad salutem.' Et statim in predicto prato spiritum reddidit omnipotenti deo. Illi quidem qui cum sancto Walstano personaliter fuerunt quando superna petiit et presentem mundum reliquit. in hoc testes veracissimi extiterunt[5] quod quasi columba niue candidior ab ore eius sancto exiliens coeli culmen ascendit et in superioribus clara nube euanuit. Collato ergo sacro corpore Walstani per honestas personas ibi existentes in carrecta sua, prout ordinatum prius fuerat, boues iter suum versus siluam de Costesheya[6] recte direxerunt. In quo itinere istud miraculosum contigit quod cum boues cum sacro corpore predicto aquam ingressi fuerunt profundissimam in dicta silua existentem, deus pro amore et honore sancti Walstani illud miraculum ostendit quod rote dicte carecte super aque superficiem labilem et naturaliter liquidam tanquam super terram vel aliam materiam consolidatam et firmam sine aliqua immersione[7] processerunt. Quarum rotarum vestigia vsque in hunc diem in aque predicte superficie apparere dicuntur. Contigit etiam aliud miraculum: quod cum [in][3] quodam montis excelsi cacumine in dicta silua existenti boues cum sacro corpore sancti Walstani paululum persisterent, vena fontis contra naturam loci illius in signum gratie ob amorem sancti Walstani vsque in hunc diem per diuinam apparuit clementiam, vbi ante illa tempora nunquam aqua inuenta fuit. Declinantes autem boues ab illo loco cum illo precioso corpore versus villam de Bauburg[8], cum fere ad locum vbi nunc corpus iacet humatum prouenissent, aliam stationem in quodam loco fecerunt: in quo vsque in diem hodiernum fontem alium, mire virtutis contra febres et multas alias infirmitates, ob amorem sancti Walstani diuina pietas constituit. Positum est corpus huius sancti viri Walstani in ecclesia de Bawburg, in cuius nomine est dedicata; pro cuius amore deus diuersa operatur miracula. Nam ibidem paralitici curantur, ceci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, cuadunt febricitantes, arrepti a demonio liberantur, oculis, etiam genitalibus membris priuati meritis sancti

[1] E. cunctis. [2] E. quod. [3] om. [4] r. careat. [5] E. extiterant.
[6] = Costessey or Cossey, near Norwich. [7] E. emersione. [8] E. banburg.

huius Walstani noua membra recipere meruerunt. Vnde non tantum catholici a diuersis languoribus per hunc sanctum liberantur, verum etiam bruta animalia, a quocunque languore grauata fuerint, pristine redduntur sanitati. Commendemus ergo, dilectissimi, diem huius sancti Walstani solemnem, qui, vt perpetua[1] caperet, transitoria reliquit, vt caste viueret carnem suam per ieiunium frequens macerauit, pauperibus victualia sua errogauit; et vt in gradu humilitatis continua virtute persisteret, spreta regali suorum parentum successione, seruitio simplicium personarum ruralium re obligauit. O sancte Walstane, merito in dei ecclesia laudandus es. Tu compar dici potes apostolis per temporalium rerum abdicationem; similis martiribus per penitentialem carnis mortificationem; socius confessorum propter elemosinarum largitionem et precum sanctarum effusionem. Migrauit ergo ad dominum egregius iste sanctus Walstanus Anno ab incarnatione domini millesimo sexto decimo, tertio Kal. Iunii. Suspirantes post eum, fratres charissimi, sequamur eius vestigia per semitas veritatis et iusticie necnon perfecte humilitatis, vt peruenire valeamus cum eo ad regnum lucis et glorie, in quo regnat deus per infinita seculorum secula. Amen.

¶ De sancto Wenefreda virgine et martire.[2]

BEunous[3] nomine quidam sanctus admodum insignis, virtutibus clarus, in occidua Maioris Britannie regione enituit, vir quidem summus et in omni sanctitate precipuus: paternum contempnens solium et pauper effugiens et monachus factus, in breui perfectum virum egit. Cum in diuersis denique locis ecclesias fabricasset fratresque in illis deo seruituros constituisset, ipse diuino admonitus oraculo alias discessit, prouisam sibi a deo quesiturus mansionem. Peruenit tandem ad predium cuiusdam magni et potentissimi viri, nomine Theuith; cui et dixit: 'Oro quatinus de possessione a progenitoribus tuis iure hereditario tibi deriuata, partem deo et mihi concedas, vt fabricata ibidem ecclesia, in illa deo seruire et pro tua salute deinceps omni die valeam postulare.' Qui libenter annuit, et vnicam filiam moribus instruendam, nomine Wenefredam, commisit. Si quando autem vir sanctus populo precepta monitaque salutis predicando ostenderet, prefatam virginem ad pedes [suos][4] statuens, omnia solerter aduertere et patulo corde suscipere monuit que ab illo dicebantur. Virgo vero, inspirante dei clementia in melius quotidie crescens et in sapientia proficiens, omnem virum penitus abdicare disponebat; hoc tamen parentibus innotescere formidabat. Et

[1] E. perpetue. [2] ed. in A. SS. Boll. 3 Nov. p. 708; abridged from the Vita by Robert of Shrewsbury in MS. Laud Misc. 114, Trin. Coll. Cbr. Gale O. 4, ed. in A. SS. Boll. [3] T. Sanctus quidam admodum insignis nomine Beunous. [4] om. in E.

veniens ad virum dei, audacter coram illo prorumpens, secreti sui conscium eum fecit. 'Semina, inquit, verbi diuini, a tuo mihi profusa ore, ad quantum in me excreuerint prouentum, manifestum tibi fieri volo. Omnem seculi luxum amodo abdicare delegi, et virginitatem meam ad honorem dei integram et incontaminatam conseruare disposui, et hoc, o pater sanctissime, tua suffragatione ab vtroque parente mihi impetrari deposco.' Hec audiens sanctus, pietate motus, dixit se parentes eius conuenturum sollicite, atque hoc quod petebat pro posse suo acturum. Proinde, cum a viro dei filie desiderium pater cognouisset et mater, suffusi lachrimis deum benedixerunt et benigne concesserunt. Puella vero pedibus beati viri interdum votiua sedebat, sitibundo hauriens pectore que de gloria sponsi sui ab ipsius ore defluebant. Nihil in se terrenum admittebat, frequenter noctibus in ecclesia excubabat. Interdum etiam importunam se sancto ingerens, solicitabat eum sermonem facere atque de sponsi sui moribus et vita tractare. Toto desiderio inardescens, tunc aliquantulum gaudii habebat cum de amici sui excellentia, decore et potentia loqui audiebat; atque huiusmodi[1] eius refectio omnium terrenarum rerum iocunditatem excellebat[2] et in illius corde spiritualis iocunditatis indeficiens delectamentum retinebat. Et licet etate tenera esset, perfecta tamen moribus, et corde cana erat, animum totius cupiditatis contemptorem habens. Contigit autem quadam die dominica, pergentibus ad ecclesiam parentibus eius, illam necessario domi solam remanere. Et ecce iuuenis quidam, nomine Cradocus[3], Alani regis filius, domum intrans, virginem solam iuxta focum sedentem inuenit. Que cognito regis filio, concita surrexit, quid sibi placeret humiliter inuestigans. Et ille: 'Regis me, inquit, filium esse non ignoras, diuitiis et honoribus multis refertum, te etiam affluenter locupletaturum si mee petitioni assentire volueris, voluntati mee assensum prebens.' Illa autem, sentiens eum de concubitu sermonem inseruisse, paululum demissa vultum[4] ruboreque suffusa, simulauit[5] primo quidem grauiter se ferre quod eam incomptam et inornatam inuenisset, dicens: 'Cum tu genere regio ortus et annuente domino rex futurus existas, felicitate seculari me opulenter replendam esse non dubito, tuo matrimonio copulatam. Verumptamen paulisper patere, aduentum patris mei expectans; et ego interim thalamum intrabo, ad te cito reditura.' Hec profecto dicens, ad horam ab eo solum auelli querebat. Videbat enim hominem miserrimum, infelici libidine accensum, illius amore letaliter torqueri et velut amentem fieri. Concessit tandem iuuenis vt cameram ingrederetur, sperans illam cum decentiori ornatu atque acceptabilius compositam sine dilatione ad se redituram. Tunc illa thalamum ingressa, ex altera parte per ostium camere exiens versus ecclesiam

[1] E. huiusmodo. [2] E. excellebatur. [3] Vit. Chadrocus. [4] E. vultu. [5] E. similauit.

prepeti cursu iter arripuit. Quo iuuenis comperto, furibundus statim effectus vehementique iracundia[1] repletus, extracto gladio velociter eam insequitur; et toruo vultu eam intuens, ait: 'Olim te amaui et meis amplexibus te coniungere desideraui; nunc ad te venientem refugis et te petentem contempnis. Iam quidem pro certo scias quia aut mihi in presenti vltronea commisceberis, aut sine mora gladio meo caput tuum amputabo.' Tunc illa ad iuuenem conuersa, imperterrita respondit: 'Regis eterni et omnium hominum iudicis filio in matrimonio copulata, nullum alium excipere possum; et ne te diutius protraham, nullum preter illum dum vixero admissura sum. Ideoque exime gladium, exerce[2] vires, qualibet feritate accinctus vt placet vtere; certusque esto quia nec terrores tui nec blanditie, nec promissiones siue munera[3], ab illius dilectionis dulcedine me diuellere poterunt, cuius amplexibus astricta sum et deuotioni copulata.' Incestus autem iuuenis, se contempni videns, sueque libidinis impatiens, virginemque flecti non posse nec se quietem dum illa viueret habere considerans, gladio caput eius amputauit. Statim vt caput virginis ad terram corruit, in eodem loco fons lucidissimus mire magnitudinis erumpens emanare cepit, qui vsque hodie fluere non desistit, multis infirmis virginis sancte meritis sanitatem prestans. In descensu[4] enim montis caput virginis abscisum, facile ruendo in ecclesiam relapsum est; truncum vero corpus quo prius ceciderat locum obtinebat. Inter pedes enim diuinis misteriis intendentium caput corruens, admiratione maxima vniuersos commouit. Omnibus itaque nimio terrore perculsis, et dirum nephas grauiter a deo vlciscendum asserentibus scelerisque auctorem detestantibus, parentes puelle, tristicia et anxietate soluti, flebilem vocem emittentes, clamosis planctibus dolorem suum prodiderunt. Peremptor enim virginis adhuc iuxta exanime corpus timidus foris astans, gladium suum, cruore virginis madidum, per herbam detergebat. Nam quia filius regis erat, impune flagitium se perpetrasse arbitrans, in admissione tanti facinoris nihil se deum vereri testatus est. Vir autem dei Beunous, eius superbiam et obstinatiam grauiter ferens, accessit ad eum, in manibus caput virginis baiulans, et in faciem iuuenis respiciens ait: 'O sceleste, inquit, qui iuuenilis decoris indolem et regie dignitatis progeniem homicidali maculasti crimine, cur te tantum admisisse scelus non penitet? pacem conturbasti et ecclesiam tuo sacrilegio fedasti, deumque irritasti: nec doles? Nunc autem, quoniam ecclesie non pepercisti nec diei dominice reuerentiam exhibuisti, deum meum deprecor quatinus que tu indigne commisisti, in presenti digna recompensatione recipias.' Hiis dictis, iuuenis illico ad terram corruens expirauit. Mirumque dictu, in conspectu omnium astantium corpus defuncti liquefactum disparuit, multis asserentibus illud a terra absorptum[5] fuisse et cum spiritu

[1] T. ira; E. iracundia. [2] *al.* exere. [3] *al.* mine. [4] T. decensu. [5] T. absortum.

suo in baratrum[1] demersisse[2]. Vir autem dei caput virginis quod inter manus assumpserat sepius deosculans, turbatus spiritu flere compellitur. Post hec vero illud corpori componens, palliumque suum super illud sternens, in naribus illius insufflauit; et accedens ad altare missam celebrauit. Qua peracta, ad corpus virginis rediens, sermonem luculentum populo fecit, dicens inter cetera, beatam virginem votum deo fecisse, sed morte interceptam congruum tempus exsoluendi non habuisse; et ideo debere, deuotius humi procumbentes, pro resurrectione illius deum[3] interpellare. Et factum est ita. Postquam igitur diu oratum est, vir beatus a terra surgens, manus ad celum tendit, dicens: 'Domine Ihesu Christe[4], pro cuius amore hec virgo terrena respuit et celestia concupiuit, nos te deuotis inuocantes animis misericors exaudi, et viscera pietatis tue super nos effunde, votorum nostrorum effectorem in presenti te esse concedens; et quamquam virginem hanc, pro tuo nomine passam, non ignoremus in celestis gaudii sinibus repositam nostro vlterius non indigere contubernio, tu tamen, clementissime pater, filiis tuis te humiliter deprecantibus te benignum et exaudibilem prestans, supplicationibus eorum assensum prebe. Precipe itaque vt puelle huius anima corpori suo inducta, regimen te et dominationem tam animarum quam corporum habere demonstret: quatinus tue gratia[5] misericordie rediuiua nomen tuum magnificet, et post longa vite spacia, multiplicato bone conuersationis feruore[6], ad te redeat sponsum suum, vnicum videlicet dei patris filium, cum quo et cum spiritu sancto[7] viuis et gloriaris deus per infinita secula seculorum[8].' Cumque omnes respondissent 'Amen,' puella quasi a sompno surrexit, tergensque faciem suam atque a puluere emundans et sudore, astantes admiratione et gaudio repleuit[9]. Porro vbi caput compactum atque resolidatum fuerat, albedo quedam tenuissima in modum fili collum ambiebat et locum sectionis obducebat; et quamdiu vixit, semper sic permansit. Inde ferunt viri prouincie illius eam Wenefridam [fuisse][10] vocatam, cum antea, vt ipsi asserunt[11], Breuua[12] nominata sit. Quod enim ipsi Britones in sua lingua 'Wen' dicunt, latine 'candidum' sonat: sicque occasione albedinis collum circumdantis, ex re nomen habere dicta est, adiecta particula que est Wen, atque euphonie causa pristini nominis duabus[13] litteris transmutatis, compositum obtinere vocabulum quod Wenefreda dicitur. Fertur enim quod postquam de hoc mundo migrauit, nulli penitus manifeste apparuerit qui illud[14] candidum signum non viderit. Locus vero vbi sanguis illius effusus est, non longe a monasterio nomine Basingwerk in Norwallia[15], primitus 'Sicca uallis' dicebatur; sed post eius mortem vsque in hodiernum diem 'Fons[16] Wenefrede' appellatur. Lapides

[1] E. baretrum. [2] *al.* demersum. [3] E. domini. [4] E. Christi. [5] E. gratia tue. [6] *al.* fenore. [7] E. sancto spiritu. [8] E. seculorum secula. [9] om. in T. [10] om. in E. [11] T. E. asserant, *al.* asseuerant [12] E. breuna. [13] T. duobus. [14] T. illum. [15] E. nowallia. [16] E. fos.

quoque tam in fontis scaturigine quam in riuo illius seu in amborum margine sanguine eius conspersi [1], vsque hodie pristinam conspersionem [2] retinent: nam sunt quasi congelato cruore perfusi, nec situ temporis nec assidua preterfluentis aque alluuione detersi. Muscida vero que eisdem lapidibus adheret, quasi thus redolet. Prouincie illius viri qui deum nondum cognouerant, virginis resuscitationem, fontis emanationem et petrarum conspersionem [2] videntes, ad pedes beati Beunoi prouoluti, baptisma susceperunt. Virgo autem deo deuota, viri sancti pedibus adherens, sermonibus illius deuotione sedula intendebat, et ab ipso tandem sacrum velamen humilis ancilla Christi suscepit. Vir dei Beunous, arrepta manu virginis dextera, illam ad fontem duxit, et super lapidem vnum, qui 'lapis sancti Beunoi' dicitur, statuens, dixit: 'Vides, inquit, adhuc hic vestigia passionis tue: ecce lapides isti tuo sanguine conspersi [1], te pro deo passam demonstrantes, sanguinisque tui conspersionem [2] in lapidibus a deo preseruatam [3]. Nunc igitur, filia mea dulcissima, a deo hec [tria tibi] [4] errogata cognosce, que et laudis tue titulum celebrabunt, et in posterorum mentibus deuotionis tue amorem cumulabunt. Primum quidem est, quod lapides isti cruore tuo aspersi nulla poterunt ablutione per secula detergi nec assiduo istius aque impetu ablui, sed ad tue passionis ostensionem semper cruentati permanebunt. Secundum est, quod quicunque aliqua infortunia passus te requisierit et a sua oppressione et inualitudine se liberari petierit, prima, secunda, aut tertia certe vice, quod postulauerit se impetrasse gaudebit; sinautem, certissime sciat se presentis vite luce in proximo cariturum atque per te aliquid sibi maius in futuro consequuturum. Tertium est: cum a te discessero, super littus maris locum ad manendum largiri mihi dignabitur deus, tuis [tamen] [4] muneribus me omni anno inuisendum precepit altissimus: ad presentem fontem cum munere tuo festinabis, et quicquid illud fuerit, deo prius commissum in fonte confidenter depones: videbis statim depositum tuum a fonte per riuum deduci et impetu decurrentis [5] aque vsque ad mare traiici; marisque elemento dei voluntati obtemperante atque ministerium prebente, quod tu in fonte deposueris ad mei hospitioli ianuam transferetur.' Hiis dictis, ad ecclesiam eam reducens, ait: 'Ego nunc hinc abeo, deo alias pro modulo meo famulaturus, tuique deuotionem dum vixero cum dulci memoria habiturus.' Et hec dicens, assumpto solummodo baculo suo abire cepit, omnem domus sue supellectilem et quicquid per fidelium manus deus sibi donauerat, totum beate virgini eiusque consortibus derelinquens. Beata autem Wenefreda nobilium filias secum congregans, docebat eas castitatem amare atque spretis omnibus mundi blandientis [6] illecebris leui iugo Christi colla submittere et per

[1] T. consparsi. [2] T. consparsionem. [3] *al.* demonstrant . . . seruant. [4] om. [5] E. decurrentes. [6] E. blanditiis.

regularis normam propositi[1] se dei seruitio mancipare. Singulis itaque annis, kalendis Maii, aliquod munus magistro suo transmittebat, et panniculus, quo casula siue quid tale inuoluebatur, nullam lesionem ab aqua patiebatur, vel minimam aque infusionem sentiebat, sed omnino siccus permanens impetu decurrentis aque per riuum est deductus atque per mare transuectus. Et licet quinquaginta miliaria illos separabant, vnius tamen[2] noctis spacio per marinos fluctus [munus] ad viri dei ianuam inuentum est. Ex hoc autem beato viro additum est cognomen, memoriale vsque in hodiernum diem. Nam Beunous Casulsek, id est 'Beunous casula sicca' vocatur, eo quod per aquas ab aquis illesa ad eum sicca casula deferretur. Defuncto tandem beato Beunoo, sancta Wenefreda admonitione diuina sanctum virum nomine Deiferum adiit. Erat quippe vir ille magnus coram domino, de quo refertur quod fontem de terra erumpere fecerit, multis infirmis sanitatem conferentem. Cum autem sancta Wenefreda ad sanctum Deiferum veniret, sancto in oratione nocte illa persistenti vox de celis insonuit, dicens: 'Dic charissime filie mee Wenefrede quatinus ad virum nomine Saturnum pergens, quid actura sit audiat et in quo loco omni vite sue tempore sit mansura discat.' Ad quem cum virgo[3] sancta venisset, ait: 'Est locus quidam, Witheriacus appellatus, ab omni populo in maxima reuerentia habitus: hunc locum te inuisere precepit deus atque dum vixeris inhabitare, tuisque exemplis aliorum animos informare. Ibi est enim multarum virtutum abbas, nomine Elerius, quem iugis gemitus et oratio perseuerans ita ab omnibus secularibus curis liberum reddiderunt, vt iam nil terrenum sapiat, nihil mundane delectationis[4] affectet, totus celestibus intentus.' Quo cum virgo sancta pergeret, abbas Elerius per spiritum sanctum eius aduentum prenoscens, in occursum illius proficiscitur; eamque honorifice suscipiens, ad virginum conuentum introduxit et virginum curam atque custodiam ei commisit. Quicunque eger ad illam veniens[5], sospitate recepta incolumis redibat, et tristis omnis leticiam mentis et consolationem reportabat. Nocte tandem quadam orationibus vacanti Ihesus Christus apparens diem obitus sui in proximo instare innotuit. Vnde quarto nonas nouembris plena virtutibus et operibus bonis spiritum deo reddidit, sepultaque est iuxta sanctum Chebium[6] et Senanum. Per illam enim omnipotens deus multa miracula operari dignatus est: inter que filiam fabri cuiusdam a natiuitate cecam illuminauit. Latrones quidam in territorio sancte Wenefrede vaccam rapientes, diuerterunt per viam duram et saxosam, in qua nec ipsorum nec animalis vestigia cognosci posse putabant. Confestim tamen pedes suos vsque ad genua humo vacca infigebat, et tam in saxis quam in dura et arida via vestigia patenter apparebant. Quocunque enim latrones procedentes ince-

[1] E. propositi normam. [2] E. cum. [3] E. virga. [4] E. dilectionis. [5] *al.* veniebat. [6] E. Chebeum.

debant, semper impressiones pedum animalis clare[1] videri poterant. Sicque tandem relicta in nemore vacca, latrones velociter fugientes se occultabant. Cum pueri tenelli aliquo sui corporis incom[m]odo laborantes egrotare ceperint, proiectos in ipsius scaturigine fontis[2] et pernicitate fluminis reiectos matres eorum hilares et sospitati restitutos repente eos suscipere consueuerunt. In descensu eiusdem riui optimum molendinum construitur, quod nunquam ymbrium siue niuis habundantia profluente aut aliqua vrentis gelu siue estiue siccitatis molestia perstringente molere desistit. Quod semel latrones ingressi, ferramenta omnia seu instrumenta secum auferebant. Et cum illa suo molendino detulissent, nec rota circuire nec officialibus illis aliquis profectus, donec reportata fuerant, poterat euenire. Post multorum annorum curricula, anno scil. gratie millesimo centesimo tricesimo octauo, ossa sancte[3] Wenefrede virginis apud Salopiam[4] ad monasterium monachorum cum magno honore translata sunt.

[MS. Tib. adds: ¶ *Narratio*[5].

Anno domini[6] millesimo centesimo octuagesimo erat uir quidam in urbe Huntingdonie operibus manuum suarum uictum querens, qui ex concubina sua filium genuit nomine Herebertum. Defuncta autem concubina, aliam introduxit: cuius potissime[7] consilio inductus, per noctis tenebras filium suum usque ad fluuium sub urbe decurrentem detulit et petram in sinu puerili[8] ligans, innocentem cum conamine in ampnem[9] proiecit. Nec mora, unda tranquilla famulante, ad ripam in qua stabat pater eius rehicitur. Cumque id idem tercio factum fuisset, unice prolis punitor obstupescens, spinam dorsi puerilis teneram fregit, pectus quassauit, et paxillos ligneos in extremitate uestium infigens, fluuium intrauit et inter lutosos laticum sinus cum prefatis paxillis corpusculum fundotenus confixit. Post hec uero die[10] quintadecima uirtute diuina corpus[11] cum paxillis in tunica fixis, corpore integro et[12] cute candente reperitur, et in ecclesia sancte Marie urbis eiusdem in tumulo marmoreo sepelitur. In loco uero martirii[13] capella fundatur, ubi miracula non nulla fieri uidentur, inter que sic legitur. Vir quidam nobilis filiam decem annorum, alteram duodecim, a natiuitate surdas et mutas habuit: (ad locum ubi) puer Herebertus occisus est, cum filiabus (quantocius) accessit. Cumque[14] sanitatem consecute fuissent et tam auditus quam loquele facultatem percepissent, quicquid eis a loquentibus[15] quesitum fuerat, et ipse loquebantur. Et cum inquirentes dicerent: 'Potestis uos audire et loqui?', non respondebant 'possumus,' set eadem uerba latina in secunda persona respondebant: 'Potestis uos audire et loqui?' Sicque gallice et anglice eodem modo querenti-

[1] E. clari. [2] E. fontis scaturigine. [3] E. sancta. [4] E. solopiam. [5] Same text in MS. Bodl. 240, p. 614. [6] Bodl. gracie. [7] B. om. [8] B. pueri. [9] B. fluuium. [10] B. Die vero post hec. [11] B. corpus pueri virtute diuina. [12] B. cum. [13] B. m. eius. [14] B. Vbi cum. [15] B. ab interrogantibus.

bus in secunda uerbi persona respondebant. Per hoc uero quod nullius lingue sermonem intelligebant, illas ante miraculum non audisse palam inquisitores intelligebant[1].]

¶ De sancta Werburga virgine[2].

SPonsa Christi decentissima virgo Werburga, regis filia[3], in Cestria ciuitate requiescit, meritorum signis gloriosa. Clara est in tota Anglia, et pura sanctitate, et regia dignitate, et virtutum attestatione. A primis enim Anglorum regibus per prothodoctorem Augustinum conuersis originem traxit. Ethelbertus enim rex Cancie ex Berta regina, filia regis Francorum, Edbaldum cum Ethelburga filia procreauit. Ethelburga vero regina post regis Northanhumbrorum Edwini interfectionem ad fratrem Edbaldum reuersa, in villa Liminga monasterium edificauit, in quo cum sancta Edburga requiescit. Edbaldus quoque ex alterius regis Francorum filia Emma Ermenredum atque Ercombertum principes, sanctamque virginem Eanswidam, que apud Folkstan deposita veneratur, propagauit. Ermenredo autem ex inclita coniuge Oslaua nati sunt Ethelredus et Ethelbrictus, quos innocenter iugulatos splendida lucis columpna de celo prodidit martires Christi. Fratri vero Ermenredi, Ercomberto regi, Anne regis filia Sexburga, sancte Etheldrede soror, coniuncta, peperit Egbrightum et Lotarium reges, atque Ermenildam et Erkengodam reginas. Ermenilda Wlfero regi Merciorum, Pende regis filio, tradita, sanctam virginem Werburgam generauit. Beatissima vero matertera eius Erkengoda sacre religionis amore peregrinata trans mare requiescit, vbi se a domino susceptam tanquam aduenam suam multis virtutibus ostendit. Hec itaque virgo Werburga a tenero[4] eui flore cepit speciosa facie cum speciosa mente ad illum qui speciosus est forma pre filiis hominum, contendere[5], amoreque virginitatis ad Christum conualuit[6], terrenas concupiscentias abhorruit, procos et amatores repulit. Aurum, gemme, vestes auro texte, et quicquid fert pompatica mundi iactantia, onerosa sibi magis erant quam gloriosa. Demum ad eliense monasterium commigrans, sub matertera sua Etheldreda sacre religionis habitum sumpsit; fastum mundi calcando humilem se Christo ancillam exhibens, omnes monasterii sorores humilitate superabat omnibusque

[1] Ant. and Coll. in T.:

Virgo pia Wenefreda pollens in miraculis, Tua prece nos emunda peccatorum maculis, Et a cunctis uite huius defende periculis. Ora pro nobis.

Deus qui meritis et precibus beati Beunoi famuli tui sanctam uirginem Wenefredam decollatam resuscitasti et annis quindecim iugiter tibi seruire fecisti: illa intercedente peccatorum ueniam et eternam felici . . . .

[2] Abridged from the Vita by Goscelin in A. SS. Boll. Febr. I. p. 391. [3] T. Filia regis et sponsa Christi dec. uirgo W. [4] E. te vero. [5] T. E. conscendere; r. contendere. [6] *al.* conuolauit.

se inferiorem exhibebat, erga omnium necessitates charitatis viscera impendebat. Mortuo tandem patre eius, rege Wlfero, successit Ethelredus frater eius[1]; qui omnium monasteriorum sanctimonialium totius regni sui ei tradidit principatum. Sancta itaque Werburga erga subiectos ita erat magistra vt potius ministra videretur. Omnes attentius exemplo erudiebat quam imperio. Abstinentiam pro delitiis, vigilias pro solempniis[2], labores pro voluptate, lectiones et orationes sacras pro epulis habebat. Corpore in terris, animo conuersabatur in celis. Cum autem virgo sancta in Wedune mansione, quod est iuxta Hamptoniam, moraretur, agros eius infinita aucarum siluestrium depopulabatur multitudo. Quod cum quidam ei nunciaret, precipit vt illuc pergeret et omnes adducens in custodiam recluderet. Quod cum faceret, nulla de tanto cetu pennam ad volandum leuauit, sed quasi implumes vel alis excisis pedestri incessu, submissis collis velut pro confusione reatus sui trepide ad locum virginis adducte[3], per totam noctem recluduntur captiue. Mane autem facto eleuatis vocibus concrepantes, quasi veniam et emigrandi licentiam a virgine deposcebant. At illa, erga omnem creaturam benignissima, absolutas illas dimitti iubet, interminans ne vltra in illum locum regredi presumant. Et cum vnam ex illis quidam ministrorum furto auferens occultasset, omnes eleuatis pennis in aera se sustulerunt et circumspiciendo quasi sese[4] requirentes dampnum contubernii sui vna absente perpendunt. Et ecce confestim omnis illarum exercitus supra domum virginis congregatus, ingenti strepitu iniuriam suam conqueritur. Audiens autem virgo sancta clamores illarum et querimoniam, ac causam intelligens, perscrutatum protinus furtum reus ipse publicat, receptamque volucrem sodalibus associat; et simul omnes abire pia virgo mandat. Nec mora, omnis illa concio ita auolare cepit vt nulla huius generis auicula in ipsa terra vltra reperta sit. Erat autem illi armentarius pie conuersationis vir, Alnothus nomine; quem cum villicus cruentissimo laniaret verbere, et ille omnia patienter toleraret, virgo sancta ad pedes eius procidens, cum prece simul et increpatione, vt innocenti parceret exclamauit. Quam cum ille pre furore et superbia non exaudiret, dura continuo ceruix et facies torua superna indignatione in terga illi reflectitur. Sicque ad pedes virginis prouolutus veniam cum lachrimis deprecatur: et interueniente sancta virgine, in pristinum statum reparatur. Armentarius tandem ille in silua quadam anachoriticam ducens vitam, a latronibus martirizatur. Sancta itaque Werburga obitum suum prenoscens, suis omnibus precepit vt vbicunque ex hac luce migraret, apud hamburgense cenobium corpus eius transferrent et incunctanter sepelirent: Et cum tertio nonas februarii migrasset ad domi-

[1] T. eius frater. [2] T. solempniis; E. sompniis. [3] E. abducte. [4] Boll. sese quasi.

num, corpus eius ad ecclesiam de Trikingham defertur; et obserratis[1] diligentissime ianuis custoditur. Et dum nocte ipsa attentius vigilarent, subito sopor grauissimus omnes inuasit: et superueniente copiosa Hamburgensium[2] plebe, omnia ostia monasterii, cadentibus in terram seris et vectibus, reserantur. Corpus secum auferentes nullo resistente, cum leticia deducunt, et honorifice sepulture tradunt. Ibi enim sanitas egrotis, lumen cecis, auditus surdis, sermo mutis restituitur, leprosi mundantur, et diuersis languoribus oppressi percepta salute gratulantur. Post nouem siquidem annos cum de terra corpus eius eleuaretur, incorruptum repertum est et illibatum; vestes nitide et sane omnino apparuere, et facies candida, et gene rosee vise sunt. Sicque durauit corpus eius incorruptum vsque ad tempora Danorum, quando iusto dei iudicio gens Anglorum tradita est, peccatis suis exigentibus, gladiis paganorum punienda. Tunc enim in cinerem caro eius resoluitur, ne impiis manibus eam hostes contingerent miraculorum dei increduli et beneficiorum ingrati. Translataque tunc sunt ossa eius apud Cestriam, vbi vsque in hodiernum diem requiescunt meritisque eius crebra miracula fiunt.

Narratio[3].

Non multum ante hec tempora sanctus Maurelius, andegauensis episcopus, cum missam celebraret, quedam mulier cum moriente puero veniens, filio suo manuum suarum impositione spiritum sanctum dari antequam obiret, postulauit: sed episcopo in missa paululum morante, infans mortuus est. Episcopus autem, omnem culpam sibi imputans, ciues patriamque relinquens, claues reliquiarum ecclesie[4] ignoranter secum detulit; et veniens ad mare, transitus sui diem in lapide exarauit. Ascensa naui, instigante humani generis inimico claues reliquiarum repente de manibus eius elapse in mare submerse sunt. Tunc episcopus cum lachrimis exclamare cepit: 'Nisi has claues videre meruero, patriam et vrbem nunquam repetam quam effugio.' Transito mari, mutatoque habitu, vni regionis principum in ministerio hortolani seruiuit; et tantam copiam olerum dominus illi dabat, vt omnibus indigentibus sine defectu sufficerent. Ciues interim andegauenses crebris visionibus admonentur vt pastor circumquaque requisitus ecclesie sue redderetur, alioquin vrbem celerius fore subuertendam cognoscerent[5]. Missis ergo per septennium nunciis, tandem in littore maris britannici scriptum in lapide viderunt 'Hic transiit Maurelius, andegauensis episcopus.' Leti [igitur][6] intrantes nauem et mare sulcantes, piscem immanem in nauem prosilientem cernunt: exenterant, et claues, quas episcopus

[1] E. obseratis et. [2] E. hamburgentium. [3] Ex Vinc. Bell. XVII. 24.
[4] E. reliquiarum ecclesie claues. [5] om. in VB. [6] T. igitur; E. ergo.

in mari amiserat, reperiunt. Transito mari, ad domum principis cum quo Maurelius habitabat perueniunt. Quorum lachrimis, et clauium ostensione ad ecclesiam suam desolatam reditum maturare humiliter rogatus, audiuit in sompnis angelum dicentem sibi: 'Ecce meritis tuis oues tibi commissas seruauit dominus pro quibus rogasti; insuper et puerum quem diu plorasti, reddet tibi.' Regresso itaque ad vrbem suam episcopo, aperto pueri sepulchro et oratione completa vtrique consurgunt Maurelius de oratione, et puer a morte. Quo confirmato, ex euentu eum 'Renatum' vocauit; instruxit; qui in episcopatu virtutibus et miraculis florens ei succedere meruit.

¶ De sancto Wilfrido episcopo et confessore[1].

REgnante autem in Cancia rege Edbaldo, et in Northanhumbria rege Oswaldo, de inclita gentis Anglorum prosapia anno domini sexcentesimo tricesimo quarto natus est Wilfridus, euestigio sanctus celesti prodigio designatus. Cum enim intempeste noctis silentio puer beatus[2] prodiret ab aluo, columpna ignis super domum in qua nascebatur celitus emissa, omnes noctis tenebras radio sue lucis abstersit. Tunc vicini prorumpentes ad ignem cito currunt, et flammam radios emittentem[3] inueniunt, sed domum nil lesionis pati, mirantes aspiciunt. Cum enim esset puer bone indolis, atque etatem moribus transcendens, nil puerilis leuitatis, nil insolentie in suis moribus admittere voluit, sed ita modeste in omnibus se gerebat, vt etiam a maioribus amaretur et veneraretur. Non garrulitati, non detractioni aut contentioni, sed hiis que dei sunt, summo studio adherebat. Vbi vero quartumdecimum etatis attigit annum, ad reginam venit Elfledam, cui intentionis[4] propositum innotuit vt relicto seculo dei se manciparet obsequio. Quem ad insulam lindisfarnensem misit et monachorum collegio sociari fecit. In quo monasterio cum aliquot annis Christo seruiret, proposuit animo Romam ire. Quem regina predicta misit ad regem Cancie Ercombertum, filium auunculi sui, postulans vt eum honorifice Romam transmitteret. Cum quo aliquantisper demoratus, iubente rege cum Benedicto cognomento Biscop[5] iter versus Romam arripuit. Qui cum Lugdunum peruenissent, a Dalfino eiusdem ciuitatis episcopo honorifice suscepti sunt: Wilfrido autem a pontifice retento, Benedictus Romam vsque profectus est. Delectabatur enim antistes prudentia iuuenis, gratia venusti vultus ac maturitate intentionis. Vnde queque necessaria ipsi ac sociis eius, dum secum esse volebant, habundanter tribuebat, et insuper offerebat vt, si vellet, partem Gallie non mini-

[1] Abridged from the Vita by Eadmer, in A. SS. Boll. Apr. III. p. 296, with additions from Beda. The older life by Heddius in MS. Fell 1, which is the missing Salisb. MS., and Vesp. D vi; ed. in Gale III has not been used.
[2] Eadm. matris. [3] T. emittentes. [4] Eadm. sue mentis. [5] E. biscob.

mam illi regendam committeret, ac filiam fratris sui virginem illi coniugem daret, eumque adoptiuum[1] semper haberet. At ille gratias agens pietati quam erga eum, cum esset peregrinus, habere dignaretur, respondit, propositum se magis alterius conuersationis habere, atque ideo patria relicta Romam iter agere cepisse. Quibus auditis, misit eum antistes Romam, datis habundanter pro via necessariis; obsecrans quatinus de Roma rediens ad se declinaret. Vt autem Romam venit, beatissimi apostolorum principis limina orandi gratia petiit. Egressus inde et oratorium sancti Andree[2] ingressus humique prostratus, sic orare cepit: 'Piissime apostolorum dei, frater beatissimi apostoli Petri, en ego peregrine prouincie [ciuis][3] ad tua limina veni, veniam pro peccatis postulaturus. Precor ergo te, per pietatem quam ceteris prestare probaris, vt veniam peccatorum, quam per te obtinere confido, non queram in vanum, ne mihi tante progressio vie[4] procedat incassum. Verum vt experiar vincula mee impietatis per tua merita solui, solue, queso, impedimenta ingenii mei et lingue mee, quatinus verbi dei misteria corde percipere, et diserto eloquutionis modo eadem aliis valeam insinuare.' Nec[5] citius verba orationis compleuit, quam viuacissimum mentis ingenium et promptissimum eloquutionis modum se percepisse cognouit. Rome igitur degens, orationi [atque][6] meditationi vacans, a Bonifacio, sedis apostolice archidiacono, quatuor libros euangeliorum, rationabilem pasche terminum, aliaque nonnulla didicit. Ecclesiastica igitur disciplina imbutus, rediit, Dalphinum episcopum adiit, et tribus annis cum eo mansit; a quo attonsus, et in tanto est amore habitus, vt illum sibi heredem facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, antistes est crudeli morte prereptus, et Wilfridus ad Angliam est regressus. Siquidem regina Francorum Batildis ea tempestate ecclesie Christi persequutionem intulit, deprecationi estuabat et [multos][7] ecclesie morte turpissima dampnabat, vnde inter innumeros[8] minores, octo ecclesiarum patres cum predicto antistite nequiter tradidit perimendos. Quem vsque [ad][3] locum sue neci dispositum Wilfridus sequutus est, cupiens pro eo, si permitteretur, simul gladio mori. Verum, ne id fieret, episcopus modis omnibus interdixit. Corpus tamen occisi debito honore tumulauit, et Angliam rediit. Cuius fama sanctitatis et prudentie, eloquentie atque apostolice doctrine circumquaque innotuit. Eo tempore regnabat in Northanhumbria Oswi, cum filio suo Alfrido, qui ob famam sancti Wilfridi ripensem ecclesiam, que modo Ripun[9] vocatur, cum hiis que sui iuris erant, regali munificentia eidem contulerunt[10]. Quem videlicet locum dederant[11] pridem ad construendum inibi monasterium hiis qui Scotos

[1] Bed. loco adoptiui. [2] In that monastery Gregory had been monk. [3] om. [4] E. vie progressio. [5] Eadm. non. [6] T. atque; E. et. [7] T. multos; E. ministros. [8] E. in numero. [9] T. rypun. [10] r. contulit. [11] Bed. dederat.

sequebantur; verum, quia illi postmodum optione data maluerunt loco cedere, quam pascha catholicum ceterosque ritus canonicos iuxta romane et apostolice ecclesie consuetudinem recipere, dederunt[1] hoc illi quem melioribus imbutum disciplinis ac moribus viderunt[2]; et ab Ailberto, Gewissorum, id est Occidentalium Saxonum, episcopo, presbiterum consecrari fecerunt. [3]Mota est ea tempestate questio de obseruatione pasche: nam Scoti, et etiam Aidanus et Finanus et plures Angli, contra morem vniuersalis ecclesie pascha celebrabant. Vnde nonnunquam contigit vt bis in anno pascha celebraretur et cum rex Oswi pascha solutis ieiuniis faceret, tunc regina cum suis persistens adhuc in ieiunio diem palmarum celebraret. Hec autem dissonantia paschalis obseruantie, viuente Aidano, patienter ab omnibus tolerabatur, qui patenter intellexerant quia, etsi pascha contra morem eorum qui ipsum miserant facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis et dilectionis iuxta morem omnibus sanctis consuetum diligenter exequi curauit, vnde ab omnibus, etiam hiis qui de pascha aliter sentiebant, merito diligebatur[4], nec solum a mediocribus, verum ab episcopis Honorio Cantuariorum, et Felice Orientalium Anglorum, veneratione[5] habitus est. Vnde merito mouit hec questio sensus et corda multorum, timentium ne forte accepto christianitatis vocabulo in vacuum currerent aut cucurrissent. Facta est itaque synodus in monasterio Hilde abbatisse apud Streneshalch —quod modo Whiteby vocatur—vbi questio ventilari[6] deberet et terminari. Vbi conuenerunt reges Oswi et filius eius Alfridus, Ailbertus episcopus cum beato Wilfrido: contra quos Colmanus episcopus cum suis clericis venit, et Hildam abbatissam secte sue fautricem, et episcopum Ceddam, cum aliis pluribus habuit. Habito autem silentio, rex Oswi tali modo loquutus est: 'Hactenus, patres venerandi, scisma in ecclesiis Christi exortum quosdam minus veritati[s][7] studentes ad tantum errorem perduxit, vt bis in anno (quod dictu nephas esse probatur) sanctum pascha sit celebratum[8]. Qui enim viam indiuiduam perueniendi ad vitam solummodo Christum noscuntur habere, absurdum valde fore dinoscitur, ipsum Christum in suis misteriis velle dissona obseruatione diuidere. Ea re in hanc me sententiam ipsa rationis necessitas potissimum duxit, quatinus vtriusque partis defensores vna uenire iussio nostra constringeret; quo vtrimque ratione audita, quid sequendum, quid fugiendum sit, discusso errore queamus inspicere.' Tunc Colmanus episcopus ait: 'Pascha, inquit, a quartadecima luna vsque ad vicesimam celebramus, et celebrandum confirmamus, et ita fieri oportere valida auctoritate comprobamus. Beatissimus enim Iohannes Euangelista eodem, quo nos, ordine illud celebrauit et quibus prefuit ecclesiis celebrandum instituit. Hoc per

[1] B. dedit. [2] B. vidit. [3] Cf. Beda, III. 25. [4] E. diligibatur. [5] T. E. veneratione. [6] E. ventulari. [7] E. veritati. [8] so T.; E. celebratum sit.

successionem sanctorum virorum ad nos vsque perlatum, et a nobis obseruatum, asserimus nulla ratione violandum.' Quo hec et huiusmodi nonnulla dicente, iussit rex Ailbertum episcopum sue morem obseruationis[1] in medium proferre, vt sciretur quo principio, cuiusue niteretur auctoritatis institutione. Et ille: 'Loquatur Wilfridus presbiter vice mea, obsecro, quia vnum ambo sapimus, cum ceteris qui hic assident ecclesiastice traditionis cultoribus; et ille melius et manifestius ipsa lingua Anglorum, quam ego per interpretem, potest explanare que sentimus.' Tunc Wilfridus ad iussum regis exorsus, Colmanum non solum auctoritate[2] beati Iohannis falso niti, aperta ratione monstrauit, verum contra Iohannem, contra legem, et euangelium, necnon doctrinam apostolorum, immo et contra vniuersalis ecclesie morem eum sentire in paschali obseruatione probauit; dicens: [3]'Pascha quod facimus, vidimus Rome, vbi beati apostoli Petrus et Paulus vixere, docuere, passi sunt et sepulti, ab omnibus celebrari. Hoc in Italia, [hoc][4] in Gallia, quas discendi vel orandi studio pertransiuimus, ab omnibus agi conspeximus. Hoc Europam, Asiam, Egiptum, Greciam, et omnem orbem vna cum Christi ecclesia per diuersas nationes et linguas, vno ac non diuerso temporis ordine gerere[5] comperimus, preter hos tantum, et obstinationis eorum complices, Pictos dico, Scotos et Britones, cum quibus[6] de duabus vltimis occeani insulis, et hiis non totis, contra totum orbem stulto labore pugnant.' Cui Colmanus: 'Mirum quare stultum appellare velitis laborem nostrum, in quo tanti apostoli, qui super pectus domini recumbere dignus fuit, exempla sectamur; cum ipsum sapientissime vixisse omnis mundus nouerit.' Wilfridus ait: 'Absit, inquit, vt Iohannem stulticie reprehendamus, cum scita legis mosaice iuxta litteram seruaret, iudaizante adhuc in multis ecclesia, nec subito valentibus apostolis omnem legis obseruantiam, que a deo instituta est, abdicare, quomodo simulachra que a demonibus inuenta sunt repudiare omnes qui ad fidem veniunt necesse est; videlicet ne scandalum facerent eis qui inter gentes erant Iudeis. Hinc est enim quod Paulus Timotheum circumcidit, quod hostias in templo immolauit, quod cum Aquila et Priscilla caput Corinthi[7] totondit: ad nihil videlicet vtile, nisi ad scandalum Iudeorum vitandum. Hinc[8] quod eidem Paulo Iacobus ait: "Vides[9], frater, quot[10] milia sunt in Iudeis qui crediderunt, et omnes hii emulatores sunt legis." Nec tamen hodie, claresente per mundum euangelio, necesse est, immo nec licitum fidelibus vel circumcidi vel hostias deo victimarum offerre carnalium. Itaque Iohannes secundum legis consuetudinem quartadecima mensis primi ad vesperam incipiebat celebrationem festi

[1] E. obseruationis morem. [2] E. auctoritati. [3] Cf. Beda, III. 25. The following is om. in Eadmer's life. [4] T. E. Grecia. [5] T. E. geri. [6] T. cum quibusdam, E. qui cum quibusdam. [7] E. chorinthi. [8] so T.; E. Hinc est. [9] E. Videns. [10] T. quod.

paschalis, nihil curans vtrum hec sabbato, an alia qualibet feria proueniret. At vero Petrus, cum Rome predicaret, memor quia dominus prima sabbati surrexit a mortuis ac mundo spem resurrectionis contulit, ita pascha faciendum intellexit vt secundum consuetudinem ac precepta legis, quartamdecimam lunam primi mensis, eque sicut Iohannes, orientem ad vesperam semper expectaret: et hac exorta, si dominica dies, que tunc prima sabbati vocabatur, erat mane ventura, in ipsa vespera pascha dominicum celebrare incipiebat, quomodo nos omnes hodie facere solemus. Sinautem dominica non proximo mane post lunam quartamdecimam, sed in sextadecima aut septimadecima aut alia qualibet luna vsque ad vicesimamprimam esset ventura, expectabat eam, et precedente sabbato vespere sacrosancta pasche solemnia inchoabat; sicque fiebat vt dominica pasche dies non nisi a quintadecima luna vsque ad vicesimam primam seruaretur. Neque hec euangelica et apostolica traditio legem soluit, sed potius adimplet[1], in [qua][2] obseruandum pascha a quartadecima luna primi mensis ad vesperam vsque ad vicesimamprimam lunam eiusdem mensis ad[3] vesperam preceptum est; in quam obseruantiam imitandam omnes beati Iohannis successores in Asia post obitum eius, et omnis per orbem ecclesia conuersa est. Et hoc esse verum pascha, hoc solum fidelibus celebrandum, in niceno concilio[4] non statutum nouiter, sed confirmatum est, vt Ecclesiastica docet historia. Vnde constat vos, Colmane, neque Iohannis, vt estimatis[5], exempla sectari, neque Petri, cuius traditioni scientes contradicitis, neque legi, neque euangelio in obseruatione vestri[6] pasche congruere. Iohannes enim ad legis mosaice decreta tempus paschale custodiens, nihil de prima sabbati curabat: quod vos non facitis, qui non nisi prima sabbati pascha celebratis. Petrus a quintadecima luna vsque ad vicesimam primam diem pasche dominicum celebrabat: quod vos non facitis, qui a quartadecima vsque ad vicesimam lunam diem dominicum pasche obseruatis; ita vt tertiadecima luna ad vesperam sepius pascha incipiatis, cuius neque lex vllam fecit mentionem, neque auctor ac dator euangelii dominus in ea, sed in quartadecima vel vetus pascha manducauit ad vesperam, vel noui testamenti sacramenta in commemorationem sue passionis ecclesie celebranda tradidit. Lunam enim[7] vicesimam primam, quam lex maxime celebrandam commendauit, a celebratione vestri pasche funditus eliminatis. Sicque, vt dixi, in celebratione summe festiuitatis neque Iohanni neque Petro neque legi neque euangelio concordatis.' Tunc Colmanus ait: 'Nunquid Anatholius[8] vir sanctus, et in prefata Ecclesiastica historia multum laudatus[9], legi vel euangelio contraria sapuit, qui a quartadecima vsque ad vicesimam pascha cele-

[1] E. adimpleuit. [2] om. [3] T. E. vsque ad. [4] E. consilio. [5] Bed. autumatis. [6] E. nostri. [7] Bed. Item lunam. [8] *al.* Anatolius. [9] E. laudatis.

brandum scripsit? Nunquid reuerentissimum[1] patrem nostrum Columbam et successores eius viros deo dilectos, qui eodem modo pascha fecerunt, diuinis paginis contraria sapuisse, vel egisse[2] credendum est: cum plurimi fuerint in eis quorum sanctitati celestia signa et virtutum que fecerunt miracula testimonium prebuerunt? Quos ipse sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam, mores et disciplinam sequi non desisto.' Wilfridus ait: 'Constat, inquit, Anatholium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum; sed quid vobis cum illo, cum nec eius decreta seruetis? Ille enim in pascha suo, regulam vtique veritatis sequens, circulum decem et nouem annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum et a tota Christi ecclesia custoditum pro nichilo contempnitis. Ille sic in pascha dominico quartamdecimam lunam computauit, vt hanc eadem ipsa die more Egiptiorum quintamdecimam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic iterum vicesimam die dominico pasche annotauit, vt declinata eadem die esse vicesimam primam crederet. Cuius regulam distinctionis vos[3] ignorasse probat[4], quod aliquotiens pascha manifestissime ante plenilunium, id est in tertiadecima luna facitis. De patre autem vestro Columba et sequacibus eius, quorum sanctitatem vos imitari, et regulam ac precepta celestibus signis confirmata sequi perhibetis, possem[5] respondere quia multis in iuditio dicentibus domino quod in nomine eius prophetauerunt[6] et demonia eiecerunt et virtutes multas fecerunt, responsurus sit dominus quia nunquam eos nouerit. Sed absit vt hoc de patribus vestris[7] dicam: quia iustius multo est de incognitis bonum credere, quam malum. Vnde et illos dei famulos ac deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica et[8] intentione pia deum dilexerunt. Neque illis multum obesse reor talem pasche obseruantiam, quamdiu nullus aduenerat qui eis instituti perfectioris decreta, que sequerentur, ostenderet: quos vtique credo, si qui tunc ad eos catholicus calculator aduenisset, sic eius monita fuisse sequuturos, quomodo ea que nouerant ac didicerant dei mandata probantur fuisse sequuti. Tu autem et socii tui, si audita decreta sedis apostolice, immo vniuersalis ecclesie, et hec litteris scriptis[9] confirmata, sequi contempnitis, absque vlla dubietate peccatis. Etsi patres tui sancti fuerunt, nunquid vniuersali que per orbem est ecclesie Christi, eorum est paucitas vno de angulo extreme insule preferenda[10]? Et si sanctus erat ac potens virtutibus ille Columba vester, immo et noster si Christi erat, num preferri potuit beatissimo apostolorum principi, cui dominus ait "Tu es[11] Petrus et super hanc petram edificabo ecclesiam meam et porte inferi non preualebunt aduersus eam et tibi dabo claues regni celorum?"' Hec perorante Wilfrido, dixit rex: 'Verene,

[1] T. reuerendissimum. [2] T. E. legisse. [3] E. nos. [4] T. E. probatur. [5] T. E. possim. [6] *al.* prophetauerint. [7] E. nostris. [8] *al.* set. [9] *al.* sacris. [10] E. perferenda. [11] E. est.

Colmane, hec illi Petro dicta sunt?' Qui ait: 'Vere rex.' Et ille: 'Habetis, inquit, vos proferre aliquid tante potestatis vestro Columbe datum?' Et ille: 'Nihil.' Rursum rex: 'Si vtrique vestrum, inquit[1], in hoc sine vlla controuersia consentiunt, quod hec principaliter [Petro][2] dicta, et ei claues regni celorum sint date[3] a domino?' Responderunt: 'Etiam.' At ille ita conclusit: 'Et ego vobis dico quia hic est ostiarius ille cui ego contradicere nolo; sed in quantum noui vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis; ne forte, me adueniente ad fores regni celorum, non sit qui reseret[4], auerso illo qui claues tenere probatur.' Hec dicente rege, fauerunt omnes, et abdicata minus perfecta institutione, ad ea que meliora cognouerant se transferre festinabant. Finito autem conflictu, Colmanus lindisfarnensis episcopus videns spretam suam doctrinam, sectamque esse despectam, assumptis hiis qui sequi voluerunt, qui pascha catholicum et tonsuram corone—nam et de hoc questio non minima erat— recipere nolebant[5], Scotiam regressus est, tractaturus[6] cum suis quid de hiis facere deberet. Cedda autem episcopus, relictis Scotorum vestigiis, agnita obseruatione catholici pasche ad sedem suam rediit. Facta est autem hec questio anno domini sexcentesimo sexagesimo quarto. Vir autem domini Wilfridus apud omnes venerationi habitus, a rege Alfrido et tota plebe ad pontificatum (eboracensem[7]) eligitur; et licet toto annisu, ne hoc fieret resistere temptaret, importunitate omnium tandem victus, ad Gallias mittitur consecrandus. Quo ibi moram trahente, Oswi rex, malorum instigatione circumuentus, Ceddam abbatem Lestingai eboracensi ecclesie prefecit. Wilfridus tandem ad patriam rediens, marina tempestate in regionem Australium [Saxonum][8], paganicis erroribus detentam, proiicitur; fluctibus vero in sinus suos illico retractis, pagani indigene aduolant, nauem et omnia que in ea erant in ius suum vendicant, et aut captiuitate aut morte sibi resistentes, obstinato corde inuoluere proponunt. Quo cognito, vir dei copiosam[9] eis pecuniam[10] obtulit, et vt ab intentione sua recederent, postulatione[11] humili admonuit. Cumque illi ferociores effecti a proposito nullatenus reuocari possent, pontificis socii, premissa ad deum prece, arma arripiunt, magis volentes bello occumbere quam ignaua captiuitate longioris vite spacia seruando[12] producere. Paganis itaque tela dirigentibus, sacerdotum princeps ydolorum in tumulo excelso, suis incantationibus quasi suos benedicendo confortare, et viri sancti socios maledicendo eneruare[13] satagebat. Et ecce iuuenis quidam Wilfridi minister funda lapidem iecit, et magum in frontem percutiens extinxit. Insurgentibus[14] ergo acerrime paganorum insultibus, Wilfridus ad preces se prosternit:

[1] T. E. i. rex. [2] om. [3] T. E. dati. [4] T. E. reserat. [5] E. volebant. [6] T. E. tracturus. [7] om. in T. Eadm. [8] om. [9] E. copiosum. [10] E. pecuniarum thesaurum; T. Eadm. pecuniam. [11] E. postulationi. [12] *al.* servanda. [13] E. enarrare. [14] T. Insurgenti.

domino autem pro suis pugnante, inimica manus confusa et victa discedit. Cumque, tertio victi, se ad quartum prelium pararent cum rege suo, meritis sancti viri multo ante horam mare effluxit, nauem extulit et, quinque suorum solum occisis, sanctum dei in Sandicum portum prospere euexit. Et audiens Ceddam sibi subrogatum, placido vultu et hilari pectore Ripun[1] perrexit, ibique seruitiis dei intentus per aliquod tempus in secretiori habitaculo mansit. Instantia tandem regis Cantuarie Canciam adiit, et per tres annos ibidem predicans, ministros ecclesie ordinauit et recte viuendi ordinem instituit. Adueniente autem de Roma Theodoro archiepiscopo in Angliam ab apostolica sede misso, Wilfridus, Cedda expulso, sedi sue restitutus est. Qui statim ecclesiam[2] in honore beati Petri apostoli a fundamentis construxit. Cum autem populo predicaret die quadam, mulier quedam nimio dolore afflicta, filium suum defunctum in vlnis baiulans, coram sancto episcopo se prostrauit, et vt filium resuscitaret amaris fletibus instanter rogauit. Mox episcopus solo prostratus et faciem lachrimis perfusus[3], orationem fudit dicens: 'O domine deus pater omnipotens, non ad merita mea, sed ad tue pietatis opera, precor, placatus attende, et erumpnis huius mulieris opem tue consolationis impende, restituendo sibi incolumem filium suum, per Ihesum Christum dominum nostrum vnigenitum filium tuum.' Quo dicto, surrexit puer viuus et matri incolumis redditur. Hic sanctus episcopus diuinis obsequiis peruigil insistens, corpus suum, quod ab omni contagione ex vtero matris sue mundum custodierat, tam vigiliis quam frigoribus mire afficiebat, singulis illud noctibus aqua frigida tingens; nec prius ab hac consuetudine cessauit[4], quam Iohannes apostolice sedis antistes eum, pro etatis sue grauitate, huic proposito iuberet finem imponere. Non hunc ardor estatis, non frigus hiemis ab instantia cepti operis dei retrahere valebant. Si quando aliquid[5] deliciarum quouis euentu, et hoc summa cum parcitate, in escam sumebat, idipsum in se postmodum graui inedia vindicabat. In hagustaldensi opido ecclesiam miro opere fecit et in honore sancti Andree apostoli dedicauit. Vbi dum cementarii superiora parietis linirent, vnus eorum in preceps corruit et contritis omnibus membris quasi mortuus iacuit. Vir autem domini, absens et in spiritu hoc videns, in lachrimas solutus, assidentibus quid euenerat[6] ex ordine pandit. Mox illuc pergens, ad tactum eius pristinam receperunt membra sanitatem. Acceperat autem rex Egfridus, qui Oswi successerat, vxorem nomine Etheldredam, que in voto virginitatis potius hanc vitam transigere proposuerat, quam aliena libidine violari: iuncta est tamen regi prefato lege coniugali, non coniunctione[7] carnali. Cuius rei gratia beatum Wilfridum tam per se quam per alios rex conuenit, orans

[1] T. Ripun; E. ripum. [2] sc. Ripensem. [3] E. profusus. [4] Eadm. cessans. [5] E. aliqui. [6] Ead. euenerit. [7] E. coniunctioni.

et obsecrans quatinus regine persuaderet vt omisso virginitatis proposito, regie voluntati assensum preberet. Ille tamen non consentiens, vigilanti animo procurabat ne qua feminee mentis inconstantia propositum virgo[1] postponeret et terrenis illecebris animum deuicta supponeret. Sua enim erat[2] industria vt virgo diuortium quereret, quatinus libertate potita seculum relinquere et regi eterno[3] feliciter inherere posset. Et factum est ita. Nam cum regi constaret nullo illam pacto a proposito posse mutari, licet inuitus, concessit vt relicto seculo, sicut volebat, virginitatis velamen acciperet. Ermenburgis vero, quedam mulier nobili orta progenie, regali coniugio copulatur. Per hanc enim diabolus odium quod contra virum dei habebat, exercet, animum illius iniectis quibusdam simultatibus aduersus eum inflammat. Quamobrem glorie dignitatique ipsius inuidere cepit, et quonam modo eum dignitate sua spoliare ac spoliatum abiicere posset, occasiones querere. Exposita tandem regi diuitiarum viri dei habundantia, cenobiorum multitudine, edificiorum magnitudine, subditorum principum turba, intulit: 'Et quid amplius ipse tibi, quam tu sibi? Totum regnum tuum episcopatus ipsius est; et, si tua potestas eius potestati comparatur, minor est. Terminus enim imperii tui suis finibus coartatur: terminus autem episcopatus eius tuos fines progreditur auctoritate et transcendit. Fateor enim, fidelibus tuis et amicis est timendum ne si aliquando inimici tui contra te arma susceperint, ipse quam predicat pacem sequendo suos ab armis immunes retineat, tuque tuorum paucitate inimicis inferior victus occumbas. Eapropter, ne forte in ipso negocii actu tua virtus decidat, que obsunt cautus preordina. Tui enim honoris nullatenus esse potest, non dico superiorem, sed parem te quempiam in regno tuo habere.' Talibus rex verbis turbatus, melius suis[4] rebus consuli non posse putauit, quam [si] viro dei suis omnibus priuato, episcopatus eius in plures episcopatus[5] diuideretur. Et cum preter consensum cantuariensis archiepiscopi hoc fieri non valeret, verba maligne accusationis Theodoro archiepiscopo mandat, et ad sue voluntatis effectum, deceptum inclinat. Venit ergo ad regalem curiam Theodorus, sua auctoritate regiam voluntatem super Wilfrido impleturus. Protinus autem in locum eius tres episcopos, eo absente, ordinauit, [6] Bosam ecclesie eboracensi, Eatam lindisfarnensi, Tunbertum[7] hagustaldensi; et non multo post Trunwinum ad prouinciam Pictorum in loco qui 'candida casa' dicebatur, que tunc temporis Anglorum erat imperio subiecta. Quo audito Wilfridus admiratione maxima ductus, hilari corde, alacri vultu, modesto gressu regis palatium adiit, causam negotii perquisiturus. Cui hoc modo Theodorus dixit: 'Nec te in presentiarum alicuius criminis admissione notamus, nec tamen statutum de te iudicium hac vice mutabimus.' Hiis auditis ad[8] apostolicam

[1] T. virgo; E. virginitatis. [2] Eadm. egit. [3] E. eterna. [4] T. suibus. [5] *al.* episcopos. [6] cf. Beda IV. 12. [7] E. timbertum. [8] *al.* om.

sedem statim appellauit: et pro eorum iniusticia indignatus, reflexo gressu aulam egredi cepit. Et intuens quosdam satis fedo suis casibus insultare cachinno, 'O, inquit, filii[1], felici prosperitate ducatis tempora longa: sed noueritis, quantotius sors infesta resoluet hec gaudia vestra. Non[2] prius hunc annum transire videbitis, quam istas quas super me derisiones habetis, acerbo merore luatis.' Et factum est ita, nam conserto graui prelio inter Egfridum et Ethelredum regem Merciorum iuxta fluuium Trentam, occisus est Elfwinus frater regis Egfridi, ex cuius morte omnis leticia quam de expulsione Wilfridi habuerant, iusto dei iudicio in tristiciam conuersa est.

Et cum mare intrasset, mutato vento Frisiam pulsus, verbum dei ibidem predicans multa hominum milia ad fidem Christi conuertit. Erat autem terra illa magne salsitatis, sterilitatis, et ad incolendum magne incom[m]oditatis: verum eadem gente fidem Christi suscipiente, terre salsitas in dulcedinem, sterilitas in fertilitatem commutatur. Interea mittuntur de Anglia nuncii cum muneribus ad Franciam[3], vt virum dei Wilfridum fer ocissim)a[4] morte interimerent, verum Ebroinus[5] (quidam)[6] regalis curie princeps, litteras cum muneribus regi Frisie direxit, petens vt (beatum)[6] Wilfridum (episcopum)[6] omnibus bonis spoliatum crudeli morte necaret. Sed rex, non acquiescens, litteras cum indignatione igni iniecit, et legatos absque honore dimissos, statim remeare precepit. Perrexit post hec Wilfridus in Franciam[7], et a Dagoberto rege cum maximo honore susceptus est, vtpote qui ipsum quondam exulem et ad Hiberniam maris tempestate proiectum et ad se demum adductum, magna benignitate aliquamdiu secum tenuit et ab omni periculo protexit. Wilfridus necessariis rebus a Dagoberto rege assumptis, a curia recessit, 'Campanie ducem[8] adiens nobiliter susceptus est. Qui, post exhibita vere charitatis et humanitatis officia cum homine dei residens, narrare cepit ei qualiter inimici eiusdem voluerunt[9] eum perdere et se ad internicionem eius oblatis muneribus inflectere. 'At ego, inquit, non immemor quid fidelitatis et amicitie quondam in pagano quodam rege repererim cum de patria mea pulsus apud eum exularem; nolui[10] minus fidelis inueniri christianus tibi christiano, quam homo paganus extitit mihi homini christiano. Siquidem rex Hunorum gentilis, cum causa tuende mee salutis me secum degentem retineret, iniit mecum fedus in nomine deorum suorum, quod me nunquam inimicis meis quauis occasione proderet. Post aliquot vero dies nunciis ad se ex parte inimicorum meorum venientibus et ingentem pecuniam pro interitu meo sibi pollicentibus, "dii, inquit, vitam meam succidant, si ego pro quouis luchro terreno vobis cedens, initum fedus quoquo modo dissoluero." Si ergo homo

[1] E. fili. [2] E. Nunc; T. Non; Eadm. Nec. [3] sc Neustriam.
[4] T. fera; E. ferocissima. [5] E. Ebronius. [6] om. in T. [7] sc. Austrasiam.
[8] E. et C. [9] Eadm. nomine Bertherum. [10] E. noluerunt. [11] E. volui.

infidelis, vt falso deo suo fidus existeret, fedus rumpere noluit, ego gratia Christi fidelis, fidem quam vero deo promisi, violabo ullius[1] terreni com[m]odi causa? Absit: immo in sua[2] fide te suscipio; et si quid in meis affectuosius amas, accipias, vtaris, possideas.' Tandem Romam veniens, coram papa Agathone presentibus accusatoribus causam suam ita modeste promouit, vt nec Theodorum archiepiscopum accusaret, nec innocentiam propriam fluctuare permitteret. Dixit enim domino pape: 'Quid est quod Theodorus in mea sede sua auctoritate, me superstite et non consentiente, tres episcopos ordinauit? Quem, quia ab hac sede directus est, accusare supersedeo[3].' In concilio [autem][4] contra eos qui vnam in Christo voluntatem atque operationem dogmatizabant, fidem suam et prouincie sue declarauit. Cumque catholicus inuentus fuisset, et sine causa sacerdotali dignitate priuatus, placuit vt et romane sedis decreto in episcopatum restitueretur, et in monimentum sue catholice fidei eiusdem synodi gestis hoc scriptum insereretur: 'Wilfridus[5] deo amabilis episcopus Eborace ciuitatis, apostolicam sedem de sua causa appellans[6] et ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, et cum aliis centum viginti quinque coepiscopis in synodi iudiciaria sede constitutus, pro omni aquilonari[7] parte Britannie et Hibernie, que ab Anglorum ac Britonum necnon Scotorum et Pictorum gentibus incoluntur, veram et catholicam fidem confessus est, et cum subscriptione sua corroborauit.' Apostolico igitur et synodali decreto in episcopatum[8] restitutus, acceptisque ab apostolica sede litteris regi Egfrido et archiepiscopo Theodoro de sui status redintegratione directis, (versus Angliam regressus est[9].) Cumque ad Galliam venisset, ecce latronum manus ad interficiendum parata, viro dei non[10] grata processione occurrit: erant enim qui regi Dagoberto[11] insidias tetenderant, eumque nuper gladio in inguine merso necauerunt[12]. Occurrentes ergo viro dei, inter cetera dixerunt: 'Delator, inquiunt, patrie, petulans et moribunde viator, tu quidem iam pridem gallica sceptra violasti, gallicam libertatem in seruitutem redegisti, cum tirannum, iuste a nobis iam olim exiliatum[13], tua instantia in regnum restituisti. At ipsius quidem crudelitas iusta morte punita, te quoque, maximum illius fautorem[14], eadem morte puniendum fore decreuimus. Procumbe igitur, pestifer, procumbe, et digna vltione multatus, eidem, quam contra nos fouisti, morti[15] succumbe.' Wilfridus[5] ait: 'Si non iure, inquit, feci, cum regem regno iniuste expulsum, quantum in me fuit, hereditarie dignitati prefeci, et hoc ita penes[16] se esse iustissimi[17] iudicis equitas habet; fateor,

[1] E. nullius. [2] Eadm. mea. [3] cf. Heddius. [4] T.E. enim. [5] T. Vulfridus. [6] E. apellans. [7] *al.* aquilonali. [8] E. episcopatu. [9] versus . . . est om. in T. [10] Ead. haud. [11] E. dagaberto. [12] Eadm. necauerant. [13] E. exulatum; T. exiliatum. [14] Eadm. sue mortis auctorem. [15] E. morte. [16] E. pene. [17] E. iustissime.

penas iuste vltionis promptissime suscipiam. Quodsi nequaquam hoc in facto contra ius, sed cum iure feci, velut ipsa mee innocentia[1] mentis mihi testatur; eo libentius, si vultis occidere, mori desidero, quo me pro iusticia occisum martirii gloria coronandum fore considero.' Vt autem viderunt virum tanta mentis constantia niti, nimio terrore perculsi, arma proiiciunt et terre procumbentes, veniam postulando viri vestigia osculis petunt. Data itaque benedictione, cum suis episcopus prospero itinere Angliam regressus est. Cumque in conuentu nobilium causam suam viua voce defenderet, falsoque se accusatum ac iniuria degradatum libera protestatione ostenderet, rex tamen maluit in sua pertinatia contra equitatem perdurare, quam equitatis ratione suam pertinatiam mitigare: litteras pape tumido[2] fastu despexit, irrisit, et a se procul abiecit; omnesque nobiles vnanimi contra sanctum conspiratione insurgunt, ac multis contumeliis afficiunt, et a regis conspectu auulsum carceris imo detrudendum arripiunt. Ermenburgis autem regina, bonorum omnium persequutrix et huius scismatis auctrix, capsulam reliquiarum de ipsius collo abstulit, eumque feminea loquacitate derisum, abiecit. Vir autem dei ad suos conuersus ait: 'Non vos hec que nobis[3] ingeritur iniuria turbet, nec a veritatis tramite quoquo modo deiiciat. Pre oculis semper habete, qui volunt in Christo pie viuere, necessario tribulationem pati oportere. Nemo enim coronatur, nisi qui contra diabolum studuerit legittime decertare.' Et ecce, qui eum manibus stringebant, acriore furore ex verbis eius accensi, eum tenebroso in carcere vinctum detruserunt. Inter hec vxor[4] prefecti[5] qui sanctum in custodia habebat, acerrimo languore correpta ad extrema vite perducitur. Sed cum episcopus solutis nexibus ad eam perductus esset, aquam benedixit et super eam sparsit[6]: nec prius aqua infirmantis membra tetigit, quam omni languore depulso mulieri perfecta sanitas rediit. Prefectus autem misit ad regem, cum hoc miraculum vidisset, dicens: 'Per salutem et regnum tuum te adiuro quatinus sacerdotem domini Wilfridum a me diutius detineri non facias: quia, fateor, melius est mihi mori quam in eum aliquid iniuriarum vlterius exercere. Quodsi, hac adiuratione despecta, in sententia tua persistere mauis, me simul cum eo tormenta et mortem magis velle[7] subire cognosce, quam eum in tormentis habere.' Ad hec rex vehementer iratus, iussit sanctum duci ad alium prefectum[8] vtpote fortiorem[9], precipiens vt compedibus et vinculis fortiter astrictum arctiori custodie manciparet. Cumque hoc implere temptaret, rupta vincula dissiliebant, aut certe colligari non valentia diffusa cadebant; et eo minor ligandi potestas extiterat, quo ad ligandum hostilis feritas immanius seuiebat. Dum hec agerentur, regina

[1] E. mentis innocencia. [2] T. tumudo. [3] E. vobis. [4] Fridegod names her Ebba. [5] Eadm. pr. Offridi. [6] E. spersit. [7] E. velle magis. [8] Eadm. Tydlin; Will. Malm. Tumber. [9] *al.* ferociorem.

nimio fastu tumens raptis abutens reliquiis, ira dei correpta mox demonio vexatur. Quod cum rex a sapientibus propter illatam Wilfrido iniuriam factum cognosceret, sanctum a nexibus solutum, terram suam exire precepit. Volens autem seruus dei bonum pro malo reddere, orauit ad dominum, et reginam, demone fugato, sanitati restituit. Pergens itaque versus partes australes, a quodam Brithwaldo, fratre regis Merciorum Ethelredi, honorifice suscipitur: et que necessaria illi erant, benigne impendebat. Inuidia tamen diaboli sic illum tandem infecit, vt militem Christi, [sua][1] munificentia exutum, a se suisque omnibus eliminari fecit; timebat enim fratris offensam, qui sororem regis Egfridi habebat vxorem. Sicque multipliciter afflictus et iniuriatus, quo magis aduersitatibus feriebatur, eo amplius ad opera dei et patientiam se parabat. Venit tandem ad curiam regis[2] Kentwini, et satis humane suscipitur. Sed, quemadmodum alias, sic et ibi demonis instinctu femineas passus est iras: siquidem regis vxor erat soror Ermenburgis, malorum fere omnium que viro dei acciderant auctricis. Hec igitur Wilfridum, multis iniuriis afflictum, a suis finibus expelli fecit. Perrexit ergo ad prouinciam Australium Saxonum, que paganicis adhuc erroribus seruiebat: et verbum fidei ministrabat. [3]Erat autem rex gentis illius, Ethelwalcus, suggerente rege Merciorum Wlfero baptizatus non multo ante in prouincia Merciorum, a quo de fonte egressus loco filii susceptus est; in cuius signum adoptionis duas illi prouincias, Vectam scil. insulam et quandam[4] prouinciam in gente Occidentalium Saxonum, donauit. Itaque, multum gaudente rege, primos prouincie duces ac milites baptizauit, et presbiteri sui ceteram plebem sacro fonte abluebant. Erat enim ibi monachus quidam de natione Scotorum, nomine Diculus, habens monasterium permodicum in loco qui vocatur Bosenham[5], siluis marique circumdatum, et in eo fratres quinque vel sex in humili et paupere vita domino famulantes: nullus tamen prouincialium ante viri dei Wilfridi aduentum eorum vel vitam emulari vel predicationem curabat audire. Tribus enim ante aduentum eius annis pluuia illis in locis non descenderat, quamobrem fames plebem inuaserat, ac impia nece prostrauerat. Sepe enim quadraginta aut plures inedia macerati ad mare procedebant et iunctis manibus absorbendi fluctibus se demergebant. Verum primo die quo fidem gens illa suscepit, pluuia copiosa descendit, et terra refloruit. Docuit autem eos, piscando victum querere; nam piscandi peritia genti nulla, nisi ad anguillas tantum, inerat. Retibus igitur anguillaribus vndecunque collectis ab[6] hominibus antistitis in mare mersis[7], diuersorum generum pisces

[1] om. [2] sc. Westsaxonum. [3] Cf. Beda IV. 13. [4] Bed. Meanvarorum pr. (now Meon). [5] From this monastery and Selsey arose the episcopal establishment of Chichester. [6] Eadm. et ab. [7] Eadm. missis.

trecentos ceperunt; de quibus centum pauperibus distribuit [1], centum a quibus retia acceperat contulit [2], et centum sibi reseruauit [3]. Quo beneficio multum antistes cor omnium in suum conuertit amorem, et libentius, eo predicante, celestia sperare ceperunt, cuius ministerio temporalia bona sumpserunt. Ibi enim ex dono regis Ethelwalci terram octoginta septem familiarum, vbi suos homines qui exules vagabantur reciperet, vocabulo Seleseia [4], id est 'insula vituli marini,' suscepit, et monasterium ibi fundauit. In qua possessione vtriusque sexus ducentos quinquaginta baptizauit, et a iugo seruitutis humane absoluit. [5] Interea superueniens cum exercitu Cedwalla de regio genere Gewissorum, id est Occidentalium Saxonum, cum exularet a patria sua, interfecit regem Ethelwalcum, ac prouinciam illam seua cede [6] et depopulatione attriuit. Post hec vero cepit Cedwalla insulam Vectam, que eatenus erat tota ydolatrie dedita, ac tragica cede omnes indigenas exterminare ac sue prouincie homines pro his substituere contendit; voto se obligans, quamuis nondum regeneratus, quod, si victor insulam subiugaret, quartam partem eius simul et prede domino daret. Est autem mensura eiusdem insule, iuxta estimationem Anglorum, mille ducentarum familiarum. Dedit ergo Cedwalla sancto Wilfrido possessionem terre trecentarum familiarum; qui totam insulam ad fidem conuertit. [7] Duo autem filii [8] Arualdi [9], regis illius insule, speciali sunt dei gratia coronati. Nam imminentibus hostium irruptionibus, fuga lapsi sunt de insula; et in proximam Iutorum prouinciam translati, cum occultandos se a facie regis victoris credidissent, proditi sunt atque occidi iussi. Quo audito, abbas Kinebertus, in loco qui vocatur Redford [10], i. e. 'vadus arundinis,' habens monasterium, venit ad regem Cedwallam postulauitque ab eo vt, si necesse esset pueros occidi, prius eos liceret fidei [11] christiane sacramentis imbui. Concessit rex, et ipse instructos eos [12] verbo veritatis ac fonte salutari ablutos, de ingressu regni eterni certos reddidit. Mox illi, instante carnifice, mortem leti subiere temporalem, per quam se ad vitam anime perpetuam transituros esse non dubitabant [7]. Anno autem domini sexcentesimo octogesimo quinto rex Northanhumbrorum Egfridus temere exercitum ad vastandum Pictorum prouinciam duxit: et hostibus fugam simulantibus, in angustias inaccessibilium [13] montium perductus, cum maxima sui exercitus copia, quam [14] secum adduxerat, extinguitur [15]. [16] Anno vero precedente idem Eg[fridus] [17] misso exercitu misere vastauit Scotorum et Pictorum [18] gentem innoxiam et nationi Anglorum semper amicissimam, ita vt nec ecclesiis nec monasteriis manus

[1] *al.* dispenderunt. [2] *al.* contulerunt. [3] *al.* retinuerunt. [4] now Selsey. [5] cf. Beda IV. 15. [6] E. sede. [7]—[7] cf. Beda IV. 16; Eadmer omits the passage. [8] Bed. fratres. [9] E. arnaldi. [10] Bed. Hreutford, now Redbridge. [11] E. fide. [12] om. in Bed. [13] E. inaccensibilium; Eadm. Bed. inaccessorum. [14] *al.* quem. [15] E. extinguit. [16] cf. Bed. IV. 26. [17] T. E. Egbertus. [18] Bed. misso Hiberniam e. m. vastauit gentem.

parceret hostilis: incole vero diuine auxilium pietatis[1] inuocantes, celitus se vindicari continuis diu inprecationibus postulabant; et quamuis maledici[2] regnum dei possidere non possunt, creditum est tamen quod hii [qui][3] merito impietatis sue maledicebantur, ocius, domino vindice, penas sui reatus luerent. Et quoniam rex noluit audire reuerendissimum patrem Egbertum ne Scotiam nihil se ledentem impugnaret, datum est illi ex pena peccati illius, ne etiam anno sequente amicos suos, et precipue beatum Cuthbertum, qui ipsum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore spes cepit et virtus regni Anglorum fluere, nam Picti et Scoti[4] terram possessionis sue, quam tenuerunt Angli[5], et libertatem, receperunt, 'quam et tenuerunt per annos quadraginta sex,' vt ait Beda[6] libro quarto capitulo vicesimo quarto. Tunc enim expulsi sunt et occisi Angli de prouincia illa, et pars regni Berniciorum a mari Scotorum vsque Twedam, vsque tunc regibus Northanhumbrorum subiecta, omnino ablata est, nec vsque ad nostram etatem in statum pristinum et subiectionem, occulto dei aduersante iudicio, redigi potuit. [7] Egfridus[8] itaque, qui sanctum Wilfridum nullo pacto in amicitiam suam dignatus est admittere, merito debuit, eo despecto, ab eisdem hostibus mori quos prius eius prece meruit sue ditioni feliciter subiicere. Eadem enim hora qua rex graui bello premebatur[9], sanctus Wilfridus sacris missarum solemniis intendebat, cumque dicto 'Sursum corda' responderetur 'Habemus ad dominum,' raptus in mentis excessum vidit Egfridum capite cesum morti succumbere: et cum in prefacione 'per Christum dominum nostrum' diceretur, aspexit et ecce duo maligni spiritus animam regis ante ipsius oculos miserabiliter attulerunt sicque horrendo gemitu suspirantem secum ad inferni claustra detulerunt. Illico Accam[10], presbiterum suum, vocauit et ei cuncta que viderat enarrauit. Diuulgata itaque regis morte, Theodorus archiepiscopus Wilfridum ad se venire fecit, cui et dixit: 'Fili, immo virtutum meritis pater sanctissime, ego qui ad hoc pre ceteris constitutus eram vt omni iniusticie que in hoc regno emergere posset obuiarem; propria fragilitate subactus, plurimis tibi aduersantibus fateor multum peccando consensi. Sed mihi culpam fatenti et intimo corde penitentiam agenti pius, queso, venie largitor assiste. Vltima nempe mee, sicut cernis, nunc instant tempora vite: ac per hoc quod deprecor, annue, et suppliciter a me postulatus intercede pro me.' Cui ille respondit: 'Et quidem multis me tribulationibus te consentiente afflictum, pastor venerande, non nescio: absit tamen, absit vt hoc te malicia fecisse crediderim; verum, vt estimo, ea potius intentione fecisti quia volebas me per ipsas tribulationes in patientia exerceri, quatinus

[1] E. pietatis auxilium. [2] E. maledicti [3] om. in E. [4] Bed. om. et Scoti. [5] Bed. adds et Scotti. [6] E. bedo. [7] cf. Eadmer. [8] T. Egbertus. [9] E. primebatur. [10] E. actam.

angustiis actus, per iter patientie possem perfectionis culmen attingere. Quapropter multo magis tibi pro tua bona intentione grates agere debeo, quam tu apud me inde veniam querere, presertim cum nunquam venia rite petatur nisi vnde aliqua offensio contracta esse putatur. Sed quoniam te circumquaque oculatum esse non ignoro, perspicaciter atque subtiliter que sunt videnda te considerare perpendo. Eapropter, si putas te aliquid peccati contraxisse in hiis que contra me fieri consensisti: quantum mea interest, libens indulgeo, et indulgens eterni super te misericordiam iudicis venire supplici deuotione deposco.' Misit itaque Theodorus Alfrido regi, Egfridi successori, litteras vt beato Wilfrido ex corde amicus fieret, eumque in sede de qua iniuste depositus erat, recipere non differret. Qui statim sanctum reuocauit, et ad suam cum honore ecclesiam remisit. Sicque per quinquennium in sua sede in pace permansit. Verbis tandem delatorum rex accensus, in possessiones eius subita cupiditate estuare cepit, et [eas] postposito dei timore, abstulit: cui[1] Wilfridus episcopali auctoritate contraire non timens, graui contra se regem iracundia inflammauit. Vnde factum est vt rex illum omnibus suis spoliatum de regno suo expelleret[2], qui ad regem Merciorum Ethelredum statim accessit. Cuius[3] instantia Brithwaldus archiepiscopus concilium[4] conuocauit, Wilfridoque omnem fieri iusticiam spopondit. Quidam tamen episcopi, regie fauentes voluntati, in concilio virum dei falsis calumpniis exagitare et quibus poterant obiectionibus[5] perturbare ceperunt. Sed cum ad cuncta obiecta rationabiliter respondisset, horror et ipsos inimicos eius inuasit, dicentes impium esse, virum sanctum absque vllo certo crimine suis omnibus spoliari. Vnde rex et archiepiscopus a nonnullis interpellati, monasterium quod apud Ripun construxerat, [ei] ea conditione concesserunt, vt illic[6] quietus sederet et [absque licencia regis[7]] septa [eius][8] non exiret, nec curam episcopalis officii vlterius administraret. Quibus ipse ait: 'Ego, inquit, gradum sacerdotalem non deiiciam; quia fateor quod, licet indignus, opera tamen pontificatu non mediocriter digna, adiutus domini gratia, feci. Per quadraginta annos quibus potui fidem Christi predicaui, et multos ab errore correxi et membris ecclesie copulaui. Hec tamen non ego, sed deus ipse per me. Ritum ecclesiastice obseruationis, per Angliam scotica traditione deprauatum, apostolica fultus auctoritate correxi. Preceptis saltem apostolice sedis, que me, iam simili iniuria accusatum atque[9] dampnatum, excusauere et absolutum esse constituere, obtemperetis[10], si nec pro amore, nec pro timore dei, me quietum esse permittere vultis: sed, vt puto, illa precepta aut obliti

[1] T. Cui cum; Eadm. cui quoniam ... timuit. [2] Eadm expellere proponeret. [3] sc. Regis Alfridi. [4] E. consilium; Eadm. adds in campo qui dicitur Eastrefeld. [5] Eadm. contrarietatibus. [6] E. illuc. [7] so T.; om. in E. [8] E. regis; Eadm. monasterii. [9] E. ac. [10] T.E. obtemperaretis.

estis, aut certe scita et cognita pro nihilo ducitis. Quapropter licet senio sim confectus, noueritis tamen me Rome coram apostolica sede probaturum esse, calumpnias quas mihi imponitis pro regis indignatione, veras non esse. Nec minus vere me predicaturum esse sciatis, quali studio sacerdotale ministerium geratis, qui magis vultis iniusticie hominum fauere, quam iusticiam dei tenere.' Cum autem Wilfridus Romam venisset, a papa Iohanne magnifice suscipitur, et coram papa ac multis episcopis causam suam exposuit et firma ratione probauit. Vnde communis iudicii sententia, viri dei innocentia comprobatur, atque accusantium false calumpnie reprobantur. Iuuit autem causam suam lectio synodi pape Agathonis que quondam in sui presentia, cum in concilio[1] episcoporum ipse medius resideret, acta est. Nam re exigente synodus eadem cum[2] iussu pape legeretur, ventum est ad illum locum vbi scriptum erat: 'Wilfridus deo amabilis episcopus Eborace ciuitatis, apostolicam sedem de sua causa appellans,' etc. Quod vbi perlectum est, stupor audientes apprehendit; et silente lectore ceperunt alterutrum requirere quis ille episcopus Wilfridus esset. Tunc Bonifacius pape consiliarius et alii plures qui eum [olim] viderant, dicebant ipsum esse episcopum qui accusatus a suis atque a sede apostolica iudicandus nuper aduenit Romam: 'qui iam dudum, inquiunt, eque accusatus huc aduenies, mox audita diiudicataque causa [a papa Agathone][3] probatus est contra fas esse a suo episcopatu expulsus. Vnde et tanti apud eum[4] habitus est, vt ipsum in concilio[1] quod congregarat episcoporum, vtpote virum incorrupte fidei et animi[5] probi residere preciperet.' Quibus auditis, omnes vna cum papa dixere, virum tante auctoritatis, qui per quadraginta annos episcopatu functus erat, nequaquam dampnari debere, sed absolutum ad patriam, vtpote immunem ab omni culpa, cum honore redire. Scriptum est igitur regibus Anglorum Ethelredo et Alfrido, vt si anathemate plecti nollent, illum sui episcopatus sede recipi absque retractatione[6] facerent. Famulus igitur dei, magnis sanctorum reliquiis locupletatus, patriam remeauit. Cumque in partes Galliarum deuenisset, subita infirmitate corripitur, vt ministrorum manibus in grabato portaretur[7]. Quatuor tandem diebus et noctibus similis mortuo iacuit: et quinta die, cum iam moriturus a suis plangeretur, sanctus Michael archangelus a domino mittitur, per quem sanitati pristine restituatur; cui et ait: 'Wilfride, conciuis[8] dignissime, surge, quid iaces? nam licet inter ciues celorum numereris, tamen propter orationem filiorum tuorum hoc tempore non morieris, et precipue per merita et intercessiones beate Marie genitricis dei et perpetue virginis. Orauit enim pro te, quia quedam opera sibi placuerunt facta per te: scit nempe quid operis Petro feceris, quid fratri ipsius Andree construxeris. Quapropter nunc quidem a morte

[1] E. consilio. [2] Eadm. Nam cum. [3] om. in T. E. [4] sc. Agathonem. [5] E. anime. [6] E. retractione. [7] sc. in Meldum ciuitatem. [8] E. conscius.

reuocaberis ac vite salutique restitueris: sed paratus esto, quia post quadriennium [rediens] visitabo te. Patriam vero perueniens, possessiones tibi ablatas recipies, et in pace tranquilla finies vitam tuam.' Quibus dictis angelus disparuit: et ille protinus, quasi de graui sompno, surrexit, [re]sedit, apertisque oculis circa se choros psallentium flentiumque fratrum aspexit; ac modicum suspirans, vbinam esset Acca[1] presbiter interrogauit. Qui statim vocatus intrauit, et videns eum melius habentem ac loqui valentem, flexis genibus, cum omnibus qui aderant fratribus, deo gratias egit. Tunc pontifex ad Accam presbiterum conuersus, quecunque viderat retulit, tremenda illum adiuratione constringens ne quamdiu viueret hanc visionem cuiquam reuelaret. Tunc Wilfridus Britanniam intrans[2], et perlectis in conspectu[3] nobilium litteris papalibus, a Brithwaldo[4] archiepiscopo et Ethelredo quondam rege, tunc vero Bardeneie abbate, honorifice susceptus est. Ethelredus enim accitum Conredum, quem pro se regem fecerat, hortatur[5] vt seruum domini ex animo semper coleret et diligeret ac foueret, et contra omnes aduersarios indefessus ei propugnator existeret. Alfridus autem rex ambagibus quibusdam obiectis nitebatur ostendere, sibi penitus non esse possibile quod precipiebatur[6] explere. Verum secreta cordium dei sapientia scrutans, nequitiam eius examinauit, et corpus illius acri doloris molestatione[7] sic debilitauit vt omnium membrorum officio destitueretur. Qui cum se mori cognosceret, adhibitis testibus promisit quod, si deus sibi vitam concederet, et iussis apostolicis obediret et Wilfrido omni tempore inclinaret se et eum diligeret. Sed ipse quidem a vita recessit, et Eadulphus quidam in regnum successit, qui nunciis Wilfridi sibi missis ita respondit: 'Per meam, inquit, salutem iuro quia nisi infra spacia sex dierum a regno meo discesserit, quoscunque de suis inuenire potuero, vita priuabo.' Facta autem contra regem coniuratione, regno, quod duobus mensibus tenuit, depellitur. Post quem regnante Osredo, filio Alfridi, Wilfridus in sedem suam receptus est: cuius familiari amicitia rex magno affectu copulatus, per totum regnum precepit quatinus nemo sancto episcopo in quocunque (etiam)[8] negotio contrairet, sed sicut famulo dei per omnia omnes obedirent. Et factum est ita. Transactis autem quatuor annis graui corporis languore sanctus episcopus inuaditur, et fatigatus lecto recipitur. Difficile est enim proferre quot infirmi per eum infirmum sint ab omni infirmitate sanati, quot demoniaci liberati, paralitici solidati, ceci illuminati, surdi mutique curati, quot aliis calamitatibus afflicti operante deo per eum magnifice saluti restituti. Congregatis tandem fratribus ait: 'Gratia diuini amoris vt in vobis iugiter maneat, fratres charissimi, tota virtute operam date: quam gratiam vt feliciter mercamini obtinere, fraternum amorem studiose

[1] E. acta. [2] E. intras. [3] Eadm. conuentu. [4] E. britwaldo. [5] T. E. hortatur eum. [6] E. precipibatur. [7] Eadm. invectione. [8] om. in T. Eadm.

in omnes exercere studete. Nihil sit quod vos a charitate seducat; ne ab ea que in Christo est sinceritate cadatis. Maligni insidiatoris, quos fidelibus tendit, laqueos nostis: que figmenta, sicut a me sepius audistis, omni solicitudine cauete et, prout me facere vidistis, a vobis procul abiicite. Hec facite, et deus pacis erit vobiscum. Et nunc, fratres [mei][1] (charissimi)[2], nolite moras inferre migranti. Vos enim olim me ad vitam euntem reuocastis: sed modo parcite, queso. Iuuat enim me, deposito carnis onere agnum dei sequi.' Hiis dictis, et fratribus circa se psallentibus: cum peruenirent ad versum psalmi centesimi tertii 'Emitte spiritum tuum et creabuntur,' spiritum suum in manus creatoris feliciter emisit, octauo kalendas maii, anno domini septingentesimo nono, vite eius septuagesimo quinto, episcopatus vero anno quadragesimo quinto: et in monasterio quod ipse apud Ripun a fundamentis construxerat, honorifice sepelitur. Anno autem depositionis eius transcurso, cum maxima multitudo populi excubias circa sepulchrum eius celebratura conueniret, aspiciunt et ecce lux celitus ab oriente demissa totum locum miro splendore irradiauit, omnemque noctis et tenebrarum horrorem sua presentia effugauit. Quod videntes, qui aderant, magna leticia et gaudio repleti sunt. Magnitudo enim signorum, quam ad corpus eius de die in diem dominus operari non desinit, merita[3] ipsius longe lateque declarabat, et insigni fama permotos[4] ad memoriam illius innumeros populos aggregabat. Processu vero temporis, circa annum domini nongentesimum quinquagesimum nonum, archiepiscopus cantuariensis Odo, eboracensem prouinciam adiens, apud Ripun pergit, monasterii beati Wilfridi desolationem consideraturus: et horrida solitudine visa, lachrimis genas suas rigare cepit. Ante illa enim tempora hostilis Danorum[5] incursus ipsam prouinciam, demeritis incolarum exigentibus, occupauit, multa milia hominum interfecit, et omnia loca monasterio sancti Wilfridi circumiacentia adinstar solitudinis deuastauit. Monasterium ipsum peruasum ac dirutum, ferarum ac iumentorum[6] sordibus extitit ignominiosum: corpus antistitis sancti omni honore priuatum, inter ipsas sordes primo sepulture sue loco mansit immotum. Sanctus vero Odo, premissa supplicatione ad deum, quod diu mente tractauerat opere implere satagebat: Nam statuto die terram, vbi corpus sancti Wilfridi sepultum iacebat, aperiunt, omnia ossa reuerenter cum puluere leuant, et Cantuariam secum cum maximo honore et leticia transferunt. Nec tamen locus quem ipse beatissimus Wilfridus episcopus dum in corpore degeret pre ceteris amauit, ipsis reliquiis penitus priuatur: aliquanta earum pars ab eis est cum puluere in loco dimissa, atque in loco conuenienti reposita. Sanctus itaque Odo

[1] om. in E. [2] om. in T. [3] E. merito. [4] E. permotus. [5] *al.* om.; Roger de Hoveden, anno 948, ascribes the devastation to King Edred. [6] Boll. inimicorum.

venerabiles[1] beati Wilfridi reliquias quas aduexerat[2], in maiori altari, quod in honore domini Ihesu Christi sacratum erat, collocauit. Cum enim in illo loco multis annis seruarentur, omnipotentis dei tandem occulto iudicio ciuitas Cantuariorum fere tota igne crematur, ecclesiaque Christi eodem incendio conflagratur. Cuius conflagrationis anno tertio, Lamfrancus cadomensis abbas, archiepiscopus cantuariensis consecratus, quicquid ipsius ecclesie vetusti operis resederat, noua omnia constructurus, euertit. Cum [ergo][3] predictum altare subuerteretur, reliquie beati Wilfridi reperte, ac leuate sunt, atque in scrinio collocate. Verum cum post aliquot annos fratrum voluntas in eo consentiret vt magis fixo loco clauderentur, sepulchrum eis in aquilonari parte altaris factum est, et in eo sunt quarto idus octobris incluse.

Narratio[4].

Illis enim diebus circa annum domini septingentesimum septimum [5][beatus Hedda Occidentalium Saxonum episcopus celestem (migra)-uit ad uitam; bonus quippe erat ac (iustus) secundum fidem, et episcopalem uitam siue (doctri)nam magis insito sibi uirtutum amore (quam lectionibus) institutus exercebat. In loco autem (in) quo de(fu)nctus est, ob meritum sanctitatis (eius) multa sanitatum sunt patrata miracula, hominesque (prouincie illius) solitos abla(tum inde puluerem propter) languentes in aquam (mittere), et huius gustum siue aspersionem multis sanitatem egrotis conferre [refert Beda][6]. Illis eciam diebus][5] Conredus rex Merciorum Romam veniens, et monachus ibidem factus, ad limina apostolorum in precibus, ieiuniis, et elemosinis vsque ad diem permansit vltimum. Venit autem cum eo Offa rex Orientalium Saxonum, iuuenis amantissimus, qui pari ductus deuotione reliquit vxorem, cognatos, et regnum propter Christum et propter euangelium, vt in seculo futuro centuplum et vitam eternam possideret: et Rome attonsus, in monastico habitu vitam complens, ad visionem beatorum apostolorum in celis diu[7] desideratam peruenit.

¶ De sancto Wyrone episcopo quiescente in Traiecto inferiori et confessore[8].

Sanctus Wyro ex Scotia oriundus, etate et[9] sanctitate canonicorum graduum ordine proficiens, et florens ante deum vt palma, [v]t[10] cedrus in domo domini multiplicatus, deo et hominibus amabilis est effectus. Non frangitur in aduersis, nec extollitur in prosperis; sacris non fatigatur vigiliis, pascitur orationibus, ieiuniis hilarescit: nec vlla rerum sententia mutat locum propositi, sanctorum patrum

[1] E. venerabilis. [2] E. adduxerat. [3] om. in E. [4] cf. Beda V. 18. [5]—[5] added in T. [6] om. [7] E. diu in celis. [8] This life is om. in T. Abridged from the Vita in A. SS. Boll. 8 May II. p. 312, an extract of which is the life in Surius. [9] *al.* om. [10] T.E. et.

cupiens religionem sanctimonie emulari. Non longe post ecclesia illius patrie pastoralis cure solatio destituitur et mox concordi voce cunctorum Wyro pastoris officio destinatur, vnaque clamat clerus cum populo non alium celitus exposci neque alium accersiri debere cognate gentis patrocinio. Sanctus autem Wyro, perituri honoris non auidus, humilitatis robore persistens, reclamat se potius discipulum decere quam magistrum existere. Moris vero erat apud incolas eiusdem insule, pastorem a se electum Romam manibus apostolicis ordinandum dirigere, ordinatumque sedem et plebem reuisere. Quid plura? Licet diu reluctaretur, precibus tamen populi supplicantis euictus[1] versus Romam iuit, non ambitu terrene dignitatis, sed desiderio diu desiderate peregrinationis. Fiuntque comites Plechelmus sacerdos et Othgerus leuita vie votique, virtute venerabiles, non maioris eui nec multo minoris meriti. Sicque vir sanctus iter quod ceperat cum sociis hiis securius aggrediens, Romam prospero cursu tres insimul Christo duce peruenium, limina apostolorum Petri et Pauli labris impressis premunt, marmor pauimenti lachrimis irrigant, precibus et votis altaria sollicitant, locaque sanctorum crebro aditu frequentant: nec ipsorum gemitus ac petitio ab exauditu excluduntur diuino. Dominus enim apostolicus, hiis itaque compertis, beatum Wyronem ad se accersiri iussit. Quem in vultu perspiciens, quod in corde erat persensit, moxque ruens in amplexum letabatur in osculo sancto, non sine lachrimis, vtpote commotis[2] pietatis visceribus. Tandem modesto sermone potiti, papa prior exorsus, nomen et patriam cursumque propositi inquirit in ordine. Sanctus autem Wyro, legationis sue summam retexens sueque voluntatis et peregrinationis per ordinem ei denudans propositum, pedibus eius obuolutus supplex exorat ne suum, vt in episcopum promoueatur, adhibeat assensum. At dominus apostolicus huiusmodi petitionibus non flectitur; malens profectum populo dei prouidere ac electioni fidelium satisfacere, licet inuitum et diu reluctantem episcopali eum sublimauit ordine. Sanctum etiam Plechelmum, socium itineris, summi ordinis dignitate promouit et honoris, eosque [sibi] in amplexum fraterne charitatis coniunxit; sanctorum patrocinio ditatos multisque muneribus honoratos in patriam direxit. Cum igitur iam vir dei Wyro ad sua redisset, eum plebs applausu, clerus vocis in iubilo, omnisque etas populi in laudibus extollens suscipit, episcopalique cathedre omnium mox vnanimitas preponit. Qui positus in sede, bonorum operum claruit magnitudine, moribus et exemplis effectus insignis, vitam coequans doctrinis, non segniter spargens vite semina populis. Non tamen animum mutans ab incepto, clam hominibus, palam deo peregrinationis estu anhelabat sedulo. Quid plura? Christi gratia, cuius inhiabat amori, diu non differt illi tempus et euentum euadendi.

[1] E. euictis. [2] E. commotus.

Adhibitis ergo sibi comitibus, Plechelmo videlicet eiusdem honoris, vie, votique compote, et Othgero religiose vite diacono, paruipendens blandimenta parentum, delicias opum, popularis glorie fluxum, iter arripuit duce Christo, quod iam tener in annis adoptauit in animo. Qui diuersa regionum peragrans confinia, Francie dirigitur in partes ignotas; maluit enim inter alienos pauper et modicus haberi, quam inter suos diues et gloriosus computari. Cumque Pipinus Francorum dux narrante fama didicit tales viros infra regni sui terminos peregrinari velle, totamque patriam illorum illustratam [1] sanctimonia, gaudio repletus eos ad se venire fecit propere. Quos aduenientes cum honore suscipiens, auditaque causa itineris, beatum Wyronem mox inter suos timoratum cunctisque venerandum locauit; eiusque sanctitati se committens, cum summa veneratione eum excoluit. Locum namque remotum a mundi negotiis dux ipse prouidens in futurum beato Wyroni ad manendum concessit, quo liberius cum suis inibi [2] celestes caperet fructus. Qui locus ore vulgi 'mons Petri' dictus, (—[3]alias 'mons Odule[4],' leodiensis diocesis prope opidum Roremunde, vbi quondam erat prepositura et collegium canonicorum, quod nunc translatum est in dictum Roremundam opidum et sancti Wyronis corpus translatum est in Traiecto; [3]—) in quo oratorium in sancte dei genitricis honore est constructum et consecratum, necnon sancti Petri monasterium. Igitur vir sanctus diu desideratum adeptus locum quantis doctrinis et exemplis ac virtutum insigniis et miraculorum preconiis effulserit, longum esset enarrare per singula. Per hec vir dei inter homines conuersando fit grauis in annis, sed grauior in custodia mentis. Fatiscit [5] in senio, sed conualescit in animo. Aderat denique tempus miserendi quo dominus militem suum emeritum remunerare disposuit. Modica etenim vi febrium correptus, et carnis soluens debitum, felicem celo reddidit spiritum, sinibus Abrahe per manus angelorum transferendum. Sanctum vero corpus infra parietes prefati oratorii sancte Marie a Christi fidelibus cum hymnis et psalmorum concentibus condigne [6] sepulture traditur, et ibidem odor mire fragrantie a cunctis astantibus hauritur. Celebratur autem eius festiuitas octauo Idus maii. Ad eius vero sepulchrum, diuina prestante gratia, plurima [7] deinde sanitatum prestantur beneficia, nec inconsolatus abibit adhuc hodie qui digne celebrans eius patrocinia diuinam implorat gratiam sibi sua remitti piacula.

[1] Boll. illustrasse. [2] E. mihi inibi. [3]—[3] added. [4] r. Odilie. [5] E. fatescit. [6] E. cundigne. [7] E. plurimum.

¶ De sancto Willibrordo[1] episcopo et confessore[2].

FUit[3] enim in Britannia Maiori, in[4] prouincia northanhumbrana, vir[5] quidam genere Anglus nomine Wilgis, religiosam in Christo cum coniuge et omni domo sua agens vitam, et relicto tandem seculari habitu, monasticam elegit conuersationem; et non multo post crescente in eo feruore spiritualis vite, solitarie seipsum mancipauit districtioni, ieiuniis et orationibus deo seruiens multis claruit signis. Hic enim ex vxore sua sanctum genuit deo dilectum et omnibus amabilem Willebrordum. Quem cum mater concepisset, videbat quasi nouam in celo lunam, que, dum plena esse videretur semper ad incrementum tendebat: quam diligentius illa intuente, repentino cursu lapsa ruit in os eius: qua deuorata, eius intima splendore maximo sunt perfusa. Hec cum cuidam religioso retulisset presbitero, respondit: 'Luna quam vidisti ex modico in magnum crescere, filius est quem concepisti: qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, et quocunque perrexerit, comitante superni luminis splendore, vite sue sanctitate multorum animos in se alliciet.' Natus enim puer et ablactatus, ecclesie ripensis fratribus sacris litteris traditur educandus: et tempore oportuno pia professione monachum se fecit. Nulli sociorum humilitatis officio secundus, nulli lectionis studio inferior: vt teneros pueritie annos morum grauitate transcenderet. Accensus tandem arctioris vite desiderio, in Hiberniam profectus sancto Egberto et Witberto[6], qui ob celestis patrie amorem, cognatione domo et patria relictis contemplationi ibidem vacabant, se sociauit. Cum quibus in magna religione et sacre lectionis studio duodecim annis conuersabatur. Post hec, assumptis vndecim fratribus, vt genti Frisonum predicaret verbum dei mare transiens, ad castellum nomine Traiectum peruenit. Sed quia gens Frisonum cum rege suo Rathbodo ritibus[7] detinebatur paganorum, vir dei Franciam tendit, ac ducem Francorum Pipinum adiit. A quo honorifice susceptus, loca oportuna infra regnum eius sortitur, quo spinas ydolatrie posset extirpare et purissima verbi dei semina spargere. Cumque prefatus dux vidisset, per predicationem beati Willebrordi multos ad deum conuerti, misit eum ad papam Sergium, vt episcopali benedictione suscepta, in opus euangelii reuerteretur. Quarto autem die antequam Romam venisset, pape per visionem innotuit aduentus eius, et vt illum in magna reuerentia susciperet, admonetur. Quem cum maximo honore susceptum in archiepiscopum consecrans, omne quod petiit cum maxima mentis alacritate illi tradidit. Cum autem ad Pipinum ducem redisset, missus est ab eo genti Frisonum ad predicandum verbum dei. Vbi per ciuitates et

[1] T. Willebrordo. [2] Abridged from the Vita by Alcuin ed. in Surius 7 Nov., Mabillon III. 1. 561. [3] E. Erat; T. fuit. [4] om. in T. [5] E. vbi. [6] *al.* Wicberto, Bed. Victberto. [7] E. retibus.

castella sedulitate et Christi amore illectus predicando, multos ad agnitionem veritatis adduxit, ecclesias construxit, deo famulantium agmina coadunauit. Susceptus est autem a rege Rathbodo benigne; nequiuit tamen eum a cultura ydolorum conuertere, licet in comitatu eius esset venerabilis Wlfrannus senonensis episcopus, qui illuc venerat vt aliquas gentilium animas deo acquireret. Quamobrem beatus Willebrordus ad ferocissimos Danorum populos iter conuertit, vbi regnabat quidam nomine Ongendus, qui, licet omni fera esset crudelior et totus ydolatrie deditus, tamen honorifice virum dei suscepit et benigne tractauit. Cuius animi incredulitatem vir[1] dei considerans: acceptis triginta eiusdem patrie pueris, quos in itinere baptizauit, redire festinauit ad Franciam. Et cum tempestate quadam ingenti iactatus esset in quandam insulam cuidam deorum consecratam, que in tanta veneratione ab incolis habebatur vt nil in ea [vel][2] animalium ibi pascentium vel aliarum rerum quisquam gentilium tangere auderet, nec etiam de fonte illic manante: mansit ibi vir dei per aliquot dies, donec oportunum tempus nauigandi aduenire. Et paruipendens accolarum stultum errorem regisque ferocissimum animum, qui violatores sacrorum illius atrocissima dampnare solebat morte, tres viros in nomine sancte trinitatis in fonte illo[3] baptizauit, animalia in ea[4] pascentia in cibaria suorum mactari fecit. Quod videntes pagani, arbitrabantur eos vel in furorem sine mora mutandos vel subita morte perituros. Sed cum nil mali cernerent eos pati, stupore attoniti Rathbodo regi quod factum fuerat retulerunt. Qui nimio furore succensus, in sacerdotem dei, deorum suorum iniurias vlcisci cogitabat. Vocatus autem vir sanctus ad regem, interrogatus est cur sacra sua violasset. Cui ille constanti animo respondit: 'Non est deus quem colis, sed dyabolus, qui te pessimo errore seduxit, o rex. Non est deus nisi vnus, qui creauit celum et terram, mare[5], et omnia que in eis sunt. Hunc quicunque vera fide coluerit, vitam sempiternam habebit. Huius ego seruus hodie tibi testificor vt ab antiqui erroris vanitate tandem resipiscas et credens in ipsum deum omnipotentem baptizeris, et abiecta omni iniquitate seruias ei sincero corde, vt vitam eternam possis apprehendere. Quodsi me contempseris, scito pro certo quia penas perpetue mortis cum diabolo sustinebis.' Ad hec rex miratus respondit: 'Video te minas nostras non timere, et verba tua esse sicut et opera.' Verumptamen quamuis idem rex nollet acquiescere sane doctrine viri dei, tamen cum honore magno remisit eum ad Pipinum ducem Francorum. Defuncto tandem Pipino, Carolus filius eius succedens, Frisiam, deuicto Rathbodo, sibi subiugauit: qua in gente sanctus Willebrordus predicator positus est, et in castello traiectensi episcopus delegatur. Qui maiori euangelizandi facultate accepta, nuper gladio

[1] E. viri. [2] om. in E. [3] E. illa. [4] Alc. in ea terra. [5] *al.* om.

acquisitam gentem sacro baptismate abluere studuit, nec quicquam antique vetustatis et erroris in ea remanere permisit. Venit autem vir dei ad quandam insulam vbi ydolum quoddam colebatur a populo. Quod cum zelo fidei comminuere niteretur, custos ydoli furore succensus euaginato gladio sacerdotem dei interficere conabatur: deo tamen protegente, nullam lesionem vir sanctus incurrit. Tunc hiis qui aderant cum eo in impium presumptorem irruentibus, vir dei de manibus eorum liberauit eum. Eodem tamen die a demone arreptus, die tertia infeliciter expirauit. Alio quoque tempore cum custos segetum sanctum transeuntem blasphemaret, et socii viri dei illum necare vellent, prohibuit sanctus, nolens sui causa quemquam perire, qui salutem omnibus veniebat predicare: et via qua venerat regressus, locum ire dedit. Postera autem die infelix blasphemus repentina morte prereptus est. Dum enim loca circuiret maritima, vbi aque erat penuria, grauem[1] sustinebat ardorem sitis. Iussit itaque paruam fossam fieri intra tentorium suum, et flexis genibus orauit dominum vt qui populo Israel in deserto aquam produxit de petra, eadem misericordia seruis suis de arenosa terra aquam produceret. Et ecce fons limpidus, cunctis videntibus et deum in sancto suo glorificantibus, de terra protinus emanare cepit. Occurrerunt autem viro sancto iter agenti duodecim egeni, postulantes ab eo aliquid sibi dari. Qui precepit ministro dare eis flasconem optimo vino plenum. Quo accepto, vsque ad satietatem omnes biberunt: et illis abeuntibus vas, vt prius, plenum fuit. Venit aliquando inuisere monasterium suum (vir dei)[2] et post orationes et salutationes fratrum circuire cepit habitacula, volens videre si quid in illis emendandum foret. Accidit autem vt cellarium intraret: vbi dolio reperto cum modico vino, fusa ad deum prece, benedictionis[3] baculum misit in ipsum. Et confestim vinum in dolio in tantum excreuit, vt vasis marginem superascendere videretur. Puellam a demonio arreptam sancta sua benedictione sanitati pristine restituit. Pipinum, patrem Caroli magni, baptizauit et omnium precedentium Francorum ducibus potentiorem eum futurum predixit. Erat autem beatus Willebrordus omni dignitate preclarus, statura decorus, facie venustus, corde letus, ore iocundus, consilio sapiens (simul)[4] et prouidus, moribus compositus, et in omni opere dei strenuus. Plenus tandem bonis operibus et omni sanctitatis exercitio, septimo Idus nouembris[4] migrauit ad dominum: et positum est corpus eius in sarcophago marmoreo in monasterio[5] quod ipse construxerat in honore sancte trinitatis. Quod quidem sarcophagum[6] quia ad corpus sancti insufficiens et breue inuentum erat, fratres quid super hoc agerent hesitabant; et ecce miro modo ita longum repertum est quasi ad mensuram corporis sancti fuisset cum dili-

[1] T. grauem cum. [2] vir dei om. in T. [3] Sur. ben. gratia. [4] om. in T. [5] sc. Epternaco. [6] T. sarchophagum.

gentia preparatum. Cuidam religioso discipulo sancti viri longius posito obitus illius diuinitus reuelatus est. Vidit enim animam sanctissimi patris cum magna luminis claritate et laude ab angelorum exercitu subleuatam regna penetrare[1] celestia. Per vnctionem quoque olei quod supra corpus sancti lucere solebat, multi infirmi curati sunt; vinculis ferreis astricti meritis eius soluti, paralitici curati; et alii innumeri eius poscentes suffragia petitionis sue consequuntur effectum.——[Incidencia[2].] Narrat enim Vincentius in Speculo Historiali de predicto rege Frisonum Rathbodo, quod cum predicatione Wlfranni episcopi ad hoc inductus esset vt baptizaretur, cum vnum pedem in lauachro intinxisset, alterum pedem retrahens interrogauit vbinam plures suorum maiorum[3] essent, in inferno an in paradiso; et audiens plures esse in inferno, ait: 'Sanctius[4] est vt plures quam pauciores sequar.' Et cum esset in multa dubitatione, misit ad beatum Willibrordum, consulens si deberet baptizari. Cui ille respondit: 'Quomodo mihi credet qui sancto fratri nostro Wlfranno non credit? Ego, inquit, hac nocte vidi eum cathena ignea ligatum, vnde constat eum [iam] eternam dampnationem subisse.' Quomodo autem Rathbodus ille deceptus fuerat a diabolo in eodem Speculo liquet. Apparuit [enim][5] ei diabolus in angelum transfiguratus, caput opertum diademate aureo cum gemmis, et veste auro texta. In quem cum Rathbodus intenderet, dixit: 'Virorum fortissime, quis te ita seduxit vt a cultura deorum velis recedere? Noli hoc facere, sed mane in hiis que didicisti, et venies ad[6] domos aureas quas tibi eternaliter in proximo sum daturus. Cras ergo accersi Wlfrannum doctorem christianorum, et ab eo, quenam sit illa mansio eterne claritatis quam pollicetur, interroga. Quam cum demonstrare nequiuerit, vtriusque partis mittantur legati, et ego ero dux itineris et demonstrabo illis domum auream et mansionem pulcherrimam quam tibi promitto.' Euigilans Rathbodus narrauit cuncta sancto Wlfranno. Qui dicens[7], etiam[8] illusorem diabolum sibi velle illudere, respondit dux se futurum christianum, si illa pulchra mansio non demonstraretur sibi a deo suo. Mittitur ergo statim Friso ex parte ducis, et quidam diaconus ex parte sancti Wlfranni. Qui cum paululum[9] ab oppido[10] processissent, obuium habuerunt itineris comitem, qui dixit eis: 'Properate cito, nam monstrabo vobis pulcherrimam mansionem Rathbodo regi preparatam.' Illi autem pergentes per viam latissimam et loca ignota, viderunt quandam viam diuersis generibus marmorum polito[11] opere decoratam, videruntque a longe domum quasi auream, et peruenerunt ad plateam que ante domum erat quasi auro et gemmis strata[12]: intrantesque in domum

[1] E. penitrare. [2] so T. Cf. Vinc. Bell. XXIII. 145. [3] E. maiorum suorum. [4] VB. Satius. [5] E. autem. [6] T. a. [7] T. E. dicens; VB. dixit. [8] om. in VB. [9] T. paulum. [10] E. opido. [11] T. pollito. [12] E. stratam.

viderunt eam esse mire pulchritudinis et incredibilis splendoris, et in ea thronum mire magnitudinis. Tunc ductor itineris ait: 'Hec est mansio preparata Rathbodo duci.' Ad hec diaconus obstupescens dixit: 'Si a deo facta sunt ista, perpetuo maneant: si a diabolo, cito dispereant.' Et cum signo sancte crucis se signaret, conductor ille transiit in diabolum, et domus aurea in lutum: remansitque diaconus et Friso in medio locorum palustrium, que plena erant virgultis. Triduo ergo immensum itineris conficientes, reuersi sunt ad oppidum[1]: et ducem a demone ludificatum, subita[2] morte perisse inueniunt; et que viderant sancto Wlfranno narrantes, Friso confestim baptizatur. [3] Pipinus enim quem sanctus Willebrordus baptizans magnum futurum predixit: in regimine domus regie Francorum patri suo Carolo successit; sed cum rex Francorum Hildericus esset inutilis et remissus, nihilque de regno preter regis nomen et victum perciperet, inquisiuit Pipinus per legatos a Zacharia papa vtrum ille deberet esse rex Francie qui solo regio nomine contentus ocio deditus erat. Cui pontifex rescripsit, illum debere regem appellari et esse qui bene rempublicam regeret. Qua responsione Franci animati, Hilderico rege in monasterium detruso et in monachum tonsorato, Pipinum erexerunt. [4] Carolus huius Pipini pater ex concubina genitus, cum sarracenis ex Affrica venientibus strenue pugnauit, cogens eos in vno bello apud Pictauiam, et in altero apud Narbonam, retrocedere ad Hispaniam. In quibus bellis quadringenta sexaginta quinque milia sarracenorum sunt occisa. Pugnauit etiam contra Saxones et Bauarros, cum Eudone Aquitannie duce, et Ranfredo[5] comite Andegauie. Iste Carolus propter assiduitatem bellorum[6] ingruentium tradidit laicis res ecclesie. Quam ob causam sanctus Eucher[i]us aurelianensis episcopus in oratione positus vidit ipsum Carolum in anima et corpore apud infernum inferiorem torqueri. Angelus autem qui ductor erat episcopi ad ista videnda, asseruit hoc esse iudicium omnium illorum qui res pauperum et ecclesie rapiunt: quorum res rex iste rapuit. Vnde ad denunciationem episcopi Sancti Dionisii abbas et capellanus Pipini ad sepulchrum Caroli accesserunt: et reuoluto sarcophago, drachonem exire viderunt, nullo corpore apparente. Hic Carolus fuit auus Caroli magni.

[1] E. opidum. [2] E. subito. [3] Cf. Vinc. Bell. XXIII. 154. [4] Cf. ib. 149. [5] T. E. Raufredo. [6] E. belorum.

¶ De sancto Willelmo puero et martire[1].

SAnctus enim Willelmus ex patre Wenstano, et matre Eluina, rurali opere vitam agentibus ac necessariis vite subsidiis admodum habundantibus, natus est. Impregnanti etenim[2] matri et dormienti visio talis accidit: Videbat enim piscem, qui lucius dicitur, pinnas rubicundas et tanquam sanguine aspersas duodecim habentem, quem cum in sinum posuisset, videbatur piscis se mouere, et paulatim adeo succrescere, vt iam sinus ipsum comprehendere non posset: assumptisque subito alis sursum volauit, nubesque transiens, aperto sibi coelo, in ipsum se recepit. Cumque patri suo sacerdoti, plurimam exponendarum visionum peritiam habenti, cuncta per ordinem retulisset, ait: 'Noueris, filia, te impregnari, filiumque parituram, qui in terris honorem maximum consequetur, et super altitudinem nubium eleuatus in celum, duodennis exaltabitur.' Nato itaque puero et ablactato, dum pater eius Wenstanus affines ad conuiuium inuitasset, penitentialis quidam brachia ferreis innexus nexibus, quasi ad elemosinam conuiuantibus intererat: qui cum puerulum manibus quasi applaudendo teneret, puer, puerili simplicitate ferreos admirans nexus, eos palpauit, et ecce subito vincula rumpuntur in partes dissilientes. Cum autem septennis puer esset, cepit adeo abstinentie amator existere, vt tribus in hebdomada feriis ieiunaret: nonnullos vero pane contentus et [aqua][3] transigebat dies: ecclesiam frequentabat, psalmos et orationes dicebat, et quecunque dei erant summa venerabatur reuerentia. Tandem apud Norwicum cuidam pellipario in arte illa traditur instruendus. Tandem in quodam festo pasche, Iudei in vrbe morantes puerum subdole hospitia eorum intrare alliciunt, subitoque rapiunt, et variis modis illudunt[4]. Per vtrasque fauces ad posteriorem colli partem reductis corrigiis firmissimo astrinxerunt nodo, postmodum vero breui funiculo, auricularis fere digiti habente grossitudinem, arrepto, trinumque in eo certis locis assignantes nodum, caput illud innocens a fronte in occiput circumcingunt, medium quippe fronti nodum, extremosque alios hinc et inde temporibus[5] imprimentes, [et][6] vtrarumque partium capitibus ad occiput strictissime contractis, et strictissimo confecto ibi nodo, quod funiculi supererat circa collum, itidem hinc et inde ad anteriora colli sub mento contrahendo[7] reducunt, ibique illud insolitum tormenti genus in quinto nodo consummant. Capite quoque post hec raso, infinitis illud spinarum punctionibus vulnerant, innocentemque a terra sublatum, patibulo extinguere contendebant. Sinistro eius lateri vsque ad cordis intima vulnus acerbum infligunt, et vt sanguinem per totum corpus defluentem

[1] Ed. in Act. SS. Boll. 25 March III. p. 587. Cf. Chr. Bromton, anno 1043. The text is abr. from the Vita by Thomas Monimetensis, c. 1160, who wrote 'De Guilhelmo puero et martyre 7 libros, et de mir. unum, ad Guilhelmum de Turebes Episcopum Norwicensem' (Pits). This life is preserved in a MS. Brent-Eley (now Cambr. Univ. Libr.). [2] Boll. autem. [3] so T., om. in E. [4] Boll. illusum. [5] T. timporibus. [6] om. [7] Boll. contrahentes.

reprimerent, a capite deorsum feruentissimam aquam infuderunt. Sicque martir gloriosus, septimo decimo kalendas Maii [1], migrauit ad dominum. Die quoque pasche corpus in sacco ponitur, vt extra villam ad siluam deductum, secretius in ea sepeliretur. Cumque siluam intrarent, obuiauit eis burgensis quidam Norwici nomine Eiluerdus, qui paulisper gradum continuit [2], quo tenderent quidue deferrent inquisiuit; et propius accedens, manusque iniiciens, humanum esse corpus deprehendit. Illi vero se deprehensos expauescentes, et pre timore nihil habentes quid dicerent, silue densitatem fugiendo ingressi sunt, corpusque linea cordella [in] [3] arbore suspenderunt. Ineuntes autem Iudei consilium vicecomitem adeunt, et si ope sua liberari a tanto periculo possent, centum marcas argenti pollicentur. Eiluerdus confestim accersitus [4], iubente vicecomite et cogente, fide et iuramento constringitur quod vita comite Iudeos non infamaret et vsque ad extremum vite sue diem visa non detegeret. Euolutis etenim annis quinque Eiluerdus ad extremum vite perueniens ab ipso sacro puero Willelmo per visum admonetur vt que viderat quibus vellet reuelare non timeret, factumque est ita. Hiis intra vrbem gestis, ecce ignea de celo lux subito emicuit, que vsque ad martyris locum tractim [5] se porrigens, oculis multorum diuersis in locis effulsit. Videbatur autem lux illa in duos diuisa radios scale longissime tenere formam, ab imo in altum se porrigentis ad orientem. Sabbato enim sancto pasche, monialis quedam cum quibusdam aliis ante solis ortum iter arripiens silue densitatem deuota ingreditur [6]: intuensque eminus ad radicem quercus iacentem puerum, tunicatum, calciatum, capite rasum, et femineo correpta timore, propius accedere non presumpsit. Aspexit autem super illum coruos duos, [qui] [3] voracitatis rabiem explere gestientes, rostro eum discerpere certatim attemptabant; sed nullatenus tangere, neque se sustinere valentes, hinc et inde a latere cadebant. Hiis visis mulier deo gratias agens ad domum regressa, que viderat palam cunctis enarrauit. Turba igitur cateruatim ad siluam properat, penarumque signis ac re gesta euidenter consideratis, Iudeos a reatu non immunes affirmant, et corpus (sanctum) [7] sepulture cum gaudio tradunt. Monachi quidam ramusculum qui tempore estiuo in claustro floribus roseis [8] vernans, iam efflоruerat, ad caput sepulchri sancti martiris circa festum sancti Michaelis transplantarunt: (qui) [7] continuo terre radicitus adhesit et reuirescentibus foliis non sine magna omnium admiratione refloruit, vniuersis floribus vsque ad festum sancti Edmundi in ramusculo perseuerantibus, tuncque vehemens imbrium [9] et ventorum exorta procella omnes preter vnum excussit, qui vsque ad natale(m) [10] in ramusculi summitate recens perdurauit.

[1] This is the day of his translation; he died on 25 March. Cf. Act. SS. Boll. March III. p. 486. [2] T. E. conticuit. [3] om. [4] E. accercitus. [5] E. tractum. [6] E. intrauit. [7] om. in T. [8] E. eoseis. [9] T. ymbrium. [10] T. natale.

Fuit vir quidam diuturna infirmitate detentus, totoque imbecillis corpore iacens. Ingrauescente tandem morbi angustia in extasim raptus, [1]angelo duce per loca diuersa, horrida et amena, deducitur. Innumerabilem vero turbam diuersis cruciari penis conspicit, nonnullos, quos in vita cognouerat, vidit, qui familiaria quedam et secreta ei tradentes intersignia, quibusdam adhuc viuentibus per ipsum mandando notificant eosdem illis preparatos cruciatus nisi ab hiis et illis penitentes criminibus desistant. Florigeram amenissimamque ingreditur regionem, innumeram ibi hominum copiam in glorie inestimabilis gaudio positam cernit; et inde per viam diuersis constratam floribus digrediens, ante sedentem in throno dominum tandem adductus constitit, atque in chorusce lucis fulgore defixo intuitu vidit dominum, throno aureo sedentem lapidibus preciosis ornato, et sanctorum milia ante eum. Videt quoque a dextris in maiestate sedentis beatam virginem Mariam, et ad pedes domini puerum conspicit quasi duodennem, scabello aureo residentem: cuius habitus niue candidior, et vultus splendidior sole, et in capite eius corona fulgebat aurea, preciosissimis vndique lapidibus insignita: cui pariter congratulabantur sanctorum chori, eumque maxime venerabantur ordines angelici. Quibus visis angelo ait: 'Quis est hic, domine, cui tantus honor impenditur?' Et ille: 'Hic est cui honor debetur perpetuus, quem in derisum dominice passionis et obprobrium hiis sacris diebus Iudei norwicenses peremerunt; eiusque debetur meritis quod ad sepulchrum illius remedium suscipies[2] sanitatis.' Et hiis dictis, inde continuo assumitur, et suo corpori restituitur. Remeante vero anima subito omne corpus contremuit, et rediuiuus apparuit, et[3] cunctis seriatim que viderat enarrauit: Norwicum adiit, et sanitatem sine mora recepit. Multa insuper miracula pro suo martire glorioso dominus ostendere dignatus est: inter que cecos quatuor, mutos quinque, hydropicos duos, demoniacos tres, et epilenticos, contractos, surdos, naufragio periclitantes, compeditos, gibbosos, ac alios variis morbis et periculis afflictos, sanauit, liberauit, ac soluit.

¶ *Narratio*[4].

Stephanus quidam per annos sexaginta monachus existens, tantum habuit in discernenda rerum ambiguitate iudicium, vt nullus ad ipsum ex quacunque causa tristis veniret qui non post eius visionem atque sermonem letus abscederet. Sanctus enim Euagrius et Ammonius[5] et qui cum eis erant, aliquando referebant quod inuenerunt eum in verendis nature quodam morbo laborantem, et opus quidem manibus suis facientem, id est de palmulis funes torquentem, sermocinantem quoque fratribus, ceteras vero corporis partes medico ferroque prebentem; adeo namque per patientie

[1] E. et a. [2] T. E. suspicias. [3] E. vt. [4] Ex Vinc. Bell. XVII. 80 (Vit. Patr. p. 1131). [5] so VB.; T. Antonius, E. Anthonius.

gratiam alienus erat a corporis sensibus, et mens eius occupata celestibus in tantum separata a rebus humanis erat, vt abscisis verendis omnibus, nihil sentiret penitus. Hec Vincentius.

¶ De sancto Willelmo episcopo et confessore[1].

BEatus[2] Willelmus, preclaris natalium titulis insignitus, ex patre Herberto strenuissimo[3] comite, et matre Emma sorore regis Anglorum Stephani, originem traxit. Verum ne sola parentum generositas vite eius seriem titulis decoraret, euolutis annorum circulis, cum etas tenera discretionis regimine solidari cepit, omni morum honestate pollebat. Crescentibus tandem virtutum et sanctitatis eius meritis, eboracensis thesaurarius[4] effectus, opes suas inter[5] manus egenorum transire coegit, nullum thesaurum preciosiorem estimans, quam penuriam patientibus subuenire. Defuncto tandem Thurstino archiepiscopo eboracensi, vir summe mansuetudinis, pietatis, et charitatis eligitur, sed liuor edax et amor dominandi quendam eiusdem ecclesie archidiaconum in regionem dissimilitudinis adeo attraxit, vt inter eligentes discidium excitans, a saniori[6] parte electum impediret. Licet enim in electione eius laudum preconia, clerus acclamans et plebs applaudens, illum iusticie et morum amatorem precipuum testarentur, negotium tamen suspenditur, ad apostolice sedis examen prouocatum. Summus enim pontifex cisterciensis ordinis Eugenius, non vitio persone, sed sue voluntatis arbitrio, electionem eius cassauit et Henricum[7] Murdach, predicti ordinis professorem, eboracensis ecclesie pastorem ordinauit. Venenosis vir dei Willelmus detrahentium morsibus[8] laceratus, pro solatio[9] patientiam habuit, varios euentus constantia superans animi sui: ad Henricum wintoniensem episcopum, patruum suum, accessit, [qui eum] benigne susc[ipiens][10], ad eius obsequia omnem familiam suam assignauit. Sed vir dei, pompam seculi abhorrens, in quodam episcopi manso solitudinem affectans mansit, et commissorum suorum penitudinem gerere et vltrices penarum flammas lachrimarum vbertate restringere curauit. Erat enim vita eius in summo silentio, moresque tranquilli, nec[11] vox vana aut ociosus sermo eius intentionem a diuina contemplatione impedire potuerunt. Augebant ardorem deuotionis considerata dampnatorum supplicia, beatorumque premia; et quam graue sit, in extrema ventilatione deum videre et perdere, a memoria non recessit. Pauca, sed debita, indulgens nature, nulla gule: et si quando generositatis eminentia visitantium turbas offerret etiam inuito, [in] ipsarum aspectu[12] tam honorabilis,

[1] Ed. in A. SS. Boll. 8 June II. p. 136. Abr. from the Vita in MS. Harl. 2, f. 76-88 (13 cent.; abr. in Bromton, Stubbs). [2] T. Sanctus; E. Vit. Beatus. [3] E. strennuissimo. [4] E. thezaurarius. [5] Vit. intra. [6] T. E. seniori. [7] T. Henr. de M. [8] E. moribus. [9] E. consolatione; T. solacio. [10] T. E. a quo b. susceptus. [11] Vit. ne . . . int. ad diuina obturbet. [12] Vit. ipso visu.

tam letus et gratie plenus apparuit, vt eum aliquid angelicum habere ipsa visio indicaret. Mors tandem, summi pontificis Eugenii et archiepiscopi Henrici in vno eodemque die vitam violenter abrupit[1]: que spiritu sancto reuelante beato Willelmo reuelata sunt. Cum autem illis diebus quedam calcaria mirabilis sculpture wintoniensi episcopo a transmarinis partibus fuissent transmissa, ea vultu hilari viro dei obtulit, quibus inspectis, per ordinem ei aperuit[2] qualiter predicti patres vno eodemque die in diuersis terrarum locis in fata decesserunt; adiiciens quod cardinalis ille qui electionis sue precipuus defensor extiterat, felicibus auspiciis eleuatus, apostolice dignitatis culmen ascendit. Venerabilis itaque summus pontifex veritatis amator, eboracensis ecclesie canonicis beatum Willelmum iterum eligentibus, electionem confirmauit; et [ei] consecrationis munus impendit. Rediens igitur vir dei cum per pontem vrbis Eboraci transitum faceret, populi sequentis ponderositate rupto ponte, magna plebis pars in aque profundum cecidit: sed a sancto episcopo facto crucis signo, et oratione fusa, ab omni periculo incolumis et illesa ad terram euasit. Elapsis post hec aliquot annis, plenus bonis operibus, elemosinis, ieiuniis, vigiliis, et omni sanctitate deo placens, a seculo ad deum migrauit, sexto idus iunii. Post obitum vero eius puellam quandam a natiuitate cecam illuminauit, contractos tres gressibus restituit, surdo auditum prebuit, ydropicum sanauit, paraliticum, (et)[3] leprosum optate saluti reddidit, mortuum resuscitauit; et vsque in hodiernum diem in loco requietionis eius omnipotens dominus precibus eius et meritis miracula ostendit. Anno autem domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio translata sunt cum magno honore ossa eius et in scrinio precioso collocata.

¶ *Narratio*[4].

Clericus quidam nomine Iohannes tacitus secum proposuit[5] ordinem cisterciensem, cum in sua nouella plantatione floreret, intrare; sed mutato proposito, in recompensationem sui propositi peregrinationem sancti Iacobi aggreditur. Cumque, regressus, in cubiculo suo quiesceret, mox affuit in visu Ihesus Christus cum duobus apostolis Petro et Iacobo, quorum Petrus librum manu tenebat, quem dominus aperiri precepit. Erat autem scriptus aureis litteris, nomina predestinatorum continens. Iussus ergo apostolus cepit legere: et cum ibi legeret nomen Iohannis illius, 'Tolle, ait dominus, tolle; dele eum, dele; quia meum se futurum promiserat et resiliit a promisso.' Accedens autem beatus Iacobus et obsecrans dicebat: 'Domine deus, meus est peregrinus; ne deleas, obsecro, nomen eius.' Cui dominus: 'Tuus, inquit, peregrinus est[6], sed ciuis esse debuerat. Nonne maius

[1] E. obrupit. [2] E. apparuit. [3] om. in T. [4] Ex Vinc. Bell. XXVI. 42. [5] E. propusuit. [6] VB. Meus, inquit, non peregrinus.

est ciuem meum esse quam tuum peregrinum?' Apostolus ait: 'Ne deleas, inquit, domine piissime, ne deleas eum obsecro: ego tibi pro eo fideiubeo quod faciet quod proposuerat.' 'Quando, inquit dominus, faciet?' Apostolus dixit: 'Infra quindecim dies.' Excitatus ad hec verba Iohannes, solo prosternitur et fideiussori suo cum vberrima lachrimarum effusione gratias egit, dicens: 'Faciam prorsus, apostole sancte, faciam quod tam misericorditer pro me pollicitus es.' Post fletum magnum obdormiens, iterum dominus cum eisdem apostolis affuit, librum aperiri iussit, in quo audiuit idem Iohannes Petrum legentem: 'Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.' Mox Iohannes surgens, et prefixum diem preueniens, votum adimpleuit. Hic fuit primus abbas cenobii Bone-vallis, et post ecclesie Valentine episcopus, cuius vita et mors multis meritis et miraculis claruit. Considerandum nobis est quanta deuotione sanctorum nobis imploranda sunt suffragia, qui tam amicabiliter pro nobis spondent et tam efficaciter intercedunt.

¶ De sancto Willelmo martire[1].

BEatus igitur Willelmus martir in Scotia natus est in vrbe Perthe, que vulgo dicitur 'villa sancti Iohannis.' Qui cum adhuc iuuentutis flore vernaret, lasciuiam amplexus secularem, vsque ad tempus quod pater celestis in sua potestate disposuit, tanquam lignum aridum infructuosus permansit. Verum germinauerunt speciosa deserti dum hoc lignum in tempore suo fructum attulit, aqua sapientie salutaris irrigatum. Denique cum lanugo pilis infructi[fi]cans[2] prodiret natura disponente, matrique iuuenis proferret genas dissimiles, in virum alium subito mutatus est. Et precauens quidem in futurum, euacuauit ea que erant paruuli, castigansque corpus suum, carnem spiritui seruire coegit. Arte pistoria, quam a iuuentute didicerat, familiolam suam sustentans, decimum panem charitatis intuitu pauperibus errogauit: quatenus inter celicolas angelorum pane refici mereretur. Vir ergo iste simplex et rectus ac timens deum et recedens a malo, in populo mitissimus apparuit, orphanorum pater, viduarum defensor, pauperum sedulus adiutor existens. Nec in dei seruitio verus hic christicola tepidus aliquando permansit: quin quotidie sancte matris ecclesie limina frequentaret. Quodam autem diluculo cum adhuc tenebre essent, ante fores templi domini causa deuotionis aduentans, infantem vagientem reperit, vilibus villosisque[3] panniculis inuolutum. Cuius miserie sanctus compatiens, clanculo pusiolum arripuit, arreptum mulieri nutriendum tradidit, nutritum et adultum arte panifica diligenter instruxit, instructum quoque super

[1] This life is om. in T. Ed. in A. SS. Boll. 23 May V. p. 270. No other life is known to exist. [2] E. infructicans. [3] E. vilis vilosisque.

omnes vernaculos domus sue specialiter dilexit. Accidit itaque quod idem vir voto se obligauit, dominice passionis visitare locum: disponens domui sue, vocauit seruos suos et tradidit illis omnia bona sua. Et audita quadam [die][1] magna cum deuotione catholica missa, fecit sibi vt moris est peregrinorum peram et baculum consecrari, vt statim proficisceretur, non ignorans quoniam per multas huius mundane lachrimarum vallis tribulationes oportet nos introire in regnum celorum: acceptaque ab omni domus sue familia licentia, omnibusque tam vicinis quam consanguineis valedicens, itineris comitem nullum secum adduxit preter supramemoratum inuenticium, in quo, tanquam pater fidelissimus piissimusque in filio suo carnali, confidebat. Erat autem nomen seruo Cokermay Doueni, quod lingua Scotensium[2] 'inuentitius Dauid' interpretatur. Sic vir israelita, Christi coheres, egressus de terra et de cognatione sua, reliquit fratres et sorores, vniuersamque substantiam suam, vt centuplum acciperet: et profectus est statim. Transeuntes autem primam et secundam prouinciam, viaque regia per Angliam incedentes, venerunt ad vrbem Roffensem, que Saxonum lingua Roffecestria nuncupatur. Est autem Roffa municipium in Cancie prouincia, super Medweyam amnem optimo loco situm, distans ab vrbe Londoniarum Anglie metropoli viginti quatuor miliaribus versus Doroberniam, que antiquitus Kaerkarec, nunc autem Cantuaria nuncupatur. Cum autem in vrbe supradicta morarentur per triduum, artus solutos vt quies vsui laboris aptos redderet: intrauit sathanas in cor serui nequam, vt auaricie deebriatus veneno, mortem domino suo penitus intentaret. Querebat autem paricida[3] proditor oportunitatem vt eum perimeret sine turbis, ne forte tumultus fieret in populo. Post triduum egredientes ab vrbe versus Cantuariam, cum [ad] quoddam biuium peruenissent, beato Willelmo viam rectam carpere volenti, pre perfidia proditor pellax [h]aut[4] potuit acquiescere, sed illum procaci vultu respiciens dixit: 'Vt quid vie perditio hec? Vt quid in uacuum laborauimus viam rectam deserendo, quam heri, dum ad missarum fuisti solemnia, ab incolis huius prouincie didici? Absit vt per viam quam desideras gradiamur, ne forte aliquid aduersum nobis contingat.' Hec et alia superflua susurrone suadente, secum intrepidus perrexit. Euntibus autem illis per deuia, nactus est proposito tempus oportunum scurra subdolus: securimque vibrans spurius et degener alumpnus, piissimum patrem et peregrinum, penitentialiter progredientem, in occipite percussit, percussum prostratumque imbecillem impiissime iugulauit. Sicque agnus innocens [a] lupo laceratur, sic granum frumenti cadens in terram mortuum, necnon proditionis opressum palea, multum fructum affert; sic beati Willelmi spiritus, egressus de tenebris et vmbra mortis, amictus est lumine sicut vestimento, et quia

[1] om. [2] E. scotentium. [3] E. paricidia. [4] E. aut.

legittime certauit, sufferens temptationem, accipere meruit coronam vite [quam][1] repromisit deus diligentibus se. Quid plura? Nebulo nepharius quem nephas fugat, fugit vt profugus, non refugio, sed funis funere fungi dignus. Prenotato beati[2] Willelmi martiris glorioso triumpho, qualiter migrauit a corpore, opere precium est miracula scriptis inserere que ob illius meritum operatur potentia celestis: de quibus et vetera prosequi et noua cudere licet[3]; nec vobis displiceat, charissimi, si quandoque ma[c]rologiam[4] vitans, sub breui loquio transeam: quia et placet vobis dicendi parcimonia, et quamquam arrideat multa dicendorum materia stilus tamen prolixus fastidium gignit. Lucerna deinceps accensa non ponatur sub modio, sed super candelabrum vt luceat; fracto alabastro tota domus odore repleatur vnguenti. [5] Fuit igitur eisdem temporibus in Cancie finibus prefatis quedam mulier vesana toruo spiritu, necnon a demonio male vexata, ita quod montes et colles transiliens, necnon per plateas et vicos nuda discurrens, insanie sinthomata[6] miserabiliter omnibus[7] ostendit. Cumque quadam die per locum vbi iacuit corpus exanime pertransiret, inter spinas et tribulos in[7] illud intuens, dixit: 'Amice, vsquequo dormis? Dormi iam, et requiesce. Quare, lasciue iuuenis, cum sis candidus, corona florida non vteris?' Hec et hiis similia tanquam pica loquax astando garriens, coronam de caprifolio plexam beati martiris capiti circumposuit. Reuersa deinde Cana[n]ee filia, male a demonio vexata tanquam leena raptis catulis ardua queque montium transcendit, in imis vallium dissiliit, penitus ignorans vnde veniat aut quo vadat. Altera vero die rediens per locum vbi sanctum corpus reliquerat, iterum appropinquans ait: 'Redde mihi sompniator quam dedi tibi coronam, quoniam te decet super aurum et lapidem preciosum multum. Prochpudor! stertis[8] adhuc, piger? mihi non loqueris?' Hec et alia garrulans indigna relatu mortuo tanquam viuo, martiris a capite coronam, cerebro necnon cruore cruentatam immo consecratam, abstulit, capitique proprio sup[er]posuit[9]. Mirabilis deus in sanctis suis, illico manifestauit electum sibi martirem. Manifestauit autem sic: Mulier namque fatua, cruento corollario coronata, dicto citius ferali rabie deposita humanam rationem adepta est. Vnde pre verecundia tota die vsque ad vesperum inter frutecta[10] latuit, et ad se reuersa dixit: 'Nunc scio vere quia misit dominus angelum suum et eripuit me de manu sathane meritis istius martiris, vt manifestentur[11] opera dei in illo, Prestante domino nostro Ihesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto viuit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.' Et predictus gloriosus martir iacet apud ciuitatem Roffensem predictam.

[1] om. [2] E. beato. [3] Only one miracle, however, is given here. [4] E. martirologiam. [5] This story is highly poetic. [6] = symptomata. [7] om. in Boll. [8] Boll. sterneris. [9] supposuit. [10] Boll. fruticeta. [11] E. manifestantur.

¶ De sancto Winwaloeo abbate et confessore[1].

VIr quidam in Britannia fuit illustris[2] nomine Fracanus, Cotonii regis britannici consobrinus, qui Armoricam, vbi tunc opacum adhuc sine clade audiebatur fuisse terre spacium, ascensa rate cum paucis et ponto britannico prospere nauigato, delatus est, in portum qui[3] Bracheus dicitur. In qua statim proxima queque perlustrans, et fundum quendam reperiens non paruum, siluis dumisque circumseptum, cum suis ibidem habitare cepit. Hic filium suum nomine Winwalloeum cuidam patri spirituali litterarum studiis tradendum secum adducens dum in itinere esset, caligine totus polus obuoluitur, terra tremit[4], aer choruscat, freta feruent, et totum turbine et igne et cum niue grandine mixto turbatur pelagus. Et ait filius ad patrem: 'Cur times, inquit, pater? Ille creaturarum auctor qui cuncta cum non essent fecit, qui celum sideribus ditauit, terram flore ornauit, mari terminum posuit: aeris quoque iniuriam sedare, cum velit, et ponti mitigare fluctus potest. Nam nihil deerit timentibus eum. Vnum ergo est necessarium vt totam in illo spem habeamus et in eius semper dilectione maneamus; quia et ipse prius dilexit nos.' Hec et alia multa dicente puero, subito sol effulsit, et dies serenissima vsque ad vesperam illuxit. Cum autem ad doctorem illum sanctum cum filio venisset, ille ait: 'Puerum, quem mihi commendas, video moribus transcendere, et in puerili forma grandeum conspicio virum et ingenii sagacitate diuina iam sapientia eruditum.' Commendato itaque sancto viro filio suo, patreque ad sua regresso, in litterali scientia in breui non modicum puer proficiens: cum quidam sociorum ludendo cum sociis crus suum confregisset, accessit ad eum, et fusa ad deum prece, super locum plage signaculum crucis impressit, dicens: 'Surge velociter in nomine domini nostri Ihesu Christi.' Qui statim, quasi nihil mali sustinuisset, nullo lesure manente vestigio, surrexit. Mox enim vt pauper clamaret, deo gratias agens festinus occurrebat ad eum, opem illi prestiturus: et quos vnde pasceret substantia corporali non haberet, vberrimis fletuum querimoniis illorum penuriam deplorabat, et corda illorum spe retributionis eterne subleuabat[5]; et commemorans illis vocem euangelii 'Beati eritis qui nunc fletis et esuritis, quia ridebitis[6] et saturabimini,' celestibus eos non cessabat educare diuitiis. Videns autem quidam sociorum suorum charitatem eius circa pauperes, liuore inuidie stimulatus, subsannando eum increpare cepit dicens: 'Ecce per totum diem laborans opus tuum in tam ignobili vulgo flebiliter deperdis, quasi misericordiam simulans, cuius affectum non habes.' Cum hec et multa alia conuicia ei in-

[1] Abr. from the Vita in MS. Bodl. 240, p 822, which more nearly represents the original life than the 3rd life in A. SS. Boll. March I. p. 254, or than the 1st life ib. (and that in Surius), derived from the same. [2] T. Fuit in Brit. uir quidam illustris. [3] T. E. que. [4] T. E. tremuit. [5] T. sulleuabat. [6] E. redibitis.

tulisset, aperiens os suum Winwaloeus et deo gratias agens, sic respondit ei: 'Benedictus sis, amantissime frater, quia tui solius aperti sunt oculi, qui hec tam recte de me iudicare potuisti.' Et protinus quendam cecum[1] de turba ad locum secretum adducens, ita orans ait: 'Sicut oculos cecorum, clamantium ad te "Miserere nostri fili Dauid," sanasti, ita tu domine Ihesu Christe, digneris istius fratris in te confidentis oculos sanare.' Et aperiens oculos eius manibus suis et spuens in illos, dixit: 'Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc do tibi: in nomine domini nostri Ihesu Christi respice.' Qui statim apertis oculis clare vidit. Quadam die, cum soror sua paruula cum aliis luderet puellis, accidit vt oga transeunti obuia occurreret oculumque eius diripiens penitus erueret atque absorberet. Et dum hec acta essent, angelus domini in sompnis nocte sequenti apparuit Winwaloeo, dicens: 'Surge, festina et merorem parentum tuorum releua: nam hodie, gregem ogarum[2] gallo trahente, vnica germana tua perdidit oculum suum: sed[3] locus in quo est reconditus, venter oge est.' Cumque ad parentes suos venisset, eam quam ceteris eminentiorem cernit, teneri ac euiscerari fecit. Et accepto inde oculo, et in locum suum posito, sanum reddidit illum. Ales vero, quasi a nullo contactus fuisset, ceteras sanus adibat aues. Dum quidam condiscipulus suus sompnum caperet, serpens subito morsu pedem eius lesit totumque veneno infecit. Et grassante per omnia membra veneno: cum seruus dei vidisset fissuram vbi se lubricus anguis occultarat, mox voce alta clamare cepit: 'Quicquid letiferi seminis in ista latitas rima, erumpe, prode foras, Christi (qui deus est omnipotens)[4] edisce trophea.' Nec mora, audito Christi nomine sibilans serpens de latibulo suo exiuit; et signo crucis confossus, nemine feriente interiit. Et data infirmo aqua oleo infusa[5] ad bibendum, fugato omnis lesure vestigio conualuit. Quod audiens pater eius Fracanus venit ad eum et dixit: 'Fili mi, te deprecor vt dominum deum tuum exores vt tale pestiferum genus nusquam in ista regione apparere presumat.' Illo autem deum inuocante, factum est vt nullum omnino deinceps tale pestiferum genus in illa regione apparuisse dicatur; et si aliquando probandi gratia illuc delatum fuerit, quasi tridente confossum statim se moriturum expandit. Cum puer quidam Fracani de equo nimis velociter currente cadens expirasset, sanctus Winwaloeus casu superueniens, dexteram defuncti apprehendit, dicens: 'Dominus Ihesus Christus, qui te cum non eras plasmauit, et carnem sumens de virgine immaculata pati pro te dignatus est, resuscitet te.' Et puer, quasi a sompno excitatus, statim surrexit. Egressus demum de loco illo cum vndecim sociis Winwaloeus, in insula quadam[6], acutis rupibus et mari circumcincta, nulla hominum habitatione digna, manere cepit, oratorium con-

[1] T. E secum. [2] Bodl. oca gallo trahente. [3] T. E. sed et. [4] qui . . . omnipotens om. in T. Bodl. [5] *al.* confusa. [6] sc. Theopepigia, Tibidy.

struxit, et hortum plantauit. Elapso autem triennio, cum locum quendam vltra mare[1], vbi nunc corpus eius requiescit, conspexisset, mare cum baculo percussit et siccis pedibus cum sociis, deum[2] glorificans, pertransiuit. Et cum locus illis placeret, quasi circulum in modum fontis de baculi sui cuspide fecit, et aquis mox largissime egressis, fons patens apparuit et amenus.

Quadam nocte, dum solus in oratorio oraret, apparuit ei quoddam ingens teterrimum atque horrendum monstrum. Erat namque quasi quedam ymago ferro et fuligine conficta, plumis contexta fuligineis, pedibus et alis pernicissima[3]; interdum centum habens oculos flammeos, nunc vero nullum, interdum vnum in media fronte fixum, in modum clipei maximi rotatum; centum linguas, totidemque ora et aures confingens; nunc (sursum)[4] vsque ad nubes se erigens, nunc vero deorsum pendens et cum (terre)[4] puluere descendens. Hec tam prophana per totam noctem videns, demum dixit: 'O demens, o prophane, cur hec tam vana iactitas contra milites Christi? An te latet quod perpetua ignis eterni tormenta te manent cum sodalibus[5] tuis? Quamuis enim modo quedam grauia iam sustineas, maiora tamen sustinebis cum Christus apparuerit, vita et legifer noster.' Quibus dictis, miser ille cum suis illusionibus euanuit. A vicesimo primo etatis sue anno vsque ad obitum suum, nunquam in ecclesia visus est sedere; nunquam tristicia deiectus nec leticia solutus, nunquam moderationis metam excedens, sed neque iratus aut turbulentus, omnibus affabilis et beniuolus erat. Ter quinquagenos quotidie psalmos psallebat, nunc in crucis modo, nunc immobilis fixus statura, nunc genibus prouolutus. Ex die vero qua locum suum construere cepit, nunquam indumento laneo vestitus est aut lineo, sed caprinis induebatur pellibus. Et neque in lecto plumis vel vestibus seu etiam paleis strato, iacuit: durissimis nucum corticibus vti consueuit pro plumis; pro peregrinis autem tapetibus pictis, arenis cum lapillis delectabatur admixtis; duobus lapidibus capiti suo[6] suppositis. Quali indumento in die, tali et eodem induebatur in nocte. Panem triticeum non comedit, sed modico vescebatur pane ordeaceo, cinere admixto, equali pondere librato. Semper biduo aut triduo semel cibum sumpsit. Pulmentum enim erat ex farina et oleribus confectum, nulla omnino pinguedine impinguatum. Sabbato et dominico die caseo aqua decocto vtebatur, et paucos in resurrectione domini pisciculos sumebat. Potus autem eius ex aqua et arborum succis malorumve siluestrium erat. Nunquam os eius a spiritualibus ociosum visum est vel vacuum. Multi enim ceci, surdi, atque demoniaci, et omnia infirmitatum genera habentes ad eum adducti, deo gratias agentes sanitatem consequuti sunt. Quidam discipulus suus[7], mortua matre sua, cum ad locum in quo mortua

[1] sc. Landevennec, near Brest. [2] E. domini. [3] T. E. perniciosissima. [4] om. n T. Bodl. [5] E. satellitibus. [6] Vit. adds et pedibus. [7] sc. S. Riochus.

iacebat aduenisset, aspersa super cadauere aqua benedicta dixit: 'Dominus Ihesus Christus, in cuius nomine magister meus plurimas iam fecit virtutes, ipse te sanare dignetur.' Et statim quasi de sompno excitata, surrexit, et super lectum residens sudorem suum detersit, dicens: 'Videbam, inquit, circa me, extremum priusquam anhelitum amitterem, quosdam nigerrimos ad deuorandum me paratos, qui circumdantes me, et pedes meos cum manibus circumligantes, per aspera trahebant loca. Et cum ad tormenta me trahere niterentur, sanctus Winwaloeus illis obuians, terribiliter eos increpauit et dixit: "Dimittite hanc mihi. Vt quid enim tam audacter hoc scelus in meam perpetrare temptatis[1] famulam?" Illi consternati atque stupefacti, repugnare volentes sed diuino [terrente][2] imperio non audentes, me reliquerunt. Quibus sic fugatis, sanctus dei animam meam ad corpus reduxit et sicut videtis ad vitam restituit.' [3] Erat autem consuetudo beati Winwaloei, ecclesiam miliario vno a monasterio distantem cum quodam diacono, nomine Egbino, visitare et tam pro viuis quam defunctis hostias ibi deo immolare. Accidit enim vt[4] dum illuc tempore messis iter facerent, inuenerunt leprosum quendam iacentem in messe grauiter plangentem, totum corpus vulneribus plenum, flebili voce auxilium ab eis postulantem. Et accedens ad eum Winwaloeus dixit: 'Que sunt infirmitates, frater, pro quibus tam grauia suspiria emittis?' Cui ille ait: 'Magne angustie, graues dolores quatiuntur in corpore meo. Insuper et vnus dolor inest mihi qui tantum est infirmitati mee noxius vt si hunc diem sine huius doloris auxilio transiero, mortem potius quam vitam proximam esse puto: Nares enim mee dolore vulnerum plene concremantur ab ardore, vt vides, tante infirmitatis.' Hec audiens vir dei[5], pauperem per latera arripiens—quia pronus in terra iacebat—erexit. Et cum manus ad nares porrigeret, pauper flebili voce vt poterat clamare cepit: 'Noli, senior, noli manibus tangere nares, quia dolor non permittit: sed si pro remissione peccatorum tuorum dolorem meum leuiare volueris, necesse est mihi vt in ore tuo nares meas miseris, et ita me sanes[6].' Humiliauit autem se beatus Winwaloeus: et quando putauit leuiare pauperem in ore suo, carnem dei excepit; et mox vt ad se traxit halitum[7], petra mirabilis in ore eius cecidit. Et beatus Egbinus per latera dominum tenens, sursum aspexit celum apertum, et in capite domini quem tenebat sancta crux apparuit, angelosque obuiam domino venire vidit; et sacerdoti ait: 'Pater sancte, ipsum quem teneo manibus et tu ore, dominum Ihesum Christum, qui pro nobis semetipsum permisit crucifigi, esse credo[8].'

[1] T. E. temptastis. [2] so T.; E. conterriti. [3] The following miracle, extant in MS. Bodl. 240 (and Vita Ethbini), is wanting in the other lives; it is ascribed by the Boll. to another younger, Winwaloeus, 'socius S. Ethbini.' Cf. S. Egbin. [4] om. in Bodl. [5] *al.* Ethbinus. [6] *al.* ita traxeris. [7] *al.* om. [8] T. E. crede.

Cupientes autem eum tenere manibus, eleuauit se dominus Ihesus Christus in nubibus, dicens: 'Non me erubuistis, serui mei, in angustiis meis, nec ego erubescam vos in regno patris mei. Hereditas vestra mecum est; et hiis qui vestri in suis orationibus memores fuerint, salus in regno meo.' Hiis dictis, ab oculis eorum receptus est in celum. Stupefacti autem serui dei laudauerunt dominum, et beatus Winwaloeus ait: 'Hoc tuis meritis, frater Egbine, accidit nobis, qui tante es humilitatis et obedientie, vt quicquid humana lingua precipere potest, tu corde deuoto[1] adimplere festinas.' Et ille: 'Non ita est, pater; sed tu, qui quotidie carnem et sanguinem Ihesu Christi immolas, meruisti ipsum videre in suo corpore, quem assidue in animo tenes.' Erant autem in partibus illis tres fratres suis latrociniis multa mala facientes: qui cum qua[rto] ali[o][2] monasterii septa nocte ingressi, horreum apertum, et ordeum in medio positum inuenerunt. Et impletis saccis suis cum egredi vellent, primus protinus in terram prostratus, coxa eius fracta et comminuta, miser depressus sub onere iacebat. Alter vero subsequens, fixis in terram pedibus nullo modo se mouere valens, licet inuitus in eodem loco stare cogebatur. Tertius cecitate percutitur. Quartus quasi insaniendo magna voce clamabat. Sicque omnibus diuersis calamitatibus astrictis, mane ad eos veniens famulus dei ait: 'Quam stulte egistis? Nonne enim magis decebat ex fratrum labore aliquid postulare, et ex permissione quod sufficere posset suscipere, quam in dei famulos fraudem illicitam perpetrare? Sed nunc ipse qui vos ligauit, Ihesus Christus dominus noster, ab hac plaga liberet.' Hiis dictis confestim ab omni corporali plaga soluti sunt. Et adiecit dicens: 'Tollite hinc vobiscum onera vestra: et quotiens necesse fuerit petite a nobis, et nos incuntanter tribuemus; et nolite propter res transitorias et caducas animas vestras perdere.' At illi statim conuersi, vsque ad decrepitam etatem in bonis operibus deo seruientes cum viro dei vitam suam duxerunt. Dum quadam nocte sanctus dei solus in oratorio pernoctaret, astantem sibi vidit angelum domini splendidissimum, cuius fulgor lucebat vt sol, et dixit ei: 'Sancte dei Winwaloee, mature segetis et bone frugis quam seminasti tempus instat colligende.' Cui ille: 'Vt tua voluntas, sic mea fiat.' Illuminata cuiusdam mulieris cecitate; apparuit ei angelus domini dicens: 'Frater venerande, conciuem sibi exposcunt te celicole, et cito ab huius agonis labore liberaberis.' Qui statim conuocatis fratribus ait: 'Preparate vos hodie, quia postquam missam cantauero et corpus et sanguinem Christi recepero, sexta huius dici hora ab isto corpore suscipiet me dominus noster.' Celebrata itaque missa, stans ante altare inter duos monachos hinc inde sustentatus, vna cum fratribus psallens, animam deo reddidit, tam a corporali egritudine intactam quam a pollutione carnali mundam. Obiit autem quinto nonas marcii,

[1] E. deuota. [2] T. E cum quatuor aliis.

et in suo monasterio Tauraco[1] sepultus, miraculis crebris choruscat. Floruit autem circa annum domini quadringentesimum quinquagesimum nonum[2].

Narratio[3].

Quedam ancilla dei et virgo sancta, abstinentiam nouem annis custodiens, a quodam cantore solicitata est et corrupta. Que statim concipiens, partu explicito, nimio dolore penitentie mens eius compuncta est, in tantum, vt fame semetipsam vellet occidere; lachrimosis precibus deum iugiter interpellans ac dicens: 'Tu deus magnus, qui totius mundi maliciam portare consueuisti: quia tua voluntas est cunctos saluari, me quoque perditam in hoc ostende si saluti restituas, vt quod ex peccati mei perditione creatum est, ex hac luce celerius tollas, ne forsitan aut laqueo aut precipitio perire compellar.' Statimque partu diuinitus morte subtracto, illa se penitentie summis angustiis tradidit, et elephantiosis mulieribus per annos triginta seruiuit. Cuius humiles preces misericors deus non repulit: nam cuidam sancto presbitero reuelauit dicens: 'Illa virgo plus mihi placuit in penitentia quam in virginitate sua.' Hec Vincentius in Speculo.

¶ De sancto Wistano Rege et martire[4].

SAnctissimus et eximius Christi martir Wistanus regali Merciorum ex prosapia extitit oriundus, rege Wimundo et Elfleda regina parentibus progenitus. Qui in pueritia constitutus quam bone indolis fuerit quantisque pietatis indiciis floruerit, cum annos pubertatis attigit bonis actibus comprobauit. Mortuo autem patre eius, in regnum ei[5] successit: malens tamen celestis hereditatis heres fieri quam hereditati periture adherere, exemplum domini sequutus imperia terrena respuit, commutans[6] ea pro celesti hereditate; regine matri et regni proceribus regni commisit habenas. Erat autem princeps quidam, nomine Brithfardus[7], qui[8] vt domino suo in regno vel viuenti substitueretur vel mortuo succederet siue iuste siue iniuste, operam omnimodam dare cepit. Cupiditate itaque regnandi succensus, ceco amore regine succenditur, vt si ad eius matrimonium posset attingere, per eam regni gubernacula adeptus facilius regis nomen consequeretur. Cumque ad reginam nuncios misisset, illa fraudis eius nescia, donec super hiis cum filio suo et proceribus consilium habuisset responsionem distulit. Beatus itaque Wistanus super hiis requisitus, spiritus sancti gratia edoctus, tale matri sue fertur dedisse consultationis responsum: 'Mater mea

[1] The Boll. refer this to Winwaloeus junior. [2] T. quadringentesimum on corr., nonum added by another hand. [3] Cf. Vinc. Bell. [4] Ed. in A. SS. Boll. Iune I. p. 83; abridged from the Vita in MS. Rawl. A. 287, ed. Macray Chr. Abb. Evesham 1863; a shorter life in Harl. 2253. [5] E. eius. [6] Boll. commutansque. [7] R. Brifardus, Britfardus. [8] om. in T.

charissima, Brithfardus cognatus meus et compater tuus qui me de sacro fonte baptismatis suscipiens ad regnum celeste regenerauit, te petit vxorem. Sed acquiesce[1] consiliis meis, et sponsum tibi non moriturum tradam. Quicunque enim nubunt Christo, accipientes ipsum sponsum, perpetua dote dotantur[2] in regno celorum.' Et illa: 'Si ita est, inquit, impleatur sermo quem dixisti, vt Brithfardo vel alii morituro non nubam.' Wistanus igitur, de matris continentia spe certissima concepta, nunciis prefatis matrimonii impedimenta reuelauit. Quo audito, Brithfardus conatus est de morte Wistani tractare, vt eo de medio sublato propositum suum sceleratum ad finem perducat nephandissimum. Furore itaque tirannico accensus, crimen lese maiestatis incurrere non veritus, dominum suum verbis pacificis sed cogitationibus fraudulentis ad colloquium supplicatorie, vt ipsum dolose perimeret, inuitauit. Acquiescens autem rex, dum colloquutionis[3] [tempus] aduenisset, apud locum qui vsque hodie 'Wistanestowe' nuncupatur conuenerunt: et Brithfardus cogitabat qualiter dominum suum seorsum a turba dolo teneret et[4] occideret: [5](quod quidem non bene ausus fuerat attemptare ob plebis timorem[5]) que cum rege venerat. Recogitabat tamen (ille)[6] quod si principem prius percussisset, milites vt acephalos non timeret. Venerant enim Brithfardus et qui cum eo erant, clanculo armati contra inermes. Illis igitur in vnum conuenientibus, dominum suum sicut filiolum ad pacis osculum inuitauit seorsum, dicens: 'Veni et in pace sancta osculum da mihi, filiole mi.' At[7] ipse pacis amator accedens ad eum ait: 'In nomine sancte pacis, que est deus, osculor te, vt in eiusdem nomine osculer a te.' Brithfardus vero, nec domino terreno parcens nec celestem veritus, deosculando eum extraxit gladium quem sub latere suo clam habebat, et caput domini sui quassando cum capulo letale vulnus in cono eius infixit. Quidam vero alius de circumstantibus mucrone corpus regis perforauit. Supradictos autem nuncios, scil. Vibaldum[8], Man, et Edulphum, eo quod post veritatem agnitam semper beato martiri veritatis assertori, vt vero domino, veritatis imitatores adhesissent, detestabiles ministri eiusdem Brithfardi gladio interemerunt. Nec mora, idem Brithfardus, diuino iudicio percussus, statim amens effectus est, et [sic] nec ad regine matrimonium attingere nec ad regiam dignitatem sublimari a domino permittitur. Passus est autem kalendis Iunii, et preciosum corpus terre relinquens, gloriosam animam celo intulit. De loco autem in quo innocenter occisus est, columpna lucis vsque ad celum porrecta, omnibus incolis loci illius apparens, per triginta dies stabat perspicua. Delatum est autem corpus martiris, ab hiis qui tunc presentes aderant, ad monasterium de Rependoñ, et in mausoleo aui sui Wiglaui condigno

[1] E. acquiescente. [2] R. ditantur. [3] T. colloquucionis, E. colloquutioni; tempus om. [4] R. vt. [5–5] so E.; T. R. timebat enim plebem. [6] om. in T. R. [7] R. Ac. [8] E. iubaldum.

honore et summa reuerentia est humatum. Nec multo post specialis filius et martir regis superni, ad specialem filiam romane ecclesie, ecclesiam videlicet euishamensem, diuina disponente gratia est translatus, vt locum quem Kenredus rex regia potestate regie libertati donauit, eiusdem regis consanguineus beatus Wistanus, vt alter quodammodo substitutus patronus, regia potestate protegeret et martiris presentia sanctificaret. Cum autem beatus Wistanus martirio, vt prefertur, coronaretur, omni anno per vnam horam illius diei qua gladiis impiorum occubuit, in eodem loco vbi columpna lucis apparuit, capilli quales videntur in capite hominum, oriuntur; vt per capillos a capite eiusdem adolescentis auulsos, in eodem loco effusos et dispersos, qui a fidelibus tunc ibi presentibus colligi non poterant, adhuc tamen ibidem permanentes et annuatim crescentes, veridica saluatoris approbetur sententia qua dicitur quia 'capillus de capite vestro non peribit.' Et cum multi martires capitis abscisione martirium compleuerunt, iste non absciso capite, sed tantum cono capitis quassato in modum corone victor occubuit. Cum enim Baldewinus archiepiscopus cantuariensis super predictis certificari vellet, instante die natalis eiusdem martiris, misit illuc viros religiosos et fide dignos, qui illuc accedentes, per spacium vnius hore diei passionis sue in eodem loco, circa capellam que ibi sita est, inter herbam viridem capillos quasi hominis, quos manibus suis palpauerunt et ore osculabantur, videre meruerunt; et iterum post modicum nihil in eodem loco nisi solam herbam perspexerunt. Cum enim Walterus abbas, qui primus Francigenarum ecclesie prefuit euishamensi, multas sanctorum inuenisset reliquias[1], igne illas probari decreuit. Reliquias etiam beati Wistani, de cuius sanctitate dubitabat, in ignem copiosum immisit: sed dominus ita illas illesas conseruauit vt flammis diuisis intacte permanerent, colorque in ossibus mutatus non est. Vnde perterritus abbas tremulis manibus testam capitis gloriosi martiris cum ab igne ad locum pristinum deportaret, casu de manibus eius subito in terram cecidit, tantumque riuum sudoris emisit quantum aliquis virorum quolibet accidenti de se emittere posset. Quo viso omnes, dei laudantes magnalia, voces ad sidera tollunt, et caput cum ceteris membris in feretrum honorifice reponunt.

[MS. Tib. adds: *Incidencia*[2].

Non multum ante hec tempora sancta Aurea, Parisiis in Gallia florens, dum panes ad refeccionem sororum deessent, clibanum candentem intrans prunas ardentes suis manibus foras detulit et fornacem mundam exhibuit; ut autem miraculum duplicaretur et laus uirginis sancte augmentaretur, campane sine manuum tactu per

[1] om. in T. [2] Cf. Vinc. Bell. XXIII. 69 ff.

se sonuerunt, et panes sufficienter decocti in momento reperti sunt. Quadam eciam die dum missam audiret, et leuita euangelium incongrue pronunciaret, illa (in uer)bis diuinis nolens audire fallaciam, de humero diaconi stolam auferens humero suo imposuit euangelium lectura. Vnde et angelica increpacione culpata, in oratorio se reclusit et ab omni hominum aspectu septem annis se remouit, acerrimam penitenciam agens. Assidue sedebat in cathedra quam sibi fecerat, habente[1] quinquaginta clauos in dextera, et totidem in sinistra, totidemque in dorsi regione: quinquaginta psalmos innixa clauis dextre partis, totidemque in sorte clauorum leue partis, in posteriori similiter totidem decantauit; nunquam carnes comedens aut uinum uel siceram[2] bibens, set stillicidium cineri expressum potare consueuit. Et sancto Eligio sibi apparente, plena bonis operibus ad dominum migrauit[3].]

¶ De sancta Withburga virgine[4].

SAncta Wythburga filia fuit Anne regis Estanglorum, sororque sancte Etheldrede virginis. Eius namque sanctitas et vite munditia ex diuturna post obitum suum incorruptione apparet: post trecentos fere et quinquaginta quatuor annos corpus eius integrum repertum est et incorruptum. Hec enim virgo sancta, in annis puellaribus constituta, cenobium apud Derham construxit et habitum monialium assumpsit. Contigit enim vt cum ecclesiam in eodem loco construeret, nihil victualium preter siccum panem haberet quod operariis suis apponeret. Ad vnicam ergo post Christum spem suam, dei genitricem confugit, et pro instanti necessitate precibus rogare cepit. Cumque inter preces paululum dormitaret, astitit ei regina virginum pulchritudine ineffabili decorata, docens eam in domino habere fiduciam, non solicitari de victu corporeo, nec cogitare de crastino. 'Mitte[5], inquit, diluculo puellas ministras ad proximum pontem siluestris fluuii: ibi enim diebus singulis occurrent duo fere lactiflue, quas mulgentes, solatium victui vestro interim ministrabunt.' Facto autem mane, misit duas puellas ad pontem vno stadio distantem: et ecce occurrunt illis due cerue quasi domestice, quas

[1] VB. habentem. [2] T. ciseram.
[3] Ant. et Coll. in T.:
Illicito connubio matris puer Wistanus Resistit legis studio, quem compater prophanus Accitum in colloquio interficit spe uanus, Insontem sic martirio coronat seua manus. V. Ora pro nobis.
Deus qui beatissimum regem Wistanum adhuc pueruluum pro legis catholice defensione dimicantem occumbendo fecisti victorem, presta quesumus ut ipsius exempla sequentes per aduersitatum toleranciam perhennem ualeamus leticiam adipisci, per.
[4] Abr. from the Vita ascribed to Goscelin, in MS. Corp. Chr. Coll. Cambr. 393, Trin. Coll. Cbr. Gale O. 2. 1. [5] E. Mittite.

virgines mulgentes tantam lactis vbertatem expresserunt, vt hydriam plenam duo viri iniecto per ansas vecte humeris suis efferrent, et omnibus copia habundaret. Quod audiens prepositus ville, tanta miracula paruipendere et irridere cepit: et liuore demum ac indignatione stimulatus, adductis canibus insontes feras capere nitebatur. Eadem vero hora dum feras insectatur, equus in obstantem sepem calcaribus vrgentibus incurrit, sepisque acuta sude transfixus ilia dum resiliendo tergiuersatur, sessor supino[1] capite excutitur fractaque ceruice exanimatur. Ablato autem lacte ferino: non defuit dominus ancillis suis, sed rediit, qui defuerat, victus tempore opportuno. Tandem plena operibus bonis et virtutum exemplis, cum virginitatis palma celestia conscendit, et in cimiterio ecclesie de Derham cum honore corpus eius terre commendatur. Post quinquaginta quinque annos, reserata eius tumba, ita incontaminata inuenta est vestibus et toto corpore, sicut primo die in tumulo fuerat collocata. Translatum est autem eius venerabile corpus in ecclesiam quam ipsa viuens ibidem construxerat. De loco autem quo prius sepulta fuerat, fons aque lucidissime emanat, multis diuersarum beneficia conferens sanitatum. Cenobium tandem illud virginale, incursione Danorum tempestateque bellorum fugato virginum cetu, in parochiam est destitutum. Tempore regis Edgari beatus Ethelwoldus episcopus monasterium heliense reparauit, et congregata monachorum caterua, Brithnotum priorem Wintonie, primum illis abbatem fecit; adiecitque rex eidem monasterio cenobium Derham, vna cum thezauro suo Witburga virgine. Cum autem abbas cum monachis ac militia armata corpus de terra leuasset, ac per viginti miliaria terrestri via progressus fuisset, ad fluuium in Branduna[2] deuenerunt, ingressique naues remis et armamentis certatim incubuere; totoque illo itinere per totam fere noctem stella splendidissima super virginis corpus rutilabat et claros radios effundens iugiter comes ibat. Et ecce populus de Derham associatis sibi illius plage[3] plebibus fugientes consequitur armatus: [nam][4] sopore omnes grauati dum tardius explorant, corpus virginis ablatum reperiunt, et ad arma prosilientes, vnanimi impetu proruunt: bipartito agmine vtramque ripam occupant, iactant conuitia, intentant[5] spicula, exprobrant sacrilegia, terroribus et clamoribus ac minis implent aera. Abbas enim cum suis tanquam surdus non audiens pertransiuit[6], diuinumque auxilium crebris orationibus obtinens, dei protectione munitus, fesso reditu confusis persequutoribus, absque cuiusquam detrimento cum sancto corpore euasit; et iuxta tumbam sancte Etheldrede in tumulo honorifice preparato collocauit. Depositio vero eius octauo idus Iulii celebratur. Facta est autem translatio memorata sub Brithnoto abbate heliensis ecclesie anno domini non-

[1] T. suppino. [2] E. brenduna. = the Brandon river or Little Ouse. [3] Vit. affinibus. [4] so Vita; T. E. sed. [5] E. intemptant. [6] Vit. perstrepentes.

gentesimo septuagesimo quarto. Anno vero domini millesimo [centesimo][1] sexto Richardus, abbas vltimus, transtulit corpus virginis sancte ad locum[2] vbi vsque ad nostra tempora requiescere meruit. Repertum est corpus eius sanctissimum post tot annorum curricula integrum, cum vestibus, et incorruptum, cumque monachus quidam membra virginea tangeret et flexibilia reperiret, candet rosatis genis facies virginis quasi vite spiraculo inspirata: et cum tumba eius lapidea inconsulte et fatue tractaretur et fracta fuisset, edificata noua breuior vno pede videtur, sed prima, virtute diuina, ac si nunquum fuisset fracta, resolidatur.

[MS. Tib. adds: *Incidencia*[3].

Cum Dacius[4] mediolanensis episcopus Constantinopolim pergens Chorinthum uenisset, aspexit eminus (domum congruentis magnitudinis eamque sibi preparari ad hospitandum iussit. Cumque eiusdem loci incole dicerent in ea hunc manere non posse quia multis iam annis hanc diabolus inhabitaret, atque ideo uacuam remansis)se, respondit: 'Ideo hospitari (in domo eadem) debitor sum, si hanc (malignus spiritus inuasit et ab) ea hominum habitacionem expulit.' Cumque (uir dei) nocte quiesceret, antiquus hostis (immensis) uocibus cepit imitari rugitus leonum, (balatus) pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpen(cium, (por)corum stridores et soricum. Tunc (repente Dacius) tot hostium uocibus excitatus surrexit iratus et contra hostem clamans dixit: 'Bene tibi contingit, miser, et qui imitari dominum uoluisti indigne, ecce, ut dignus es, bestias imitaris.' Ad quam uocem deieccionem[5] suam spiritus malignus erubuit, et domum illam ad exhibenda monstra, sicut consueuerat, non intrauit. [6]Cum uenerabili episcopo Venancio Sab(ino[7] diaconus) nunciasset quod cursus sui Padus alu(eum egres)sus ecclesie agros occupasset, dixit: ('Vade et) dic ei: mandat tibi episcopus ut (te compescas et) ad proprium alueum redeas.' Quod diaconus (eius) audiens despexit et non iuit. Tunc (uir dei) accersito notario dictauit dicens: '(Sabinus domini Ihesu Christi seruus, commonitorium (Pado): Precipio tibi in nomine domini Ihesu ut de (alueo tuo in) locis istis ulterius non exeas (nec terras) ecclesie ledere presumas;' atque (eidem notario sub)iunxit dicens: 'Vade et hoc in aquam (proice).' Quo facto aqua se compescuit et (ad proprium) alueum reuersa, exire ulterius (in loca eadem) non presumpsit[8].]

[1] T. E. vicesimo. [2] sc. the new minster. [3] Ex Gregor. Dial. (quoted on the margin) III. 4, Vinc. Bell. XXII. 74. [4] T. darius. [5] T. deteccionem. [6] Greg. Dial. III. 10. [7] *al.* VB.

[8] Ant. and Coll. in T.:

Aue gemma claritatis ad instar carbunculi, Aue rosa paradisi more fragrans balsami: O W\ith burga, uirgo felix gloriosa meritis, Assistentes tue laudi celi iunge gaudiis. V. Ora pro nobis.

Omnipotens sempiterne deus, auctor uirtutis et amator uirginitatis, da nobis,

[De vndecim milibus Virginum martirum.]

1. Text in E.

[1] ¶ Incipit Epistola ad virgines Christi vniuersas super historia vndecim milium virginum [2].

VNiuersis Christi virginibus piis ecclesie filiabus salutem ac [3] interminabilem perhennis vite iocunditatem. Anno domini M.C.lxxxiii. inspirante domino, piaque ipsius genitrice cooperante cunctorum regina, nouam vndecim milium virginum historiam describentes, ammonitione persuasi sumus [4] diuina hanc vestre charitati dedicare et sanctitati [5]. Hec enim sunt verba celorum regine dicentis: 'Tu communi vtilitati vniuersorum prouidere dispone [6] hoc opus virginibus dedicando: igitur eis ex parte mei [7] scribas, atque eis dicas quatenus illas et castitate imitentur et sanctitate.' Vos itaque, venerande virgines atque in Christo diligende, animo letanti cordeque deuoto suscipite munus vobis celitus transmissum, scientes quoniam si eisdem sacris virginibus debitam exhibueritis reuerentiam deuotoque honore et studio eas dilexeritis, meritis illarum apud dominum suffragantibus premio vos donari perpetuo. Porro et fratribus premonstr[at]ensis ordinis eandem quoque iussit dedicari historiam, dicens, illos [8] amatores vndecim milium virginum et veneratores esse precipuos. Beata quoque Vrsula, earundem domicellarum [9] sacratissimarum princeps et magistra, hoc opere ferme peracto cuidam visibili specie apparuit dicens: 'Cum [10] hic idem notarius hoc opus describeret, nos vndecim [11] milia virginum coram domino stantes orauimus quatenus ipse dominus pro labore huius opusculi retributionis illi mercedem restituat.' Lectores igitur nostros [12] monentes obsecramus ne subito mentis vulnere scandalizati saucientur dicentes: 'Quis diebus istis et modernis antiquorum facta, personas, nomina, conditiones, et genealogias scire poterit aut stilo veraci depromere?' O [12] amice Christi, cur super hiis ambigendo dubitas? Nonne idem spiritus qui quondam patribus nostris ea que ab ipso mundi exordio acciderunt, celitus inspirando manifestauit, potest et nunc sacrarum virginum suarum expeditionem sanctam et admirabilem [13] illarum dilectoribus ad laudem et gloriam suam, atque ad plurimorum edificationem pandendo reuelare?

Explicit prologus.

quesumus, sancte Witburge uirginis tue placitis tibi meritis commendari, cuius uita merito castitatis tibi complacuit, per.

[1] The first part in E., p. 471–500, is the Revelationes seu imaginationes B. Hermanni Iosephi, canonici regularis Steinfeldensis, de 11,000 virginum, lib. I., ed. in Act. SS. Boll. Oct. IX. p. 173; then follow extracts from the Passio, and Leg. Aurea. [2] Title in Boll.: Epistola ad virgines Christi universas super historiam 11,000 Virg. celitus nuper revelatam. [3] E. ad. [4] E. persuasimus. [5] E. sanctificare; B. sanctitati. [6] E. disponis. [7] E. meriti. [8] E. illos esse. [9] B. dominarum. [10] E. Cumque. [11] B. undena. [12] om. in B. [13] B. mirabilem.

¶ Incipit reuelatio noua itineris et passionis vndecim milium virginum et martirum.

DEus ab eterno cuncta sapienter disponens, occasione nuptiarum nobilissime virginis Vrsule suique sponsi iuuenis regii et preclarissimi, totius orbis nobiliores domicellas virgines et iuuenculas sapienti suo consilio ac prouidentia ad celestes inuitare dignatus est nuptias, filio suo regi eterno desponsandas perpetuoque secum permansuras. Quocirca[1] beatarum vndecim milium virginum sacre reliquie apud Christi fideles non sunt paruipendende. In vno siquidem loco, ciuitate Colonia, vniuerse pro Christo[2] sponso suo celesti et amatore martirii palmam consequute[3] sunt gloriosam. Nunc itaque per orbem, dei prouidente clementia, disperse, suis veneratoribus apud dominum precibus assiduis succurrunt, ipsarumque suffragiis et meritis pia celorum regina, earundem ductrix et patrona, amatoribus illarum pie opitulari non cessat. Denique in Passione ipsarum[4] satis ostenditur illustris gloria earum, et martirii triumphus. Euidentius tamen in virginis cuiusdam memorie felicis Elizabeth Visione[5] nobilis earum profectio[6], et magnificentia passionis[7] habetur conscripta. Preterea et dominus ipsarum sponsus et amator, ampliori eas volens adhuc gloria clarificare, nuper anno millesimo centesimo octogesimo tertio, que hucusque super earum[7] peregrinatione[8] latebant et gestis, dignatur reuelare. In exordio itaque narrationis huius, iuxta eiusdem beate Vrsule admonitionem, que ceterarum ductrix extitit virginum et magistra, passionis earum seriem tangemus, et que, vel vnde fuerint, atque genus, et patriam ostendemus. Plures sane religiosorum vidimus qui penitus ignorabant cuius conditionis forent aut nationis. De diuersis siquidem partibus erant, videlicet[2] Anglorum, Britonum, Wallionum, Scotorum, atque de aliis adhuc pluribus regnis et regionibus fuerunt oriunde. Porro et reges quidam, duces, comites, ac principes, atque episcoporum plerique cum eis sunt profecti, et matronarum plures, gloriosum cum illis martirii subeuntes triumphum[9].

[10] ¶ Quod rex paganus beatam Vrsulam filio suo desponsari rogauit.

Ceterum rex quidam[11] de Britannia Maiori[12] fuit oriundus, nobilis et religiosus, vxorque illius generosa similiter erat, illustris et religiosa. Qui cum liberis[13] carerent, quotidianis beneficiorum obsequiis iugique orationum instantia obtinuerunt a domino filiam [14][qui se filium speraverunt impetrare][14]. Quam educantes, secundum legem domini docebant[15] incedere, Vrsulamque proprio nomine nuncupabant[16]. Hec cum ad annos peruenisset nubiles, cle-

[1] B. quare. [2] om. in B. [3] B. assecute. [4] ed. Boll. p. 157. [5] ed. Boll. p 163. [6] E. perfectio. [7] B. illarum. [8] B. peregrinationis itinere. [9] B. tropeum. [10] Titles om. in B. [11] E. qu. paganus. [12] B. minori. [13] E. libris. [14–14] so B.; om. in E. [15] B. eam d. [16] B. appellabant.

gans valde fuit et decora, vniuersorumque oculis gratissima. Denique et morum illius honestas atque modestia vbique predicatur[1], vbique laudatur[1]. Fama tandem ipsius felix et suauis, odorque bone opinionis eius, ad regem quendam peruenit paganum, sed diuitiis atque potentia huius puelle patre fortiorem. Rex siquidem hic[2] austeri erat animi, sed vxor illius ab infantia bonis pollebat moribus. Qui filium habeba[n]t iuuenem et honestum in omnibus. Porro iuuenis idem regius[3] bone extitit indolis, speciosus forma et decorus. Cui pater et mater eius prefati regis boni filiam in matrimonium copulare querebant. Consilio autem[4] habito, mittunt legatos, cum blanditiis temptant et promissis parentum animos[5] ad consensum allicere, cum etiam minis gestiunt nolentes compellere. Quid plura? Religioso rege super filia nihilominus religiosa et pudica titubante nimisque fluctuante quid sibi foret[6] agendum, mittitur de celo angelus huius copule paranimphus, suadet filiam consensum prebere legatis, sponsam vocari, dotalicia suscipere, et proprium patrem de periculis imminentibus eruere, alterumque regem vna cum filio promissis nuptiis letificare. Preterea suadet Vrsulam virginem vndecim milia virginum expetere, quarum ex societate [triennio][7] instruatur nuptiis preparanda futuris. Suscepto igitur nuncio bono, legati reuertuntur in regionem suam hilares, bona nunciant, regem et filium letificant. Continuo vniuersarum prouinciarum virgines[8] conuocantur, filie regum et[8] ducum et[8] principum, comitum[9] ac nobilium et militaris generis puelle. In plures siquidem reges [et regiones][7] tunc temporis illa fuere regna diuisa. Rex tamen idem pater iuuenis labore permaximo acies virginum electarum plures congregans, predicte virgini Vrsule cum ingenti dirigit apparatu et gloria. Pater sane eiusdem virginis virgines electas, elegantes, nobiles vbique colligens et adunans illi donauit. Quas illa velut celitus sibi transmissas suscipiens, fide Christi et religione virgo nobilis et religiosa[10] nobiliter instruxit. Venerunt sepius angeli inter eas de celis directi, visitare illas atque in bono corroborare proposito. Denique et angeli tenebrarum crebrius [venerunt][7] nuptias eis suadere legittimas atque ad[8] opera maligna et desideria carnis adimplenda incitare. At ille dei adiute gratia, atque angelorum sanctorum munite custodia, in religioso fuerunt quotidie proficientes studio. Angeli siquidem missi[8] de celis beatam Vrsulam omnem futuri triumphi seriem edocentes, predicunt eas Coloniam pariter ituras gloriosoque martirii tropheo omnes coronandas.

[1] B. predicabatur . . . laudabatur. [2] B. hic idem. [3] idem regius om. in B. [4] B. sane. [5] B. animum. [6] B. esset. [7] so B.; om. in E. [8] om. in B. [9] B. comitumque. [10] B. et n. et gloriosa.

¶ Quod episcoporum quidam et principum cum eis sint profecti, et quod puelle paruule in earum cetu erant.

Interim dum in fide Christi et amore tot uirginum instruuntur milia ad iter dispositum, a rege patre virginis preparantur nauigia. Extiterunt inter eas puelle et quamplures[1] paruule, lactantes[2] et infantule, que cum adhuc inueniuntur, non modicum quibusdam generant ambiguitatis scrupulum. Quarum quedam septennes, vel quinquennes et infra fuerunt, vnius etiam anni, quedam vel dimidii, ac duorum mensium[3] vix extiterunt. Et hec erat ratio, quemadmodum nuper earundem virginum quedam apparentes testate sunt: 'Ex nobis[4],' inquiunt, 'multe fratres habuerunt et sorores, cognatas etiam et sibi propinquas atque charas matronas, que [quando][5], angelis sibi annunciantibus, peregrinationem prescierunt instare futuram, coronamque[6] martirii, virginitatis premium sibi celitus promissum, sorores et cognatas cum filiabus paruulis sibi associantes, retributionis eterna[7] premia et illas pariter optant consequi secum.' Peruenit[8] preterea rumor earum et fama felix ad episcopos terre illius, ad nobiles quoque et militares, qui scientes vere quia dominus[9] erat cum eis per quem talia fiebant, relictis quamplures illorum diuitiis, dignitatibus et terris, patria et cognatis, associati sunt eis, peregrinari et ipsi cupientes, etiam[10] mori pro Christo. Inter eas erant nihilominus regum quidam[11], comitum, ducum ac principum[12], quorum quidam[13] illarum patres[14] extiterunt et[14] fratres et amici, quidam etiam sponsi, quas[15] in proximo fuerunt[16], si [in patria][17] remansissent, connubii legitimo iure ducturi. Interea dum expense ad iter peregrinationis atque nauigia preparantur, angeli veniunt de celis, et veniunt[18] sancti ac virgines sacre, consocias suas visitantes, illasque ad propositum salubre et sanctum confortantes.

¶ De genealogia beate Vrsule sociarumque suarum virginum principalium.

Prefatus[19] itaque rex pater sancte virginis Vrsule, tres habuit sorores et tres fratres; vna sororum Iosippa dicebatur, et Chelindris[20] alia, tertia vero Ewlalia. Porro fratrum vnus Helindius[21] [vocabatur][17], secundus Ludrencus[22], tertius autem Herwicus. Vxor namque Ludrenci Hirmegardis est appellata, quorum filia beata fuit Pinnosa, que post sanctam Vrsulam totius collegii beatarum virginum gerebat principatum. Cuius soror sancta Enodia[23] secum profecta est, sequens eam. Herwicus siquidem vxorem habebat que nuncupata est Adwigis[24], et tres in hoc [sacro][17] exercitu filias habuerunt. Quarum vna

[1] B. etiam puelle plures. [2] B. lactentes. [3] E. mentium. [4] E. vobis. [5] E. quomodo. [6] B. c. quoque. [7] B. eterne. [8] E. Preuenit. [9] B. quod deus. [10] B. atque. [11] B. quedam. [12] B. pr. filie. [13] B. quarum priores; illarum om. [14] om. in B. [15] B. qui eas. [16] B. fuissent. [17] om. in E. [18] B. aliique. [19] B. Predictus. [20] B. Thelindris. [21] B. Heluidius. [22] B. Ludvicus. [23] B. Evodia. [24] B. Hadewigis.

Sapientia, alia Serena, tertia Eulalia vocabatur. Beata sane Sapientia super mille virgines magisterium habebat. Denique dux Helindius filium etiam habuit probum iuuenem Helindium nomine, de vxore [sua] que Malcha est ap[p]ellata, et filia erat nobilissimi principis cuiusdam. Sane vxor iunioris Helindii, illorum filii, Anna vocabatur: qui duas in eodem comitatu filias habebant, quarum vna Spes, [et] altera Eufrosina dicebatur. Iosippa siquidem, illorum fratrum soror prima, maritum habebat Eusebium; et hic fuit dux nobilis, et tres in hoc cetu sancto habuit filias, quarum vna Eleutheria dicta est, et alia Iosippa; tertia vero Nestoria, que de alia vxore procreata est. Eleutheria nempe post sanctam Vrsulam, Pinnosam et Cordulam, super omnes virgines est constituta magistra. Post quam[1] beata Florentia prefuit vniuersis, que filia regis extitit cuiusdam incliti qui dictus est Egidius, vxorque illius Helena vocabatur. Hic quidem[2] sane rex consobrinus erat regis beate Vrsule patris. Sancta siquidem Florentia Egidii regis filia, sororem secum habebat nomine Placentiam, magne virtutis virginem valde illustrem et inclitam, que pre morum suorum virtute animique sapientia[3] et suauitate tam deo chara extitit et amabilis quam hominibus commendabilis. Que ambe illustrissimis fuerunt desponsate iuuenibus et[4] multum nobilibus. Porro sponsus virginis Placentie, nobilissimi cuiusdam ducis filius nomine Florinus, ipsius amore illectus cum ea ceteris adiunctus[5] proficiscitur. Porro sororum predictarum altera Chelindris[6] filiam quoque inter ceteras habuit Placidam. Tertia vero Eulalia sequuta est virgines sanctas, exulans et ipsa pro Christo. Inter illas nihilominus virgo quedam extitit illustris nomine Chelindris[7], filia matertere regis virginis Vrsule patris: et hec mille preerat virginibus. Cuius soror dicta est Virgilia, cum ea in eodem existens comitatu. Cordula siquidem virgo illustrissima cuius iam supra mentionem fecimus, filia illustrissimi fuit comitis qui appellatus est Quirinus, vxorque illius Adwigis dicta est, que filia fuit Harderici illustrissimi Comitis. Mortuoque[8] Quirino, duxit eam Helindius frater regis[9] patruus beate Vrsule in vxorem. Hardericus vero comes, vir multe probitatis, auunculus[10] erat pie regine matris Vrsule virginis. Cuius vxor Vrsula dicebatur, et erat de Dania nobilissimi cuiusdam principis filia de regali prosapia, qui proprio nomine Ebbo dictus est. Duas itaque filias virgines illustrissimas in hoc cetu sacro habebant, Iulianam[11] et Ebbinam, magne virtutis et honestatis[12] domicellas.

¶ Quod comes quidam cum vxore et sex filiabus profectus est cum virginibus sacris.

Beata Lucia, virgo prudentissima et illustris genere ac moribus, cognata fuit sancte Cordule, et hec secum habebat sororem nomine

[1] B. posteaque. [2] B. idem. [3] B. constantia. [4] om. in B. [5] E. adiunctis. [6] B. Thelindris. [7] B. Celindris. [8] B. Mortuo itaque. [9] B. eius. [10] E amiculus. [11] B. Iuliam. [12] B. probitatis.

Sapientiam; quarum pater rex erat, sed paganus. Huius autem consobrinus sanctus fuit Donatus, qui postea Rome factus[1] papa, nomine mutato[2] dictus est Ciriacus: qui etiam occubuit, relicto papatu easdem virgines sequutus, cum illis interemptus. Prefata itaque Lucia prudens et generosa extitit vna de principalibus vndecim virginibus que capita fuerunt et principes totius [sacri][3] collegii, et hec mille prefuit virginibus, magistra illarum existens. Sancta quoque Osanna erat filia Rogerii ducis, cognati beate Pinnose. Porro sancta Sapientia, virgo sapiens et nobilis cuius paulo ante mentionem fecimus, beate Vrsule consobrina, vna etiam de principalibus vndecim, auunculum habebat in eodem comitatu sacro, Eustachium nomine, qui comes illustris erat et potens, cuius vxor Sibilia vocata est. Hic idem sane comes septem habuit filias, quarum vna in terra iam obierat natiua, sed sex relique virginum beatarum sequute sunt agmina. Quarum nomina sunt hec: Margarita, Florentia, Eusebia, Margarita, Walburgis, et Eleutheria. Harum siquidem sororum tres maritis copulate, et relique tres virgines fuerunt. Pater itaque earundem filiarum sex, et mater, tum[4] illarum affectu tum spe martirii excitati, relictis dignitatibus et terris sequuti sunt filias, pro Christo mori desiderantes. Denique idem comes Eustachius fratrem habebat episcopum qui Eleutherius est appellatus. Hic similiter, abiecta pontificatus dignitate, fratrem sequutus est et neptes[5], exulans et ipse pro domino[6]. Porro comitissa vxor Eustachii iam dicti comitis, fratrem habuit nobilem principem et probum qui dictus est Macharius, et hic cum quatuor filiabus adiunctus est illis. Quarum vna Margareta dicebatur, alie[7] Serena, Aleidis, Mitronia[8]. Helindius etiam minor[9] dux nobilis, supradictus filius patrui[10] beate Vrsule, cum Anna vxore sequebatur duas filias, sanctam Spem et beatam Eufrosinam. Adhesit nihilominus eis beata Blandula, comitis cuiusdam illustrissimi filia, cuius mater erat matertera beate Sapientie, [et] sancte Vrsule cognata.

¶ Quod quindecim principalium virginum hic series narratur, aciesque vniuersarum ad iter et instruitur.

Beata Vrsula ceterarum ductrix et regina, nutu dei episcoporumque consilio qui cum ea fuerunt, nauigiis preparatis, accercitis[11] ad se prudentioribus tam virginum quam virorum, numerant[12] sodalium acies, constituunt principes, eligunt sapientiores[13] animoque constantiores vndecim virgines. Diuisis itaque virginum milibus, cuilibet millenario vnam delegant[14] ex hiis vndecim magistram et principem. Super vniuersa quippe sacrarum[15] virginum agmina iste prime extiterunt[16] et maiores: Beata Vrsula, piissimi regis filia,

[1] B. f. fuit. [2] E. mutatus. [3] om. [4] B. cum. [5] E. nepotes. [6] B. Christo. [7] om. in B. [8] B. Micronia. [9] B. iunior. [10] B. patrem. [11] B. accitis. [12] E. munerant. [13] B. sanctiores. [14] B. deligunt. [15] B. sociarum. [16] E. exteterunt.

omnium erat caput et[1] princeps, prudens valde et mente sagax. Post quam beata Pinnosa, illustris cuiusdam ducis filia patrui sancte Vrsule; et ipsa virgo fuit prudentissima, ab infantia semper viuacis extitit animi. Post quam sancta Cordula, filia nobilissimi comitis cuiusdam. Post quam beata Eleutheria, filia amite beate Vrsule et ducis cuiusdam. Post quam beata Florentia, que filia erat regis Egidii, qui consobrinus fuit patris beate Vrsule. Iste quinque virgines quasi capita et priores extiterunt super omnem exercitum virginum. Post has vndecim elegerunt virgines regum filias, ducum et[1] principum ac comitum, animo prudentes, mente intelligentes atque sagaces, quarum queuis mille preficitur virginibus, illas instruendo. Quarum ista sunt nomina: [2]Beata Yota[3], filia regis cuiusdam, virgo sapientissima, moribus insignis et ornata virtutibus. Et hec secum duas sorores habuit sanctam[1] Geminianam et beatam Iusticiam, que beate Vrsule fuerunt cognate. Secunda sancta erat Benigna, cuiusdam illustrissimi ducis filia; quam quatuor sequebantur sorores, sancta Sibilia, Mobilia, Eufrosina, et Eustochia[4]. Tertia beata Clementia, filia potentissimi comitis; que duas secum habebat sorores, sanctam Iulianam et beatam Iudittam[5]. Quarta sancta Sapientia, principis cuiusdam nobilissimi filia, patrui sancte Vrsule, et ipsa virgo illustrissima, sapiens et decora; que duas secum duxit sorores, sanctam Eulaliam et beatam Serenam. Quinta beata Carpofora, regis cuiusdam filia boni et religiosi hominis; que duas secum habuit sorores, Eutropiam et Pallodoram. Sexta sancta Columba, et ipsa similiter filia erat regis cuiusdam; et hanc sequebatur soror vna beata Cordula. Septima sancta Benedicta, filia cuiusdam principis incliti et deuoti; et isti[6] quatuor erant sorores secum comitantes, decore et prudentes: sancta[7] Cornula, Prudentia, Sapientia, Illustris. Octaua sancta Odylia, comitis[8] cuiusdam filia potentis; et ista duas secum sorores habuit, vnam adultam et alteram lactentem: beatam Iuliam et sanctam Vrsiciam. Nona beata Chelindris, que extitit comitis viri potentis nobilissimi et diuitis filia, et ipsa illustrissima moribus et genere prudensque valde fuit atque[9] elegans; que [solam] secum habuit sororem sanctam Virgiliam. Decima sancta Sibilia, que fuit filia regis viri prudentis et strenui; et hanc tres sequute sunt sorores: sancta[10] Iuliana, Lucia, et Eugenia. Vndecima beata Lucia, virgo prudentissima et illustris animo et genere, regis cuiusdam filia, et hec cognata extitit sponsi sancte Vrsule; que solam [secum] duxit sororem paruulam nomine Placidam. Porro iste vndecim virgines super vniuersum sacrarum[11] virginum cetum gerebant magisterium, et quelibet illarum[12] mille prefuit virginibus, regens eas et gubernans. — Fuerunt preterea inter eas, vt supradictum est, episcopi, principes,

[1] om in B. [2] B. Prima fuit. [3] B. Iotha. [4] B. Eustachia. [5] B. Inductam. [6] E. iste. [7] B. sancte. [8] om. in B. [9] B. et. [10] B. beate. [11] B. sanctarum. [12] B. earum.

et nobiles quamplures earundem virginum plurimarum parentes. Quidam etiam ipsarum sponsi extiterunt multarum, sed ad ipsarum [1] nuptias necdum peruenerant, sponso celesti eos [2] preueniente. Comitisse similiter interfuerunt quedam et ducisse atque regine, exceptis nobilibus adhuc matronis compluribus. Extiterunt etiam inter illas [2] nutrices quamplures, que simili ardore martirii et desiderio [3] passionis anhelabant. Denique rex iunior filius regis beate Vrsule sponsus, duas illic sorores habebat: vnam infra annos puellam [4], et alteram nubilem, que comiti cuidam nobili desponsata est et [5] iuueni. Que cum sancta Vrsula et ceteris virginibus Christum habere sponsum recusauit, comitem illi preponens ad matrem rediit nuptura marito. De qua frater eius, beate Vrsule sponsus, ait: 'Soror mea plus gloriam et dignitatem dilexit terrenam quam celestem, reuersa ducens comitem maritum.' Qui postmodum in breui male obiit interemptus. Tunc illam [6] sero penituit sacrarum virginum deseruisse comitatum, et ipsa in breui post mortua est.

¶ De numero regum et episcoporum qui de Anglia cum sacris sunt virginibus profecti et pariter cum eis fuerunt trucidati.

Regum et episcoporum qui cum eisdem Christi sacris virginibus de Britannia sunt profecti et [de] illarum patria venerunt, breuiter hic genealogia et series tangitur, sed in fine historie huius in alio volumine [7] conuersio illorum et status exponetur latius. Quinque siquidem episcopi eas de Anglia sunt sequuti [8], sed plures illis postea sunt additi in diuersis regionibus et regnis. Priorum autem episcoporum hec est series et genealogia. Quorum vnus sanctus erat Willelmus, qui proprio [9] vocatus est nomine Michael; pater vero illius Willelmus dicebatur: inde iste traxit cognomen; vir sane prudens et sapiens [erat] [10], nobilique ortus prosapia ac de regali stirpe progenitus. Consobrinus etenim erat regis sancte Vrsule patris, et multas in hoc sacro virginum comitatu habuit cognatas. Porro sanctus Iacobus vir strenuus frater ipsius, et beata Gerasina soror illius matrona illustris cum tribus filiabus, proficiscentes secum fuerunt. Alter episcoporum sane [11] Columbanus dicebatur, [vir nobilis] et de regali ortus [12] prosapia: filius fuit sancte Alexandrie illustris ducisse, sororis Vrsule matris. Vir namque prudens erat, castus, magnique consilii, ac sancte conuersationis. Tertius vero episcoporum beatus erat Ywanus, vir grandeuus boneque vite, sagax et prudens, atque ab vtero matris sue semper castus extitit. Erat etiam ipse de nobilissima stirpe progenitus, auunculus matris Vrsule virginis, et beate Alexandrie, ac sancte Eulalie. Quartus episcoporum denique [5] sanctus fuit Eleutherius, vir nobilis et sapiens,

[1] B. illarum. [2] B. eas. [3] E. desiderii. [4] B. puellares. [5] om. in B. [6] B. illa. [7] sc. in lib. II, which is om. in E. [8] E. sequute. [9] B. proprie; nomine om. [10] om. [11] B. sanctus. [12] E. cetus.

in omnibus quoque prouidus[1], magnique consilii et industrius[2]. Iste frater erat beati Eustachii comitis, cuius vxor Sibilia secum fuit[3] in eadem expeditione cum sex filiabus. Quintus itaque episcoporum[4] sanctorum Lotharius erat, vir et ipse generosus ac de regali progenitus stirpe. Consobrinus vero erat[5] nobilissimi iuuenis beate Vrsule sponsi, vir prudens et boni testimonii, castus, animoque strenuus, et bene discretus. Porro de episcopis qui postmodum illis sunt in itinere associati, nihil nos scimus, excepto Cesario meldensi episcopo, nobili viro, cuius nos caput habemus partemque corporis eius. Denique felicis memorie virgo Elizabeth, hoc satis de illorum serie scribens exponit, que inter ceteros episcopos sanctos sanctum Mauricium esse narrat, fratrem matris Vrsule virginis. Nunc de regum quorundam serie, que nuper sunt celitus reuelata narremus. Quorum quidam patres et fratres, auunculi et sponsi extiterunt quarundam virginum illarum, quos ipse rex celestis mirabili sua et dulci gratia per easdem virgines mirabiliter conuertit. Primus illorum sanctus fuit Olofernes iuuenis preclarissimus, rex et filius regis, beate Vrsule sponsus. Hic cum eis non est profectus; sed postmodum illis de Roma reuertentibus Maguncie[6] associatus, pergit cum eis Coloniam, et felicem vna cum eis[7] martirii adeptus est palmam. Hoc autem nomen Olofernes nequaquam[8] illi est proprium, sed propter virtutem animi multam et corporis pulchritudinem ita est cognominatus; que[m] domina Elizabeth Ethereum vocat. Secundus autem erat inclitus iuuenis rex Oliuerus, nobilissimi regis Oliueri senioris filius, qui per sponsam suam, virginem Oliuam illustrissimam, est conuersus: que magni regis Cleopatri erat[5] filia, qui patruus extitit Vrsule patris. Tertius fuit Crophorus iuuenis preclarissimus, rex et regis Pinnosi filius illustrissimi, qui cum vxore Cleopatra virginum associatus est collegio. Erat etiam hic idem rex Crophorus virginis Vrsule cognatus. Quartus rex erat Lucius, pater Yote virginis que prima fuit vndecim virginum principalium; vir[9] erat nobilissimus [et] potens, et vite bone. Hic, vxore regina piissima mortua, per Yotam filiam suam[10] et duas illius sorores conuersus, cum illis proficiscitur. Erat autem[11] ipse virginis Vrsule cognatus. Quintus sane rex Clodoneus[12] fuit, vir strenuus et fortis et religiosus, qui cum vxore regina nomine Blandiua[13] pia et religiosa per filiam Eugeniam nobilem ducissam, et per maritum ipsius ducem piissimum Alexandrum conuertitur, et duas filias secum ducentes sacris associantur virginibus. Sextus siquidem rex erat Canutus, vir nobilis et grandeuus, magneque probitatis homo[14] et virtutis, qui[5] vna cum vxore Balbina illustri regina et prudentissima con-

[1] in . . . prouidus om. in B. [2] E. industris. [3] E. fuerit. [4] B. fuit episcopus sanctus L. [5] om. in B. [6] B. magnifice. [7] B. illis. [8] B. neque. [9] B. vir etiam. [10] om. in B. [11] B. et. [12] B. Clodoueus. [13] B. Blandina. [14] B. honoris.

uersus est: qui filiorum duorum ac quatuor filiarum feliciter[1] exemplo attracti atque exhortatione persuasi, vni filiorum suorum Karolo regnum relinquentes, peregre pro Christo vniuersorum rege et domino profecti sunt. Septimus regum Pipinus de orientali terre illius plaga, cum vxore illustri Margarita proficiscitur. Erat autem ipse rex Vrsule virginis consanguineus. Quatuor sane filii eorum et[1] tres filie religiosum regem et matrem deuotam reginam et piam cum filiis et filiabus vndecim liberis sequuntur, pro Christo vero rege attemptantes[2] omnia. Octauus etenim[3] rex Odulphus[4], iam dicti regis Pipini filius, homo religiosissimus, cum vxore Dionisia honesta valde regina et virtuosa, patri et matri adiunctus pergit cum illis: filios vero et filias secum ducentes omnibusque[5] mundi pompis abrenunciantes, leti dominum sequuntur. Nonus quoque regum Anitus[6] nomine, vir diues et probus, filias duas sequutus illustrissimas virgines beatam Columbam et sororem Cordulam. Sancta denique Columba ex numero fuit virginum vndecim principalium. Aunnculus preterea erat Odilie virginis, que vna erat virginum principalium. Decimus sane regum erat[1] Firanus[7], qui multa morum probitate pollebat, et hic cum vxore Sibilia illustrissimam filiam Sibiliam et tres illius sorores sequutus est[8]. Denique beata Sibilia, virgo prudens et honesta valde, de principalibus fuit vndecim virginibus, mille virgines gubernans. Vndecimus siquidem regum erat inclitus rex Danorum Refridus, qui per vxorem Oliuam adhuc valde iuuenculam conuersus, illam sequebatur[9], iungens se sacrarum virginum cetui. Hec eadem Oliua filia ducis de Saxonia, viri nobilissimi, quasi apis studiosissima circuit, querens quos ad dominum conuertat. Nos sane omnes [hos] reges et reginas, duces et comites subsequentes[10], non audemus affirmare legitimos, sed tamen[11] virtute, potentia, diuitiis, et genere regibus comparari, et regum nominibus appellari. Nos itaque veritatem diligentes, pure veritatis tramite[12] incedentes, reuelata scribimus, falsitatis[13] ambaginem prorsus detestantes. Erant enim [tunc temporis][14] regum regna modica, sicut in libro regum legitur quia[15] triginta duo reges contra tres ad bellum venerant preparati; [16][et etiam filii regum reges, et ducum duces, et comitum comites appellari solent][16].

¶ Quod sibi sunt concordantes in hac vndecim milium virginum expeditione frater huius historie notarius, et domina Elizabeth.

Vt auctoritate aliorum et testimonio nostram tueamur[17] paruitatem, virginis Christi Elizabeth deuote in medium proferemus testimonium, et quid illa de tam sublimium personarum profectione[18] sentiat

[1] om. in B. [2] B. contemnentes. [3] B. etiam. [4] B. Adulphus. [5] que om. in B. [6] B. Auitus. [7] B. Siranus. [8] B. secuti sunt. [9] B. sequitur. [10] B. sequentes. [11] E. cum. [12] E. tramitem. [13] B. falsitatisque. [14] om. in E. [15] B. quod. [16–16] om. in E. [17] B. Et . . . tutamur. [18] E. perfectione.

ostendemus[1]. Ait enim de Colonia se titulos sibi transmissos vidisse episcoporum, [2]reginarum et ducissarum, virginum nobilissimarum vndecim milium sociorum et sociarum. Inter quos beate Gerasine siciliensis[3] regine repperit titulum, et quatuor filiarum eius virginum, vniusque filii sui adhuc pueri. Et hanc totius exercitus virginum dicit esse principem et ductricem atque sororem regine matris Vrsule virginis. Preterea et reginam Constantiam regni constantinopolitani imperatricem, et virginem, asserit interfuisse cum sancto Marculo episcopo ipsius auunculo. Sanctam quoque Axparam, illustrissimam ducissam et filiam matertere preclarissimi iuuenis Vrsule sponsi, affuisse describit. Nos itaque ipsi[4] quam nunquam vidimus, testimonium in hac parte perhibemus quia[5] que de iam dictis scribendo protulit[6] personis, vera sunt, et multo minus quam eiusdem materie veritas exposcat, scripsit: quod tamen iuuante domino per nos latius suppiebitur. Axpara sane hec eadem et ducissa fuit et regina, sapiens valde et industria ac prouida. Porro alias[7] de ipsa et filiabus eius atque consobrinis ipsius Auchira[8] ducissa, et filiabus eius[9] quatuor, et Eleutheria comitissa ac filia sua virgine Lucencia preclarissima tractabitur. Aderat etiam Sibilia regina magne virtutis iuuencula, sancte Eulalie filia, Vrsule virginis matertere. Regina vero Norwennorum Hodierna cum filia virgine Hodierna affuit. Regina preterea Suauorum[10] Benedicta, cum duabus filiabus virginibus Iacincta et Sophia, similiter aderat. Regina etiam Lucretia iam ante pagana, ab angelo Christi ammonita cum duabus reginis et filia eius decenni virgine sanctissima cum eis proficiscitur. Regina siquidem Preclara[11] nomine, religiosa valde et elemosinaria maxima[12], iam[13] cum duabus filiabus virginibus Sapientia et Charitate sequitur illas. Rex sane Bonifacius iam ante paganus, cum filia Bonifacia virgine religiosissima aderat. Rex etiam Laurentius iam ante paganus, atque christianorum inimicus [ac] seuus tirannus, postea nutu dei correptus mirabiliterque conuersus ex lupo agnus efficitur. Qui sponsam suam sequitur Resiudem[14] virginem beatissimam, regis Corchanie filiam de Hibernia. Denique et ipsam reginam Resiudem[14] sponse sue matrem, cum duabus reginis Eustora et Magmora[15] secum ducebat, quarum vna erat soror ipsius. Affuerunt adhuc plures tam de Hibernia quam de ceteris regnis principum filie [et][16] regum, ducissarum et comitissarum. Filia etiam Arthuri regis de Britannia beata Nathalia, atque sancta Polodoxia cum sorore Iulia[17], ipsius cognata, Policarpi regis filia, virgines illustrissime, cum nobili virginum aderant comitatu. Filia nihilominus affuit magni regis et ducis incliti Nichomedis, Eustemia, virgo prudentissima et

[1] E. ostendamus. [2] B. virginum, reg. et. duc. nob. [3] E. siliciensis. [4] B. Christi ancille. [5] B. quod. [6] E. pertulit. [7] sc. lib. II. [8] B. Anchira. [9] B. suis. [10] E. suanorum. [11] B. Clara. [12] E. maxime. [13] om. in B. [14] B. Resindem. [15] B. Maginorach. [16] E. regum et. [17] E. nilia.

deuota valde, cum sororibus Eudonia et Eugenia virginibus, predictarum virginum cognate[1]. Filie vero quondam regis Normannorum, qui nunc comes appellatur de Normandia, beata Dorothea et soror eius Lucia, cum suo affuerunt comitatu nobilissimo. Filie preterea quondam regis Flandrensium, qui nunc comes dicitur, Lucia et[2] Germana, cum matre Theodora preclarissima matrona, affuerunt peregrinantes pro Christo. Filia sane ducis brabantini louaniensis Gyaua[3], atque cognata ipsius Ywana[4] filia auunculi eius, et due filie comitis ywanensis Ysamia et Herdara, cum illis proficiscuntur. Filia etiam ducis Frisonum Elizabeth cognata regine Danorum, et soror ipsius similiter pergunt cum illis. Dux vero Alexander cum[5] vxore sua et filiabus quinque, dux Leo[5] cum vxore et tribus sororibus, dux vero[6] Sincerus Iwari[7] regis filius cum vxore et filia Taysi et duabus sororibus illis adhesit[8]. Preterea cum ceteris principibus, ducibus[9] et comitibus affuit Hardericus comes illustris[9], auunculus regine virginis Vrsule matris, cum vxore Vrsula muliere deuota et strenua multumque laudabili. Ab ista Vrsula comitissa regia virgo Vrsula nomen accepit. Habebant sane secum tres filias: Iulianam et Ebbinam virgines preclaras, atque Adewigem[10] ducissam, Cordule virginis matrem. Elizabeth virgo sanctissima Iohannis magni principis filia, cuius mater Elizabeth dicebatur et erat soror sancti Cesarii episcopi meldensis, inter cetera que agebant [opera bona][11] mater hec et filia dominam nostram intimo affectu dilexerunt. Vnde ipsa regina celorum, materiam dans fratri expeditionem earum scribenti, iniunxit vt eam scriberet; est enim series expeditionis eius pulchra. Sancta etiam Nestoria virgo affuit illustrissima, cuius mater Egidia filia fuit Henrici[12] magni regis Walliorum. Pater siquidem Nestorie virginis dux erat Eusebius, et erat[2] eadem virgo soror Eleutherie et Iosippe virginum ex parte patris. Ecce, predictorum regum et reginarum, ducum, comitum et principum, illustrissimarum virginum et matronarum expeditionum seriem pulcherrimam[13] singillatim descripsimus in alio volumine[14], et pleniorem, in quibus lector (si eam vsque ad finem perlegerit) virginum plurimarum nobilium et domicellarum laudabilem vitam mirabitur et religiosam conuersationem earum et[2] pudicam.

¶ Quod sacre virgines celitus iubentur iter arripere.

Cumque[15] virginum earundem a deo dispositum peregrinationis tempus instaret sacreque expeditionis dies affuisset, diuinitus admonentur iter arripere atque ad naues confugere. Tunc surrexe-

[1] B. cognatis. [2] om. in B. [3] B. Gyana. [4] B. Hywana. [5–5] cum . . . Leo om. in B. [6] B. etiam. [7] B. Iwani. [8] B. adheserunt. [9] B. illustrissimus. [10] E. Aldewigem. [11] om. [12] B. Hunerici. [13] E. expeditionem serie pulcherrima. [14] sc. lib. II. [15] B. Dumque.

runt omnes virgines ille cursim ad nauigia festinantes. Nulli[1] dubium quin sanctorum multi, tam angelorum quam ceterorum, affuissent, illas deducentes[2] illisque congratulantes. Aderat preterea et sathan cum innumerabili satellitum suorum multitudine, aliquas ex ipsis impedire volen[te]s[3]. At ille diuina sunt[4] protectione munite, et maligni spiritus vacui reuertuntur et inanes. O[4] quantus ibi luctus quantusque meror et planctus, cum filie tam nobiles tamque decore et elegantes a parentibus et amicis ab inuicem separa[re]ntur[5], atque spes nulla decetero foret remeandi! Gladius tui amoris, Ihesu bone, hoc fecit bis acutus, qui separauit filios et filias a parentibus, a charis et notis. Confestim vt[6] oculo parentum amicorumque obtutibus velificantes subducuntur, angelica deductione[7] gaudentes confortantur: illorumque presentia delectate, que retro sunt oblite ad gaudia sibi promissa festinant. Porro lactentes infantule, que vberum lacte nutriri solebant, iam nullo prorsus mamillarum nutrimento alebantur, sed digitos in ora mittebant et statim de ipsis digitis rorem sibi celitus ministratum sugebant, cuius vigore sustentabantur; nec vnquam[8] in eodem itinere, vt paruulorum mos [est] et natura, sordebant se madefacientes; sed nec plorantes vagiebant, aliis inferentes molestiam. Et iste in numero vndecim milium non fuerunt, sed etiam[9] sunt annumerate; quarum numerus paruularum fere ad quingentas habebatur. Sed ne alicui ista incredibilia videantur et friuola que de ipsis infantibus diximus, ecce que nuper in nostra parochia contigisse percepimus ad confirmationem horum proferemus. Denique matrona [quedam][10] tres in[4] [vno][10] partu edidit infantulas, harum vna quindecim superuixit diebus, alia tribus hebdomadis[11], tertia quatuor. Nulla siquidem illarum[12] vel vberum vel cibi alicuius alebatur nutrimento dum adhuc[13] viuerent. Ecce adhuc in medium[14] proferemus[15] que ab honestis abbatibus quibusdam ac[16] viris et mulieribus pro certo comperimus. Virgo quedam iam[4] prouectioris existens etatis, sancteque conuersationis et vite, multis annis lecto decumbens in inferiori corporis parte ferme premortua, nullum cibi vel potus degustat alimentum, aliquando tamen parum esce ingerit ori, qua masticata ipsam substantiam expuens egerit, at[17] sic solo illius succo alitur. Preterea vix oui vnius testam vino plenam hauriens sumit: et hec est dieta illius. Idem sane vini tantillum[18] taliter haustum intrinsecus consumitur naturali estu; et non eget vt saltem raro de lecto[19] moueatur, sed nec propter requisita nature mouetur de stratu suo. Item ex pluribus dei miraculis que ipse pia dignatione sua in quibusdam nobis[4] bene notis operatur, ad illorum testimonium que de ipsis adhuc sacris virginibus sumus

[1] B. et nulli. [2] B. ducentes. [3] B. volentes, E. volens. [4] om. in B. [5] E. separentur. [6] B. itaque. [7] B. visitatione. [8] B. Nunquam. [9] B. supra. [10] om. [11] B. hebdomadibus et. [12] B. earum. [13] B. aduiuerent. [14] B. medio. [15] E. proferamus. [16] B. et. [17] B. ac. [18] B. tantillulum. [19] E. de lecto raro.

dicturi narrabimus. Quandam dei famulam nouimus et virginem, que frequenter in oratione, dum spiritus sancti succenderetur amore[1], sursum in aerem subleuata stabat orationes suas perficiens. Quod similiter abbati cuidam religioso, quem satis cognouimus, accidisse[2] percepimus. Denique aliquando de rebus suis quedam[3] cistelle nostre imposuimus, diligenti cura claue ferrea firmantes, que postmodum illa obserata archa manú tenebat nobis ostendens. Quid ergo mirum si dominus sacrarum virginum sponsus aliqua mira cum illis operatur, Romam eas deducendo atque Coloniam reducendo? Ecce cum hic nuper[4] idem notarius super quibusdam que in hoc continentur volumine dubius hesitaret miraculis, illi celitus dicebatur quia 'que scripsisti omnino vera sunt'; atque adhuc tanta et tam miranda[5] inter easdem virgines dominus patrauit miracula, que si scripta forent, vix aliquis hominum illas credendo fidem preberet.

¶ Quod rex Olofernes Vrsule sponsus diuinitus iubetur sequi sponsam suam.

Maligni autem spiritus qui ad illarum venerant discessum temptantes si aliquid sui iuris in eis reperirent, frustratos sese dolentes aggrediuntur principes quorum filie sororesque abierant et cognate, dolore nimio illorum corda sauciant. Adeo reuera[6] plurimorum meror extitit grauis super illarum absentia, vt vix multis temporibus consolationis medelam reciperet[7]. Sicut enim Egiptii quondam suis spoliabantur principibus et charis in mari rubro demersis[8], ita nunc multa [terra]rum regna illustrissimis spoliantur virginibus, matronis, et principibus; quocirca graui gemunt luctu, flentes nunquam reuersuras. Adhuc autem dolor additur dolori letalis ferme et exitialis, cum in breui post filius regis rex iuuenis[9] Olofernes inclitus et pius totique populo charus et acceptus, beate virginis Vrsule sponsus, gratia inspiratus diuina patriam et regnum deserere disposuit, qui spes totius terre[11] illius extitit et regni. Ipse quidem, diuino fretus auxilio celestique adiutus amminiculo, sponsam suam exercitumque illius, piarum virginum agmina, animo insequitur virili, angelica protectione deductus. Beatus quippe Iohannes apostolus atque angelici quidam spiritus sepe illi affuerunt [et] pie deducentes cum a malignorum spirituum infestatione defensabant. Hic idem vero euangelista dulcissimus ab ipso earundem virginum peregrinationis exordio semper illis aderat, in bono confortans proposito et vsque in finem eas pia solicitudine gubernans[12]. Cumque idem iuuenis cum suis comitibus virgines sacras summa insequeretur festinantia, demones illum frequenter[13] impetentes retrahere nitebantur, mala suggerentes. Qui dei protectus custodia angelicoque munitus

[1] B. calore. [2] E. accedisse. [3] E. cuidam. [4] B. nuper hic. [5] B. admiranda. [6] B. vero. [7] B. reciperent. [8] E. diuersis. [9] E. multarum. [10] B. iunior. [11] B regni ext. terre illius. [12] B. gubernauit. [13] E. frequentes.

presidio ceptum iter deuotus prosequitur. Iam enim ante[1] multo dilectionis ardore estuans, eandem sponsam vtpote rex inclitus, mitis, et pius sui[2] presentia, gloria magna, nobili apparatu et honore regio visitauit. Vnde secretorum eiusdem virginis que celitus reuelata illi extiterunt[3] conscius, constanti animo institit et fideli quatenus honorifice secundum dei dispositionem omnia consummata perficerentur[4].

¶ Quod in duobus diebus et dimidio angelis ducentibus vsque Coloniam peruenerunt.

Quemadmodum quondam Moyse de Egipto populum israeliticum in terram [re]promissionis[5] ducente aderat diuina custodia nocte dieque illos protegens, ita nunc virginum istarum sanctis agminibus angelorum affuit frequentia et tanta sanctorum, vt supra et circa conuersantes, omnem eis metum auferrent et mesticiam dulci sua visione et presentia. Denique et infantuli qui[6] in ceterarum vlnis gestabantur et sinibus, visiones angelicas ammirantes insolitasque illarum personas et effigies rutilantes, [et][7] sursum in aerem[8] digitos extendentes, pre ammiratione sonos emittebant dicentes ha! ha! Velocissimo siquidem cursu naues mare secantes ad magnum Reni fluuium tranquilla nauigatione, deo ducente angelicoque ductu regente, prospere peruenerunt. Vbi contra eiusdem Reni cursum et impetum velificantes tertia die circa sextam coloniensi ciuitati applicuerunt, et plusquam octo dierum iter in duobus diebus[9] et dimidio perfecerunt. Porro scriptor Passionis earundem virginum dicit eas inter diem et noctem a portu quo[10] ingresse sunt naues, ad dietam prope Coloniam peruenisse in vicum quendam qui dicitur Tile forence. Potuit enim fieri vt aliquorum principum charitate detinerentur, et sic tertia die Coloniam peruenerunt. Illic ab episcopo[11] et ciuibus eiusdem ciuitatis honorabiliter excepte, per biduum[12] quieuerunt. Necdum sane aduenerat felix[13] illarum triumphi tempus et agonis, quo in eodem loco erant precioso[14] coronande martirio. Nam gens Hunorum barbarica et crudelis longe adhuc aberat, a quibus fuerunt in proximo[15] perimende. Vnde rursus angelico ammonentur responso quatinus Romam proficiscantur, ibique deo ac genetrici eius beate[9] atque apostolis et sanctis quorum illic reliquie habebantur et corpora, sese commendent[16]; asserentes etiam pollicentur quoniam de Roma reuertentes in eadem ciuitate beati agonis adepture sint[17] triumphum. Quorum acquiescentes monitis, naues repetunt, atque ab archiepiscopo reliquisque ciuibus

[1] B. animus. [2] B. sua. [3] B. extiterant. [4] E. proficiscerentur. [5] B. repromissionis. [6] B. infantule que. [7] om. [8] B. aere. [9] om. in B. [10] E. quem. [11] B. archiepiscopo. [12] per biduum om. in B. [13] B. felicis. [14] B. pretioso erant. [15] B. pro Christo. [16] E. commendant. [17] E. sunt.

et nobilibus cum summo deducuntur honore, a quibus etiam necessaria quibus indigebant copiose ministrabantur[1].

¶ Quod Basiliam venientes relictis ibi nauibus processionis ordinabant Romam tendentes.

Igitur domino gloriosaque matre eius virginum sanctarum regina necnon et angelis eas sanctis[2] prospere deducentibus, denuo[3] contra ictum fluuii et cursum fluentis Reni[4] tendentes, tribus diebus et dimidio plusquam octo dierum iter expleuerunt, Basiliam adeuntes ciuitatem. Quo cum peruenissent, ab ipso episcopo [nomine Pantulo][5], ciuibus et magnatis[6] honorifice excipiuntur. Illic naues relinquentes, domino sueque matri benedicte se commendantes ad iter se preparant desideratum: acies instruunt[7] pulcherrimas, processiones ordinant decentissimas. Prefata etenim Elizabeth virgo Christi deuota basiliensem episcopum cum eis Romam scribit profectum, atque martirii palmam Colonie vna cum eis consequutum. Siquidem non subuehuntur nec curribus[8] nec quadrigis, sed nec mulorum aut[9] equorum releuantur[10] ministerio. Habebant tamen episcopi et principes, necnon et[11] de ipsis matronis et virginibus que inter eas fuerunt excellentiores quedam, ferme ad centum equos [fortes][5] et mulos somarios[12], qui eorum apparatus deferebant et sarcinas. Porro decenti ordine suas instituunt acies et processiones. Vna fuit omnium vndecim milium [virginum] processio; beata sane Vrsula quandoque in medio, quandoque etiam in capite omnium cum episcopis quibusdam et sacerdotibus precessit, cum matronis et virginibus ad hoc sibi assumptis; habebat vero secum sororem patris [sui] beatam Eulaliam, et duas matris sue sorores matronas honestas et prudentissimas sanctam Eulaliam et sanctam[13] Eugeniam, que Alexandria dicebatur. Concordi namque processione illis incedentibus, nulla (vt mos est) iuuencularum ac virginum, hac et[14] illac se abrumpens[15] disiungebat. Tanta denique angelorum ac virginum sacrarum frequentia de celis ad earum[16] custodiam aderat directa, vt eorum[17] personas miro viderent vbique splendore refulgentes. Non solum adulte et maiores illorum[17] aspectum mirabantur et presentiam, verum etiam paruule, vt supradictum est, in eorum intuitu iocundabantur et super illorum splendore iocantes vehementer gaudebant. Summa namque disciplina gradientes incede[bant][18], modestissime in verbis et gestibus se habebant. Porro plerique lectorum qui passionis earundem virginum legerunt[19] historiam, arbitrabantur eas virorum carere solatio et comitatu, quia ibi nulla fit mentio virorum:

[1] B. ministrantur. [2] B. sanctis eas. [3] E. denique. [4] fluentis Reni om. in B. [5] so B. [6] B. magnatibus. [7] E. instruuntur. [8] B. bigis non s., nec curribus om. [9] B. et. [10] E. reuelantur, B. releuabantur. [11] om. in B. [12] E. seruiarios. [13] B. beatam. [14] B. aut. [15] B. prorumpens, se om. [16] E. eorum. [17] B. illarum. [18] E. incedentes. [19] B. legebant.

Si[1] tamen diligentius eadem historia consideretur, facillime animaduertent illas virorum gubernari consilio, adiutorio et ministerio. Legitur in Passione illarum quia[2] sub vnius diei et noctis spacio prope Coloniam velificantes venerunt ad opidum forense vbi nauium vela dimittebantur, et[3] anchore exponebantur, hospitia eis preparabantur[4] ad pernoctandum, mane illis necessaria emebantur, anchore retrahebantur[4], vela in malis suspendebantur, classesque gubernaculis regebantur. Per quos ista fiebant nisi per viros in[5] arte peritos? Audemus sane confirmare, vti paulo ante diuinitus est reuelatum, plusquam trecentos esse[6] viros in illarum[7] comitatu, quorum ducenti et pauci plures cum eis voluntarie martirii palmam subierunt. Pre[8] numerositate vero virginum multarum, nulla in Passione illarum fit[9] mentio matronarum aut virorum. Domina siquidem Elizabeth et viros et matronas, [10]reginas et comitissas in earum scribit societate fuisse, quod et nos approbamus.

¶ Quod sine impedimento et absque difficultate per arctas vias et difficiles alacriter incesserunt.

Porro vestimenta illarum et calciamenta nullo atterebantur labore; sed nec magno aliqua[11] earum tedio laborabat aut graui difficultate. Nec etiam egritudinis alicuius senserunt dispendium, neque nimie[12] lassitudinis grauabantur fastidio. Omnia eis extiterunt iocunda, vniuersa illis succedebant prospera. Denique et puelle octo aut[13] quinque annorum cum ingenti alacritate ibant et vix vllam quandoque lassitudinem sentiebant. Mirabile est satis quod nunc referemus, sed duris cordibus et obturatis auribus fere videbitur incredibile: quia nulla eis via, quantumcunque arcta fuerit et angusta, esse potuit impedimento; adeo sane expedite in laboriosis gradiebantur viis quemadmodum si in planis irent ac spaciosis. Sicut enim quedam earundem virginum sacrarum nuper respondebant cum super ipsarum viis interrogarentur et itinere, si aliquam in angustis[14] itineribus difficultatem paterentur: nullo se viarum incom[m]odo grauari fatebantur vel artari; atque adiicientes dicebant: 'veluti si multe anime in paruo alicuius paradisi regno vel loco tenerentur modico, ita et nos in ipso itinere nullius vie artabamur grauamine, nullaque via nobis fuit angusta.' Que cum sepe ad riuos, [ad] fluminum vada, ad artissimos fluuiorum transitus venissent, absque difficultate et absque sui lesione transierunt sine ministerio nauigii alicuius aut pontis. Qualiter ista fierent et quomodo per artas incederent vias ac montium ardua transcenderent et fluminum vada transirent, ignoramus penitus, nec etiam vt reuelentur, orando inuestigare audemus. Nos sane cum mirantibus pariter ammiramur, et in hiis sicut in ceteris

[1] B. sed t. d. si. [2] B. quod. [3] om. in B. [4–4] om. in B. [5] B. in hac. [6] B. fuisse. [7] B. eodem. [8] B. Propter numerositatem. [9] B. fuit. [10] E. et reg. [11] B. alique . . . laborabant. [12] B. minimo. [13] B. et. [14] E. angustiis.

deum mirabilem predicamus. Diuina siquidem opera et iudicia nostro sensu comprehendere non possumus, nec estimare audemus. Reuelata scribimus et ad ea que non sunt reuelanda deum ac sanctos eius, vt reuelentur, nequaquam cogimus. Legitur quod dominus quinque milia hominum de quinque panibus et duobus piscibus saciauit et quod vndecim[1] cophini pleni de fragmentis supererant comedentibus. Operabatur ibi dominus in hominibus, operatur et hic prout vult in virginibus. Sed cum ipse virgines sacre, quomodo hec fierent, summa instantia interrogarentur, affuerunt plures statim respondentes: 'Quid nos tantum constringis[2] interrogando? absque difficultate et sine lesione nostri transiuimus. Et scias pro certo quia plura de nobis non scripsisti que sunt admiranda.' Que cum sero vel mane dietam sibi deliberantes proponerent, 'ibi vel ibi pernoctabimus,' absque dubio et sine impedimento cum permaxima sui cordis iucunditate illuc sero peruenerunt.

¶ Quod nulla super eas pluuia cecidit ex quo de palatio regio egresse sunt eundo Romam et redeundo.

Ex quo sane ab aula regis beate Vrsule patris discesserunt, nullo perfundebantur imbre pluuiali euntes Romam et[3] redeuntes, quia diuina eas clementia ab omni molestia protexit. Sed ne hoc alicui incredibile videatur, narrabimus quoddam simile quod multis bene compertum est. Denique beatus Bernardus abbas clarcuallensis dum aliquando sub diuo, videlicet sub aere, cum fratre quodam sedens litteras dictaret, alterque illas scribendo notaret, ecce vbique in circuitu pluebat et ipsi a pluuia scribentes illesi permanserunt et intacti. Aderat sane sacris virginibus in omnibus piissime celorum regine custodia et gratia: fida illarum ductrix et[4] pia fideliter eas ducens, quam imitate sunt virginitatis sue florem filio suo virginum piarum sponso offerentes. Porro infantule que[5] in sinibus quarundam[6] gestabantur, nullo, vt supradictum[7] est, cibo vel vberum lacte alebantur, sed cum forte digitum ori imponerent, exinde[8] nutrimentum diuinitus sibi datum suxerunt[8]. Reliquarum vero quamplures virginum nequaquam tam[4] multo indigebant cibo, quoniam[9] dei gratia, que[10] illas forinsecus conseruans gubernabat, intrinsecus aderat confortans eas et sustentans. Qui autem horum que scripsimus incredulus fuerit, legat Vitas Patrum et inueniet plures in ebdomada[11] semel modico cibo gustato sustentatos. Legat et vitam Marie Egiptiace et inueniet eam duobus panibus et dimidio per decem et septem annos sustentari[12], ac postmodum paucis herbarum radicibus viuere[13]. Denique plusquam valerent iste vir-

[1] B. duodecim. [2] B. distringitis. [3] B. siue. [4] om. in B. [5] B. infantuli qui. [6] B. quorundam. [7] B. dictum. [8] E. sugerunt. [9] E. quam. [10] B. qui. [11] E. ebdomida. [12] B. sustentatam. [13] B. vixisse.

gines in edendo consumere, omni illis amministrabantur[1] copia. Angelorum enim quidam ipsarum ductores, quemadmodum domina nostra nuper ait, eas semper precedentes honestorum species virorum sibi assumpserunt, accedentes[que] ad maiores ciuitatis et primos quo nocte fuerunt venture, super illarum eis aduentu[2] predixerunt. Qui cum gaudio de pluribus occurrerunt leucis[3] nobiles [et] matrone, plebei et villani, cum deuotione feruenti offerentes necessaria. Fertilis enim[4] erat annus, tempusque habundans bonis vniuersorum copiam prebebat. Noctibus sepissime in pratis quiescentes dormierunt, nullius molestie sentientes grauamen; tota namque nocte immensi luminis claritas super eas atque in circuitu illarum choruscans radiabat. Ad arduos tandem montes Alpium venientes, necnon ad ipsum montem qui ceteris et altitudine preminet et horrore accedentes, qui solo etiam aspectu robustissimorum quosque[5] virorum terrere solet[6], facilitate summa transilierunt: tanta quippe agilitate, vt quedam ait illarum[7] virginum, tam ille que infantulas gestabant in brachiis conscendebant, quam[8] et iste que absque onere nihil portantes scandebant. Adeo reuera facile, vt illa dixit, ipsis patuit eiusdem montis ardui ascensus et alti, quemadmodum alicui nostrum in domo aliqua commoranti[9] concederetur vsque ad ostium eiusdem domus peruenire. Denique et domina nostra, cum de ipso monte, atque super aliis eiusdem itineris difficultatibus interrogaretur, ait quod videretur illis ipsum montem con[s]cendentibus, quasi in planissima via incedentes atque bene spaciosa[10] ambularent. Quomodo autem hec fierent, fateor me penitus ignorare.

¶ Quod ipse virgines ammirabantur sepius quomodo montium viarumque grauium itinera transierunt.

Beata siquidem Vrsula vti testabatur necnon et alie quedam cum super harum difficultatibus viarum interrogarentur, tunc temporis sese vehementer ammirari dicebant, et qualiter eosdem montes ceteraque itinera difficillima transirent[11]. Porro domina nostra dulci sua eas gratia crebrius confortans letificauit, ita vt consolatione ipsius benignissima omnis illis labor leuis fieret et delectabilis, omne preterea cibi corporalis delectamentum multis fastidio erat. Aderat plane illis dulcis virginum regina gubernando eas et regendo, cum suis angelis et sanctis illas custodiens. Vnde nullus latronum, furum aut predonum eis obesse potuit, aut corruptor. Plures siquidem virginum et matronarum nobilium que occurrerunt eis visitantes illas, bono exemplo ipsarum attracte, Christique gratia intus[12]

[1] B. omnium illorum administrabatur. [2] E. aduentum. [3] E. locis. [4] B. quidem. [5] B. quoque. [6] B. s. corda. [7] B. earundem. [8] B. quanta. [9] B. commanenti. [10] B. spatiose. [11] B. transierint. [12] B. celitus.

operante, patriam [et] ipse ac parentes reliquerunt, Christum sequute sunt omnium regem verum. Poterit aliquis lectorum super hiis et ceteris que supra diximus, vacillando dubitare, aut irridendo [ea][1] improbare, dissimilans dei omnipotentiam eiusque clementiam considerare, qui quando vult et quomodo vult in suis operatur seruis et ancillis, ipse mirabilis deus mirabiliter in omnibus[2] agens. Consideret primo earundem virginum quanta sit multitudo, quanta nobilitas et teneritudo; quod celesti responso, angelico nuncio, dum adhuc forent in terra natiua, predicuntur Romam proficisci: nauigio vsque Basiliam venientes defuerunt tante multitudini bige et quadrige, equi et muli: pedestres[3] ire non valebant nisi dominus illarum dirigeret gressus, pie operando in eis. Qui sane quondam israeliticum populum de Egipto fugientem duce Moyse per mare rubrum sicco pede, atque per desertum in columpna nubis et ignis in terram perduxit repromissionis multisque signis et prodigiis illos certificauit: hic idem dominus[4] potens et clemens suas etiam virgines teneras et nobiles atque puellas signis, virtutibus, prodigiis et magnalibus quibus ipse magnus et mirabilis voluit, per vias artas, semitas et siluas, montes arduos et alpes, riuos et fluuios traducere potuit et perducere. Si cui autem [ista][1] impossibilia videntur et deum, cui omnia sunt possibilia, in suis virginibus ista nolle putat[5] opera[ri][6]: si passiones sanctorum legit et vitas atque sanctarum virginum atque matronarum materias[7] et gesta, necnon et Vitas patrum in memoria habuerit dominumque in illis mirabiliter operantem cognouerit, credet et cognoscet in hiis etiam virginibus suis illum magnifice agentem. Legitur etiam de beatissima Maria Egiptiaca quoniam cene dominice nocte signo crucis edito pede sicco [per][1] Iordanis fluuium [ad][1] Zozimam peruenit, et sumpto corpore domini et sanguine iterum remeans, in spacio vnius hore viginti dierum iter in[5] corpore adhuc corruptibili explens, ad interiora deserti diuinitus adiuta peruenit, vbi etiam[8] mortua postmodum est inuenta. Scripsimus superius quia angeli et supra et circa illas visibiliter conuersantes apparerent; quod tamen non audemus astruere quia[9] qualibet die et quauis hora visibili specie illis[10] apparentes ab eis cernerentur.

¶ Quod Cesarius meldensis episcopus eis est adiunctus, et quod apostolicus cum cardinalibus et Romanis nobili eas exceperunt processione.

Que cum ad vnam dictam prope Romam venissent, beatus Cesarius meldensis episcopus, vir prudens et honestus, cum suo superuenit comitatu, nam et ipse similiter Romam erat[11] profecturus. Qui cum

[1] om. [2] in omnibus om. in B. [3] B. pedes. [4] B. deus. [5] om. in B. [6] E. operantem. [7] B. martyria. [8] B. et. [9] B. quod. [10] B. velut. [11] E. esset.

occurrisset, cognita illa[rum] itineris causa iunctus est eis, pariter cum illis proficiscens. In eodem sane virginum collegio hic idem episcopus sororem suam[1] repperit sanctam Elizabeth matronam religiosam et valde honestam, cum filia sua Elizabeth preclarissima virgine et[1] deuotissima; filium etiam illic repperit alterius sororis sue, iuniorem Helindium ducem illustrissimum, vxoremque ipsius, filium patrui beate Vrsule patris. Inuenit etiam ibi duas filias eiusdem ducis, sanctam Spem et beatam Eufrosinam. Sed et plures inter eas repperit cognatas. Qui[2] spiritu dei accensus, sequitur etiam virgines sacras, corpus pro domino traditurus et animam. Hunc etiam duo sequuntur de suis capellanis, et quatuor de comitatu suo laici. Cumque prope Romam cum[1] omni mentis alacritate sane et incolumes vniuerse[1] venissent, ipse quidem apostolicus cum clero et cardinalibus, principibus, matronis et[1] virginibus, plebeis et ciuibus in[3] magna[4] exultatione nobilique processione, vt dignum erat, illas excepit. Preterea et de vicinis ciuitatibus, vicis et castellis properabant tam nobiles quam plebei gloriam earum certatim videre. Tota denique ciuitas illis obuiam venit, ammiratione capti simul et nouitate. Virgines autem Christi virginali gratia refulgentes, mirabilem de se cunctis opinionem virtutis, et decus sparserunt insigne celestis gratie, et boni odoris fragrantiam omnibus ministrarunt. Que cum illic quatuor dierum[5] moram facerent[6], orationis gratia sanctorum loca circumeuntes et ecclesias, agonis sui triumphum atque martirii sacri calicem quem in Christo[7] erant bibiture, domino et sue genitrici gloriose atque apostolis reliquisque sanctis deuote commendarunt. Fuerunt etiam[1] inter eas virgines quamplures cathecumine, que cum adhuc in palatio regis essent sancte Vrsule patris, acceperunt celitus responsum quod[8] Rome forent baptizande. Ille vero tunc temporis, astante clero et cardinalibus et magnatis[9], ab ipso apostolico cum ingenti gloria baptizantur et honore. Quarum prime et nobiliores beata erat Lucia et sancta Anastasia, duorum filie regum, que ambe extiterunt cognate iuuenis illustrissimi sancte[10] Vrsule sponsi.

¶ Quod apostolicus per visum est ammonitus vt relicta dignitate apostolatus proficiscatur cum eisdem virginibus.

Paucis itaque diebus illic sacre virgines moram facientes licentiam expetunt redire proponentes. Quarum exemplo Ciriacus papa tunc romane sedi presidens accensus, reconsignata[11] sui apostolatus dignitate, Romanis multis tamen eum retrahere volentibus, earundem[12] comes efficitur virginum atque caput illarum de cetero et magister. Ipsi denique pape Ciriaco tres in visu apparuerunt sancti[13] candidi

[1] om. in B. [2] E. Quia. [3] B. cum. [4] E. magno. [5] B. diebus. [6] B. traherent. [7] B. proximo. [8] B. quoniam. [9] B. magnatibus. [10] B. beate. [11] B. resignata. [12] E. earumque. [13] B. sancti app.

exhortantes eum quatinus relicta dignitate papatus[1] sui cum sacris virginibus comitaretur exemplumque bonum ceteris preberet tante sublimitatis contemptu; promittentes etiam pollicentur ei quod et ipse coronam foret eternam per martirii palmam adepturus. Preterea inquiunt asserentes quoniam, si Rome remanserit, in breui tamen[2] sit moriturus. Qui quia[3] contra voluntatem cardinalium romanique senatus consilium illinc discedens proficiscitur, de catalogo[4] romanorum pontificum nomen ipsius deletur. Cuius reuera nomen coram domino inter Christi martires preciosos in libro vite perpetuo scriptum continetur. Habebat[5] etiam[6] ipse quasdam in hoc sacro virginum collegio cognatas proxima sibi consanguinitate coniunctas. Denique sancta Sibilia vxor beati Eustachii martiris et comitis cum sex filiabus suis eius extiterunt cognate; insuper et alie de cetu illarum quamplures. Porro ducente illas Ihesu Christo celesti pio duce, gubernanteque eas mundi regina semper virgine Maria, denuo reuertuntur. Inanes siquidem et vacue redire non poterant, quoniam nutu dei preceptoque diuino iter istud perfecerunt. Sane eundo Romam et redeundo, iuxta virginis Elizabeth bone memorie visionem, plures illis adiuncti sunt episcoporum, itineris earum et corone facti participes.

¶ Quod cardinales duo et principes duo cum aliis quibusdam papam Ciriacum sequuntur, et quod Maguncie Olofernem inuenerunt.

Beato siquidem Ciriaco pape subrogatur in summum pontificem [Hilarius][7] vir prudens et bonus multaque morum honestate conspicuus; mire vero fuit abstinentie, castus amator dei et pauperum. Porro beatum [papam][7] Ciriacum duo sequuntur cardinales, Poncius et Petrus, quorum vnus Petrus Vincentius dicebatur, quia[8] binominis[9] erat. Sequuntur et illos diaconi duo, Kalixtus et Kilianus: horum prior filius erat sororis Ciriaci pape, et alter cognatus. Proficiscuntur cum eis subdiaconi tres: Ambrosius, Iustinus, atque Christianus. Sequebatur similiter eum beatus Florentius ecclesie romane archidiaconus, qui et ipse cognatus fuit eiusdem apostolici ([10]et sex filiarum supradicti comitis vxorisque illius[10]). Principes etiam duo comitabantur cum eis, sanctus Eugenius et beatus Nichostratus, parati et ipsi vna cum virginibus animas suas dare pro Christo. Denique et septem de familia [ipsius][7] pape sequuti sunt eum. Porro matrona quedam nobilis eius neptis, que dicta est Herrengardis, cum filia sua et tribus cum sequebatur puellis. Exercitus itaque Christi tantus virginum et tam sublimium personarum de Roma proficiscens cum ingenti gaudio ad ciuitatem Coloniam exulta-

[1] E. paratus. [2] om. in B. [3] B. quod. [4] E. cathaloco. [5] E. Habeat. [6] B et. [7] om. in E. [8] B. quod. [9] B. binomius. [10–10] et . . . illius om. in B.

tionis tripudio tendebant, celitus sibi promissam felicis triumphi coronam pre oculis habentes, totoque affectu illam desiderantes ad brauium festinant. Paucis sane diebus ciuitatem Basiliam, vbi naues suas reliquerant[1], adierunt[2]. Quas denuo intrantes, insigni Maguncie applicuerunt ciuitati, que est super Renum sita. Quo dum peruenissent, reppererunt ibi iuuenem illustrissimum beate [virginis] Vrsule sponsum, moribus et genere nobilissimum. Hic pridie ante ductu angelico cum pluribus sociis, quorum quidam erant christiani et quidam cathecumini, venerat paratus ipse et comites eius pariter cum sponsa sua pro amore Christi proprium sanguinem fundere. Denique virgo Christi Elizabeth dicit illum et matrem suam cum filia paruula et episcopum quendam nomine Clementem adduxisse. Cuius aduentum beata Vrsula triduo antequam illuc venisset[3] angelo sibi annunciante presciuit. Continuo itaque leticie et gaudii vniuersis ingens oritur exultatio, quoniam super eius aduentu[4] omnes fuerunt iucunditate immensa gratulantes. Egredientibus eis de nauibus occurrit cum clero archiepiscopus et ciuibus excipientes vniuersas virgines atque socios earum[5] nobili processione in leticia magna et exultatione. Biduo sane ibi pausantes moram faciunt. Interim iuuenis regius beate virginis Vrsule[6] sponsus, qui[6] iam triennio ante cathecuminus extiterat, cum ingenti nobilium gloria et principum a beato Ciriaco papa baptizatur. Qui corde deuoto baptismi gratiam suscipiens, deo et hominibus dilectus, vniuersisque qui eum nouerant et viderant amabilis erat et graciosus; assistente illi beata Vrsula ipsius sponsa cum omnibus episcopis et[6] cardinalibus, regibus et principibus, atque vniuerso illius ciuitatis clero. Baptizati sunt etiam cum eo quidam sociorum eius qui cum ipso conuenerant[7], quoniam iam ante cathecumini extiterant[8].

¶ Quod angeli de celis assunt vbi Vrsule virginis sponsus baptizatur.

Aperto siquidem celo angeli lucis a deo directi veniunt illuc presentes, cum aliis compluribus sanctorum personis, huic tam festiue solennitati congaudentes. Denique ipse iuuenis regius tante virginis sponsus adhuc virgo existens, nunquam mulierem cognouit aut vxorem, custodiente illum matre sua et doctrinante, optima muliere et piissima regina, que in omni castitate, mundicia, et morum honestate eum instruens erudiuit. Discant ergo matres ab ista sumentes exemplum, et doceant filios suos et filias atque familiam caste viuere, iuste et pie incedere. Porro et ipse in[9] carundem sacrarum virginum cetu plures habebat cognatas, de quarum numero iste fuerunt: beata Benedicta, et Lucia, que de vndecim principali-

[1] E. reliquerent. [2] B. adierant. [3] E. venissent. [4] E. aduentum.
[5] B. illarum. [6] om. in B. [7] B. venerant. [8] B. extiterunt.
[9] B. ex.

bus virginibus erant, atque Anastasia, virgines illustrissime et prudentes valde; necnon et[1] alie quamplures[2]. Fuit etiam beata Lucencia cum eo, virgo prudentissima et nobilis tam animo quam[3] genere, filia patrui patris ipsius Vrsule sponsi, cum matre honestissima comitissa. Pater itaque eiusdem iuuenis rex senior de lupo et vrso crudeli mutatus in ouem, in proprio regno baptizatus bona obiit morte et in[1] vera Christi confessione. O[1] quanti tunc gaudii iocunditas vniuersos letificauit, cum iuuenem tam generosum ac[3] nobilem sponse nobili viderent in omni probitate coequari et honestate! Elegantissime vero erat illa pulchritudinis, elegans et iste nimis fuit et decorus. Viginti sane et quinque annorum et septem mensium ferme extitit[1] eo tempore idem[4] iuuenis, et illa fere[5] decem et septem annorum erat et trium mensium. Quid plura? filius ille regis et rex iunior inclitus et illustris, atque ipsa nihilominus filia regis incliti et regina nobilis ac generosa, immensam cunctorum leticiam qui ad tam admirandi gaudii spectaculum venerant, subito conuertunt[6] in lachrimas, et merore nimio vniuersos sauciant[7]. Festinant ergo quantotius ad brauium; properant ad diu desideratum sibi martirium: filie regum, ducum, et principum, immo reges ipsi cum reginis, ducissis[8] et comitissis festinanti cursu pergunt Coloniam. Quo cum peruenissent, reppererunt gentem Hunorum barbaricam ipsam obsedisse ciuitatem. Princeps igitur eorundem barbarorum extra murum residens, super tanta puellarum multitudine atque domicellarum exercitu ammiratus, eas fecit sibi presentari. A quibus mox genus, patriam, atque aduentus illarum causam diligenti requirit[9] inuestigatione. Beata quippe Vrsula cum sponso suo pariter presentata tiranno, protinus oculis eius placuit, et animum in illam totum iniecit, ammirans virginis elegantiam pulchritudinis expauit decorem, eamque sibi sociari concupiuit. Quem virgo, iam ante a celesti sponso et regis filio eterni dotaliciis subarrata celestibus contempnens, nephandis eius[10] acquiescere desideriis refugit. Porro antequam in manus incidissent tirannorum, bono et salubri vtebantur consilio, atque beati Laurentii exemplo, qui thezauros ecclesie dedit pauperibus, agentes, quicquid illis expensarum, vestium preciosarum, thezaurorum atque ornamentorum erat residuum, ciuitate Colonia expendentes, ecclesiis, Christi pauperibus eroganda, reliquerunt. Considerent ista diuites, prelati et nobiles, episcopi et comites, qui ecclesias Christi et pauperes spoliant, qui de alienis laboribus se ditant, et post mortem res pauperum imperatoribus et diuitibus [in vanos vsus consumendos][11] relinquunt, sibique infernalia supplicia mercantes conquirunt! Ecce virgines iste suique

[1] om in B. [2] B. alieque plures. [3] B. et. [4] B. ipse idem. [5] B. vero. [6] B. conuertit. [7] B. sauciavit. [8] E. ducissisis; B. et d.; et comitissis om. [9] B inquirit. [10] E. eis. [11] so B.

comites reges, duces et principes, regine, ducisse et comitisse terras, diuitias, patriam, honores, dignitates, et parentes contempnunt exulantes[1] pro Christo, corpora sua tradunt[2] pro deo ad supplicia, pro quibus eterne vite consequuti premia, perhennis gaudii iocunditate regnantes cum Christo perfruuntur.

¶ Quod sancta Vrsula sue mortis seriem atque sodalium suarum referens exposuit, et quod demones pro earum interemptione laborabant.

Ceterum[3] princeps ille Hunorum dirus nimis ac[4] truculentus, cum virginis ipsius Vrsule sancte[5] sodaliumque suarum inuictam cerneret mentem, nec ad ea que voluit illas posse deflecti: astutia circumuentus agit diaboli, vt socie virgines sociique[6] sodales viri prius sub beate Vrsule interimantur presentia. Arbitratur enim quod illa, ceterarum nece territa, tanto celerius ei consentiat, voluntati ipsius prebens effectum. Porro sponsus virginis[7] inclitus a latere sponse sue gladio percussus interimitur, optatam felicis martirii palmam pro Christo iugulatus accepit. Dehinc grassantur carnifices, innoxium fundentes sanguinem noxio se maculauere piaculo. Ipsa denique virgo beata, debachari cernens in sodalium nece malignos, stat imperterrita, nec minis tiranni vincitur, nec promissis delinita circumuenitur. Porro hec eadem virgo Vrsula[8] nuper cuidam assistens super serie passionis [eius][9] sciscitanti sic ait: 'Princeps ille putabat mentem meam ad amorem suum inclinare: vnde omnes prius fecit coram me interfici virgines, quo [territa][9] facilius ei consentirem. Sed cum nollem iniquis eius consiliis praueque acquiescere voluntati, omnium fere nouissimam me fecit occidi, et sagitta in corde percussa interii. Vniuersis [sic][9] sociabus meis interemptis et sociis, me in sui iussit adduci presentiam ibique necari: vnde accidit vt a sponso meo vnius lapidis iactu semota perimerer.' Ecce hec sunt eiusdem virginis verba. Ista[10] sane loquebatur latine, adhuc autem[11] adiungens dixit: 'Cumque iam essemus interficiende, en infinita demonum multitudo affuit, diuersas monstrorum[5] species et formas habentium: qui armis variis armati, per totum campum vbi eramus iugulande hac et illac discurrentes ad nostrum interitum excitant interfectores. Denique et aer totus vsque ad celos[12] angelis et sanctis atque virginibus sacris et matronis beatis apparuit plenus, qui ad nostrum venerant agonis et martirii[13] triumphum.

[1] B. exultantes. [2] B. tradiderunt. [3] B. Item. [4] B. et. [5] om. in B. [6] B. et s. [7] B. felicis v. [8] E. hec eadem v. V. hec eadem. [9] so B.; om. in E. [10] B. Ita. [11] B. autem adhuc. [12] B. celum, [13] et mart. om. in B.

¶ Quod de quouis sanctorum ordine plures illis obuiam veniunt qui animas illarum ad celestia gaudia perferant.

'Vniuersi celestium ordinum chori, tam angelorum quam reliquorum sanctorum, inquit eadem virgo, de suis consociis plura nobis obuiam milia miserunt, preter thronos, qui paucos de suo agmine in occursum nostrum direxerunt. Throni namque ita in dei presentia confirmati sunt, vt facile ab eo separari non possint. Sed cum ab angelis in celum defer[r]emur, ipsi[1] sancti nobis vbique letantes occurrerunt. Vicinius tamen nobis erant propiusque ad nos accesserunt sanctarum[2] virginum multitudines, atque beatarum matronarum acies, que quasi certatim ad nos properantes familiarius nobis adheserunt. Et cum apertis celis, ab angelis ceterisque sanctis qui nobis gaudentes occurrerant, cum ingenti tripudio introduceremur, vniuersi ferme sancti qui in celo remanserant. cum summo nobis gaudio occurrerunt; omnia cantibus dulcisonis ac iubilatione replent suauissima, in presentiam domini atque in conspectum[3] matris eius gloriose nos perducunt. Qui nostre continuo congratulantes victorie, iubent angeli[s] quatenus stolis induamur virginalibus. coronis adornemur prefulgidis. Introducimur siquidem in mansionem quandam a ceteris virginibus sacris[4] seiunctam. iam ante nobis a deo[5] preparatam. vbi pariter nos vndecim milia virginum cum perhenni sumus iocunditate letantes. [6][Iuxta autem nos in parte vna meus est sponsus, et B. Papa Cyriacus, cum reliquis sodalibus nostris viris. in mansione quadam perlucida, eterna letitia gaudentes.][6] Ex latere sane vno matrone sacre consortes nostre deputatam sibi habent mansionem, ineffabili claritate choruscantem, in qua et ipse felici gaudio sunt exultantes perpetuo. Porro beatus Michael et sanctus euangelista Iohannes, qui comites nobis[4] indiuidui fuerunt ac custodes toto itinere nostro extiterunt, cum pluribus angelorum obsequiis et sanctorum, cum ego fere omnium nouissima interimerer. animam meam cum summa leticia suscipientes, domino sueque genitrici beate[4] eam offerunt presentantes.' Hic reuera beatus extat finis virginum beatissimarum vndecim milium sociorumque illarum laudabilis et sanctus: que vniuerse triumphalis necis palmam perhennisque vite coronam rosei effusione cruoris adepte sunt gloriosam[7], atque celestis sponsi amplexibus beatis perpetuo associate. Pro cuius dulci amore patriam, parentes, diuitias atque delicias relinquentes, florem virginei pudoris et immaculati mundiciam conseruauerunt candoris, ab ipso sane in eterne beatitudinis thalamum introducte, perpeti cum eo gaudio iocunditatis[8] perfruentur[9].

[1] E. ipsique. [2] B. sacrarum. [3] B. conspectu. [4] om. in B. [5] B. domino. [6–6] so B., om. in E. [7] B. gloriam. [8] B. iucundantes. [9] B. perfruuntur.

¶ Quod infantes in vtero matrum pariter cum illis occidebantur et adhuc inter cetera virginum corpora reperiuntur.

Quandoque inter virginum earundem sacrarum reliquias et corpora, tam paruula inueniuntur ossa et corpuscula vt vix trium mensium tempus et spacium a die conceptionis eorum[1] videantur habere. Vnde sane plerique titubantes, non modice quid ea portendant sunt ammirantes. Super quibus beata Vrsula interrogata, respondit dicens: 'Matronarum alique inter nos extiterunt, quarum quedam, dum[2] de terra nostra egrederemur, fuere[3] pregnantes nouiterque in vtero concipientes. Amore Christi et ipse nihilominus spe regni celestis nos sequute, nobiscum pariter occubuerunt interempte. Harum infantes, quicunque[4] in matris[5] vtero spiritum vite habebant animamque viuentem, cum matres occiderentur, licet gladius eos non attingeret, in morte tamen matrum et martirio, atque in ipsarum[6] sanguine baptizati, absque dubio ab angelis vna cum matribus ad regna celestia perducebantur. Et hec est ratio verissima paruulorum qui cum ceteris reperiuntur[7] robustioribus.' Huic capittulo inueniuntur lectorum aliqui refragari, pretendentes illam domini sententiam dicentis: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest saluari.' Plures autem abbatum et litteratorum pietatem domini, ac matrum fidem atque in deo dilectionem, puramque illarum confessionem ad martirium pro Christo [sponte] properantium commendant, dicentes, eosdem infantes in confessione matrum et sanguine baptizatos. Pace dixerim lectorum quia[8] pietas Christi multum foret dormitans et languida, si pro suo nomine occisos sineret dampnari. Sed cum vice quadam eiusdem historie et capituli notarius legentium apud se sententias tacitus reuolueret, celitus illi dicitur: 'Pro certo scias, frater[9], quia[8] si infantes in matrum vteris moriuntur, dampnantur, sed pia illorum erit dampnatio. Sed hoc scias quia[8] si mater pro Christo occidatur, puer in vtero matris confessione matris et sanguine plene cum matre saluatur. Non attendas, inquit, quid magistri super hoc loquantur; nusquam enim diuina seueritas[10] habet in eis vt dampnentur: quia sicut diuina iusticia vbique se extendit vt[11] feriens corrigat, ita diuina pietas vbique se dilatat vt[11] saluans subueniat.' Item alia vice: 'Nam sicut veritas diuina ipsaque dei iusticia atque[12] seueritas vbique sese extendit quatinus nihil impunitum relinquat, ita ineffabilis eius misericordia et charitas vbique se dilatat vt innocentibus misericorditer parcat.'

[1] E. earum. [2] B. cum. [3] B. fuerunt. [4] B. quecunque. [5] B. matrum. [6] B. illarum. [7] B. inueniuntur. [8] B. quod. [9] om. in B. [10] E. serenitas. [11] E. vbi. [12] B. et.

¶ Quod lactentes et paruule inter vndecim milia viginum occise locum habeant et premium cum sanctis innocentibus.

Puelle siquidem paruule que inter eas fuerunt, et lactentes, que cum virginibus pariter sunt iugulate, etiam [1] supra vndecim milium numerum reputantur: iste vero licet inter sanctos innocentes non maneant qui sub herodiana persequutione sunt interempti, premium tamen innocentie ac beatitudinis eterne cum illis [2] sortiuntur. Adhuc [3] sane quibusdam non modicum ambiguitatis scrupulum [1] generat quod tanta multitudo vndecim milium virginum dicatur, et non aliqua earum saltem in domo patris sui sub habitu sit virginali corrupta. Dum [itaque] die quadam harum notarius stans super hiis mente reuolueret, ecce celitus cogitationi eius respondetur: 'quia non est ita vt tu putas; nam integer numerus vndecim milium ibi erat virginum.' Cui et alia virgo illustris de illarum numero interrogata dicebat: 'Erant in terra illarum natiua [1], vt tu existimas, in quarundam domo paterna tres aut quatuor iuuencule, quarum aliqua ex hiis fuit corrupta, et nudo capite ac virginali habitu incedens dissimulabat se fuisse corruptam; sed cum ad id ventum fuisset vt virgines eligerentur, nutu diuino actum est celestique prouidentia gestum, vt vere virgines eligerentur ad [4] beatam Vrsulam mittende, et deuirginate [5] ac corrupte in domo paterna relinquerentur. Vnde accidit vt plenus vndecim milium sacrarum virginum numerus atque integer foret et perfectus.' Ecce quantum et quale miraculum, ac satis super earum electione ammirandum, quod si[c] tantus virginum numerus absque corruptarum intermixtione eligi potuit et [6] discerni.

¶ Quod robusta inter ceterarum virginum corpora inueniantur et membra et capita et corpora.

Accidit sepe vt magna corpora inter easdem inueniantur virgines, et robusta. Quorum quedam predictorum qui cum illis pariter interimebantur sunt virorum, quedam etiam matronarum quarum multe cum eis occidebantur [7] martirizate: quedam vero quarundam virginum illarum sacrarum. Porro vt quedam virgo sacra de ipsarum numero asserens nuper attestabatur, quia [8] fuerunt inter eas quedam virgines [9] adulte etatisque prouecte, que domino glorioseque matri eius virginitatem suam deuouerant se vsque ad mortem illibatam seruare. Erant preterea inter eas quedam satis perfecte etatis que viris extiterunt desponsate, quarum sponsi bellicis intenti negotiis et morte preuenti, siue quidam etiam interempti, sponsas suas reliquerunt intactas: ita enim dei prouidentia, qui solus nouit quid de illis sibi foret agendum, nuptie illarum sunt dilate plurimarum. Et

[1] om. in B. [2] B. iis. [3] B. Adhec. [4] E. vt. [5] et dev. om. in B. [6] B. ac. [7] B. extiterunt. [8] B. quod fuerint. [9] B. inter virgines quedam.

hec est certissima causa robustorum corporum que passim inter ceteras virgines tenellas inueniuntur.

¶ Quod tribus est reuelatum quot viri et in illarum erant comitatu et cum illis occisi.

Personarum sublimium atque virorum [1] qui in earundem beatissimarum fuerunt virginum societate interempti, numerus erat aliquantulum plus quam ducentorum. Sic enim duobus constat celitus esse reuelatum. Fuerunt etiam inter eas [2] matrone que de virginum illarum non erant numero, plusquam ducente. Licet enim in Passione illarum antiqua [3] nulla virorum qui cum eis [4] erant fiat mentio pre numerositate virginum et multitudine, tamen quisque [5] hominum qui sane fuerit mentis, facillime intelligens aduertet, illas virorum, sicut supradiximus, non posse [6] carere obsequio et ministerio, tam nauigio quam pedestri itinere Romam tendentes. Funiculus (vt quidam ait) triplex difficile rumpitur. Tribus sane celitus reuelatum est quod virorum quidam in earum fuerant [7] comitatu, et matronarum: fratri cuidam, atque virginibus duabus. Felicis memorie virgo Elizabeth scribit Ciriacum papam cum cardinali Vincentio illarum interfuisse cetui et societati. Et nos scribimus eundem [papam] cum duobus cardinalibus Pontio et Petro, atque cum pluribus personis adhuc qui eum sequebantur, interfuisse. Binominis [8] siquidem erat vnus illorum cardinalium: nam Petrus Vincentius appellabatur. Nec hoc quicquam derogat veritati quod illa non scripserit plures cum illo fuisse comitatos, et nos plures scrips[er]imus illum [9] fuisse sequutos. Ita etiam [10] euangeliste sancti [3] videntur impares inter se, discordantes in pluribus locis. Scribit vnus illorum dominum quendam demoniacum, in quo erat legio demonum, curasse: scribit alter duos de sepulchro processisse atque a legione demonum curatos per Christum. Scribit vnus latrones dominum conuiciantes: scribit alter solum vnum. Porro virgo Elizabeth predicta dicit [11] plures episcoporum virginibus sacris in eodem itinere fuisse associatos, quod nos satis approbamus. Hic reuera beatus extat virginum finis beatissimarum [12] vndecim milium sociarumque [13] illarum sanctus et laudabilis, que vniuerse triumphalis necis [3] palmam perhennisque vite coronam rosei cruoris effusione sunt adepte atque celestis sponsi amplexibus beatis perpetuo associate. Vniuersarum siquidem virginum sanctarum reginam, celestis sponsi sui genitricem piam imitantes, vsque ad finem virgines immaculate permanserunt: sanguinem suum pro eo fundentes, ab angelis in celum suis consortibus, sanctis videlicet virginibus, associande perferuntur; vbi felices sponse dulcissimo sponso summi

[1] E. girorum. [2] B. illas. [3] om. in B. [4] B. illis. [5] B. quiuis. [6] B. potuisse. [7] B. fuerunt. [8] B. Binomius. [9] B. eum. [10] B. enim. [11] B. docet. [12] B. sacratissimarum. [13] B. sociorumque.

patris vnigenito, benedicte virginis Marie dilecto coniuncte filio leticia inenarrabili et exultatione gaudentes eterna sine fine regnabunt, qui est vna cum matre sua, virginum sacrarum pia et perpeti regina, benedictus in secula Amen. — —

¶ Explicit historia noua vndecim milium virginum, et sequitur alia de antiqua earundem historia excerpta[1].

QUale hoc die in celo factum est tripudium, qualis occursus supernorum ciuium! que exultatio apostolorum, quam communis gloria martirum sanctarumque virginum, de augmento ordinis sui gloriantium, [2]quam deuota congratulatio patriarcharum et confessorum[2]! Vt etiam illa Colonia beata, et incomparabili hoc thezauro beatior, sciret quantum sacratissimis virginum cineribus [honoris et][3] reuerentie semper deberet, in sua liberatione est experta quam 'preciosa in conspectu domini mors earum' fuisset, et quam magnifice in consilio sanctorum viuerent quarum nuda forsitan corpora tantum potuissent. Nam peracta tam beluina rabie, quasi tortoribus illis manifeste deus calicem ire, vertiginis et insanie miscuisset, 'dati sunt in reprobum sensum,' videruntque tot armatorum acies, quot virginum [corpora][3] trucidauerant, persequentes se, ad quarum impetum effera illa barbaries, et post triumphum[4] iam fuge[5] nescia, non auderet subsistere. Fugatis igitur[6] pacis hostibus, conclusis ciuibus insperata pax reddita est, longoque luctu soluti Colonienses portis eruperunt: et ecce passim super nudam humum inhumata virginum cadauera inuenerunt. Nec multum eos res fefellit, quippe qui iam pridem transeuntium ibidem sanctarum puellarum vestes, habitus et naues nouerunt. Sed quia facile animaduerterant deuotas deo virgines pro conseruando[7] pudicitie signaculo in agone martirii occubuisse, seque earum patrocinantibus meritis non modo mortem sed etiam cruciatus barbarorum omni morte grauiores euasisse: vnanimi consensu, non quasi homines sed quasi deum in humanis corporibus venerantes, non priuatis, non publicis sumptibus pepercerunt, dum non modo humanitatis officio, verum etiam humillime venerationis studio pro se qui[s]que[8] satagentes, alii dilaniata disiectaque martirum membra congerunt[9], alii vestibus cooperiunt, alii terram effodiunt, alii sarcophagis imponunt; breuique tempore, sicut hodie illic est cernere, sanctissime virginum reliquie ad eternam Coloniensium gloriam pausauerunt in pace. Ex eo iam crescente diuina religione non modo consuetudo, sed pro consuetudine sacramentum ciuibus inoleuit, vt intra ambitum virginalis sepulture nemo vsque hodie cuiusquam mortui corpus audeat sepe-

[1] This is added from the Passio undecim millium virginum, Cap. 3 et 4, ed. in Act. SS. Boll. p. 161, 17 ff. [2–2] om. in B. [3] om. [4] B. triumphos. [5] B. fugere. [6] B. ergo. [7] B. conseruande. [8] E. quique. [9] E. collegerunt.

lire. Aliquanto autem tempore euoluto[1], diuinitus frequenter per visionem ammonitus et quasi legatione sanctarum virginum accitus vir religiosus, nomine Clemacius, ex Orientis partibus aduenit, qui pro voto [suo][2] ecclesiam super sanctissimos cineres a fundamento[3] constructam in honore sanctarum virginum compleuit. Lauda ergo Colonia dominum, 'quoniam confortauit seras[4] portarum tuarum, et posuit fines tuos pacem et tanto premisso[5] pignore, benedixit filiis tuis in te.' Erat autem de eodem sanctissimo virginum contubernio quedam virgo[6] nomine Cordula, que ceteris virginibus in agone Christi occumbentibus, sola in vnius nauis alueo sub eadem nocte delituit, et in crastino[7] vltro se morti, quam fugerat, virili animo offerens, triumphales cateruas cum pari gloria martirii subsequuta est. Sed nemo in hoc scandalizetur, quasi[8] beata illa virgo corone sue parua hac formidine aliquid derogauerit, cum nec Petrus negans, nec Thomas dubitans, ab apostololatus honore eiectus sit[9]... Forsitan illa virgo beata de anteacta[10] vite puritate et fidei constantia presumens, ad tollerandam passionem[11] aliquid in se fiducie habuit: ideoque humilianda erat, vt non in se, sed in deo gloriari disceret, et sic humiliata ad celestem thalamum gloriosius transiret[12]. Sic et fidelis Dauid, cum domino diceret: 'Iuraui et statui custodire iudicia iusticie tue,' mox quasi in se reuolutus subiecit dicens: 'Humiliatus sum vsquequaque[13]' ... Longa igitur serie temporum euoluta[14], sancta quam prediximus Cordula incluse cuidam, incomparabilis vite et specialis meriti, Hellentrude, per visum apparuit eamque quasi contubernalem suam, an se agnosceret requisiuit. Illa autem, quamuis sancta et mente iam deo proxima, tamen adhuc corruptibilis, et quasi corruptio incorruptelam non sufferens diuine venustatis et grauitatis, personam exhorruit. Erat enim virgo dei vltra omne artificium hominis vestita mirifice, coronam[15] liliis rosisque alternantibus gestans in capite intertextam. Famula igitur[16] dei ex pauore respirans, indignam se tante maiestatis agnitione esse respondit, 'Cum ego, inquiens, sim carnalis peccati legibus obnoxia, tu autem iam in ordinem celicolarum[17] assumpta totius sis corruptionis aliena.' Tunc illa: 'Noueris me, inquit, vnam de sacro Coloniensium [virginum][18] numero fuisse, que illis in agone Christi triumphantibus, vna nocte superuixi: sequenti[19] die mortis [cupida][18] me vltro carnificibus obtuli, sicque in Christo moriens, nec sorores meas deserui nec socialem martirii coronam amisi. Itaque cum illarum gloriosissimi transitus diem debita iam veneratione[20] tota Colonia celebret[21], mei nominis nec breuis [aliqua][18] adhuc recordatio

[1] E. euento. [2] E. sanctam. [3] B. fundamentis. [4] E. ceras. [5] B. promisso. [6] om. in B. [7] B. crastinum. [8] E. quod. [9] a sentence om. [10] B. anteacte. [11] E. pasionem. [12] B. transierit. [13] A passage om. [14] B. reuoluta. [15] B. coronamque. [16] B. ergo. [17] B. celicorum. [18] om. [19] sequentique. [20] B. deuotione. [21] B. veneretur.

agitur. Proinde nunc veniens, id tibi iniungo obedientie quod sanctimonialibus ad corpora nostra deuote excubantibus denuncies de me vt, cum sororum mearum triumphalem gloriam celebrant[1], proxima sequenti die et mihi aliquid venerationis impendant, quia minime eis expedit vt inter omnes que[2] illic pausant, mei tantum nominis reuerentia nulla sit.' Cumque illa de nomine eius requireret, iussa est a virgine frontem eius intueri, vt hoc sibi nomen [fuisse] indubitanter sciret quod illic exaratum inueniret.' Paruit illa, vidit et legit, discretisque syllabis 'Cordula' distincte scriptum inuenit. Famula igitur dei ad sanctimoniales diuinum oraculum retulit: creditum[3] est, ac deinceps[4] statutum vt cum pridie[5] sanctarum virginum celebritas agitur, sequens dies sancte Cordule laudibus impendatur . . . Famula dei cui hec reuelatio ostensa est, tam celebris vite tamque sancte conuersationis fuit vt ipsa pro certissimo veritatis testimonio habenda sit . . . nam post sanctissime vite eius cursum vsque hodie ad tumulum eius[6] frequenter redditur lumen cecis, gressus claudis, et[5] infirmi ad vsum vite reparantur, et obsessi ab immundis spiritibus emundantur. Ideoque competens eius testimonium fuit, et nephas est dubitare quod de sancta sancte, de sponsa sponse, de dilecta dilecte sue dominus dignatus est reuelare.—Glorietur igitur[7] superna Hierusalem, et celestis illa curia, tot ingenuis ciuibus ampliata, vbi non est seruus aut liber, masculus aut femina. Glorietur Britannia, quamuis in Adam generans, virginee tamen indolis fecunda. Glorietur Germania, tot electissimos[8] occeani flores accipiens[9]. Glorietur Roma, numerum virginum quem acceperat reddens. Glorietur Colonia, talem apud se thezaurum retinens. Glorietur beata illa sanctimonialium congregatio[10], tot sanctarum virginum, quibus deuote famulantur[11], patrociniis de perpetua salute presumens. 'Benedicta igitur[7] gloria domini de loco sancto suo[5].' Vos autem sanctimoniales, tot celestium gemmarum conseruatrices[12], fideli[13] obsequio satagite, vt si ad centesimum, vel sexagesimum fructum non pertingitis, saltem post vestigia earum diuine misericordie spicas colligatis[14]. Omnes etiam in communi sanctissima earum patrocinia humillime flagitemus, vt quia ad socialem cum ipsis gloriam aspirare nec audemus nec possumus, tamen, quia 'in domo patris mansiones multe' sunt, earum meritis patrocinantibus in celesti Hierusalem vel nouissime sortis municipatum capiamus, prestante domino nostro Ihesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto viuit et regnat[15] deus per omnia secula seculorum. Amen.

[1] E. celebrent. [2] E. qui. [3] B. creditumque. [4] B. deinde. [5] om. in B. [6] sc. in Herse monasterio. [7] B. ergo. [8] B. lectissimos. [9] B. excip. [10] E. aggregatio. [11] B. famulatur. [12] B. seruatrices. [13] B. speciali o. specialiter. [14] B. legatis. [15] B. gloriatur.

¶ De legenda aurea[1].

Passe sunt anno domini C[C]xxxviii°. [2]Abbas quidam ab abbatia[3] Colonie corpus vnius virginum impetrauit, promittens quod ipsam in capsa argentea in sua ecclesia collocaret[4]. Sed cum per annum integrum super altare in capsa lignea tenuisset, quadam nocte, dum abbas ipsius monasterii cum suo conuentu matutinas cantaret, virgo illa corporaliter desuper altari descendit et ante altare reuerenter inclinans per medium chorum videntibus monachis et stupentibus inde recessit. Abbas igitur ad capsam currens et vacuam ipsam inueniens, Coloniam properauit et abbatisse rei ordinem intimauit, pergentesque ad locum vnde illud corpus sumpserant, illud ibidem inuenerunt. Cum autem abbas veniam petens et[5] illud vel aliud corpus peteret certissime promittens capsam preciosam se citius facturum, nullatenus impetrauit. Religiosus quidam, cum has virgines in deuotione multa haberet, quadam die dum grauiter infirmaretur vidit quandam virginem pulcherrimam sibi apparentem et si se cognosceret inquirentem. Qui cum ad eius visionem miraretur et se nequaquam ipsam cognoscere fateretur, illa ait: 'Ego sum vna virginum erga quas tantum habes dilectionis affectum. Et vt inde mercedem accipias: si amore et honore nostri vndecies millies dominicam orationem dixeris, in hora mortis in protectione[m] et in solatium nos habebis.' Qua disparente, ille quamcitius potuit hec adimpleuit, statimque vocato abbate inungi se fecit. Qui cum vngeretur, subito exclamauit vt fugerent et venientibus sacris virginibus locum darent. Quem cum abbas quid hoc esset interrogaret, et ille promissionem virginis sibi per ordinem enarrasset, recedentibus cunctis et paulo post redeuntibus ipsum migrasse ad dominum inuenerunt.

---

2. Text in MS. Tib.[6]:

De undecim milibus uirginum martirum.

REx quidam in Britannia christianus nomine Dinotus uel Maurus quandam filiam nomine Vrsulam generauit, que morum honestate, sapiencia et pulcritudine pollebat. Rex autem Anglie, cum nimis prepotens esset et multas naciones suo imperio subiugasset, audita huius uirginis fama beatum se per omnia fatebatur si predicta uirgo suo unigenito copularetur. Mittit igitur solempnes nuncios ad patrem uirginis cum magnis promissionibus et blandiciis, magnas adhiciens minas si ad domum suam uacui reuertantur. Rex autem cepit plurimum anxiari, tum quia Christi fide insignitam uir-

[1] Cf. Leg. Aur. p. 704 (Vinc. Bell. XX, 44). [2] Same Mir. in T. [3] *al.* abbatissa. [4] E. colocaret. [5] *al.* om. [6] Abr. from Leg. Aurea (which rests on Vinc. Bell. XX. 40); with an addition from Higden (Geoffr. Monm.). [7] om. in LA.

ginem cultori ydolorum tradere indignum duceret, tum quia ipsam nullatenus consentire cognosceret, tum quia regis ferocitatem plurimum formidaret. Ipsa autem diuinitus inspirata patri suasit ut predicto regi assensum preberet, ea tamen condicione proposita ut ipse rex cum patre decem uirgines electissimas sibi ad solacium traderet, et tam sibi quam aliis mille uirgines assignaret, et inducias triennii sibi daret ad dedicacionem sue uirginitatis, et ipse iuuenis baptizatus in hiis tribus annis in fide instrueretur. Iuuenis autem libenter hac condicione accepta, baptizatus est. Vndique igitur uirgines confluunt, undique uiri ad tam grande spectaculum currunt. Nam multi episcopi ad eas confluxe(runt ut secum pergerent: inter quos erat Pantulus basileensis episcopus, qui eas usque Romam perduxit et inde reuersus cum eis martirium suscepit). Sancta quoque Gerasina regina Si(cilie, que) uirum suum regem crudelissimum ex lupo fecerat agnum, soror Ma[u]risii episcopi et Darie matris sancte Vrsule, cum eidem [pater] sancte Vrsule secretum per literas intimasset, continuo cum quatuor filiabus suis, Babilla, Iuliana, Victoria, et Aurea, et paruulo suo Adriano usque Britanniam Angli[c]am nauigauit. Tandem cum Vrsula omnes ad fidem uirgines conuertisset, ad angeli monicionem Romam nauigio tendentes ad urbem Basileam applicuerunt et ibidem relictis nauibus Romam ped(estres) uenerunt. Ad quarum aduentum papa C(iriacus) ualde gauisus, cum ipse de Britann(ia esset or)iundus et multas inter eas cons(anguineas) haberet, eas cum summo honore suscepit. (In) ipsa nocte pape diuinitus reuelatur, eum (cum ipsis) uirginibus palmam martirii percepturum. (Vnde) cum anno uno et undecim ebdomadibus (post) Petrum decimusnonus ecclesiam rexisset, dignitati et officio resignauit. Set cum cardinales reclamarent et eum delirare putarent, (quod) relicta papatus gloria post quasdam mulierculas fatuas ire uellet, ideo nomen eius ex cathalogo pontificum clerus abrasit, (omnem)que graciam quam sacer ille uirginum chorus (in curia romana habuerat, (a) tempore (illo ami)sit. Duo autem iniqui principes roma(ne mi)licie, scilicet Maximus et Affricanus, (uidentes) magnam uirginum multitudinem ti(muerunt) ne per eas nimis cresceret religio christi(anorum). Quapropter earum diligencius explorantes (iter nunci)os miserunt ad Iulium cognatum suum (principem) gentis Hunorum, ut educto contra eas exercitu, ipsas cum christiane essent, cum uenir(ent Colo)niam, trucidaret. Beatus autem Ciriacus cum (illis) uirginibus de urbe egressus est, quem secutus est Vincencius cardinalis presbiter, et Ia(cobus), qui de Britannia patria sua in Antiochiam profectus archiepiscopatus dignitatem septem annis ibidem tenuit: qui cum papam uisitasset (et iam urbem egressus de uirginum aduentu audiisset, concitus rediit et itineris ac passionis se eis socium fecit. Maurisius quoque lauicane urbis episcopus auunculus Babile et Iu)liane, Foil(anus lucensis

episcopus et Sulpicius) rauennensis episcopus, [1](qui tunc Romam aduenerant, predictis uirginibus adheserunt. Ethereus quoque sponsus beate Ursule manens in Britannia)[1] per uisionem angelicam a domino admonetur ut matrem suam hortaretur fieri christianam. Nam (pater) eius in primo anno quo christianus factus (fu)erat mortuus est et filius eius Ethereus ei in regno successit. Qui ab angelo (ad)monitus ut protinus sponse sue occurrat (et cum) ea martirium accipiat, et matrem baptizari faciens, cum ipsa et sorore suo Florencia necnon et Clemente episcopo [se sociauit eisdem][2]. Marculus episcopus Gre(cie) et neptis sua Constancia filia Dorothei (regis) constantinopolitani ad martirium se (iunxerunt). Omnes igitur uirgines cum predictis e(piscopis) Coloniam redierunt et ipsam iam (ab Hu)nis obsessam inuenerunt. Vnde et bar(bari uidentes) eas cum clamore nimio irruerunt (et quasi lu)pi seuientes in oues illas occide(runt. Cum) autem ad beatam Vrsulam ceteris iu(gulatis) uenissent, uidens princeps eius miram (pulcri)tudinem, consolans eam super necem uirg(inum) promisit quod eam sibi in coniugem copu(laret). Set cum hoc illa penitus respuisset, il(le cont)emni se uidens directa sagitta (eam) transfixit, et sic martirium consummauit. (Ita) legenda sanctorum.——[3]Aliter enim habent (histori)e et narrant de uirginibus memora(tis, sci)licet quod Octauius rex Britannie Ma(ioris iam) senescens inuitauit de Roma se(natorem) quendam nepotem Helene nomine Maxim(um ut r)egnum Britannie cum unica filia (sua susci)peret. Hac de causa Conanus regis (nepos, qui) ad regnum aspirauerat, indig(natus, se)pius cum predicto Maximo conflixit. Tan(dem am)bo pacificati omnem armatum militem (e patria) abduxerunt in Gallias, ibique Maxi(mus) subiugata Armorica Conanum regna(re) fecit et prouinciam 'Minorem Britanniam' (ap)pellari iussit. Ipse uero in Gallia imperator factus, Galliam et Germaniam diris pre(li)is subegit, Gratianum Augustum occidit, Valentinianum eius fratrem ab Italia fugauit. Qui ad Theodosium in Oriente fugiens pie restitutus est; nam Theodosii solercia cito post Maximus apud Aquileiam conclusus occiditur. Interea Conanus dux Armorice siue Britannie Minoris, nupcias Gallorum detestans, misit ad Dinotum regem Cornubie pro uxoribus populo suo copulandis. Qui statim destinauit ei Vrsulam filiam suam pulcherrimam cum undecim milibus uirginum: quarum alique seuientibus uentis submerse sunt, alique in barbaras naciones appulse sunt, nonnulle uero a nephandis ducibus Gwanio et Melga, eo quod eorum libidini consentire noluerunt, trucidate sunt. Erat autem Gwanius rex Hunorum et Melga rex Pictorum, quos Gracianus et Valentinianus ad maritima loca Germanie transmiserant ut fautores Maximi tiranni occiderent. Deinde nephandi duces prefati cum comperissent Britanniam per abdicacionem

[1–1] In the MS. only a half line is wanting. [2] om. [3] Cf. Higden IV, Geoffr. Monm. V. 9.

Maximi omni armato milite destitutam, Albaniam primo occupauerunt. —[1] Quedam uirgo nomine Cordula timore perterrita in naui nocte illa qua die precedente uirgines martirizate sunt, se abscondit: set in crastinum sponte se morti offerens, martirium suscepit. Set cum eius festum non fieret, eo quod cum aliis passa non esset, ipsa post longum tempus cuidam recluse apparuit, precipiens ut sequenti die a festo uirginum eius solempnitas recoleretur. Passe sunt secundum quosdam duodecimo kal. nouembris anno domini trecentesimo octuagesimo quinto[2]. Abbas quidam ab abbatissa Colonie corpus unius uirginum impetrauit, promittens quod ipsam in capsa argentea in sua ecclesia collocaret. Set cum per annum integrum super altare eam in capsa lignea tenuisset, quadam nocte, dum abbas cum conuentu matutinas caneret, uirgo illa corporaliter de altari descendit et ante altare reuerenter inclinans per medium chorum uidentibus monachis et stupentibus inde recessit. Abbas igitur ad capsam currens et uacuam ipsam inueniens, Coloniam properauit et abbatisse rei ordinem intimauit. Pergentes autem ad locum unde[3] illud corpus sumpserunt, illud ibidem inuenerunt. Cum autem abbas ueniam petens illud uel aliud corpus peteret, promittens capsam preciosam citius se facturum, nullatenus impetrauit.

MS. Tib. adds: *Narratio.*

[4] Fuit quidam frater qui seni cuidam magno uicinus erat, et ingrediebatur ut raperet quicquid senex haberet in cella sua. Videbat autem eum senex, et non obiurgabat eum, set extorquebat sibi plus solito manibus operari, dicens: 'Credo, opus habet frater iste.' Et exigebat a se maiorem solito laborem; et astringebat uentrem suum ut cum indigencia comederet panem suum. Cum autem moreretur senex ille, circumsteterunt eum fratres: et respiciens in eum qui furabatur, dixit ei: 'Iunge te huc ad me:' et tenuit et osculatus est manus eius, dicens: 'Gracias ago istis manibus, fratres, quia propter ipsas uado in regnum celorum.' Ille autem compunctus et penitenciam agens, factus est eciam ipse probatus monachus.

¶ [5] De sancta Wlfhilde virgine et abbatissa [6].

Alfredus rex Westsaxonum siluam quandam venandi gratia vice quadam adiit et vocem paruuli vagientis in arbore audiuit: et a venatorum turba, quidnam hoc foret diligenter inquiri fecit. Inuenerunt enim in summitate arboris in nido aquile infantem elegantem, forma conspicuum, habentem in corpore notam quasi regificum signum, purpureo pallio inuolutum, in brachiis gemellas

[1] Ex Leg. Aur. [2] *al.* Leg. Aur. [3] T. ubi. [4] Cf. Vit. Patr. p. 973.
[5] Extant also in MS. Bodl. 240, p. 607; no other Vita is known to exist.
[6] et abb. om. in T.

armillas aureas, nobilitatis indicium, preferentem. Quem rex baptizari fecit, et a nido, 'Nestingum' vocans, nobiliter educatum in comitem prouexit. Hic genuit Witburdingum; qui genuit Wlfhelmum, qui ex vxore sua liberos procreans, vna cum coniuge sua decem et octo annis vsque ad prouectam etatem celibem vitam duxit. Angelus autem domini tandem trina visione vtrumque hortatus est vt conuenirent, quia iam castiori euo sponsam Christi generarent; et decetero propositum conseruarent. Fiunt itaque certiores alterutro testimonio, nec rebellare audent tam euident celesti edocti imperio, trina inditione probato. Nata igitur infantula, et Wlfhildis vocata, ablactataque, virginibus Wiltonie[1] traditur educanda. Quam cum interiecto tempore Edgarus rex fugientem, vt columba accipitrem, nullo argumento blanditiarum vel promissionum minarumue[2] accersire ad se posset, nec de domini rapere ecclesia auderet, per eius amitam nomine Wenfledam, que illi apicem regni consanguinitatis affectu concupiuit, irretire[3] temptat. At illa, callens ad decipiendum, [4]graui se corporis sui languore laborare simulat[4], puellam ad se in domum suam apud Werewelle inuitat, vt quasi neptem vnice dilectam rerum suarum heredem moritura ascribat. Quo cum peruenisset, ecce rex Edgarus sedens ad conuiuia, assidente ipsa Wenfleda non languida sed regalibus epulis iocunda. Iubetur in cubiculo puella regaliter parari[5], et auratarum vestium decore radians ad regem adduci. Quam rex colligit et lateri eius amatam assidere fecit mediam inter se et eius amitam: blanditie, pollicitationes, suasiones, diuitie, regnum et imperium affatim virgini promittuntur, regina et domina rerum Britannie prelibatur. Virgo autem Christi tacito ore, sed clamoso corde respuit et detestatur omnia, et hec blandimenta vt crudelissima gemit tormenta: de sola cogitat fuga, et alto silentio alta ad Christum vt eripiatur attollit[6] suspiria. Iam toto conuiuio fatigata ab omnibus vt epularetur, animosa abstinentia potius dolorem suum vlciscitur: simulata enim infirmitate, nihil prorsus acquieuit gustare. Tandem vix impetrata dimissione, ad pausam vt defessa egreditur. Rex vero virginis intentionem iam pridem agnoscens, ne quoquo modo euadere posset, foris militum ponit custodiam, et in ipsum cubiculum importuna eam assequitur custodia. Procedit[que][7] tandem virgo quasi ad secreta nature vbi turpe erat mares[8] sequi: et presentibus duabus puellis exuta pompa ornamentorum et monilium, per meatum cuniculi angelo duce fuga dilabitur, atque in vilia de Werewelle cuiusdam paupercule tugurio[9], vt mendica, hospitata est. A curialibus vndique conclamantibus queritur, sed nequaquam reperitur. Mane autem facto, accersitis

[1] T. Wiltonie; E. Wintonie. [2] E. minarumne. [3] T. E. irritire. [4–4] T. languorem simulat. [5] E. parari regaliter. [6] E. attolit. [7] so T.; E. om. que. [8] E. maris. [9] T. tugurrio.

per hospitam ancillis Wiltoniam cum festinatione deuenit. Quod rex comperiens, illuc properat, et omnibus capture instrumentis virginem nulla prorsus impetrare sufficit conditione vt vel ad colloquium regale procedat; ac omnibus nexibus legationum, donationum, adulationum allicere sibi Wlfhildam sanctam temptabat, sed virgo in Christo fundata immobilis perdurabat. Rex verumptamen attentius tam per se quam per alios insidias apponens, forte eam in claustro extra ecclesiam deprehendit: et velut victor capta preda exultans insiliit, fugientemque in ipso ecclesie limine per manicam rapuit. Sed, illa vtcumque potuit renitente, manica in manu trahentis dicto citius remansit, adeo videlicet vt non sentiretur scissura, et solida vestis tanquam humana industria erat circumcisa[1]. Virgo vero deo deuota coram altari prostrata, cordis gemitibus pudicitiam [suam][2] a Christo illibatam seruari exorabat. At[3] rex ad se conuersus obstupuit prodigio, erubuit impudentie; voluebat tremens quid portenderet hec scissura, intellexitque prudens quod a suo appetitu sponsa domini esset abscisa. Et accedens ad eam, dixit: 'Noli timere, virgo deo accepta: promitto enim omnia videnti deo quod vltra nequaquam molestus ero proposito tuo, sed potius adiutorem et defensorem me prebebo.' Dedit igitur rex Edgarus sancte Wlfhilde monasterium virginum de Berkingo et ad antiquum statum regali munificentia reparauit; ipsiusque Wlfhild[is][4] nobile patrimonium ad viginti quatuor villarum mansionem auxit, predictoque monasterio de Berkingo tam numero sacrarum virginum quam copia rerum coequauit. Est autem Hortoñ, vbi virgo sancta de suo patrimonio[5] cenobium construxit, quasi vmbilicus tetrapolis, a quatuor vrbibus spaciis equalibus, id est fere duodecim miliaribus, distans, in quibus concessit illi rex quinque domos in singulis vnamque[6] ecclesiam, scil. Wilton, Scaftisbyry, Warram, Hamptoñ. Cum autem beata Wlfhildis excusso seculi iugo federe virginitatis perpetuo Christo consecraretur, ecce columba niue candidior de celo lapsa super verticem eius consedisse visa est. Quadam autem die intrauit mulier quedam, paruulum in humeris gestans infantem, sed cecum. Quem cum virgo sancta conspiceret, crucis signum super oculos infantis posuit: et puer apertis oculis clare vidit. Cum autem episcopum wintoniensem sanctum Ethelwoldum ad prandium inuitaret, ministri de potus insufficientia conquesti sunt. Illa diues et potens in plenitudine dilectionis dei, omnia se posse et habere credebat pre leticia hospitalitatis tam sancte. At ministri, humana curiositate ducti, imposita virga liquoris quantitatem notant, vt tali ministrarent industria potum qua ante tempus non deficeret. Cumque tota die predictus liquor incessanter pro-

[1] E. circumscisa. [2] so T.; om. in E. [3] E. Ac. [4] T. E. Wlfhilde.
[5] E. patrimonio suo. [6] E. in singulisque unam.

Dominican College

pinaretur conuiuis, nunquam inferius subsedit prefixo signo virge, sed semper in priori plenitudine perseuerauit. Quodque pincerne timuerant conuiuis defecturum, saciatis omnibus ad integrum est repertum. Cum autem virgo sancta longo tempore monasteria de Hortoñ et Berkingo equali sororum numero rexisset, inuida presbiterorum ambitio in Berkingo contra eam surrexit, et apud reginam Alftrudem, Ethelredi regis matrem, quatinus eiicerentur et ipsi ecclesie preficerentur egerunt. Que cum, sororibus eiulantibus, in limine ecclesie subsisteret, dixit clara voce: 'Nolite[1] flere, sed sicut tradidi vobis, sic state in domino, charissime: predico vobis in domino quia in hac die et hac ipsa ianua qua nunc egredior, post viginti annos de reliquo vobiscum permansura huc regrediar.' Sic suas orphanas consolata, ad hereditarium monasterium de Hortoñ pergens, nec cessabat tam absentes quam presentes sorores ad superna gaudia secum trahere, atque has alloquiis et exemplis, illas mandatis et nunciis crebro accendere. Alftrudis vero regina, cum relictum ipsius locum quasi propriam possessionem frequentasset, primo clade et morte iumentorum, deinde hominum suorum, et instante demum tempore a sancta virgine prophetice predicto letali ibidem egritudine corripitur. Cui beata Ethelburga per visum apparuit miserabili cultu, veste pannosa et conscissa, facie egra, attonitamque hac deformitatis iniuria sic minaci increpat sententia: 'Vides, inquit, ignominiam deiectionis mee, ornamentum glorie mee? Wlfhildam sanctam eiecisti et in eius diuturna eiectione hoc erumpnoso habitu me squalere fecisti. Et qua fronte sanctum occupas locum quem mecum desolasti? Dico tibi quod nisi quantocius illam reuocaueris, ex hac infirmitate tua nequaquam sanaberis, sed morte morieris.' Sicque sancta Wlfhildis reuocatur: et eadem die et eadem[2] ianua vt predixerat excipitur; et regina a sua egritudine liberatur. Virgo sancta septem annis post hec vixit, et vtrumque monasterium vnica mater strenue rexit, amor et dulcedo, sinus et gestatorium[3] omnium, vita angelica et dilectione omnium corda ad superna gaudia trahens: predixitque se in vigilia sancti Ethelwoldi episcopi, hoc est quinto idus septembris, ab hac luce ad dominum migraturam. Sepulta vero in monasterio de Berkingo, post triginta annos integra et incorrupta cum vestibus reperta est. Mulier quedam oculorum et gressuum carens auxilio, in oratorio virginis sancte de Hortoñ lumen et visum recepit; et vt reliquum salutis apud Berkingum reciperet admonita, cum illuc cum difficultate quasi repens venisset, sanitate recepta cum leticia rediit. Amabilis Wlfhildis in vrbe Londoniarum propter externos exercitus cum suo grege morata, migrauit ad dominum. Cumque corpus ad monasterium suum de Berkingo deferretur, quidam, cui sancta mater ob

[1] T. Noli. [2] so T.; E. eademque. [3] E. gestatorum.

scelera sua infensa fuerat, inter ceteros manus feretro apposuit. Quod mox tanto radicatum est pondere, vt nulla posset multitudinis virtute moueri. Quod ipse sceleratus ab omnibus notatus[1] sibi imputans, abscessit cum tremore: statimque corpus mira asportabatur leuitate[2]. Vir ille ingemiscens et peccata sua confitens, ad funus accessit et cum aliis vsque ad monasterium illud detulit.

¶ *Narratio*[3].

Anno autem domini millesimo ducentesimo decimo (vt ait Vincentius) carbonarius quidam, pauper in seculo, sed diues in deo, religiosus et timens deum, ob hoc etiam familiaris erat cuidam comiti. Hic dum nocte quadam vigilaret et custodiret fossam suam carbonificam acriter incensam, ecce quedam femina nuda currens apparuit, et post eam eques quidam, equo nigro insidens, euaginato gladio velociter equitans vt fugientem apprehenderet mulierem. Que dum fugiens fossam circuiret, comprehensa est ab eo, et perfossa gladio, et statim quasi mortua effecta est. Quam ille proiecit in ignem, et exustam rursus extraxit, et posuit ante se super equum et abiit. Hec visio pluribus noctibus illi ostensa est. Quod cum comiti[4] sibi familiari narrasset; confessus, comes cum carbonario ad siluam iuit, et que predicta sunt vidit: et adiurauit equitem vt in nomine Christi staret, quis esset et cur sic faceret sibi diceret. Et ille: 'Ego sum vester ille miles, et hec est illa mulier nobilis, vxor talis militis, quem pro amore meo interfecit, vt licentius et frequentius meo concubitu frueretur. Et in hoc peccato mortui sumus, nisi quod, heu sero, in ipsa morte penituimus. Nunc tale tormentum patitur quod singulis noctibus a me, vt vidisti, gladio percussa comburitur. Tantum enim dolorem patitur in ictu gladii, quantum nullus vnquam in morte sua passus est; et in combustione multo maiorem. Equus super quem sedeo, diabolus est, qui nos ineffabili vexatione torquet.' 'Possetne vobis, ait comes, aliquis succurrere?' 'Posset, inquit, si vos faceretis in cunctis congregationibus que vobis subiecte sunt orare pro nobis, et a presbiteris missas celebrari, et a clericis psalmos decantari.' Hiis dictis euanuit.

[MS. Tib. adds[5]:

Cum enim in quodam die solempni Masticone[6] nobilis dominus[7], anno domini immediate supraposito, in proprio palacio resideret, multis militibus diuersi ordinis constipatus, repente ignotus homo equo insidens per hostium palacii ingressus, cunctis uidentibus et mirantibus usque ad ipsum peruenit, dicens ei: 'Surge et sequere me.' Qui inuisibili potencie non ualens resistere, surrexit et usque ad hostium domus processit, ubi equum paratum inuenit, quem iussus statim

[1] E. vocatus. [2] E. lenitate. [3] Ex Vinc. Bell. xxix. 120. [4] T. E. cuidam comiti. [5] Ex Vinc. Bell. ib. (from Petrus Cluniacensis). [6] VB. Mathiscone. [7] T. nobili domino.

ascendit et per aera uelocissimo cursu cunctis uidentibus ferri cepit, et miserabiliter clamans 'Succurrite ciues, succurrite,' totam ciuitatem commouit. Omnes autem eum currentem per aera conspexerunt quamdiu naturali oculorum acie potuerunt. Sicque tandem subtractus uisibus hominum, eternus demonum socius effectus est [1].]

¶ De sancto Wl[f]rico confessore [2].

BEatus Wlricus [3], de mediocri Anglorum gente originem ducens, in Contona [4], octo a Bristollia miliaribus distante [5] natus, alitus, et conuersatus est, vbi et sacerdotis officium per annos aliquot administrauit: canum et auium venationibus presbiter non abstinuit. Tandem apud Haselbergiam [6], ab Exonia [7] triginta miliaribus distantem, migrauit: vbi in cellula ecclesie contigua, nulla episcopi introductione, nulla benedictionis solempnitate, sed familiari spiritus sancti auctoritate, Christo se consepeliuit, multo ieiunio mortificabat membra sua, et vigiliarum labore vexabat, vt pellis vix ossibus hereret. Erat enim ei pro cibo delicatiori panis auenacius, et pulmentum de auena factum. Vinum et omne quod inebriare potest, nisi in precipuis solempnitatibus ob reuerentiam festi magis quam carnis refocillationem, non gustauit. Vigiliarum vero tam peruigil et indefessa assiduitas erat, vt insompnes prorsus duceret noctes, nisi cum naturalis interdum infirmitas perurgeret: et tunc non lecto [8] quidem, sed capite ad parietem reclinato, non tam capiebat sompnum [9] quam incipiebat; et continuo velut ad iniuriam factam euigilans [10], eo fortior quo recentior ad consueta redibat. Ceruical quoque de feni funibus intextum, capiti supponere consueuit. Cilicio primo ad carnem, deinde lorica vsus est. Noctibus vero in frigore et nuditate, in vas quoddam frigida aqua infusum descendebat, psalteriumque ex integro domino decantabat. Exiens vero de aqua loricam induit, et in hymnis et orationibus, cum crebris genuflectionibus, quod reliquum erat vigiliarum, deuotus et alacer [11] expendebat. Incentiua [12] carnis sue, cuius acerrimos stimulos patiebatur, in aquis vehementissimis mortificauit. Quadam enim nocte, dum ex more de aqua ascenderet, manu aquam excutiens, serpentem a femore dependentem inuenit.

[1] Ant. and Coll. in T.:

Auge nobis, Ihesu Christe, benedictionem gracie tue per merita Wlfhildis tue dilecte, per cuius caritatem tantum miraculum dignatus es declarare, ut omnibus hospitibus saciatis liquor priori plenitudine reperiretur. Preciosa angelorum gemma Wlfhi[l]da, pro nostris criminibus dominum interpella.

Deus castitatis amator et continencie conseruator, qui pro pudicicia tribuisti beate Wlfhilde sanctitatem, pro bonis operibus gloriam: concede nobis, quesumus, eius sanctis meritis, ut [T. ita] apertis ianuis regni celestis summo [T. summa] regi cum oleo leticie mereamur obuiare, per.

[2] Ed. in A. SS. Boll. 20 Febr. III. p. 231, from Capgr. and MS. Rub. Vallis. Abr. from the Vita by John of Ford, in MS. Cott. Faust. B. IV., Harl. 322 (an abridgement of which is the life by Math. Paris).

[3] Vit Wlfricus, Wlricus. [4] E. contana. [5] T. distans. [6] E. Halesbergiam. [7] E. oxonia. [8] B. tecto. [9] om. in T. [10] E. eiulans. [11] E. alacriter. [12] E. Incentina.

Expauit illico vir sanctus, et nihil moratus violenter arreptum in terram excussit: cumque diligentius ad lumen lucerne intuitus, capite truncatum aspexit, et se pre stupore rei geste mox in extasim soluit: a qua exsuscitatus, venenum omne quod tabidus ille anguis infuderat, multum eluctatus euomuit, et inflicti vulneris curam agens, sanitati post modicum restitutus est; cicatrices tamen vulnerum quibus dentes impresserat[1] vsque ad mortem non euasit. In colloquendo, personas potentum nullatenus accipiebat, sed vnumquemque puro nomine appellare contentus, maiorum titulis, vel iudicio vel simplicitate abstinebat; reges et principes ad eum venientes mendacis vocabuli [gloria][2] spolians,[3] tacite predicans[4] quoniam homines sunt. Cum autem lorice longitudo in diutina genuflectione sua eum impediret, militem huius rei conscium, cui primo seruierat, aduocat, de nimia lorice longitudine causatur, dicens: 'Forfices accipe et coram deo loricam rescinde.' Cumque ille obstupesceret, et velut delirantem respiceret, Wlricus forfices de domo militis allatas, filoque in anulos lorice inducto, quo finem rescisionis significauit, in fenestra coram ipso posuit, dicens: 'Constans esto, et uide[5] ne trepides; ecce ego vado orare dominum meum.' Instans ergo miles inscisioni putabat non ferrum, sed vestem incidere, tanta facilitate in ferro non ferreo forfices cucurrerunt. Cum autem demonium a corpore obsesso eiecisset, precepit sanato, et qui cum eo erant, ne miraculum cuiquam reuelarent. Egressis illis, vir dei sompno corripitur diuinitus, videtque personam vultu venerabilem assistentem sibi atque dicentem: 'Quid hoc facere voluisti, vt prohiberes hominibus illis narrare opera dei? Caue ne id vltra feceris, sed virtutes domini, quas facturus est in manu tua, et ipse confidenter loquere et aliis vt loquantur iniunge.' Euigilans ergo vir dei misit puerum post viros qui diceret: 'De quibus mandaui vobis, ne sileatis, sed gloriam dei quam vidistis palam predicate.' Deinceps enim vir dei opera que per eum dominus faciebat, religiosis duntaxat auribus humiliter enarrabat. [6] Wlrico itaque medio noctis silentio orationi vacante, conueniunt ad eum spiritus maligni in multitudine graui, et velut iudicio rem acturi vndique obsident innocentem. Conquirunt[7] inter se quidnam fieri oporteat de homine qui ipsis ita totis viribus aduersetur: consilia dissipat, diripit spolia, que edificant destruit, que destruunt edificat.

[1] Vit. se impresserant. [2] om. [3] so T.; E. et t. [4] T. E. predicens. [5] E. inde.

[6] MS. T. adds here:—Vir dei duos mutos sibi adductos prece ad dominum fusa sanauit, et (quendam qui) diabolo propter diuitias (homagium fecerat), a faucibus iniqui eripuit et (reformavit). Denique cum a latere uiri dei ante percepcionem uiuifici sacramenti nullatenus recedere acquiesceret, quo se Christo incorporatum iam dubitare non posset, accedens ad communionem sanctam et interrogatus si crederet, 'Vere, inquit, credo, quia ecce corpus Christi et sanguinem in specie carnis et sanguinis peccator aspicio.' Cui ille: 'Deo gracias, set iam simul oremus ut in priori specie illud percipere merearis'; et factum est ita. (The same story is, however, repeated next page.)

[7] T. Conquerunt.

Nec mora, iudicum[1] iniquorum vnanimi sententia diffinitum est: quia hic homo reus est mortis, dignasque pro meritis debeat dare penas. Iniectis itaque manibus capitur, trahitur, primum in ecclesiam deinde per ecclesiam, sine miseratione vlla tractatur. Cumque foras ecclesiam iam esset eiiciendus, aduenies virgo reuerentissima, et interrogans cur ita innocentem vexare presumerent, manica explicata omnes pariter euentilauit. Fecerat enim die illo beate cuiusdam virginis in missa commemorationem, et ipsa erat que iudicauit causam eius de manu inimicorum suorum. Alio quoque tempore infirmante viro dei introiuit inimicus, et terribilibus oculis intuens eum, baculum quem manu tenebat leuauit in altum eumque tertio valide percussit. Ad que[2] nihil motus seruus dei respondit: 'Iam nunc recede, maligne, quoniam ampliorem in me potestatem non habes; sed nec hanc omnino haberes, nisi tibi desuper data fuisset.' Tentus est enim semel inimicus a viro dei et diutius flagellatus: nec prius vt abire posset obtinuit, quam se vltra non reuersurum ad eum, iureiurando promitteret. In aquilonaribus Anglie partibus homo quidam erat valde miserabilis, qui fortunam paupertatis non eque ferens, diabolo manum[3] dedit et homagium ei fecit. Tandem miser ille intelligens reatum, penitere cepit. Et cum cuidam casum suum et propositum reuelasset, astitit ei diabolus in effigie consueta et[4] nota, illum proditionis arguens; castigatione crudeli se ipsum punire minatur, si quid tale decetero attemptare presumeret. At homo ille videns quod inimicus eius cogitationes cordis sui non cognouisset nisi eas prius per verbum vel signum prodidisset, dissimulato aliquamdiu penitentie sue proposito ad Wlricum dei amicum iter tandem arripuit, et ad vadum quoddam illius fluuioli quod extra Heselbergiam[5] situm est, accessit[6]. Et cum vadum fuisset ingressus, superuenit diabolus ira magna succensus, et manus in hominem immittens, infremuit, et ait: 'Quid est, inquit, proditor, quod facere voluisti? Moliris pactum nostrum dissoluere, sed frustra; quia proditionis, qua olim deo renunciasti, et qua nunc mihi renunciare cogitas, soluere penas modo debes, quia iam miserabiliter submergeris.' Et tenens eum diabolus, ita immobilem fecit[7], quod nec procedere nec in latus aliquod valuit declinare. Dum hec agerentur in flumine, vir dei Wlricus[8] angelo reuelante cuncta cognoscens, vocauit ad se presbiterum[9], et ait: 'Accelera, inquit, et assumpta cruce cum aqua benedicta, occurre homini quem diabolus in vado quod extra villam est, captiuum tenet, et aqua benedicta aspersum adduces ad me.' At ille pergens inuenit hominem ita in aqua immobiliter fixum quod de loco se mouere non potuit. Quem aqua benedicta perfundens, predonem fugauit, et ad virum dei hominem

[1] E. iudicium. [2] T. E. quem. [3] T. manum; E. manus. [4] cons. et *al.* om. [5] E. Helesbergiam. [6] E. acessit. [7] *al.* Vita. [8] T. uulricus. [9] sc. Brictricum.

illum adduxit. Apprehendit autem seruus dei manum hominis dexteram, et diabolus sinistram tenens omni virtute trahebat. Wlricus enim vna manu captiuum tenuit, et altera aqua[m] benedicta[m] contra faciem inimici aspergens, ipsum valde confusum ab edibus effugauit. Vir autem ille penitens et puram confessionem faciens, corpus domini sibi oblatum in specie carnis vidit et interrogatus si ex toto corde crederet, 'Credo, inquit, domine, quia corpus et sanguinem domini mei in manibus tuis sub specie carnis ego miser et peccator aspicio.' Cui Wlricus ait: 'Deo gratias; sed nunc simul oremus vt in specie consueta illud recipere merearis.' Sicque communicatum hominem, et in fide[1] confirmatum, dimisit in pace. Data est autem potestas inimico in carnem eius, percussitque eum in brachiis vlcere pessimo, adeo vt caro humerotenus putrefacta scateret vermibus et sanie ebulliente deflueret. Vir autem dei iudicium celeste cum gratiarum actione amplexatus, patienter sustinuit, letatusque est in hiis, sicut qui inuenit spolia multa. Et post paululum conualescens, leuiatan igne quodam inuisibili et, vt creditur, infernali carnem eius inflammauit, vt supra omnem humanum modum flamme insanientis incendio se cremari diceret, et velut in fauillas et cinerem mox resoluendus sacerdotem vocaret, et animam deo commendaret. Post aliquot tamen horas inuisibilis carnifex mutauit tormentum, sed vir dei patientiam non mutauit: Subito enim, sicut aduenerat, [flamma][2] ablata est, et confestim a quodam gelidissimo frigore comprehensus totus rigescere et congelescere cepit, et huius hore exitum cum patientia prestolari. In hac suppliciorum permutatione caro in manus impii data a mane vsque ad vesperam desudauit, quandam futuri iudicii dans metuentibus deum significationem, in quo ab aquis nimiis[3] transitur in calorem nimium. Cumque illucesceret paschalis solempnitatis nox sacra, immundus spiritus viro dei sompnum incussit, et per sompnium de carnis lubrico triumphauit. Mane facto, omni ecclesia congregata, de cella sua ad publicum processit, aperiensque os suum dimisit aduersum se eloquium suum. 'Sic, ait, misero huic Wlrico, sic hac sacratissima nocte peccatis meis exigentibus accidit, sic inimicus meus mihi infelici illusit. Peccatum meum deo et vobis confiteor, veniam a deo vobis intercedentibus deprecor, de iniuria hac coram deo et vobis conqueror, qua me inimicus meus in tam reuerenda festiuitate dehonestare non pepercit.' Ita humilitatis sectator[4] fortis, non parcens aliquatenus pudori suo, non astantium vericundie, non denique estimationi sanctitatis que de eo longe lateque spirabat. Hiis dictis in cellam regressus est. Vir namque dei frigore habundantiori plerumque rigescebat, adeo vt homo quidam de finibus Bristollie per visionem admonitus, opertorium nouum de vulpinis pellibus, quo se operuerat, trans-

[1] E. fine. [2] om. [3] E. niuis; T. nimiis. [4] E. sectatorum.

mitteret. Ait enim illi in visione dominus: 'Seruus meus Wlricus frigore cruciatur, tu vero calide hic foueris: surge quantotius et opertorium hoc cum festinatione transmitte.' Et ita factum est. Cum semel in cella sedens capam a mure corrosam videret, ait: 'Pereat mus, qui ita capam meam ledere presumpsit.' Et ecce dicto citius mus de muro prosiliens corruit ad pedes eius et mortuus est. Vir ergo dei presbiterum vocauit, et quia murem incaute maledictionis verbo interfecisset humiliter confessus est. Cui presbiter: 'Vtinam, ait, simili anathemate omnes mures regionis huius perdere digneris.' 'Absit, inquit ille, hoc a me, nimis hac vna vice in hoc vno erratum est. Vere, si non id displicere crederem domino meo, pro isto etiam orarem vt pristine restitueretur vite.' Lumen lucerne sue bis extinctum, diuinitus accensum est. Accidit autem vt presbiter quidam Osbernus in ipso noctis crepusculo, quiescendi gratia, ad ecclesiam festinaret, et ecce vidit ecclesiam immenso lumine chorus-cantem [1], vt a facie flamme per fenestras erumpentis cimiterium omne resplenderet. Expauit homo, et substitit et psalmos decantauit. Post paululum vero angelus in flamma ignis per fenestram egressus est. Mane facto vocauit eum vir dei, et ait: 'Quenam illa visio fuit quam sero vidisti, Osberne?' Cui ille: 'Flammam [2] ignis non modici, ait, intra ecclesiam vidi.' 'Bene, inquit, dixisti, quia dominus meus affuit et consolatus est seruum suum; et consolationes huiusmodi [frequenter] subministrat. Proinde oraui dominum meum vt aperiret oculos tuos ad contemplandum hec, vixque id impetrare valui. Sed et hoc noui quia hos et hos psalmos interim decantaueris et extra cimiterium visionis expectaueris finem.' Presbitero quodam in mensa assistente sibi, aqua in vinum conuersa est. Alia vice aqua ab ipso populo oblata, vini saporem induit, colore pristino nullatenus mutato. Aqua ab ipso benedicta in vinum conuertitur, et quasi ad mortem egrota inde sumens continuo sanatur. Nobilis domina [3] cum omni comitatu suo eum visitans, solo pane a sancto benedicto dei seruo [4] laute [5] refecta est; ex cuius reliquiis turba virorum non modica pre foribus astans, eum videre et alloqui et ab eo benedici querens, saciatur. Quadragenarium, vt ferebatur, numerum excesserunt. Virgo quedam vsque ad mortem infirmata, de sompno vigilans, ait matri sue: 'Ecce, gratia dei et sancti Wlrici [6] famuli dei sanata sum. Vt enim in sompnis visum est mihi, veni ad eum, et susceptam ab eo aquam benedictam in cipho eo offerente gustaui, et visceribus meis et corpori meo salus effecta est. Et vt facilius credas, talis et talis est vir, et talis et talis est locus.' Mulier quedam [7] inter cetera munuscula, tres panes [de] [8] singulis furnaturis viro dei mittere solebat, et die quadam per quendam puerorum suorum tres panes

[1] E. choruschantem. [2] E. Flamma. [3] sc. Bence et filius eius Aluredus de Lincolnia. [4] E. dei seruo benedicto. [5] E. laude. [6] T. Wlfrici. [7] sc. Emelina, mater Willelmi de Chinnoc. [8] so T.; om. in E.

ei destinauit. Qui (quidem)[1] vnum sibi reseruans (panem)[1] et abscondens, duos sancto obtulit; et reuersus est, productumque panem de latibulo incidere molichatur. Sed nil proficiens panem omnino inuiolabilem comprobauit: a fure enim se pollui vel ledi panis non sustinuit, sed pro pane lapidem in manus preuaricatoris exhibuit[2]. Quo viso ad virum dei rediens et rem gestam aperiens, misericordiam implorauit. Venia autem puero data, panem benedixit, et facilitate summa frangens, de pane calido et vaporante comedit, et puero dans portionem, edificatum cum benedictione remisit. Cum quidam panem viro sancto missum in dom[um][3] pauperis cuiusdam hospitandi gratia deferens diuerteret, et paruulis panem petentibus nullum porrigente[m][4] videret, de sacculo[5] productum panem incidere parat. Et panem quidem incidi[6] sensit, sed quia opus misericordie citra contraque obedientiam presumebatur, sanguine manare cepit; quem cum tremore et timore ad sanctum detulit. Auditis autem que acciderant, sanctus ait: 'Fili, non debuisti etiam pium opus contra mandatum presumere.' Acceptumque panem benedixit, et a sanguine emundans, ait: 'Accipe nunc panem, et defer paruulis illis quibus preparasti eum.' Et ita factum est. Monachus quidam de Monteacuto celerarius, puero viri dei Wlrici[7] infestus, et iniuriis afficiens, quadam vice accessit ad domum serui dei. Cui Wlricus[8] ait: 'Tu, inquit, hactenus ambulasti mihi ex aduerso et exacerbasti spiritum meum: et nunc iudicet deus inter me et te.' Ille vero exiens et paruipendens, monita eius et verba contempnere non metuit. Consueuerant[9] enim monachi Wlrico portionem quandam victus singulis septimanis ex consuetudine mittere, quam celerarius ille auferri procurauit. Et audiens Wlricus[8] cor eius induratum, ait: 'Auferat ei, inquit, hodie deus victum suum, qui meum abstulit mihi.' Eadem enim[10] die monachus ille ab aquis interceptus et submersus[11] vitam finiuit. Quidam magnus princeps[12] de domo regis Henrici, audita Wlrici[7] fama ait: 'Bene faceret rex si mitteret ad cellam illusoris huius ad accipiendas pecunias eius, quia fieri non potest vt multa sibi non thezaurizauerit, ad quem tam multi conueniunt.' Adhuc verba in ore eius erant, et ecce elisus in terram, ore ad aurem retorto, volutabatur spumans. Quo audito, rex habita occasione declinauit ad cellam serui dei, et studiose precibus eius se commendans, et pro milite, cuncta referens, supplicauit. 'Non imputo, inquit, ei peccatum hoc, et presto sum quicquid debuero facere.' Vnus itaque assistentium apprehensam Wlrici[7] manum egroti faciei applicuit: et statim reuersum est os eius in locum suum, et mente recepta sana, loquebatur recte magnificans deum. Dum sacris

[1] om. in T. [2] Vit. in manu p. se exh. [3] so T.; E. domo. [4] E porrigente. [5] T. saculo. [6] so T.; E. Et qu. incidi panem. Vit. Et panis qu. i. consensit. [7] T. Wlfrici. [8] T. Wlfricus. [9] E. Consueuerunt. [10] Boll. vero. [11] E. submersis. [12] sc. Drogo de Munci.

assisteret misteriis, dominicaque oratione completa[1] (atque perfecta)[2], suborta est ei hesitatio si aquam calici infudisset. Multa in animo reuoluens, toto corde tandem ad deum conuersus cum cordis puritate deum exorauit. Completa oratione, vidit in calice[3] roseum sanguinem velut agni immaculati Ihesu Christi, vsque ad labium calicis redundantem; perceptoque sacramento [corporis] sanguinem deinde[4] bibit vue meracissimum. Seruus dei Wlricus[5] cuidam muto in sompnis apparens, digito ori eius imposito, os eius aperuit, et linguam reserauit. Latroni oculorum effossione punito oculos nouos et visum sua prece restituit. Mulier quedam[6] duos pueros cum panibus, pastellis, et duobus vasis vini ad Wlricum misit. Qui portionem aliquam ex singulis reseruantes apud pauperem quendam in via deposuerunt. Illis igitur ad ianuam pulsantibus, vocato Wlricus puero ait: 'Vade et suscipe de manu hominum illorum ea que tulerunt, sed eos ad me introire non permittas; sed ne de hiis gustent que defraudauerunt et reposuerunt sibi, sub mortis interminatione eos prohibe.' Quo audito cum multa confusione reuersi, vinum[7] plenum genimine ranarum venenatarum inuenerunt, et quod de pane et pastillis reseruauerant, plenum scaturigine vermium viderunt. Percutientes ergo pectora sua, ad virum dei qualia erant celerius detulerunt. Quibus confessa culpa sua veniam consequentibus, Wlricus panem et vinum sua benedictione forme priori restituit, et vt pauperi, apud quem ea deposuerant, illibata reportarent imperauit. Wlrico[8] enim nocturnis vigiliis fatigato, cum membra sopori daret, vidit in sompnis quasi tres pueros vltra altare suum suspensos, et laqueis quibus astricti erant iam quasi suffocandos. Quorum vnus ad illum conuersus ait: 'O domine mi Wlrice[9], cur pigritaris surgere[10] et eruere nos?' Cui cum vir sanctus, non inuenire se diceret quonam modo id faceret, respondit: 'Ascende super altare hoc, et stans mitte manum tuam. et fer opem morituris.' Qui continuo acquiescens manu extenta a morte eos et suspendio liberauit. Dum tractaret secum vigilans[11] de visione hac, venerunt ad eum presbiteri tres, pro peccatis penitentes et gementes, et ab eo peccatorum veniam et consilii sanioris formam expetentes reportabant[12]. Quomodo autem hii tres vsque ad tempus illud vltra altare pependerunt, dum sanctis non sancte assisterent, aduerti facile est. Ordinabat rex Anglorum Henricus primus profectionem in partes transmarinas, et cum hoc famulus dei audisset, ait: 'Ibit quidem, sed non redibit, sed, et si redierit, non totus tamen nec integer.' Nunciatum est hoc regi, et dure accepit rex sermonem hunc, et misit ad eum qui quereret si verbi huius auctor ipse fuisset. 'Si dixi, ait, non me penitet, quia ex me non sum

[1] T. complena. [2] atque perf. om. in T. [3] T. calicem. [4] E. denique. [5] T. uulfricus. [6] sc. Johanna uxor Durandi de Mohun, domini de Haselbergia soror. Boll. Miles quidam. [7] E. v. enim. [8] T. Wlfrico. [9] T. Wlfrice. [10] E. suggerere. [11] E. vigilians. [12] Vit. et accipientes.

loquutus.' Itaque rege profecto, et aliquanto tempore elapso, vocauit seruus dei dominum ville eiusdem, et ait: 'Rex hesterna die mortuus est: tu vide quid agas.' Porro milite obstupescente, et imperante silentium; 'Mihi, ait, silere perfacile est, sed in proximo est vt omnes loquantur.' Denique quia misericordiam rex consequuturus esset a domino, eo quod paci et iusticie militasset in vita sua, et domum de Radinges regali munificentia edificasset, prophetauit. Venit ad virum dei comes Stephanus, qui postea regnauit in Anglia et iam tunc, cum regis cognatus esset, multis et magnis possessionibus in Anglia habundabat. Venit autem et frater eius Henricus Wintoniensis episcopus cum eo. Respiciens itaque in comitem vir sanctus ait: 'Salue rex.' Illis ad alterutrum respicientibus, et opinantibus ne forte vir sanctus humane opinionis falleretur incerto: 'Tibi dico, [ait][1], o Stephane, salue rex. Tradidit enim deus regnum Anglie in manu tua: tu paci et equitati[2] intendere stude, et ecclesiam dei tueri et honorificare curato.' Igitur cum Stephanus regnaret, et aliis regnum requirentibus de manu eius, pax omnino de Anglia exturbata fuit[3]. Quam quidem turbationem vir sanctus prophetauerat; et ait eiusdem ville domino: 'Rex Stephanus crastina die dabitur in manus inimicorum suorum, et captiuus ducetur; liberabitur tamen, et qui captiuat eum consequenter de eodem calice bibet.' Postremo venienti ad eum regi[4] Stephano, post obiurgationes plurimas et exhortationes salutiferas, hoc inter cetera repromisit quod eum oporteret regnare[5] quoad viueret; regemque cuiusdam peccati sui, quod etiam nominetenus expressit, penitentiam agere exhortatus est, adiiciens [quia][6] quousque peniteret impossibile erat firmari solium eius et pacem rebus dari. Quibus auditis rex vbertim flere cepit, et peccati eiusdem confessionem ex animo faciens, percutienti et conspuenti prophete maxillam dedit. Cum enim annus ei vel eo amplius adhuc superesset ad vitam, sedenti quadam die in cella sua, lorica ab humeris diuinitus dissuta ad genua subito concidit, et statim loricam ad scapulas reducens corrigiis eam fortioribus recollegit. Et ecce corpus eius omne vesicis turgescere cepit, et caro paulo ante ferrea ex spiritu dei, iam ex seipsa caro inuenta est. Sic lorica simul et caro, simili presagio militie sue tempus impletum presignabant. [7]Dixitque Osberno presbitero: 'Hora, inquit, vocationis mee est[8], et die sabbati in vespere paratum me esse oportet. Ego enim ad dominum meum vado cui seruiui, et dies que nunc instat, dies illa est quam olim desideraui.' Igitur hora qua predixerat, iunctis directisque in celum manibus, migrauit ad dominum, anno gratie millesimo centesimo quinquagesimo quarto, decimo kalendis marcii.

[1] om. in E. [2] E. equitate. [3] Vit. fuisset. [4] E. rege. [5] E. regnari. [6] so T., om. in E. [7] Supply: Diebus suis iam propemodum exactis, dixit. [8] om. in T.

[Ms. Tib. adds: *Narratio.*

[1]Quidam iuuenis intrauit monasterium et cepit cotidie ieiunare post hec biduo abstinere, similiter autem semel in ebdomada reficere. Qui tandem cum difficultate, ut ad heremum pergeret, ab abbate uix optinuit: et ecce aquila ueniens percussit eum alis suis et procul recedens sedit in terram, et secutus est eam usque ad interiora deserti; et inuento fonte et tribus arboribus palmarum, fecit ibi annos sex neminem uidens. Et uenit ad eum diabolus in similitudine cuiusdam abbatis senioris. Quem uidens frater, procidit se in oracione, et surrexit. Et dicit ei diabolus: 'Oremus iterum, frater.' Et surgens[2], demon ait: 'Ecce anni sunt undecim quod de monasterio non exiui nisi hodie, quando cognoui quod hic habitares: et cogitaui (mecum) dicens: Vadam ad hominem istum dei et cum eo conferam quid[3] prodest saluti anime nostre. Et hoc dico, frater, quia nichil proficimus sedentes in cellis nostris, quia corpus et sanguinem Christi non percipimus; et timeo ne efficiamur exteri ab eo, si nos ab hoc misterio elongauerimus. Eamus igitur ad proximam ecclesiam et corpus Christi accipiamus, et reuertamur.' Et egressi ad ecclesiam, cum orassent, surrexit ab oracione: et socium non inuenit. Et eo quesito, nec inuento, ait: 'Vide cum qua argucia diabolus me eiecit de cella mea; set tamen ad bonum opus ueni.' Et percepto sacramento, rediit ad cellam suam. Et ecce iterum diabolus uenit in similitudine cuiusdam iuuenis, et cepit eum respicere a summo capite usque ad pedes, et dicere: 'Ipse est iste? non est hic,' et cepit eum considerare. Et dixit ei frater: 'Quare me sic respicis?' Et ille: 'Puto, non me cognoscis: tamen post tantum tempus quomodo me habes cognoscere? (Ego) sum uicini patris tui filius. Nonne dictus est pater tuus sic, et mater sic uocatur, et soror tua sic, et tu sic non uocaris? Mater tua et soror ante tres annos mortue sunt; pater tuus modo defunctus est, et te fecit heredem, dicens: "Cui habeo dimittere substanciam meam nisi filio meo uiro sancto? Veniat ergo et distrahat omnia bona mea et erroget ea pauperibus pro anima mea et sua." Et requisierunt te et non inuenerunt. Ego autem ex occasione propter quoddam opus hic ueniens, cognoui te. Vnde non facias moras, set ueni et fac uoluntatem patris tui.' Et respondit: 'Non necesse habeo reuerti ad seculum.' Demon ait: 'Si non ueneris, et deperierit substancia illa, in conspectu dei reddes racionem. Veni et erroges eam egenis, et post hec reuertaris in cellam tuam.' Cum autem post multa uerba iter arriperet usque ad ciuitatem, alius reliquit eum. Et uoluit frater ingredi domum patris sui tanquam defuncti: inuenit patrem suum de domo egredientem, et dicentem ei: 'Quis es tu?' Et confusus ille et turbatus ait: 'Ego sum filius tuus.' Et ait pater: 'Vt quid re-

[1] Cf. Vit. Patr. p. 897. [2] VP. surgentes. [3] VP. quod.

uersus es?' Erubescebat ei dicere quod uerum erat, set dixit: 'Caritas tua fecit me reuerti, quia desiderabam te uidere,' et remansit ibi. Et post paululum in fornicacionem cecidit, et peniten[ciam] non agens in seculo remansit.]

¶ De sancto Wlsino episcopo et confessore [1].

SAnctum enim Wlsinum claris natalibus Londoniis natum, et a parentibus diligenter educatum, in puerilem florem prouectum domino Ihesu Christo parentes statuunt offerendum. Lucet enim sub ipsius vrbis menibus sancti Petri cenobium, nunc Westmonasterium dictum, in quo eum monachum factum perpetuo tradunt domino famulandum. Excursa autem pueritia ad gradum sacerdotalem susceptus, maturo euo et moribus clarum sanctitatis speculum effulsit. Contra humani generis inimicum vigiliis decertabat et orationibus; corpus ieiuniis castigans, cupiditates seculi celestibus desideriis contempsit, et omnes animi motus et corporis omni vigilantia et cura seruauit. Humilitate deiectus, fraterna seruitute deuotus, charitate repletus, lectionibus non solum insistere, sed etiam lecta confratribus exponere, piaque exhortatione ad omnem virtutem eos accendere et Christo lucrifacere consueuit. Fauore tandem sancti Dunstani episcopi rex Edgarus Wlsinum prefecit eidem monasterio. Quantum enim pro salute multorum inuigilauerit et contra dominici gregis aduersarium insurrexerit, quale exemplum doctrine sue et vite omnibus [2] exhibuerit, quis digne explicare sufficit? Rex tandem Ethelredus, Edgari filius, ecclesie scierburnensi, fauore populi et electione cleri, eum prefici fecit in pastorem. Erat enim refugium pauperum, oculus cecorum, pes debilium, baculus infirmorum, cibus esurientium, vestis nudorum, et redemptio reorum. Quadragesimali tempore inclusus cenobiali claustro, et mundi tumultu exuto, simpliciter cum monachis mansit, ieiuniis, contemplationi et lachrimis vacans. In cena vero domini [quasi] [3] de cubiculo [domini] [4] egressus, crisma confecit, docens et benedicens populum; peracto paschali sacramento diocesim suam euangelizando visitauit. Solicitus vero illud antiquitus nobile [templum] [5] Schireburnie, non solum emendare, augmentare, prouehere studuit, verum etiam perpetua pace stabilire. Eterni namque anathematis mucrone percussit omnem lupum ipsius domus inimicum ouile Christi lacerantem, vexantem, aut dispergentem. Quinto [6] vero episcopatus sui anno, exacto boni dispensatoris ministerio, decidit in languorem; et cum eo miles quidam suus nomine Egelwi[n]us, sibi semper fidissimus. Is audita domini sui infirmitate, dolore intrinsecus tactus nuncium mittit qui querat

[1] Ed. in Act. SS. Boll. 8 Jan. I. p. 547. Abridged from the Vita of which another abridgment is preserved in MS. Lansd. 436, f. 48. [2] L. doct. sue scipsum. [3] so T.; om. in E. [4] so L.; om. in T. E. [5] E. triumphum. [6] In L. he is 25 years Bishop.

si nam[1] spes esset valitudinis sue. Episcopus enim ad nuncium dixit: 'Refer celerius, inquit, domino tuo vt dispositis rebus omni cura preparet se, quia cras mecum proficiscetur ad eterni regis curiam, vbi fidelis seruicii a communi domino recipiat mercedem suam.' Illo autem abeunte, episcopus presentes fratres tali voce affari cepit: 'Hoc, charissimi mei, paterna charitate rogati[2] seruate [vt][3] hunc fidelem nostrum, ad deum mecum migraturum meum funus prestolando, mecum ad Schireburniam deferri et sepeliri faciatis; vt qui mihi deuotus in presenti vita semper fuit, in morte etiam et in pace assit perpetua.' Lugebat plurimum inter ceteros sacerdos quidam sancto presuli merito sanctitatis familiaris ac secretorum suorum conscius, nomine Wlricus. Cui sanctus episcopus compatiens, et quasi iam solutus et in celo positus fiducialiter loquens dixit: 'Noli flere, inquit, frater charissime, quia vado ad gaudium mei[4] domini vocantis me. Confide potius et crede quia hinc a duodecimo transitus mei anno ac deinceps, recordatus dominus bonitatis sue misericordias suas mecum miraculorum attestatione ostendet, plebem suam gratie sue reuelatione in me visitabit; vt sicut de transitu meo [modo] dolore affecti estis, ita tunc superno respectu gaudeatis.' Hiis dictis, eleuatis in celum oculis in admirabile beati Stephani erupit preconium dicens: 'Ecce video celos apertos et Ihesum stantem a dextris dei.' Et in hac voce, sexto Idus ianuarii, in manu domini efflauit spiritum suum.

¶ *Narratio.*

Circa hos dies heremita quidam, vir modestus et sanctus, non longe a purgatorio sancti Patricii in loco deserto in Hibernia degebat, in cuius horto omni fere nocte demones visibiliter conuenerunt et statim post solis occasum congregati placitum ibi tenuerunt, ante solis ortum inde recedentes; rationem ibi reddebant principi suo quid mali fecerant[5] decipiendo. Quorum confabulationes audiuit vir sanctus manifeste, et eorum figuras deformes visibiliter conspexit. Ad ostium cellule eius conuenerunt, sed quoniam intrare non poterant, nudas illi sepe mulieres ostenderunt. Sicque heremita ille per confabulationes eorum vitam illius regionis multorum hominum cognouit. Erat autem in patria illa sacerdos quidam sancte vite et honeste, qui quotidie mane surgens cimiterium circumiuit et pro animabus in cimiterio quiescentium septem psalmos deuotus cecinit; caste vixit, et bonis operibus ac sancte doctrine sollicite studium impendit. Demones in concilio[6] suo multociens conquesti sunt de eo quod a proposito nullus eorum ipsum flectere posset. Increpa[ba]t[7] satellites suos princeps eorum quod tam diu presbiter inflexibilis perstitisset. Et accedens vnus eorum dixit: 'Ego decipiam eum,

[1] L. quenam [2] E. rogate. [3] om. in E.; Lansd. quatinus. [4] E. domini mei. [5] T. fecerunt. [6] E. consilio. [7] E. increpat.

quia paraui ei mulierem per cuius pulchritudinem subicietur nobis. Sed hoc facere non potero nisi infra quindecim annos.' 'Si infra hunc terminum, ait magister, illum deciperes, magnam rem faceres.' Contigit autem eo tempore vt sacerdos mane cimiterium iuxta morem circumiens, infantulam iuxta crucem positam inueniret. Quam pietate motus accipiens, nutrici eam commendauit, et illam in filiam adoptans, litteras discere fecit. Cumque annos pubertatis attigisset, eius pulchritudine allectus in concupiscentia eius temptari cepit. Nocte sequenti postquam puella actionem presbitero concessisset, demones in horto heremite conuenientes magnum de consensu facto gaudium conceperunt. 'Ecce, inquit demon, presbiter quem per mulierem me decepturum dixeram; iam feci quod a virgine quam in filiam adoptauerat et sanctimonialem facere decreuerat, consensum stupri petens impetrauit, et cras hora meridiana opus nepharium ad effectum perducam.' Gratias ergo ei magister egit et viriliter ipsum fecisse dicebat. Die itaque crastina presbiter puellam vocans introduxit illam in cubiculum suum, et eam in lecto collocauit. Et stans ante lectum in temptatione positus, quid facturus esset cogitauit. Et tandem in se reuersus, quousque rediret puellam expectare iussit. Et ad ostium cubiculi diuertens, cultrum arripuit et propria membra virilia abscidens foras proiecit. 'Quid, inquit, putastis, demones, quod non intellexerim temptationes vestras? De perditione mea vel filie mee non gaudebitis, quia nec me nec ipsam habebitis.' Sequenti enim nocte cum diabolus interrogaret discipulum quid de presbitero actum fuisset, et ille rem gestam enarrasset, iussit magister vt demon ille grauiter flagellaretur: et sic conuentus soluitur spirituum immundorum. Sacerdos autem puellam quam nutrierat, deo seruituram sanctimonialibus commendauit[1].

¶ De sancto Wlstano episcopo et confessore[2].

AMabilis deo Wlstanus in prouincia warewicensi oriundus, et in monasterio de Burgo litteris et officiis ecclesiasticis instructus, [3]missam morose cantabat, aliasque orationes adiiciens, solis fidelium oblationibus contentus erat. Hic virgo existens, superflui potus semper expers, esui carnium indulsit; quibus tamen spernendis occasio talis fuit: Die quadam cum ad placitum quoddam exiturus, missa celebrata cibum sumere statuit, apposita igni auca, nidor aduste carnis nares celebrantis oppleuit, odor mentem aduocauit[4]. Sed

[1] Of the Ant. in T., only a few words are readable:
. . . . regis . . . . conciuis celes . . . deuot . . . ipsum pos . . wlsinum . . . sublimas . . . na ass . . interce . . . . reamur.
[2] Ed. in A. SS. Boll. Jan. II. p. 670 and Series; compiled from the Vita by Will. Malm. in MS. Claud A.V., ed. partly in Wharton ii. 239–270 and Mabillon VI. ii 836, and its abridgment in MS. Harl. 322, and from Will. Malm. Gesta Pont. IV, Florentius Wigorn., Aelred Vita S. Edwardi, and the liber Mirac. in MS. Dunelm. B. IV. [3] Cf. W. M. Pont. [4] Boll. auocauit.

cum diu reluctans, cogitationem auertere non posset, iuramentum ad sacram[enta] [1] que tractabat fecit, nullo se amplius pacto id genus cibi comessurum. Completa vero missa, impransus ad negotium discessit. Seculo tandem relicto, in monasterio wigorniensi, quo pater suus seruierat, monachus effectus, per omnia pene loci officia gradiens ad prioratum ascendit. Ieiuniis, vigiliis, et orationibus iugiter indulsit; super scamnum in ecclesia, libro in quo orabat capiti supposito, dormire consueuit. Nocte enim quadam ante altare in ecclesia orans, demonem, ad luctam eum importune prouocantem, quamuis [2] passione fatigatus ter complectens prostrauit. Apparuit autem illi in forma seruientis cuiusdam de curia, quem postmodum quotiens Wlstanus videret expalluit, ad cetera semper timore vacuus. Affirmabat enim se nescire quid esset timor, [qui] [3] pro fractura pontis equum nunquam descendit [4], quin etiam in summitate fabricarum angustarum securus incederet. [5] Cum matrona quedam pulcherrima, nobilis ac diues, in concupiscentiam eius insano amore ac illicito decepta in tantum vexaretur vt temptationi resistere non valeret, desiderium suum ei aperit, suspirando rogat et orat vt cubile suum, paululum rigore proposito [6] inflexo [7], dignaretur. Ille vero vocem funestam vlterius non ferens, sed sermone loquentis interrupto, et facto fronti crucis signaculo dixit: 'Fuge, inquit, fomes lasciuie, mortis filia, vas sathane'; alapamque muliercule tanto nisu impegit [8] quod crepitus illise palme circumquaque audita fuit. Sicque alter Ioseph muliebrem lasciuiam animo respuens, manu compescebat. Solebat autem sedula deuotione omni dominica populo verbum dei predicare: quem frater quidam [9] increpans, solius asseruit esse pontificis predicare, monacho silentium et claustrum competere. Cui sanctus respondit: 'Verbum dei non est alligatum, nihilque deo gratius quam Christum annunciare populumque ab errore vie sue reuocare'; ideoque se non omissurum. Nocte sequente frater ille ad tribunal ignoti iudicis in visione ductus, et cur seruum suum obiurgasset redargutus, in pauimentum iussus est sterni et cedi. Lachrime enim in maxillis, et liuores euidenter in scapulis euigilantis apparuerunt. Cuius calamitate motus vir dei benedictionem ei dedit, et statim sanitas ei rediit omneque doloris vestigium conquieuit. Cum quidam de campanili preceps rueret, Wlstanus eminus stans et intuens condoluit et signum crucis opposuit: casusque non solum [corpus] [10] ruentis non attriuit, sed nec [11] animum, frigente sanguine, vt solet, ebetauit. Surrexit incolumis, sue reputans temeritati quod cecidit, et Wlstani sanctitati quod euasit. Tribus in ebdomada diebus omnis cibi abstinens, perpetuo linguam cohibuit silentio: reliquis tribus porros vel caules

[1] T. E. sacram. [2] T. E. quamuis illum. [3] om. in T. E. [4] W. M. descenderit. [5] Cf. Vita and H. [6] Vit. prepositi, H. propositi. [7] so Vit.; Boll. rig. postposito ingredi. [8] so H., Vit. infregit. [9] sc. Winricus. [10] om. in E. [11] E. non; T. nec.

elixos et panem ordeaceum edebat. . . . [1] Cumque electioni de se facte ad consentiendum minime flecti posset, a viro dei Wlsino, per quadriginta annos incluso, acriter pro ostinatia correptus, diuinoque oraculo perterritus, electioni consensit. [2] Cum enim Willelmus rex litterature insufficientiam et gallici sermonis carentiam pretendens, Wlstanum priuare niteretur, conuocato concilio [3] iubet Lamfrancus archiepiscopus venerabilem virum baculum resignare cum anulo. Vir autem dei nec vultu mutatus nec animo, erexit se, et virgam pastoralem manu tenens, dixit: 'Vere, domine archiepiscope, vere scio quia nec hoc honore dignus sum, nec huic [idoneus] [4] oneri nec sufficiens labori. Sciebam enim hoc, cum me clerus eligeret, cum episcopi cogerent, cum me dominus meus ad hoc officium inuitaret. Ipse auctoritate sedis apostolice in meos humeros hoc onus refudit, et per hunc baculum me episcopali gradu inuestiri precepit. Nunc tu pastoralem virgam exigis quam non tradidisti, officium adimis quod non contulisti. Et ego quidem insufficientiam meam non ignorans, et huic sancte [5] synodi sententie cedens, resignabo quidem baculum, sed non tibi, sed potius ei cuius eum auctoritate suscepi.' Hiis dictis accedens ad tumulum sancti Edwardi, et stans ante sepulchrum dixit: 'Tu scis, domine mi, quam inuitus hoc opus susceperim, quotiens subterfugerim, quotiens me cum quererer absentauerim. Fateor, insipiens factus sum: sed tu me coegisti. Nam licet non deesset fratrum electio, plebis petitio, episcoporum voluntas, gratia procerum, hiis tamen omnibus tua preponderabat auctoritas, tua magis vrgebat voluntas. Et ecce nouus rex, noua lex, nouus pontifex noua iura condunt, nouas sententias promulgant [6]. Te erroris arguunt, qui iussisti; me presumptionis, qui consensi. Et tunc quidem falli potuisti vt homo: sed nunquid modo, coniunctus deo? Non igitur illis qui exigunt quod non dederunt, qui cum sint homines fallere possunt et falli, sed tibi qui dedisti, [qui] iam deductus in ipsam veritatem ignorantie vel erroris tenebras euasisti, tibi resigno baculum, tibi curam eorum quos mihi commendasti dimitto; tibi secure eos committo, cuius ego merita non ignoro.' Hec cum dixisset, eleuata paululum manu, in lapidem quo sanctum corpus tegebatur baculum infixit, dicens: 'Accipe domine mi rex, et cui libuerit trade illum.' Et exutus pontificalibus, inter monachos ipse iam monachus simplex resedit. Admirabantur omnes cernentes virgam lapidi immersam, et quasi radicibus vteretur [7], non moueri. Cumque baculum temptantes nulla ratione euellere possent, res defertur in synodum, et Gundulphus roffensis episcopus a Lamfranco missus ad sepulchrum accedens cum baculum nullatenus mouere

[1] Too abridged, cf. Flor. Wig.: Deinde . . . electo ad archiepiscopatum eboracensis ecclesie Aldredo wigornensis ecclesie episcopo, fit vnanimis consensus tam cleri quam etiam totius plebis in eius electione, rege videlicet annuente vt quem sibi vellent presulem eligerent. Cf. Vita and H. [2] From Ailred, Vita Edwardi Conf. [3] E. consilio. [4] T. E. dignus. [5] T. E. sancti. H. huius s. [6] E. prouulgant. [7] *al.* niteretur.

valeret, Lamfrancus nouitate miraculi stupefactus vna cum episcopis et rege ad tumulum properans, facta oratione manum inuanum ad eruendum baculum apposuit. Exclamat rex, orat pontifex, et ad sanctum ait: 'Vere iustus dominus; et cum simplicibus graditur, et cum humilibus sermo eius. Derisa est a nobis, frater, tua sancta simplicitas, sed eduxit quasi lumen iusticiam tuam: errauit in te iudicium nostrum, et simplicitatem tuam deo gratam omnibus propalauit. Auctoritate proinde qua fungimur, immo diuino iudicio quo conuincimur, curam qua te inconsultius exuimus, iterum tibi committimus et imponimus.' Ille autem impossibilitatem suam, et onus supra vires pretendens, asserit in loco sancto ministrum sanctum statuendum. Victus tandem precum instantia, coram omnibus ad sepulchrum accessit, virgam manu tetigit: et mox manum eius sequuta, ac si in molli luto fuisset impressa desiliit. Lamfrancus ergo ad pedes eius prouolutus, fatetur delictum, veniam implorat, dicens simplicitatem eius deo acceptam et beneplacitam, qui sapientiam huius mundi stultam facit, vt fortia confundat et gratiam infundat humilibus. [1] Mulierem quandam a demonio vexatam, per camporum deuia spiritus impetu vagantem, sua benedictione valitudini pristine restituit; ac precepit vt non Wulstanum sed deum benediceret, virtutes amaret, pudicitiam non perderet, ne deterius ei aliquid contingeret. Mulier enim monita eius sequens, in sanctimoniali habitu placentem deo vitam egit. Demoniacus quidam, ferreis cathenis posti ligatus, tanta vocum variarum confusione loquutus est vt ex vno ore exercitum quasi [2] loqui crederes. Viso autem pontifice, totis intremiscens membris, stridebat dentibus; patulo rictu sputa euomens, magno hiatu obstrepere cepit. Tanto incom[m]odo sacerdos impalluit, et expansis in celum manibus orauit: et infirmus confestim conualuit. Leprosus quidam visu horridus, carne maculosus, aqua lotionis manuum sancti viri in balneo posita se lauit: et pustularum continuo tumor resedit, letiferum virus effluxit, omnisque caro in puerilem puritatem in breui refloruit; et impetigine et scabie capitis abolita, cesaries capillis succrescentibus reformatur. Gunnildis sanctimonialis, regis Haraldi filie, tumor infestus oculos inuasit, et moles palpebrarum visum obducens, massa carnea oppleuit. Suscepta enim episcopi sancti benedictione, detectis [3] et erectis palpebris lucem serenam virgo consequitur. Elsinus [4] regis Edwardi quondam minister, ad consecrandam ecclesiam [5] episcopum precibus aduocauit. Erat autem [6] in cimiterio arbor nucea patulis frondibus vmbrosa, que luxuriante ramorum amplitudine luminibus officiebat ecclesie. Solebat autem vir ille aleis et epulis sub eadem arbore vacare: et cum iussisset eam episcopus abscidi, maluit ecclesiam non dedicari quam arborem inde penitus

[1] Cf. Vita and H. [2] E. quasi exercitum. [3] T. E. deiectis. [4] Vit. Eielsius. [5] sc. in villa sua Langene supra Sabrinam. [6] T. enim; E. autem.

deponi. Vir ergo sanctus maledictionis iaculum in arborem offensus intorsit: et illa quasi vulnerata, paulatim sterilescens radicitus exaruit et fructu caruit. Exacerbatus inde dominus, eam abscidi iussit, et dixit: 'Nihil Wlstani maledictione amarius, nihil (eius) [1] benedictione poterit dulcius inueniri.' Cum quidam de Anglia versus Hiberniam nauigarent, mutata celi clementia, flauit spiritus procelle, inhorruit fragor ventorum, factaque est tempestas valida. Diruptis rudentibus et malo effracto, inuocato sancti Wulstani suffragio, quidam in eius effigie apparens armamenta consolidat, rudentes coaptat, [2] vt animos reuocarent exhortans, erigerent antempnas, quia tranquillitatem daturus erat dominus. Et confestim serenitate reddita, mare tranquillum efficitur. [3] Vilioribus indifferenter vtebatur pellibus, magis tamen agninis frigus depellens; vnde et cuidam suggerenti vt pelles saltem catinas admitteret, ait: 'Crede mihi, cantari non audiui Catus dei sed Agnus dei; ideo agno volo calefieri.' [4] Legebantur ad mensam eius edificationum libri, cunctis interim summum prestantibus silentium. Quiete vero epulis data, vt celestem impartiret alimoniam quibus ministrauerat corporalem, lectionem patria lingua exponebat. Cum vero post prandium secundum morem potus porrigeretur, ipse aquam puram, solo ministro conscio, sumere consueuit. Primis quidem annis meram hauriebat aquam; confectus senio, vino vel ceruisia [5] mixta[m] [6]. Disciplinam domus sue tam in laicis quam clericis seuerissime exercens, legem statuit vt omnes tam misse quam omnibus horis interessent; custodes ad hoc constituit vt nullum impune ridere sinerent, alioquin aut potu eo die caruit, aut palma ictum ferule excepit. Laicum nullum de suis quoquam misit cui non preces septies in die dicendas iniungeret, hoc [congrue] [7] asserens, vt sicut clerici septem horas, ita laici septem orationes deo libarent. Si quis ante eum iuraret, statim ferule vindicta sequebatur. Indigne ferebat si quis coram eo aliorum vitam roderet vel carperet mores, quoniam hoc summe malitie deputabat. Noctibus autem post modicum sompnum surgens, psalterium dixit, nonnunquam solus, ne quietem aliorum impediret, quandoque cum socio quem ceteris vigilantiorem deprehendit. Et cum sompnolentiam cuiusdam fratris [8] nutu nocte quadam argueret et ille oscitabundus et inuitus resideret, [mox] [7] cum corpus quieti daret magna vi per visum concussus, flagris cesus, inconsulte temeritatis penas pertulit. Dat postremo fidem quod nunquam vlterius virum dei a bono opere impedire presumeret. Missas duas ad minus quotidie audire, et ipse tertiam cantare solebat. [9] Ascenso equo, psalterium incipere, nec pausam nisi ad finem facere consueuit [9]: eius enim cubicularius presto elemosinam deferebat, nulli egenti denegatam. Quocumque [10] iaceret, staret vel ambularet, semper in

[1] om. in T. [2] T. E. et vt. [3] Cf. W. M. Pont. [4] Cf. MS. Harl. [5] T. seruisia. [6] T. E. mixta. [7] om.; so H. [8] sc. Edrici. [9] om. in Vit. [10] Boll. Ubicunque; om. in Vit.

ore psalmus, semper in corde Christus. In singulis villis suis habebat ediculas in quibus se a mane post missam inclusit[1], donec clericus pulsatione ostii tempus prandii vel horarum nunciaret. [2]Quando erat Wigornie, missam maiorem loco hebdomadarii quotidie fere cantabat, a quo, vt dixit, officio pro episcopatu resignando noluit absolui. Collationi monachorum interfuit, et confessione dicta, et benedictione data, ad sua rediit. Dum semel monachi sui ad maiorem ecclesiam migrarent quam ipse construxerat, et videret ecclesiam antiquam destrui quam sanctus Oswaldus construxerat, lachrimas fudit. Super quo modeste redargutus quod[3] potius gaudere deberet quod se superstite tantus honor ecclesie sue accidisset quod multiplicatis monachis edificia augerentur, dixit: 'Ego longe aliter intelligo, quod nos peccatores et miseri opera sanctorum destruimus vt nobis laudem comparemus[4]. Non nouerat illa etas pompatica construere, sed sub qualicumque tecto seipsos deo immolare subiectosque ad exemplum attrahere: nos econtra nitimur vt curam animarum negligentes cumulemus lapides.' Dum semel sanctus Wlstanus sermonem de pace faceret, et multi ad concordiam redirent, vnus inter eos nullo suasu, nec etiam episcopi rogatu, pro fratris nece homicide[5] veniam petenti indulgere voluit. Huic in medio adducto, dixit episcopus: 'Beati pacifici, quoniam filii dei vocabuntur. Constat enim quod [si] pacifici sunt filii dei et beati, discordantes sunt miseri et filii diaboli. Illi ergo cuius es, te commendo, et trado carnem tuam sathane.' Statim ille mancipium hostile effectus, dentibus stridere, spumas iacere, caput rotare cepit. A Wlstano demum sanatus, cum pacem adhuc repudiaret, iterum, et tertio arreptus est, quousque ex corde iniuriam et offensam remitteret. Ailwinus[6] quidam apud saltum Maluernie anachoritice degens, [7]desiderio hierosolimitani itineris sepius afflatus erat. Quod cum Wlstano panderet, dissuadens episcopus, dixit: 'Desiste sodes, Ailwine: crede mihi, mirareris si scires que per te deus facturus sit.' Acquiescens ille, in loco illo ad numerum tricenarium monachos congregauit et Maluernie[8] monasterium fundauit. Quidam nomine Sewlfus[9] dum sepius eadem peccata episcopo panderet, ait episcopus: 'Oportunitas, vt video, latronem facit; ideo consulo vt monachus fias: et sic vitiorum importunitate carebis.' Cum vero ille pro rigore ordinis hoc renueret, 'Vade, inquit, monachus fies velis nolis.' Tandem ille senescens, et apud Malmesbyry tonsoratus, quotiens dictum Wlstani menti ingessit, mitius se habuit. Dum alumpni sui Nicholai caput palparet, qui iam iuuenis caluescere cepit, ait ad eum: 'Puto, fili, quod cito caluus eris.' Et ille: 'Quare, pater, non tenes crines meos?' Cui episcopus: 'Crede, fili, quamdiu vixero, residui non deficient.' Et factum est ita. Ebdomada namque illa qua episcopus obiit,

[1] T. includit. [2] Cf. W. M. Pont. [3] W. M. qui. [4] T. E. comperemus. [5] E. homiside. [6] W. M. Aldwinus. [7] E. si d. [8] E. maluerine. [9] E. fewlfus.

omnes capilli eius ita euanuerunt vt quasi nudam cutem relinquerent. Anno autem domini millesimo sexagesimo septimo[1], episcopatus sui tricesimo quarto, etatis suc octuagesimo septimo, quartodecimo kal. februarii defunctus seculo, viuere cepit in Christo. Anulus[2] autem quem in consecratione acceperat, multis annis digito eius herere non potuit, et crebro lapsus, nunquam amissus fuit: quippe caro digitorum ita exinanita fuerat vt vix pellicula ossibus inhereret. Fertur enim sepius ipsum dixisse: 'Anulum, quem sine ambitu suscepi, inseparabilem mihi in humum portabo.' Post obitum eius quidam anulum digito subtrahere inuanum temptauerunt: ita enim pellis plena, protuberantes articuli, neruorum integritas restituta videbantur mortuo[3], que pre abstinentia exinanita fuerant viuo.—— [4]Elapsis enim post obitum eius annis centum[5], dum transferretur corpus eius et in scrinio precioso collocaretur, repertum est vna cum vestimentis pontificalibus integrum et incorruptum. Inter multa enim miracula pro famulo suo a deo patrata, mulierem quinque annis incuruatam ac inclinatam humique acclinem curauit, linguam pueri a nouerca abscisam reparauit, cecos quinque illuminauit, demoniacos quinque sanauit, mutis quatuor loquelam reddidit, mortuos tres resuscitauit, leprosos duos mundauit, et hydropicis duobus sanitatem contulit. Infra triduum vice quadam triginta quinque variis morbis oppressi, salute consequuta, gratias deo et sancto eius referebant. Oculos iuuenis cuiusdam, ab emulis effossos et in campum proiectos, sanauit[6]. Non enim sibi proprios restituit, sed nouas et modicas in fossarum profunditate pupillas tanquam duas posuit prunulas, et quas varias habuit ex natura, nigras recepit ex gratia. De die autem in diem vsque ad quantitatem competentem creuerunt. Testiculi eiusdem iuuenis ab eisdem emulis a follibus suis eruti et prescisi longiusque proiecti, eidem sunt restituti; vulneraque omnia, diuersis corporis locis recepta, in momento sunt curata. Iuuenis iste, Thomas nomine, cum pecuniam multam congregasset, quedam domina mutuo pecuniam ab ipso recepit, et tandem ad fornicandum cum illa allexit; qui tandem compunctus, cum digne pro commisso satisfecisset, illa contemptam se dolens et repulsam erubescens, quendam iniquum et malefactorem in maritum assumpsit et ad supradictum opus nepharium eum sua instigatione allexit.

Narratio.

[7]Illis diebus sanctus Edwardus rex, qui nusquam nisi alieno consilio ductus perperam egit, Roberti archiepiscopi et comitis Godwini instinctu et consilio matrem propriam propter nimiam

[1] A mistake; r. 1095. [2] T. E. Anulum. Cf. H. [3] T. uiuo. [4] From the Mir. in MS. Dunelm. B. IV. 39. [5] sc. a. 1218; cf. Math. Westm. [6] E. ansauit. [7] Cf. Chron. Bromton, p. 941.

episcopi wintoniensis familiaritatem bonis omnibus priuatam in monasterio de Wherewelle detrusit, et episcopum Alwinum incarcerauit. Emma demum laxius custodita, episcopis in quibus confidebat scripsit se ferri candentis examine paratam probare episcopum iniuste fore diffamatum. Prefixo autem purgationis die: mulier nocte precedente ad sepulchrum sancti Swithuni perorans, confortabatur, die vero sequenti ignitos vomeres nil lesa pertransiit. Tunc rex ingemiscens et veniam petens, ab episcopo et matre disciplinas recepit, et ablata illis restituit. Regina vero dedit sancto Swit[h]uno nouem maneria, propter nouem vomeres quos pertransiuit. [1] Illo etiam tempore papa Benedictus post obitum suum in specie monstruosi animalis, cuius aures et cauda asini erant, cetera vrsi, cuidam iuxta Mediolanum [2] apparuit. Cumque fugam iniret vir ille expauescens, monstrum illud exclamare cepit: 'Noli timere, quia homo fui sicut tu es; set quia bestialiter vixi, post mortem bestie speciem preferre merui.' Et ille: 'Quis es tu?' 'Ego, ait, ille [3] solo nomine Benedictus fui, qui nuper apostolicam sedem indignus obtinui; vsque ad diem iudicii per dumosa et squalentia et sulphurea loca et fetida et bullientia rapior et protrahor [4], post extremum vero iudicium corpus meum et animam simul irremediabiles cruciatus et irreuocabilis olla iehennalis baratri deglutient, vt nulla mihi spes requiei in eternum restet.' Fuerat enim in pontificatu semper luxurie deditus, ideoque ab auribus asini in caudam desinebat; et quia vitam carnalem semper duxit cetera igitur vrsus erant [5]. [6] Illis insuper diebus Hildebrandus, postea papa Gregorius, quondam prior cluniacensis et post archidiaconus Rome, cum equitaret cum multa turba, abbas Hugo cluniacensis ipsum sequens in animo cogitare cepit vnde esset tantus honor homuntioni exilis stature, despicabilis parentele: proculdubio hoc ei ex superbia accidere. Mox archidiaconus reflexo equo a longe clamans ait: 'Tu male cogitasti: non enim michi hanc gloriam, si gloria dici potest que cito transit, vel imputo vel ab aliis imputari volo, set beatis apostolis, quorum preuilegio mihi exhibetur.' Erubescens abbas, quomodo cogitatum suum nouisset quesiuit. 'Ab ore, inquit, tuo quasi per fistulas ad aures meas deductus est.' Cum autem iterum iunctis lateribus in ecclesia prostrati diutius orarent, respexit archidiaconus abbatem turbulento vultu, dicens: 'Si me amare vis, ne vlterius hac me iniuria expugnes. Dominus enim meus Ihesus Christus postulationibus meis visibiliter astabat, intendens dictis, et serenis fauens oculis, set orationis tue violentia me deseruit, ad te conuersus. Puto esse genus iniurie, amico eripere auctorem salutis sue.' Hic etiam, dum cardinalis esset, contra prelatos symoniacos in Francia acriter processit. Vnus tamen epi-

[1] Ex Vinc. Bell. XXV. 21. [2] VB. molendinum. [3] E. illo. [4] E. pretrahor, T. pertrahor. [5] VB. per cet. v. erat. [6] Ex Vinc. Bell. XXV. 44.

scopus grauiter infamatus, accusantes eum clam corrupit, et tanta dicendi arte callebat vt nullis argumentis confutari posset. Tunc legatus ait: 'Cesset humanum iudicium frequenter fallibile, et producatur diuinum oraculum. Certum est quod episcopalis gratia spiritus sancti donum est, et qui episcopatum precio mercatur, donum sancti spiritus comparari posse pecunia opinatur. Si igitur tu, episcope, contra spiritum sanctum non fecisti, dic palam Gloria patri et filio et spiritui sancto.' Set licet frequentius incepisset et temptasset, nunquam 'spiritui sancto' proferre potuit; set ab episcopatu deiectus, plane dixit[1]. Explicit[2].[3]

¶ De sancto Edgaro rege et confessore[4].

¶ Vita beati regis Edgari minime fuit inuenta quousque liber iste impressus fuit vltra litteram E, ita quod in loco suo secundum ordinem alphabeti nullo modo imponi potuit: ideo in fine presentis libri imponitur, et in tabula secundum ordinem alphabeti locum suum tenebit.

EDgarus, rex Anglorum insignis, frater Edwini, cepit regnare anno Othonis imperatoris vigesimo secundo, dum adhuc esset iuuenculus annorum sedecim: quo nascente, Dunstanus archiepiscopus cantuariensis audiuit vocem de celo anglice dicentem: 'Pax Anglie, quamdiu puer iste regnabit, et Dunstanus noster vixerit.' Regnauit autem annis xvi, et quolibet anno nouum monasterium fundauit, totamque insulam in summa pace et iusticia gubernauit. Nam regem Scotorum Cinandum[5], Cambiorum[6] Malcolinum, archipyratam Mascosium[7], omnesque reges Walensium, numero v[8], ad curiam coactos, [9]perpetuo sacramento sibi obligauit. Quos apud [ciuitatem][10] Legionum sibi occurrentes, [in][11] pompam triumphi per fluuium deduxit, vna naui impositos, quam illi remigabant, et ipse in prora sedebat. Compatriotas suos a nimia potatione timore et industria refrenauit; et adeo seuerus fuit quod ibi nullus fuit priuatus latro, nullus popularis predo, nisi qui vellet amittere vitam. Quin etiam omnis generis feras sanguinis auidas ex regno exterminauit. Guidualo[12] regi Gualdensium[13] indixit vt sibi omni anno tributum .ccc. luporum solueret; quod dum ille pluribus annis fecisset, nullum se amplius in-

[1] *al.* VB. [2] om. in T.
[3] Ant. destroyed. Collect.:
(Spiritum in) nobis, domine, tue caritatis infunde, ut intercedente beato Vulstano confessore tuo atque pontifice, tuam mereamur dulcedinem in eterna felicitate gustare, per eiusdem. (Br. Sar.)
[4] This life is om. in T. Tanner. Ed. in A. SS. Boll. Iul. II. p. 664; the life is taken from Petrus de Natalibus, who mostly abridges Will. Malm. Reg.
[5] WM. Kinadium. [6] WM. Cumbrorum. [7] WM. Mascusium. [8] Their names in WM. [9] WM. vno et p. [10] om. [11] E. et. [12] WM. Iudualo. [13] WM. Gualensium.

uenire professus est. Omni estate post pascha naues per omnia littora adunari precipiebat et ascendens ipsemet mare circuibat vt pyratas arceret; hyeme vero per prouincias equitabat vt predones deleret[1], iudicia potentiorum exquirens, ne ius violarent. Quodam tempore venatum perrexerat. Dunstanum, qui secum erat, rogans missam differre: quia[2] dies dominicus erat. Appropinquante hora tertia, episcopus sacris indutus super altare regem expectabat, subitoque sopore leui depressus raptus in celum audiuit cantus angelorum, cantantes Kyrieleyson, .ix. vicibus. Excitatus post modicum, adhuc expectans, rapitur et audiuit alta voce dici: 'Ite missa est,' et responderi: 'Deo gratias.' Tunc accurrentes[3] eius clerici, regem adesse dixerunt; quibus respondit quod missam audiuerat, nec esse opus quod ea die amplius celebraret. Interrogatus a rege cur hec diceret et quare celebrare nollet, visionem aperit; et hoc sumpta occasione regi prohibens, ne die dominico vlterius venatum pergeret. Quam correptionem sanctus rex benigne suscepit et de cetero obseruauit. Qui gubernato regno, post annos .xvj., anno etatis sue .xxxiij. in pace quieuit, et miraculis post mortem claruit, vt in vita beati Patricii clarius patet.

Explicit (Noua legenda Anglie). Impressa Londonias in domo Winandi de Worde, commorantis ad signum solis, in vico nuncupato (the flete strete). Anno domini M.CCCCC xvj. xxvij. die Februarii. ¶ Itaque omnes hystorie hic collecte merito dicuntur noue, quia licet quedam de istis etiam reperiuntur apud plures, non tamen ita emendate et correcte sicut in hoc volumen continentur.

[1] vt p. a. *al.* om. [2] E. qua. [3] E. accurentes.

APPENDIX I.

From Nic. Roscarrock's Catalogue of English Saints.

The Collection in T. is followed, in the same hand (that of a scribe of St. Albans), by a long life of St. Christina or Theodora, imperfect at the end, which life, in the absence of another MS., it will be impossible to decipher, the MS. having been badly damaged by fire. In Roscarrock's Lives of English Saints (MS. Brent Eley, now Camb. Addit. MSS. 3041), however, the contents of this life are given from the very same MS. Tib. E. 1 in its originally imperfect state. His interesting article (which also gives important hints of the history of MS. Tib.) is as follows:—

Of Christiana otherwise called Theodora.

I Finde in a Manuscript which was given by Thomas De la March Abbot of St. Albons to the Priorie of Rudburn, and intituled Sanctilogium Britaniae[1], and seameth much like, thoughe differing in sum pointes from, Capgraue, it agreing with him soe in other as if they were not one, yet the one of them greatlie imitated the other, thoughe it appeareth not to mee which was the more auncient of them. This Manuscript is called by som Johanis Anglicus, a name which John Capgraue, an Englishman, may iustlie challendge[2]. In the end of this boke, I finde in part, the life of one Theodora or Christiana, not perfitted; the effect of which I will breiflie laye downe, that others, lighting on a more exact Coppie, maie perfitt it; giving the more creaditt vnto it, for that a Monck of St. Albons wrote it, and that these of Rudburne woulde never haue tollerated it had it bene fabulous, shee being somtimes of the one howse, and not living farr from the other. To proceede then,

[3] My Author saithe one Autie, a Gentleman of Huntington, Maried one

[1] MS. Britania. [2] This is, of course, a bad mistake; John of Tynemouth is quite another person from Capgrave.

[3] MS. T., fol. begins: . . . mire sanctitatis et gracie actu nobiliter in ciuitate Huntendonie. Pater eius Auiti, mater uocabatur Beatrix. Ipsa uero nomen sortita Theodoram in baptismate, nouissime pro Theodora nomen sibi Christinam accepit ex necessitate. Virgo sane nondum nata, iam electa deo ac ostensa est hominibus. Quam dum mater sua gestaret in utero, (contigit) eandem

Beatrix: whoe being with Childe by him, and loking out of her windowe towards the Nunnerye of our B. Ladies, betwixt the Feastes of her Assumption and Nativite, she sawe a snowe white Doue, flyeing from thence to her, and with Closed wings entred into her right sleives: which remayned with her seaven dayes tame, before she was delivered of her Childe. And this my Author reporteth from the verie mouth of the forementioned Beatrixe. The Childe borne, was Christned by the name of Theodore, which afterwardes shee, vpon Christe appearing vnto her, chaunged with Christiana; being verie young and religiously inclyned, she vowed virginitie at St. Albans Relickes, and lived verteouslie, impatient of immodest speaches.

This young gentlewoman Ranulph [Flamber[1]] Bishop of Durham (a man which swayed all England vnder William Rufus) dishonestlie affected (?), and sought by sundrie means to deprive her of her virginitie: which she Constantlie withstode; and once when the B. had her at such a vantage in a retyred Roume, as she coulde scarslie avoyd him, shee had no other refudge but to intreat him, if he would needs persever in that purpose, to permitt her to barr the doore: which he, swearing her to returne, suffred; soe as shee made an escape, less scrupulous to breake her inforced oathe then to lese her virginitie. The yll minded Bishop being thus crossd of his perverse purpose, practised to effect it by an other means, in Causing one Beffred (a man depending on him) to Marrye her; whoe prevailed soe farr with her Parentes and frindes (whom shee durst not contradict) as shee was betroathed vnto him, but woulde in noe sort consent to marrye him, till her Fathers hard vsage of her, in imploiing her in base offices (which she disdained not to effect), in a sort inforced her. Being Maried, when they were readie to goe into Bedd, shee humblye intreated him to forbeare her, whoe had vowed her virginitye vnto God; and for feare of his displeasure putt him in mynde of that which passed betwixt St. Cicilia and St. Valerian: which moved him soe much, as hee discisted and was satisfied as it were for the present. But his frindes pressed him soe, as hee gave not over to vrge her often, and that verie earnestlie, to performe the part of a wife with him: which shee still prevented (thoughe with great deficultie), wherevpon her husbande Berffred prevailed soe farr with her, as he perswaded her to goe with him to a house of Cannons, where the Superiour Called the rest of the Religious men[2], whoe did perswade her in the presence of her husband and them all there to performe the Act of Matrimonie with him whom shee had Married; for that Matrymonie was good and instituted

matrem de domo sua prospectare monasterium beate dei genitricis quod in ciuitate situm erat: et ecce columbam unam niue candidiorem egressam de monasterio uidit ad se recto itinere modesto uolatu uenire, et in dexteram manicam tunice qua erat induta . . . tis alis sese totam in . . . Erat autem tunc dies sabbati, qua die precipue celebratur a fidelibus memoria genitricis dei. Erat eciam inter assumpcionis et natiuitatis dies ipsius. Porro columba cum pre(fata) muliere, sicut ipsa michi retulit, septem continuos dies in . . . . . ine egit, ut et attrectan- . . . . . bus eius ineuitabiliter plaud . . . . . nunc in gremio, nunc in sinu ipsius requiescere gauderet. . . . .

[1] on the margin. [2] overl.

by God himself in Paradize; and such as vsed it, wele might purchase heaven and be saved; And therefore wished her not to break that promiss which she had made in her Mariage. To which she replied: If promisses were to be kept, then cheiflie that which shee had formerlie made vnto God in vowing virginitie. 'If yow haue done soe, said the Cannon, I dare proceede noe further, but referr it to the Bishop.' Whose opinion being asked, answered first directlie, that nether hee, nor anie other, coulde dispence with her to performe the part of a wife, shee being vnwilling. With which answere Berffred at first seamed satisfied, and offred to give her somwhat to enter into Religion. But his frindes quicklie altered his minde, perswading him that the Bishop, being a man not verie scrupilous, and a lover of money, woulde be therby sone brought about to give a Contrarie sentence; as it seames he did, for meanes being made to him, he sent for her, and demaunded of her whie shee refused to performe the part of a wife. She answered, her vowe. 'Whie,' quoth the Bishop, 'woulde yow not, if yow might, marrie the kings sonn, notwithstanding that vowe?' 'Noe, in truth,' quoth shee. 'Will yow referr the Matter to mee?' quoth the Bishop. 'To whom but to God and yow should I referr it?' quoth shee. The Bishop taking advantage of these wordes, gave sentence against her; and not long after, dyed. Berffred vppon the Bishops answere vrged her afreshe; but shee, refusing, asked what he would doe, if anne woulde perforce attempt to take her from him. 'Marrie, quoth hee, kill him if I coulde.' 'Well, quoth shee, howe dare yow take mee from Christe, whoe can, if he will, kill yow.' Her Parentes, seing her husband Could noe waye prevaile with her, toke her hoome, to trye what they coulde doe with her; and her Father delt so vnkindelie and barbarouslye with her, as when she had answered him that she woulde not break her vowe vnto God, he turned her in a rage out of Doores in the night time, having nothing on but her smock; sayeing, that if shee woulde needs goe vnto God, she shoulde goe as naked to him as she Came from him. Her mother, to inforce her, did soe cruellie beat her, as the Markes of her stripes were to be seene on her whilst she lived. / The poore gentlewoman hardlie Censured by the Bishopp, soe ill vsed by her parents, soe vrged by her husband, and that which greived her moste of all, abandoned of her Ghostlie Father, who thought shee had Consented more to her husband then shee did, was not a little perplexed; at which time it pleased Christe himself to appeare vnto her, with a glorious Crowne; so Comforting her, as shee thervpon Chaunged her name from Theodora to Christiana. After this Comfort the Ghostlie adversarie did not cease to incumber her with straunge illusions, terrifieing her somtimes in the forme of a wilde Bull offering to toss her on his hornes, somtimes like vglie Toads, and another time in the deformed shape of a Man without a head; and alsoe in stirring vpp and exasperating hir parentes against her, whoe made a Gayle of there howse to restraine her from her owne frindes, because she woulde not give waie to there wills to satisfye Berffreds importunitie with the wounding of her Conscience. In such sort as she had noe means to free herself but by

flight; being ascisted by one Edwine an Erimite, whoe procured her a horss, and a boye to Convaye her, to one Alfwina an Anchorisse of Flamsteed, where shortlie after the boye dyeing (called Lorick) appeared vnto her; from thence she went to one Roger a holie Ermitt, whoe lived in a desert not farr from Dunstable where he was Conducted devinelie, as yow maie reed in his life in this my Collection here[1]. She lived in great Austeritie with fasting and prayer, sitting 4^{or} yeres vppon a bare stone. But before she came thither, Edwine, by Rogers means, whoe refused to admitt her, imparted her case to Radulphe Archb. of Canterburie, and howe her parentes indeavoured to inforce her: whoe answered, he Could not iudge that Act less then murder. After this Burfred her husband, together with the Preist whoe had maried them, came with others to the Ermitage of the forenamed Roger, and there in the presence of five Ermittes gave her leave, notwithstanding that which had passed, to dispose of her self as she pleased; and Thurstane Archb. of Yorke disolving the Match with there Consent, permitted him to Marrie, and shee to enter into Religion. When she had lived som fowre yeares, Roger dyed, and it was revealed vnto her that she should succeed him in that Ermitage. Thurstane hearing of Rogers death sent for Christina, vsed her verie kindelie, offred to provide for her, ether in England or els where, if she would enter into Religion, and Commended her in the meane while vnto the Custodie and care of a Preiste, whose name my Author Conceales; for that he was a Man of note and Creadit in the worlde. This Preiste vsed her not well, seeking what means he Could to abuse and deflowre her, whoe had noe refudge but prayer, in which she prevailed soe farr, as he was soe terrified in the night with straunge

[1] Of this Roger the Eremite Roscarroc writes: Math. Paris 1257 writeth that King Henry the 3d coming to St. Albons the 41 yeer of his raigne did in giuing giftes vnto the Church ther one the 3 of March, amongst other Jewells which he bestowed in that Church on the Aulter of St. Albon and St. Amphibalus, did allso giue certane Clothes and palles to be imployed to cover the bodyes of the Ermites Roger and Sigar, and withall gaue moeny to buy a shrine or thing to carry them in; by which I gather they were esteemed saintes, though Math. Paris nameth not them soe; and therfore though I dare not presume to give them that title, yet I hope I may giue occasion by naming them to minister matter to others to enquire more of them. Read Math. Paris, a. 1257, fol. 1262, as it was printed in London, 1571.

I finde in the manuscript intitled Sanctilogium Britanniae, called by other Johannes Anglicus, that he had bene at Jerusalem, and was guided by 3 Angells in white with lightes from Winshore to his Ermitage: wher being a munke he liued in obedience to the Abbot of St. Albones; and that he was of great note for vertue, and liued about the yeer 1120, as may be seene in the end of the forementioned booke in the imperfect life of St. Christina.

(Added later:) I find in the Register of the Church of St. Alban this epitaph written on him and Sigare:

Vir domini verus, iacet hic Eremita Rogerus;
Ac sub eo clarus, iacet hic Eremita Sigarus.

Roger God's servant here doth ly, who Ermite true himself did try;
And vnder him likewise doth rest Sigar the worthy Ermite blest.

(Added on the margin crosswise:) The same manuscript noteth that there was a table hanginge over their tomb in which their miraculous lif is written: (added) and in the life of Abb. Jefferie who liued then.

sights and dreames, as he gave over to solicitt her[1], thoughe she[2] was long after trowbled with the Temptation of the flesh. After this, she having Choyce of sundrie places, preferred Sainct Albons where she had vowed virginitie, and where her deare frind Roger laye buried: and Alexander Bishop of Lincolne vailing her, she lived vnder the obedience of the Abbott of St. Albons (whoe then was Robert) as Roger before had done; Contynuing still, as I take it, in his Ermitage, where persevering in vertue, the Abbot greatly esteamed her, and was much advised by her, and namelie when he was sent Ambassador from King Stephen to the Pope; she seaming not to approve the Kinges Title. This Christina grewe at last to that perfection, as the fame of her vertues was divulged, not onelye at home, but abroad, being noted for Cures. And namely in healing one (of Canterburie of good parentage) of the falling evill, a[3] gutta Caduca saith my Author, whoe by that infirmitie grewe loathsom to her Parentes, whoe before loved her dearlie; she being visitted of that infirmitie for the space of twelue yeres everie Tewsdaye at 3 of the Clock: whoe was willed by Saint Margrett to goe vnto this Christiana, and to drink water of her Blessing. Christina vnderstanding her suite, Causing Alcuine a Preiste to Celibrate about three of the Clock in the morning, prayeing for her, and doing as shee had requested, cured her; but would in noe sort assume it to herself, but to God. Curing others, it pleased God to visitt her with a Palsey, whereof being daungerouslie sick, shee was the 7th daie Miraculouslye Cured with her prayers. Shee hathe also prevailed for others when shee had bene denied herself, God being pleased to excercise her patience. Shee had a brother called Gregorie, a Monck, and Preist of St. Albons, whoe Coming one daye, and Celebrating before her and there Sister Margret, dyed happilye as sone as hee had received his Viaticum.

Shee was visited and Comforted by an Angell in the form of a Pilgrime, whoe showed her a Glorious Crowne; such as before wee noted our Sauiour had done. And alsoe with another in the forme of a Bird, which would light in her bosome, foreshewing her as it were things. For shee had the giuft of seing others thoughtes. Shee hathe appeared in the night to Abbott Robert, and (having the giuft of seing others thoughtes) advised him for his good, knowing of it, and manifested it to him, before he imparted it to her; shee being never out of her Cell.

Shee likewise hath related what passed betwixt a Sister of hers and her husband in Bedd at Huntington, shee being as farr of as Dunstable. She hathe tolde her Mayde Doct of som vnfitt thoughtes which possessed her, as shee with bashfulnes hath acknowledged. And soe Concluding abruptlye with noting howe shee tolde her Abbot of som thoughtes that he had Contrarie to that which she had advised him, and ending thus, makes mee to doubt what to think, whether theyre bee anie perfitt Coppie, or whither the writer dyed before he perfitted it; or whither shee removed to anie other place, where the writer had noe

[1] overlined. [2] r. he? [3] MS. ad.

intelligence of her. For althoughe Thomas Cantapratensis, a dominican much Commended by Dionisius Carthus. lib. 4 de quatuor Nouiss. articulis 50, noteth that Christina mirabilis[1] was borne at St. Trudo in Hasbania, yet, for as much as Henry Korman noteth out of Jacobus de Vitriaco, Cardinall and Bishop of Acon, whoe wrote the life of St. Maria de Ognes whoe lived with her, that she was a Scott, fayr[2] I began to doubt whither our Christina and shee, were not one: for they lived not so long one after another but a favourable interpretacion maye make there times seeme probablie nere one. (Added by Roscarrock later): That shee went from England to St. Trudo; for a strainger maye terme her a Scotte though she weare borne in England, beinge in one Island; for soe St. Bonifacius and St. Patricke and others are of some, though the Englishe doe chalange them as thears. If you will reed of Christiana Mirabilis repare to Surius tom. 3 Iun. 23, and Petr. Catepr.

[1] Chr. mir. overlined; orig. shee. [2] overl.

APPENDIX II.

Additional lives by John of Tynemouth in MS. Bodl. 240.

p. 593.] 1. De Sancto Huna: ex cronicis eliensis[1].

Sanctus Huna monachus et presbiter alme virginis Etheldrede fuisse perhibetur. Hic magne humilitatis vir, tempore sancte Etheldrede apud Hely inter fratres et sorores iugiter deo famulantes professionem fecit, atque in breui tempore virtutum exercitacione perfectus emicuit, potens ieiuniis, humilitate conspicuus, fide firmus, et in omnibus quantum sciuit et potuit [se] antiquis monachis studio religionis equauit, et eorundem instituta actusque disseruit, vnde a non nullis, eciam ab ipsa Etheldreda matre congregacionis, maximi honoris et amoris pre aliis dignus habebatur. Hic, vt fertur, pro illa venerabili congregacione fratrum et sororum apud Hely commorancium, lacrimis et maximo gemitu eiusdem sancte matris Etheldrede celebrauit exequias, et eam non in lapide cela[to] aut arcubus auro circumtectis, set, sicut ab ipsa mandatum acceperat, in cimiterio ecclesie iuxta suos sepeliuit. Et post venerandum illius obitum et sepulturam non in eodem monasterio constitit, set in eadem palude prope[2] Hely ad quandam modicam insulam, que eius nomine vocabatur Huneia, secessit[3], solitariam eligens vitam vt tantum quieti vacans domino militaret: vbi, quamdiu vixit, gloriosam vitam duxit, quod omnibus late claruit. ¶ Ad cuius tumbam multos[4] recuperande sanitatis gracia accedentes sospitatem ipsius recuperasse meritis, plerique testantur. Quod quidam cognoscentes, secrete eiusdem reliquias, sarcofago postea fracto, apud Thorneiam transportantes reposuerunt, sperantes a domino eius patrociniis graciam et misericordiam. Floruit circa annum domini .DC.LXXIX.

ib.] 2. ¶ De Sancto Brithnodo, primo abbate eliensi[5].

Seruus domini Brithnodus, abbas a rege glorioso Edgaro donatus, a beato Dunstano archiepiscopo cantuar[iensi] atque Etheluuoldo Wentano presule eliensi ecclesie consecratus, gregem dominicum discrete ac sollicite sub regulari moderamine instituit, non paruipendens curam

[1] Compiled from Hist. Eliensis I, 22 & 18, ed. Stewart, 1848 (Anglia Christiana). [2] MS. Bodl. propie. [3] B. successit crossed out. [4] B. multo. [5] Abr. from Hist. Eliensis II. 6. 56.

sibi creditam animarum, plus gerens sollicitudinem de rebus transitoriis atque caducis. Erat enim eximie prudencie, summeque abstinencie, et in exequendis negociis sollerter intentus: nunc noua in loco fundamenta iaciens, et rura non modica adiciens; porro dispensator fidelis sicut in erogando verbo dei cum pietatis actibus inuigilabat, ita et in dispensandis terrenis secundum institucionem apostolicam desudabat, et viuentibus sub se communiter prout cuique opus erat fideliter distribuit. Sane presencium occasione curarum nequaquam illius mentis oculus caligabat a contemplacione eternorum, set quo amplius rebus ecclesia fulciebatur, eo magis inhiabat ad gaudia patrie celestis. Hic eciam iussu regis Edgari et auctoritate sancti Etheluuoldi episcopi corpus alme virginis Withburge sororis sancte Etheldrede de Dirham transtulit ad Ely cum magna gloria. [1] Quodam autem tempore sanctum Brithnotum abbatem ad regis curiam Edgari contigit pro ecclesie negociis proficisci. Et, ut fertur, cum per siluam que Noua foresta vocatur, iret, ad vsum nature remociora loca repeciit. Cauens, vt erat simplex et magne verecundie, vndique circumspexit: reginam forte sub quadam arbore offendit Alfritham, suis veneficiis vacantem. Per fantasias enim et artem magicam velud in equinum animal versa, putabatur intuentibus esse equa et non mulier, vt insatiabilem exardescentis luxurie [2] intemperiem saturaret; discurrens huc atque illuc cum equis ac dissiliens, se ipsis irreuerenter exhibuit; contempto dei timore ac regie dignitatis honore, crimen glorie sue ita contemptibiliter intulit. Quo viso, non absque luctu et pauore ingenti in talibus se perceptam a viro sancto ingemuit. Peritissima vero in arte mechanica, vt fertur, habebatur. Set vir domini, ex huiuscemodi rebus nimium turbatus, quamtocius inde recessit, et ad regis curiam deueniens, magnifice susceptus, ecclesie sue negocia cicius adimpleuit. Itaque munificencia regis perfunctus et exhilleratus, ad sua [3] redire viam repeciit. Et ne reginam licet abhorrens declinaret, ad eius descendit aulam: quam fortuitu ab omnibus vacuam penitus inuenit; tamen celeriter regine illius innotuit aduentus. Illa vero petiuit vt cum festinacione ad eam solus veniret; et quod cum eo de salute anime sue non nulla tractare habuerit, mandauit. Cui ingresso, plures enormitates lasciuie nimis fauorabiliter et inuerecunde locuta est, precibus et promissis illum veluti sanctum Ioseph mulier inpudica si posset incontinencie sibi nodis alliceret; estimans fraude maligna sanctum dei in scelere secum commisceri, quoniam per illum metuerat detegi a malicia quam illam exercere inuenit. Ille viribus et verbis obstat, negat, et abhorret. Vnde in furorem commota, quibusdam euocatis ancillis, beatum virum neci tradere iussit, nolens esse superstitem quem fore dubitauit suorum aliquando scelerum proditorem. Admonet ancillas mucronum copulas in ignem feruere, et sub asellis sancti abbatis inprimi, vsque dum spiritum eius excuciant. Quo facto: clamant fautrices lugenter [4] intrinsecus velud tali infortunio pauefacte. Vnde ministri abbatis et qui cum illo venerant accurrunt monachi; eum subita morte preuentum ab ancillis audiunt, et ingemiscunt.

[1] Cf. Narratio ad S. Edwardum Regem et Mart., where nearly the same text.
[2] MS. luxuriam. [3] MS. suam. [4] *al.* lugent.

At illi, nimium dolentes, corpus domini sui vehiculo ponentes in Ely ad suam detulerunt ecclesiam ; nullum vulneris in eo comperientes indicium, sepulture tradiderunt. Martirizatus est itaque primus sancte elyensis ecclesie abbas, et[1] vnius muliercule suffocatus machinacionibus ; optans magis incidere in manus hominis quam legem dei derelinquere ; cuius anima cum sanctis omnibus[2] semper regnatura, in celis eterna promeruit gaudia. De regina vero sinistrum nemo aliquid vel saltem mutire, siue malum in ipsam presumpsit inferre sermonem : poterat enim hoc cuntos latere, nisi quod eadem, de suis veneficiis et nephandis operibus dei miseracione compuncta, et maxime de interitu gloriosi regis Edwardi preuingni sui, quem palam cuntis suis cir[cum]uentum insidiis, vt[3] proprius eius filius leuaretur in regem, iniuste peremisse confessa est. Pro quo cenobium sanctimonialium de Werwelle ex suis opibus fecit, vbi omnibus diebus vite sue in luctu et penitencia permansit, et quali morte[4] Brithnodum eliensem abbatem interfecerit, vt presignatum est, gemens et anxia ostendit ; in quo tam in rebus quam in possessionibus multa deinde beneficia contulit. Floruit autem sanctus Brithnodus apud Ely circa annum domini XC^M. LXX.

p. 594.] 3. De sancto Eadnodo monacho, episcopo et martire: ex cronicis anglie[5].

Sanctus Eadnodus vir in Christo famosus, et monastice religionis cultor egregius, a beato Oswaldo eboracensi episcopo et glorioso duce Egelwino in ramesiensem ecclesiam quam ipsi construxerunt, de Wigornensi monachatu ad officium abbatis assumptus est. Vbi cum in omni honestate sub Christo floreret et gregem domini fideli cura salubriter gubernaret, facta est cuidam fabro diuina reuelacio[6] de corpore beati Yuonis et sociis eius, simul cum ipso apud villam de Slepa quiescentibus. Apparens enim fabro in episcopi specie beatus Yuo, et se et socios suos in eadem villa ab antiquissimo tempore iacuisse indicauit, et vt Eadnodo abbati illud indicaret imperauit. At ille statim euigilans viro dei visionem reuelauit, et de oblata suo tempore[7] gracia nimis eum letificauit. ¶ Qui conuocato clero et populo, ad effodiendum celestem thesaurum cum ecclesiasticis apparatibus ad dictam villam properauit, et beatum Yuonem propriis manibus, ceteris ceteros ferentibus, ipse vsque in Rameseiam portauit ; et postea in ipsa Slepa ecclesiam in nomine eiusdem sancti edificauit. Nec multum postea, defuncto lincolniensi antistite, in episcopum promouetur. Pro qua potestate nichil minuit de antiqua religione, set quanto alcior tanto melior effectus, circa condendas ecclesias et augendas congregaciones assiduus insistebat. Quarum vnam apud Chateriz ob amorem sancte dei genitricis Marie, et Aelwene[8] sororis sue, ad ponendas ibi cum ipsa sanctimoniales, construxit et rebus necessariis ampliauit. Ipse quoque corpus beati Alphegi martiris et archiepiscopi,

[1] *al.* om. [2] MS. operibus. [3] MS. et. [4] B. mortem. [5] Ex Hist. Eliens. II. 71. [6] B. reuelacione. [7] *al.* tempori. [8] *al.* Aelfwenne.

apud Grenewicum a Danis lapidatum, pietate succensus et fide armatus collegit atque Londoniis sepeliuit. Tandem vero martirii[1] gloria pro gloriosa conuersacione decorandus in bello quod fuit inter Edmundum regem et Chanutum apud Assandun, dum missam cantaret, a Danis Canuti sociis, prius dextera propter anulum amputata, deinde toto corpore scisso, interfectus est, cum abbate Wlsio, qui ad adorandum deum pro milite christiano, bellum agente cum pagano, conuenerant. Huius corpus cum ad eliensem ecclesiam a suis fuisset allatum vt confestim illinc ad Rameseiam, vbi abbas fuerat, defer[r]etur: Alfgarus vir sanctus, qui tunc temporis relicto elmanensi episcopatu, eliensi ecclesie ex toto se dederat, corpus illud ad augendam loci illius dignitatem, inebriatis custodibus, in secreto loco sepeliuit, tum quia illum sanctas illius ecclesie virgines multum dilexisse cognouerat, tum quia martirem eum esse credebat. Qui et ipse, de veteri sepultura inter alios translatus, magna ibi reuerencia habetur. Passus est autem anno incarnacionis M.XVI. et fuit in diebus Edelredi et Edmundi regum temporibus (!).

ib.] 4. De Alwino monacho et episcopo elmanensi[2].

Alwinus[3] a generosis parentibus ortus, et vite sanctitate et gracia morum honestatus, in eliensi monasterio suscepit habitum monachatus, vt quod iunior ad profectum animi institui inciperet[4], iam senior factus diu inolitum abuti minime videretur; vnde veraciter completur in eo quod scriptum legitur in Ieremia: 'Bonum est viro cum portauerit iugum domini ab adolescencia sua.' ¶ Cumque totam vite sue seriem cum summa prudencia et grauitatis modestia vsque in virilem etatem perduxisset, pro religionis sue fama, iubente rege Etheldredo, ad episcopatum elmanensem sublimatur. [Subli]matus[5] tamen sue eliensis ecclesie obliuisci non potuit, set bonis pro se in ingressu ordinis monastici primum eidem loco collatis, iam episcopus factus plurima superaddere curauit. Sanctus iste confessor domini Alwinus vite merito et morum honestate fulgens in episcopatu, precepto regis Canuti, in Beodricesuuorthe[6] primum monachorum adduxit cateruam, et quosdam de sua ecclesia eliensi, quosdam vero de Holm[7] illic collocauit; eisque affluenter subsidia detulit; auxilium impendente Turkillo comite Estanglorum. Insuper rebus et ornamentis ipsi loco de sua parte collocatis quamplurimis, eterne libertati donauit. Prefecitque eis patrem et abbatem nomine Vinum priorem de Holm[7], virum humilem, modestum et mansuetum et pium. Presbiteros vero qui ibi inordinate viuebant, aut in eodem loco ad monastice religionis culmen erexit, aut datis eis aliis rebus in alia loca mutauit. Et post multa beneficia sacris locis collata, demum, relicto proprio episcopatu, ad contemplatiuam quietem in eliense cenobium conuersus[8] est: et ibi vsque ad finem vite sue permansit.

[1] *al.* martiris. [2] Ex Hist. Eliens. II. 75. 86. [3] HE. Aelwinus Aelfwinus.
[4] *al.* conciperet. [5] B. Matus. [6] *al.* Betricheswrde, now Bury St. Edmunds.
[7] MS. holin. [8] *al.* reversus.

p. 606.] 5. De sancta Erkengoda : in martilogio Iohannis Anglici.

Sancta Sexburga regis Estanglorum Anne fuit filia, que cum adoleuisset, Ercomberto regi Cantuarie a parentibus traditur in vxorem. Natique sunt illis filii reges Egbertus et Lotharius, filie quoque sanctissime Ermenilda et Erkengoda, quarum prior iuncta est Merciorum regi Wulfero, que sanctam peperit Werburgam. Altera vero filia, sancta scil. Erkengoda ad Franciam missa, in monasterio a sancta virgine Phara constructo nomine Brige monialis est effecta. Nam eo tempore, etc. (from here same text in the Narratio ad S. Sexburgam).

p. 614.] 6. De sancto Herberto puero a patre occiso : Iohannes in martilogio suo.

Same text as the Narratio ad Wenefredam.

p. 764.] 7. De sancto Iurmino fratre sancte Etheldrede, qualiter in ecclesia Sancti Edmundi.

Iurminus miles egregius, Orientalium regis Anglorum Anne extitit proles magnificus, ac sancte Etheldrede duorum regum coniugis et virginis in euum permanentis frater germanus. Hic relictis seculo, patre, fratre, sorore, ac regio pallacio, solitarie vite cultor et heremitice conuersacionis infatigabilis permanserat executor: qui, ob meritorum suorum exigenciam exempcionis sue de presenti vita nequam prescius, locum sepulture in oratorio, Bliborwe[1] vocabulo, sibi peculiariter preelegit, et preelectum suis sacris pignoribus satis celebre decorauit[2], ac sub obtestacione diuine essencie precipiens vt nullus mortalium futurus reliquias sui sacri corporis a loco sepulture sue primitus electo et a deo sibi concesso, quouis modo mouere attemptaret. Set quamquam sepius sanctorum deuocio aliquibus locis priuatis sit affectata, vt nullo modo velint exponi a primitiuo proposito, tamen talis affeccio subintelligenda est in diuine voluntatis disposicione. [3]Vnde contigit vt temporibus Canuti regis Danorum, tocius regni Anglie conquestoris, monachi per eundem Canutum clericis secularibus expulsis introducti, diuino nutu inspirati regem Canutum adeunt illum deprecantes quatinus auctoritate sua imperiali suffulti liceret eis sacra pignera sancti confessoris Iurmini ad monasterium gloriosi regis et martiris sancti Edmundi, cuius extitit fundator et patronus, transferre et translata digno cum honore in eminenciori loco illius basilice collocare. Quorum deuocionem rex attencius prospiciens, non solum peticioni monachorum assensum prebuit, verum eciam auctoritate imperiali eos fortificans apicibus regiis auctorizauit. Accedentes igitur prefati monachi ad oratorium Bliborwe, custodi et ministris illius ecclesie causam aduentus sui exponunt, literas regias palam demonstrant, et reliquias gloriosi confessoris exposcunt. Prefectus autem predicti oratorii de Bliborwe et officiales sui preceptis regalibus apicibus suis patentibus non aliter adquiescunt, nisi datis muneribus pro reliquiis gloriosi confessoris Iurmini ex mutua conuencione, sicut solet

[1] Bliburgh or Blideburch, in the hundred of Blything, co. Suffolk. [2] Cf. Hist. Eliens. I. 7. [3] Cf. Vita Edmundi reg. et mart. in MS. Bodl. 240, p. 605.

inter vendentes et ementes pro mercimoniis vsibus humanis necessariis dare et accipere. Datis igitur et acceptis pecuniis more institorum, monachi cum reliquiis sacri corporis sancti Iurmini redeunt ouanter ad monasterium Sancti Edmundi. Quibus reliquiis noctanter in secura custodia positis et cum omni reuerencia et deuocione custoditis: prima luce sequentis diei nichil de reliquiis sacris ibi repertum est. Admirantes igitur Monachi ad monasterium de Bliborwe redeunt, de reliquiis Sancti Iurmini questionem faciunt. Quibus ab inhabitatoribus responsum est, ibi sanctum Iurminum pausare quo decreuit, dum vixerat, imperpetuum collocari. Datis igitur et multiplicatis muneribus corpus sancti Iurmini secunda vice ad monasterium Sancti Edmundi cum honore defertur et in ecclesia monasterii predicti solicicius custoditur. Multiplicacione munerum et diligentibus vigiliis monachorum non obstantibus, ad pristinum locum de Bliborwe iterato rediit sanctus Iurminus clam monachis nescientibus. Tercia vice iter arripiunt monachi versus Bliborwe, admirantes de insolito facto quale nunquam ante hec tempora ab aliquibus mortalibus fuerat visum vel auditum. Vbi conuentum est inter monachos burienses et ecclesie de Bliborwe presidem ac consiliarios suos secretales, quod corpus sancti Iurmini poneretur in lance bilanxis, et altera lanx impleretur pecuniis quousque corpus sancti Iurmini et pecunie coequaliter ponderarent. Set in quanto monachi burienses pecunias ponderales multiplicauerunt, in tanto corpus beati Iurmini maius[1] ponderosum se reddebat: vnde, mirabile auditu et mirabilius intuitu, vnanimi assensu monachorum buriencium et clericorum bliborwencium ceperunt modum in facto suo retrogradum, diminuentes paulatim pecunias vsque ad equale pondus oboli et quadrantis[2] anglicane monete: et ita ex pacto primarie condicionis remansit corpus cum monachis in ecclesia Sancti Edmundi, et ibi est translatum ad dei honorem et sancti Iurmini glorificacionem.

p. 808.] 8. De sancta Derithea virgine et monacha: in sanctilogio Iohannis[3].

Sancta uirgo Derithea, que alio nomine Itta[4] vocatur, cum cuidam gentili copulari[5] deberet consentire noluit, et vix impetrata a parentibus licencia, cenobium monialium intrauit, et triduo ex consuetudine in eo ieiunauit. Cui demon apparens dixit: 'Rem malam disponis, et si hoc propositum ad effectum duxeris, aduersabor tibi in omnibus.' Et illa: 'Dominus michi adiutor est et dominus illuminacio mea et salus mea: quem timebo?' Iterum apparuit ei diabolus, minabatur oculos eius excecare: set illa confidens in domino hostis maliciam contempsit. Cumque uirgo vestem sanctam susciperet, demon lapides, ligna et lutum in eam proiecit. Mortalitate tandem Hiberniam vastante cum multi agros et possessiones sibi offerrent, nichil preter [IV] iugera habere voluit. Paraliticum curauit, et muto loquelam reddidit. Omnia mundi huius lucra quasi morticina abhorruit. || Quodam die mundum sanguineo

[1] r. magis. [2] =3 quadrantes (3 farthings). [3] Abr. from a life other than that in Colgan I. 66, Boll. 15. Jan. [4] MS. icta; ita crossed out before. [5] MS. cōpulari.

colore infectum [vidit][1], deinde oculis eius intumentibus visum amisit. Postea[2] mutos loqui, demones obmutescere, ceccos visum recipere, surdos audire, claudis gressus dirigere in Christi nomine fecit. Hec, more sancti Patricii, cencies in die et in nocte cencies oraciones deo fudit. Sororibus et fratribus sepius dicebat de tribus operibus quibus delectatur deus: primo enim diligit deus hominem simplicem, et religiosum magis corde quam habitu. Secundo hominem relinquentem peccata sua, et eorum memoriam ex corde delentem, ne ea que destruxit iterum reedificet. Tercio hominem vendentem omnia que habet secundum preceptum domini, et largum semper postea in paupertate sua. 'Et hec tria sunt, inquit, que execratur deus: primo hominem religiosum habitu et iniustum corde ante dominum: quoniam spiritus sanctus effugit fictum. Secundo hominem relinquentem peccata sua corporaliter, habentem tamen eorum affectum in corde: sicut Israel in deserto positus ollas et cepas Egipti corde concupiuit. Tercio hominem renunciantem suis diuiciis, et auarum in donis dei, et ea retinentem.' ‖ Orta est questio inter ancillas cenobii de pane qui furto ablatus est, et vna illarum plus aliis suspecta fuit. Cui longius pre verecundia astanti virgo sancta dixit: 'Veni innocentissima Christi virgo, non tu panem abstulisti, set aliqua femina in penitencia posita panem tulit et abscondit.' Que rea fuit, panem protulit et veniam peciit. ‖ Mortuo auunculo sancte virginis qui octo filios habuit, misit pro illis et dixit: 'Pater vester pro quibusdam commissis torquetur: det vnusquisque vestrum peregrinis et indigentibus quolibet die huius anni duodecim panes, et in fine anni venietis ad me.' Completo anno venientibus illis dixit: 'Pater vester per misericordiam dei, et per munera vestra et oraciones a tormentis ereptus est.' ‖ Vir quidam pro morte filii sui contristatus, cum lacrimis ad virginem sanctam venit, dicens: 'Non recedam a te, nisi filium meum resuscitaueris.' Cui illa: 'Non mee virtutis est set apostolorum eorumque successorum.' Cumque petendo misericordiam perstaret, virgo sancta, prece fusa ad dominum, filium eius defunctum resuscitauit. ‖ Virgo insuper alios duos temporis processu resuscitauit. ‖ Commotum est bellum contra gentem vbi sancta virgo habitabat, et illa compaciens rogauit dominum dicens: 'Parce, sancta trinitas, hominibus istis licet vilibus et mendacibus, qui me in suis finibus receperunt.' Igitur ad preces eius dominus confregit castra hostium, et victores erant pro quibus ipsa rogabat. Hec virgo sancta in Hibernia nata et conuersata, sancto fine quieuit in domino XVIII. Kalend. februarii.

The following lives in MS. Bodl. 240 have another, fuller text, than in T. E.:—

p. 594.] 1. INCIPIT COMPENDIUM VITE SANCTI AELREDI ABBATIS RIEUALLIE.

VIR vite venerabilis Aelredus ex veterum Anglorum illustri stirpe procreatus, cum adhuc infans iaceret in cunis, venit ad domum patris eius quidam archidiaconus propinquus eius secundum carnem, et

[1] om. [2] MS. Postea cum.

intrans domum vbi Aelredus iacebat in cunis, vidit faciem illius in speciem solis conuersam, et tantum sibi mutuasse luminis, vt sue manus apposite vmbra succederet a parte auersa, cum in plano palmo quod respiciebat ad faciem infantis quasi solaris lucis fulgore splendescere videretur. Miratur ille et parentibus refert incomparabilem gloriam in nati sui faciem apparuisse. Fit gaudium audientibus hec, et felicitatis exordia in primordiis Aelredi pululasse intelligentes exultant. ¶ Verum cum puerulus admodum esset paruulus, rediens a ludo quem habuit cum coetaneis suis in locis publicis, paternam ingreditur domum: quem pater intuens[1]: 'Eya, inquid, fili, quales edicis rumores?' Et ille: 'Archiepiscopus eboracensis hodie obiit, pater mi.' Ridet pater cum familia, et Aelredi vaticinium commendans, 'Vere, fili, ait, ille obiit qui male viuit.' Et puer: 'Aliter est, pater, nam carne solutus vltimum hodie vale fecit mortalibus.' Ad hec stupefacti omnes qui aderant, mirantur puerum de absentibus prophetando indicare. Set quia locus vbi archiepiscopus obiit ab eis longo[2] distabat itinere, pendet in dubio exitus prophecie, nec eo die vel altero vlla certitudinis auctoritate roboratur. At in tercio quidem rumor per prouinciam volitat, fertur passim per omnes pontificis obitus. Igitur in puericia mirabilis fuit, et fere virum mirabilem fecit cum minusculam ageret etatem. ¶ In curia Dauid regis Scocie, cum Henrico filio regis, et Waltheuo postmodum abbate de Melros, nutritus fuit et educatus. Quem rex in tantum amauit, vt eum preponeret rebus multis, mancipiis plurimis et omnibus palatinis; et magis ac magis de die in diem ipsum ad alciora prouehere cogitauit. In tantum vt eum episcopatu nobilitasset primario terre sue, nisi cicius ad religionem aduolasset. ‖ Erat tamen echonomus domus regalis, et preter illum nichil pene agebatur, intus vel foris, omnibus per omnia placens. Et licet vniuersa que fiebant eius cure subiacerent, tali tempore agebat omnia, vt remota distensione popularis inquietudinis, recto moderamine ac perutili disposicione in rerum prouisione frueretur; ibi figens interiorem oculum vbi dulcius et diucius deum potuit contemplari. Hinc est quod sepe, cum staret coram rege ad prandium fercula distribuens vt mense regalis dapifer suppremus, quasi per agoniam raptus ad superos ventrium negocia obliuisceretur, et illud apostoli per excessum dulciter contemplans: 'esca ventri et venter escis: deus hunc et hanc[3] destruet,' vix deinceps die illo cibis ipse indulgeret. Nam semper a puericia parcitati operam dabat. In vestimentis quoque et ornatibus corporis taliter incedebat comptus, vt nulla superfluitate cupiditatis seu vane glorie notaretur, signo quodam veraci future vite sue prophetans laudabilem paupertatem. Affabilitas tanta et beneuolencia in eo concurrerunt, vt Iesus a quoquam iniuriis, non turbaretur ad iram, stimulatus[4] maledictis non prouocaretur ad vindictam, contumeliis affectus non redderet talionem: set amorem pro odio, bonum pro malo, pro inuidia obsequia, et pro lingua maledica verbum dulce et opus amicabile omnibus diebus vite sue reddere satagebat. ¶ Quidam miles in curia regis durus et crudelis, contra eum insaniens eo quod a rege pre omnibus amaretur, inter socios et commilitones verba detraccionis contra eum

[1] MS. inquiens. [2] MS. longe. [3] *al.* has. [4] MS. stimulatis.

euomuit, et in presencia regis contestabatur eum indignum esse regales dispensare diuicias et tante glorie nomen et laudem optinere. Addidit et quedam que propter fetorem verborum, ne aures fedent, silencio[1] pretermitto. At sanctus Aelredus, solo faciei rubore, non sua set maledicentis confusione confusus, non calculum dure responsionis in eum proiecit, set mansuetissima locucione pacienter respondit: 'Bene dicis o miles, optime [dicis], et vera sunt que loqueris, nam mendacium odis et me diligis, vt credo. Et quod peccator sum et indignus, et quod multum deliquerim contra regem celorum, set non contra regem cui temporaliter seruio, ego valde noui.' Quis autem illorum quos viginti vel xl. annis claustralis custodia paciencia instruxit, tam benigne, tam humiliter socio suo, si ab eo corripi contingeret, responderet? Legant hunc locum, vt sciant qualis hec arbor extiterit in prima plantacione, que tantum postea fructum fecit in consummacione. Et necdum quidem conuersabatur in solitudine, set in Egipto, vbi murmur, non graciarum accio, audiri consueuit; non vox turturis, set serpencium perstrepit sibilus. ¶ Ob hanc causam, aliasque virtutum probitates, a domino suo rege arcius amabatur, in tantum vt eum suis consiliis et negociis preordinaret. Set cum iam deus vellet eum ad vtilitatem et consolacionem multorum, et propriam quietem et sanctificacionem, sibi arcius applicare, inspirauit ei quatinus religioni se traderet. In partes igitur Eboraci ciuitatis pro quodam negocio deueniens ad archiepiscopum eiusdem diocesis: didicit a quodam sibi familiari, quosdam monachos ferme ante annos tres ex transmarinis partibus venisse in Angliam, religione quidem insignes, vestitu eciam albos et nomine—et ad[huc] hoc genus ita vocatur et tegitur ita; vnde simul congregati, colunt paupertatem, non quam parit penuria necligencium et torpencium ocium, set quam voluntaria necessitas administrat, et fidei sustentat integritas, et diuina commendat dileccio. In cibo et potu, in actu et affectu, in rerum habundancia earumque indigencia equaliter currentes inter dextram leuamque vsus ydonei, semper vniformem discrecionis pretendunt speciem, tantam et talem sumentes in hiis omnibus vite vegetacionem, qua paulo minus satis corporis curetur necessitas, cultusque diuinus non tepescat. Nichil possident proprium; preter quod, simul non loquuntur, nec propria quidem quis aggreditur voluntate, ad nutum prelati excitata, que geruntur. Simili exitu flectuntur ad quelibet; pusillus et magnus, puer et senex, prudens et ydiota vna lege tenentur. Ad mensam, ad processionem, communionem, vsumque ordinum ceterorum parilitas[2] singulis vnam parit ydemptitatem ipsamque omnibus similem, nec est erga quemlibet excepcionis indicium preponderans equitatem, nisi quem maior sanctitas potuerit anteferre; sola hec distinccio digniorem approbat quem nouerit demonstrare meliorem. Quanto quis humilior, tanto maior est inter illos; et quanto abiecciior fuerit secundum propriam estimacionem, tanto aliorum arbitrio plus placebit. Isti sancti homines in solum anglicum ex transmarine religionis palestra prospere aduentantes, iuxta Helmesley, villam aduocati sui viri illustrissimi et ex primis procerum regis Henrici

[1] MS. silencium. [2] MS. personalitas.

senioris, nomine Walteri Espec, super torrentem que Rya vocatur, planicie vallis hincinde circumiacente, casas[1] fixere suas. Habitaculi autem sui eiusdemque loci nomen ex duobus composuerunt, videlicet ex ipsius torrentis vocabulo, et valle, vnde et Rieuallis nuncupatur. Hucvsque vir venerabilis ab amico fabulam non fictam set factam audiens, 'Et eya, inquit, que est via que ducit ad istos homines angelicos et ad hec loca celestia?' At ille: 'Iuxta te sunt facilimeque repperiri possunt; et si aspectum illorum desideras, aggredere, et ante diei presentis occasum implebit deus desiderium tuum.' ¶ Accepta igitur licencia, et benedictione ab antistite iniunta, vrget ire, quo nescit; set relator illum se sequi iubet, et sic agitantibus caballis velociter ante diei medium castellum introierunt Helmesley, quod a Ryauallia distat fere miliaribus duobus. ¶ In quo dum eos exciperet vir nobilis et fundator illius cenobii Walterus Espec, noctem illam cum eo duxerunt letissimam, qui mira de predictis fratribus narrans, Aelredi spiritum magis ac magis gaudio accendebat. ¶ Mane igitur facto, pergit ad monachos. Cui prior occurrit, hospitalis et portarius ducunt eum ad oracionem, post oracionem predicant ei verbum dei, et iam viui eloquii spiritualis uber ferens super terram, fontem produxit lacrimarum. Ita enim cor eius plenum fuit affectibus pietatis, roreque continue miseracionis madidum[2], vt facilius risum contempneret in iocis vrbanis et honestis faceciis, quam temperaret fletum in sermone commonitorio et edificacionis eloquio. Quid plura? consentit tandem monachum fieri: gaudent omnes, cunti letantur; res suas omnes dimisit, et dimisit vniuersa que habuit, et solum ex suis vnum retinuit secum, ceteris volentibus redire ad dominum suum regem in Scociam. Qui, vt postea fassus est, dies illos 4^or^ quibus in hospicio morabatur, mille annos estimabat pre desiderio quo concupiuit induci festinanter in cellam nouiciorum, vbi, licet ex parte modica, frui valeret contuberniis monachorum. Illis diebus non parum edificacionis contulit hospitalibus fratribus, videlicet humilitate qua se prosternebat omnium pedibus, caritate qua feruebat ad eorum obsequia, oracione qua pene indesinenter deo libamina precum offerebat. ¶ Porro cum in hospicio esset, pridie quam reciperetur in cellam nouiciorum, tale quid per eum dominus operari dignatus est. Ignis validus accensus est in ede et porrexit flamme globos vsque ad trabes, deinde ad laquearium iuncturas superiores, et ita seuiens vehementer preualebat, vt culmen edificii in momento consumere crederetur. Fit concursus monachorum, conuersorum et mercenariorum, hospitumque ad illud infortunium, quorum alii aquis, alii liquoribus ceteris incendia temperare conabantur. Set quanto plus desudabant sedare liquidis calida, tanto plus in aridis[3] et humida consumebantur. Vnde desperacio cum dolore comitatur, quia inaniter tantorum conamina moliminum[4] inpenduntur. || Aelredus autem in eadem hora ad mensam sedebat in latere eiusdem domicilii: qui in omni perturbacione illa non est motus corpore vel animo, set cum singuli dicerent 'Ve nobis, ve nobis, non est vltra spes!', ille subridens apprehendit ciphum qui coram eo appositus fuerat in mensa plenus angelicis

[1] MS. casus. [2] MS. matidum. [3] MS. arridis [4] MS. molimina.

potibus, et cum fiducia miseracionis domini leuauit eum et extensa dextera siceram[1] quam continebat proiecit in medio flammarum: et mirum dictu, statim diuinitus extincte sunt. ¶ Completo in hospicio dierum quaternario numero, rapitur in probatorium, ante tamen coram toto conuentu de proposito quod spospondit conuentus; et ibi quoque, vt alibi, responsis gracie que[2] procedebant de ore illius, omnes commouit in fletum. In probatorio vero, non facile dixerim qualis extiterit: singulis enim nouiciis cum quibus manebat, attencius se humiliauit, et sese ad comparacionem eorum penitus deseruit. In hoc autem valde mirabilis innotuit quod in prerogatiua virtutum ceterarum superauit omnes, in caritate autem vicit se ipsum: hoc vero tociens egit quociens proprie voluntatis eleccionem aliene postposuit[3] necessitati. Si hoc velim verbis exprimere quociens compleuerit, cicius michi indiceret silencium temporis defectio, quam numeri multiplicacio. ¶ Cum igitur totum annum expendisset in cella vbi tyrones Christi probantur, ante altare, vt mos est, in oratorio votum suum firmauit professione, habituali deinde vestitur cuculla, abbatis sanctificata benediccione, et deinceps in congregacione reputatur. ¶ Qui tribus monachatum decorabat insigniis: videlicet sancta meditacione, pura oracione, et honesta exercitacione. Extra horum vnum repertus est numquam: aut enim meditabatur in lege diuina, aut deum suum deprecabatur, aut vtili accioni operam dabat. Vix aliquando orauit sine lacrimis; 'Lacrime, inquit, indicia sunt cogitacionis perfecte, lacrime legaciones existunt inter deum et hominem, lacrime totum cordis produnt affectum, lacrime dei voluntatem ad animam nunciant; sine lacrimis oracio nubes celi pertransire non sufficit.' At ille totam faciem lauit fletuum fonte, cum domino suo loqueretur; totum ardorem affectuum carnalium extinxit cum lacrimis, et sese leuem reddidit facilemque ad superos saliendum cum voluisset orare. Vnde factum est vt sepe in oracione agonizans, et contempnens terram et ea que in terris videntur, insuper et seipsum, ad salutandum deum perrexit in montem, immo inter celum quodammodo et terram dependens dixit: 'Domine, memento mei, quia puluis sum, set ventus dileccionis tue, flatus videlicet spiritus sancti, me vsque huc impulit: noli me retro repellere vel precipitare deorsum, quia bonum est hic esse, et vere iocundum.' Post oracionem vero talem tamque suauem eleuacionem, quasi de magno labore venisset, lassus et tristis plangebat dampnum descensionis, et cogitans assumpcionis gloriam suspirabat. Meditacio eius solomodo ibi ducebatur vbi non transitoria fluunt, non vana fumascunt, non perstrepunt peritura, non nociua contingunt. Ad deum et ad filium eius omne robur cogitacionis sue refundebat, et tanquam longissimum filum inseruerat crucifixo Christo, cuius finem ad sedem dei patris reflexerat; filum ergo dixerim intencionem eius. In opere manuum non turbulenter se ante alios ingerit et indecenter agitat, non inpingens hinc inde in monachos, verum cum exultacione laudabilique mocione membrorum aggreditur hillariter que iubentur. Qui opus ibi incipit et ibi concludit quo tendit iubentis imperium, nec vltra nec citra

[1] MS. siceram. [2] MS. de. MS. preposuit.

prosiliens vel retardans, hoc semper proposuit et quoad potuit obseruauit, ne in aliquo prelati preceptum vel excederet nimis agendo, vel debi[li]taret faciendo minus; nullam moram, nullum tipum, nullum renitentem affectum pretendebat in cuiuslibet accionis aggressu. In cognicione et examinacione causarum prudentissimus erat interpretator, et licet vim consiliorum et virtutem sensu percepisset, nunquam tamen improbe quod ei videbatur defendere presumpsit, set semper humili relacione verbi quod humiliter sensit simpliciter intimauit. ¶ Tandem ab abbate cura sibi iniungitur nouiciorum. Inter quos vnus erat instabilis animo, et persepe ad diuersa titubabat, et nunc huc nunc illuc vt arundo pro aura mutabilis voluntatis ferebatur. Super quo motus et miseratus Aelredus dixit deo in corde suo: 'Da michi, domine, animam huius nouicii, et quod ipse minus habet salutis, licet indigno gracia tua concedere digneris.' Non multo post ille nouicius in probatorio improbus factus magistro suo indicat se velle redire ad seculum. Cui Aelredus: 'Noli, frater, noli perire: iam non poteris, quamquam et velis, et stultissimum est hoc ipsum velle cuius contrarium cupiunt omnes sancti; omnes enim saluari desiderant.' Set ille non audiens monita salutis, recessit a monasterio. Set per deuia saltus tota die vagabundus oberrans, et parum ante solis occasum ad viam veniens per quam exitum fecit, subito infra muros cenobii se sensit transpositum. Quem sanctus Aelredus conspiciens, occurrit ei dicens: 'Fili, quid fecisti michi sic? Ecce fleui pro te hodie multis lacrimis. Et credo in deum quod sicut expetii a domino, et sicut tibi promisi, non peribis.' Nam nec abbati quidem excessum nouicii reuelauit, timens seueritatem illius reuersuro nocituram. ¶ Per idem tempus cepit scribere ad diuersas personas epistolas sensu serenissimas et litera luculentas. Scripsit eciam tunc tres libros laudabiles quos vocauit 'Speculum caritatis,' eo quod opus illud sic in se continet ymaginem dei amoris et proximi sicut in speculo ymago considerantis constat prouideri. Domus ergo Rieuallis abbaciam sibi creditam, apud Reuesby construxit in prouincia de Lyndeseye, qui locus a Lincolnia xx^ti^ distat milibus: ad quam pater Aelredus electus et missus, cepit florere miraculis. Currit per totam regionem fama illius; episcopi, comites et proceres locum ipsum pro eius [fama] possessionibus cumulant, beneficiis multiplicant, pace et proteccione sua defensant. In synodis iubet illum antistes sermonem facere ad clericos, quod eciam facit; sacerdotes corrigere, quod non omittit; militum terras ex elemosine largitate possidere ad subsidium monachorum, et obedit, quia nouerat hoc illo in tempore militibus prodesse et monachis. Vix enim in illis aliqui bene vixerunt tunc temporis nisi vel monachi vel alii religiosi viri, quia omnis terra malorum malicia, cede ac vastacione turbata et confusa propemodum redacta fuerat in desertum. Volebat ergo monachis cedere ad vtilitatem, pro quo pene vniuersi pugnabant ad mortem; et sciebat possessoribus ad seculum proficere deo dare quod habebant: qui nisi hoc fecissent, forsitan eciam sine mercede cum vita et illud perdidissent. Multum ergo dilectus Christi Aelredus ab vniuersis prouincialibus, verum et a toto regno, et permaxime a rege, domum

suam opulentam parauit et vberem; intus religio augebatur omni hora et crescebat cotidie, de foris vero possessiones augmentabantur. Deus enim erat in domo illa, et dominus eam benedicebat valde. ¶ Erat enim in eodem cenobio de Reuesby monachus quidam mutabilitatis incendio conflagratus, a monasterio recedere volens: qui (v)eniens ad abbatem Aelredum dixit: 'Pater, grauitatem ordinis leuitas mea non sustinet, res omnes contrarie sunt mihi: diurnos labores non fero, crucior et angor in mora longa vigiliarum, laboribus frequenter succumbo manuum; esce absinthio in ore herent amariores, vestimentorum asperitas cutem et carnem penetrans ad ossa vsque nuda pertingit. Super hec voluntas ad alia semper inhiat, delicias appetit et ad mundi voluptates sine intermissione suspirat.' Cui abbas Aelredus: 'Et ego, inquit, esculenciores cibos et blandiora vestimenta tibi preparo et omnia que monacho debentur portabiliora indulgeo, dummodo monasterium meum inhabitare perseueranter sustineas.' 'Nolo, inquit ille, licet michi dederis omnes diuicias domus huius.' Cui Alredus: 'Nec ego gusto cibum, donec inuitum aut volentem te reducat dominus.' Quid plura? Currit monachus ad portam vt recedat, Aelredus in cubiculum intrat vt oret; lamentatur piissimus pater filium, et suspiriis cordis erroneum plangit. Fugitiuus autem ad portam veniens exire festinabat: set apertis ianuis quasi murum ferreum sensit aeriam vanitatem. Conatur magis ac magis egredi sepiusque inceptat[1] fores irrumpere: set cassato conamine velit nolit non procedit. Tandem iratus acriter sibi ipsi, cardines ianue vtraque manu apprehendit, et pedem vnum producta tibia extendens in longum, nullo modo illum vel ad medium liminis dirigere preualebat. Tunc omnes qui aderant detestantur ingratitudinem illius erga deum, et patris Aelredi magnificant caritatem, qui oracione sua ianuis apertis contra illum aerem clauserat, volentemque in baratrum iniquitatis cadere non permittebat. Set et ille compunctus redit ad patrem, petit remissionem, et stabilitatem promittit. ¶ Mortuo Willelmo primo abbate Rieuallie, successit Mauricius vir magne sanctitatis et prudencie, vtpote qui a puero in claustro dunelmensi educatus creuerat in sublimi, ita vt a sociis secundus Beda cognominaretur. Hic moleste ferens onera cure pastoralis portare, villicacioni abrenuncians post duos [annos] in claustro maluit residere. Cui Aelredus a fratribus subrogatus, amplius solito lucere iam cepit et quasi sol in centro eleuatus claritatem sue lucis lacius effudit. Qui tamen plures emulos habuit cotidie sibi detrahentes, et dicentes eum esse voracem, vini potatorem, et balneis corpus suum dantem. Quibus respondendum est: manducabat enim quod ei apponebatur[2] licitum et regulare, set ita parce, vt videntes et amantes, non eum hominem set infantem credere potuissent. Bibebat aliquando vinum propter veterem morbum calculi quo singulis mensibus cruciabatur grauissime. ¶ Quam passionem ita duram sustinuit, vt sepissime in vrina produceret fragmenta saxea ad grossitudinem fabe, quorum exitus tam erat intollerabilis vt paciens, nisi balneo temperaret et emolliret infistulatum lapidem quatinus leuius perfunderetur, subito cogeretur in mortem. Vnde fiebat

[1] MS. acceptat. [2] MS. app. suple licitum.

vt vno die duodenarium excederet numerum calidas intrando aquas et ab eis exeundo, fueritque ad vesperam tam indicibiliter lassus, vt mortuo quam viuo similior appareret. Erat eciam amicus infirmorum, moresque inperfectorum viriliter tollerabat, et sanabat plurimos; per sompnium vero manifeste futura videbat. ¶ Cum igitur per decem annos domum Rieuallie strenue gubernasset, concessum est ei in capitulo generali apud Cistercium, causa huius passionis et multarum suarum infirmitatum, quatinus in infirmitorio manducans et dormiens ceteraque infirmitati sue necessaria exhibens, non tamen se in officio suo vt infirmus haberet, set pocius quedam in conuentu, quando vellet et posset, ordinis sui administraret negocia, missas videlicet publice cantando, et non nulla alia in vtilitatibus ecclesie sue pro loco et tempore subministrando. Quam permissionem verecunde suscipiens, iussit sibi fieri manseolum iuxta communem cellam infirmorum, et ibi consistens, duorum solacio fratrum tocius infirmitatis sue curam subiecit, omnem detestans voluptatem et blandicias vanitatis. Quod quidem tigurrium patris ad tantam consolacionem fratrum edificatum est, vt ad illud venientes et in eo consedentes, nunc X. nunc XII. nunc eciam plus quam viginti monachi simul conferrent ad inuicem. De spirituali [amicicia][1] recordacione digna conscripsit. ¶ Ante tamen, vitam Dauid regis Scocie sub specie lamentandi edidit, cui genealogiam regum[2] Anglie vno libro comprehendens adiunxit. Ante tempus autem illud, de leccione euangelica que sic incipit 'Cum factus esset Iesus annorum duodecim,' exposicionem notabilem et tripharia distinccione fulgentem cuidam monacho de Sartys nomine Yuoni ex bibliotheca cordis sui conscripsit. At in illo secretario predicto, .XXXIII. omelias super onus Babilonis in Ysaia et quedam de sequentibus, valde vtiles manu sua scribendo consummauit. Post quas edidit tres libros de spirituali amicicia sub dialogo. Et post hos scripsit sorori sue incluse, castissime virgini, librum de institutis inclusarum[3]. ¶ Quo completo, vitam edidit sanctissimi regis Edwardi confessoris, deinde euangelicam leccionem ad honorem eiusdem sancti exposuit in eius sollempnitate legendam, que sic incipit: 'Nemo accendit,' etc.; et hec scripsit rogatus a Laurencio abbate Westmonasterii, cognato suo. Post que de anima, i.e. de illius natura, quantitate, ac subtilitate, atque non nullis ad animam proprie pertinentibus, tres libros composuit, set tercium, morte interueniente, non compleuit. Sermones eciam disertissimos in capitulis et in synodis centum perorauit. Inter hec epistolas ad papam, et regem Francie, et Anglie, et Scocie, ad archiepiscopos cantuar[ienses] et ebor[acenses], et fere ad omnes episcopos Anglie, et alias plures personas, trecentas edidit. Opuscula autem eius in libris et tractatibus pretactis, et aliis similibus, ad vicenarium numerum vel vltra pertingunt, preter sermones centum, et XXXIII. omelias in oneribus superius memoratis, et preter epistolas trecentas. Nec pretereundum est quomodo sub eo creuit domus Rieuallie. Omnia enim dupplicauerat in ea, monachos, conuersos, fundos et predia, et suppellectilem vniuersam; religionem vero et caritatem

[1] om. [2] MS. regis. [3] Incomplete in Migne 195; the gap is supplied in the Old Engl. transl. of MS. Vernon, ed. in Engl. Studien.

triplicauit. Hinc est quod post se Rieuallie reliquit monachos plus quam centum, et supra decies quinquaginta laicos fratres; et substancias eciam tantas dimisit illis que ad victum et vestitum maiori sufficiant multitudini si res cum prudencia tractentur, et posteris superhabundent. Et dum talis fructus prodiret[1], comitabantur[2] eum nichilominus miracula. ¶ Quidam enim monachus cardiaca passione detentus, vsum loquendi amittens, per dies quamplurimos perseuerauit mutus. Ad quem pater accedens, et digitum indicem in os eius imponens, dixit: 'Loquere michi, frater, in nomine domini.' Qui statim respondit: 'Libenter, benedicte domine, nam per tua merita sanitatem perfectam sum consecutus.' Alter mutus ductus ad abbathiam et coram patre Aelredo constitutus, audit ab eo: 'Loquere! precipio per Christum': et statim prorupit in vocem, et deum et sanctum Aelredum benedixit. ¶ Quidam iuuenis paruissimam ranulam nesciens deglutiuit dum sitim suam aquam bibendo sedare voluisset: que creuerat in ventre illius, et viscera eius corrodens singulis diebus inde carpebat quo viueret. Qui procidens ad pedes Aelredi, dixit: 'Domine, si vis, potes me sanare.' At ille, oracione facta, posuit duos digitos in ore illius: et statim rana inclusa ad digitos eius ascendit. Articulis igitur extractis, quadrupes per oris ianuam egrediens cadit in terram. Qua exeunte iuuenis dolore sublato sanitateque recepta, gracias agit deo et sancto Aelredo, cuius merito sanum se esse non dubitauit. ¶ Hiis et huiusmodi multis aliis miraculis clarens, obiit pridie Idus ian. anno domini M.C.LXVI°, et anno vite sue LVII, et anno XX° postquam domum Rieuallie suscepit regendam. Cum autem corpus eius, vt moris est, ad lauandum delatum fuisset et mundatum, caro eius vitro purior, et niue candidior apparuit, quasi quinquennis pueri membra induisset; que nec paruo quidem macule neuo fuscabatur. Sepultusque est Rieuallie iuxta predecessorem suum Willelmum primum abbatem illius loci, virum vtique venerabilem et sanctum.—At quoniam secundum veritatis in Genesi testimonium 'proni sunt sensus hominis in malum, ab adolescencia sua,' non est mirum si aliquis in iuuenili calore, inter diuicias et delicias, negociis publicis inplicatus et materiis peccatorum vndique circumseptus, fuerit aliquociens preoccupatus in aliquo delicto, licet ad sui custodiam magnam adhibuerit diligenciam. Sic iste Aelredus, qui in multis commendabilis, ut pretactum est, et sine querela incedens, sub primo iuuentutis flore virginitatem suam fertur deflorauisse. Quod non penitus ad sui perniciem, set pocius ad humiliacionem creditur contigisse, cum illud ad memoriam iugiter reuocando, et dei misericordiam circa se magnificando, in scriptis suis humiliter confiteri, et ob hoc se ipsum tanquam flagiciosissimum culpare videtur et lamentari. Set et hoc in prima pubertate accidisse opinatur, prout ipsemet in libro De institutis inclusarum meminit; sorori sue inter cetera sic scribens: 'Recole, si placet, illas feditates meas pro quibus me plangebas,' etc. Sic vsque in senectam et senium pauca commissa puerilia, multa iudicabat, et deflebat tanquam immanissima. Qui licet iuuenis veniret ad religionem, caritas tamen cooperiens multitudinem peccatorum, in illo

[1] MS. periret. [2] MS. commitabantūr.

prius existens cum paciencia et humilitate ceterisque virtutibus. ad talem maculam detegendam sufficere videbatur. Set quod ante conuersionem suam ab huius delicto penitus abstinens contra concupiscencias carnis certamen inierit, et virtutum amator factus deo adherens eius dulcedinem adhuc secularis sepius degustauerit, non solum ex precedentibus, verum eciam ex verbis eiusdem perpendi potest, quibus in cap°. XXVIII. primi libri De speculo caritatis seipsum districte accusat. Quanta enim efferendus sit laude, quantoque preconio eum extollere debeant fideles, sermone diserto stiloque eleganti exprimit venerabilis abbas Gilbertus in tractatu suo Super cantica canticorum, omelia xl^a.

p. 798.] 2. INCIPIT VITA SANCTI THOME MONACHI MARTIRIS DOVORRIE.

AD laudem, gloriam et honorem nominis domini nostri Ihesu Christi omnes, qui credentes estis in illo, hunc locum frequentantes, seu per hunc locum transeuntes: si hanc qualemcunque scripturam legere decreueritis, non ipsam, queso, rudem verborum seriem minus apte compactam tantummodo corrigatis, verum eciam domini nostri Ihesu Christi sacrosancta virtutum magnalia, que meritis dilecti serui sui fratris Thome de la Hale, quondam huius ecclesie monachi, hoc in loco tumulati. Christi fidelibus varias infirmitates[1] tam corporum quam animarum diuersimode sustinentibus et sub spe melioracionis impetrande hunc prefati monachi tumulum per se vel per alios visitare vouentibus diuinitus sunt ostensa et graciose collata, tota mentis deuocione venerari, predicare et attollere velitis: quatinus exinde Christo laudes et gratiarum acciones a suis fidelibus persolui valeant vberiores. Nam sicut voce veritatis asseritur: non est accensa lucerna sub modio recondenda, set super candelabrum verius attollenda: vt qui iuste viuere voluerint, lumen veritatis valeant intueri, et ipsum saltem discant venerari, laudare et glorificare qui dicit: 'Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, set habebit lumen vite.' Ex hac quippe vera mundi luce Iohannes euangelista loquitur dicens: 'Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.' Ex hac eciam vera luce illa preclara beneficia miraculosa, quibus cotidie Christi fideles[2] tam in corpore quam in anima graciose sanantur et illuminantur; ex quorum vero numero monachus iste fuit. Omnia quippe sine dubio ab ipsa luce proueniunt et procedunt. Ergo non immerito a cuntis Christi fidelibus qui in mundo sunt hec verba, et preclara et gloriosa lux omni deuocione est adoranda, colenda et veneranda. Nunc igitur in huius gloriosissime lucis nomine et honore legantur quedam gesta com[m]endabilia, que monachus iste, dum in hac vita temporali conuersatus est, strenue gessit. || In primis siquidem sacre scripture non immemor, qua dicitur: 'Iustus ex fide viuit,' et idcirco firmus et stabilis semper in fide vixit, et omnia que vere fidei sacramenta concernebant, magnanimiter obseruauit, bonis moribus et sacris operibus suis fideles quosque multipliciter confortando et vere letificando; quia secundum verba beati Gregorii 'felix est qui credendo bene viuit, et bene viuendo fidem rectam custodit[3]. Et ille

[1] MS. variis infirmitatibus. [2] MS. fidelibus. [3] on the margin: Felix est qui bene viuit.

vere credit qui exercet operando quod credit.' Hiis quoque modis quoad fidei seu credulitatis obseruanciam monachus iste feliciter vixit. In spe vero fortis, paciens, longanimis et perseuerans iste monachus fuit. Nam sana consciencia intus in animo adeo munitus extitit, vt nulla potuit aduersitate frangi, nulla terrena felicitate a bono concepto proposito seduci, auelli vel mutari, set pacienter et longanimiter in proposito bono et precipue monachico, quod ab inicio professus est, incommutabiliter vsque ad mortem perseuerauit, nec vllo modo desperare potuit de retribucione felicitatis eterne. Caritatem vero monachus iste erga deum et fratres suos constanter tenuit: Nam creatorem suum in tantum dilexerat, cuius solius amori semper inherere cupiebat, vt ob eius integer[r]imam dileccionem seculares honores quoslibet penitus deuitans, nusquam toto tempore vite sue curis vel officiis interioribus vel exterioribus quomodolibet uoluit implicari, set tantummodo cum conuentu et in conuentu diuinis obsequiis, et in fratrum suorum oneribus subportandis, continue et infatigabiliter permansit occupatus, vbi omnibus confratribus suis humillimum, mansuetissimum, pium, modestum, tranquillum, placidum, pacientem, obedientem, deuotum, et precipue caritatiuum semetipsum semper exhibuit. Solebat namque monachus iste nocturnis precipue temporibus, dum conuentus se quieti dedisset, relicto stratu suo de dormitorio in ecclesiam latenter descendere et ad altare beate Marie et sancte Katerine martiris caucius pergere, ne inuestigaretur ab aliquo, et ibi, quia locum ipsum reputabat secretissimum, in oracionibus se prostrare, et prostratus orando vigilare, vsquequo sonitum audiret cuiusdam tintinnabuli in dormitorio, quo fratres solent a sompno excitari; quo vero agnito et audito, lectum [repetere et][1] quasi cum aliis fratribus tunc primo surrexisset, sic[2] cum eisdem paratus ad officium diuinum peragendum in ecclesiam descendere, vsque ad explecionem matutinorum moraturus ibidem. Et sic rara vel nulla noctium tempora pertransierunt[3] que non duxit peruigil et insomnis. Et nichilominus in obsequiis diuinis exercendis tam de nocte quam de die, et pro se ipso et pro fratribus suis, promptus, paratus et assiduus semper fuit. Nam quolibet die aut missam gloriose virginis Marie, aut missam matutinalem, aut summam missam, vel saltem missam priuatam celebraret; preterea aut epistolam vel euangelium in summa missa legeret[4] cotidie reuestitus. Grauis namque pena sibi fuit, si cuiuspiam fratris onus tam [de] die quam de nocte minime subire potuisset; et e conuerso magnum videbatur sibi solacium contigisse, cum a quoquam fratre regulariter in tabulata sibi iniungeretur[5] vices suas supportare; sic procul dubio, vt si possibile fuisset, totum obsequium diuinum diurnum et nocturnum solus ipse libentissime pro fratribus suis sustinuisset. || Nunc ergo libet intueri quomodo, qualiter et vbi monachus iste cibis et potibus solet recreari. In primis, veraciter dici potest quod a primitiua conuersione sua vsque horam illam qua interiit, nusquam extra refectorium manducauit vel bibit, set semper horis prandendi vel bibendi statutis paratus fuit cum conuentu et in conuentu qualem sibi placuit percepturus annonam. In cuius haustu siue gustu sibi ipsi nimis parcus extiterat. Omni tamen

[1] om. [2] MS. et sic. [3] MS. pertransierat. [4] MS. legerat. [5] MS. perungeretur.

feria quarta et omni feria sexta pane et aqua solummodo contentus; carnibus vero nec infra nec extra septa monasterii vmquam, sanus vel infirmus, vesci uolebat. Et quicquid de cibariis vel indumentis sibi regulariter subministratis carni proprie, factus austerior et rigidior, subripere potuit, totum pauperibus Christi de licencia sui superioris sibi concessa distribuit, et secrecius erogauit, ita quod nullus omnino hominum preter ipsum largientem et pauperem recipientem conscius inde fuit; illud euangelicum laudabiliter obseruans: 'Cum facis elemosinam,' etc. Considerans eciam monachus iste et subtiliter perpendens illud quod scriptum est: 'In multiloquio vix deerit peccatum,' et similiter aduertens quod nonnumquam ex frequenti colloquio sensus interior distrahitur, mens a firmo proposito rapitur et ad minus vtilia cogitanda multis modis deriuatur, consciencie puritas denigratur, et multa alia inconueniencia et precipue viris religiosis propter linguam minus caute refrenatam sepius suboriuntur. testante Iacobo in epistola sua, dicente: 'Si quis putat religiosum esse non refrenans linguam suam etc., huius vana est religio'; et alibi scriptum est: 'Quis est qui non delinquit in lingua sua?' et alibi: 'Qui custodit os suum et linguam suam, a multis periculis custodit animam suam': premissis omnibus consideratis fedus indissolubile cum consciencia sua pepigerat vt nec [cum] noto nec cum extraneo colloquium haberet nisi quando racionabilis vrgens valde et honesta necessitas ipsum ad hoc compelleret, sacre scripture non immemor dicentis: 'Cum silencio et oracione age quod agis in veritate.' Hiis itaque premissis omnibus, et aliis quammultis virtutum preconiis iste monachus insignitus, et de virtute ad virtutem semper ascendens, sub regula beati Benedicti in hoc monasterio per spacium triginta annorum, diuina cooperante gratia, regulariter et laudabiliter vixit. ‖ Anno igitur incarnacionis dominice millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, secunda die mensis Augusti, per diem Martis, in crastino scilicet beati Petri ad uincula: graui guerra inter reges Anglie et Francie suborta et inter eos diu continuata, tandem rex Francie parari fecit magnam classem piraticam numero grandium nauium quingentarum, cum magna multitudine scapharum et galearum eis consociatarum, que anno et die supradictis in portu Douorye applicuerunt terram Anglie hostiliter inuasuri, vt eandem terram Anglie regis Francie dominio subiugarent. Ex quibus nauibus et nauellis circa horam terciam illius diei exilierunt et ad terram se dederunt quindecim milia vespilionum seu predonum, scutis, clipeis, hastis, iaculis, gesis, et ex omni genere armorum et precipue ferreis preclare radiantibus fortiter munitorum: qui statim apponentes ignem, domos plurimas in villa Douorie concremarunt; set nullam ibidem inuenientes resistenciam, ducentibus inimicis nostris Caleisiensibus, ad hoc monasterium festinanter peruenerunt. Qui portas ecclesie monasterii circumquaque vallantes, dei timore postposito, violenter confregerunt, et igne similiter combusserunt; et ingredientes, quotquot inuenerunt familiares infra septa deambulantes crudeli morte statim peremerunt, deinde domibus multis flammis inibi traditis, per omnes et singulas officinas velocius discurrentes, quicquid in eis euellere vel manu

mouere poterant rapiebant. Monachi vero omnes interim stantes in ecclesia et rerum euentus tristatis animis prestolantes, audierunt tandem tumultum terribilem crudelium vespilionum claustrum ingressorum: qui timore mortis perterriti, ad latibula superius in [1] ecclesia singuli conuolarunt, preter solum monachum istum, scilicet fratrem Thomam, qui pro eo quod tunc in ipso momento hora meridiana fuit, nec regulam uolens offendere, dormitorium solus ascendit ad lectum suum, ordinem completurus. Et vix lectum attigerat, et ecce maledicta cohors precedentibus Calcisiensibus est euestigio insecuta: set nichilominus frater Thomas parauit lectum suum intraturus [2]. Et erat in dormitorio quidam paruus locus secretissimus et firmiter clausus, ex opposito lecti fratris Thome, in quo [3] loco diu ante alienigenarum aduentum ex deliberacione conuentus omnia ornamenta ecclesie vt in libris, vestimentis, calicibus, thurribulis, peluibus, fialis, sacris reliquiis, munimentis ecclesie tam regalibus quam papalibus, et aliis quamplurimis ornamentis, deposita fuerant custodienda. Ad quem locum maledicti predones celerius [4] accedentes, violenter ostium fregerunt, et ingressi, omnia premissa rapuerunt. Que cum frater Thomas vidisset, turbato vere [5], forti tamen animo surrexit, et stans ante lectum suum viriliter redarguit eos, dicens: 'O viri scelerati, quid facitis? desistite et cessate ab operibus vestris nephandissimis. Quare non timetis deum, in cuius graue preiudicium hec omnia committitis? An nescitis quoniam illicitum sit vobis manibus pollutis et indignis consecrata dei iocalia tam irreuerenter contingere? Si igitur dei reuerenciam et dilecciones [habetis], rebus consecratis in pace dimissis, via qua venistis redite, ne pro demeritis vestris illam terribilem maioris excommunicacionis sentenciam incurratis.' Qui salubria huiuscemodi monita ferre non valentes, omnes voce terribili vnanimiter conclamarunt super eum, dicentes: 'Set tu, senex calue, redde nobis thesaurum tuum quem [6] diu colligendo abscondisti, ne tu statim mala morte moriaris.' Quibus ipse modeste respondit: 'Fateor vobis quod thesaurum habeo preciosissimum et indeficientem in corde meo repositum, scilicet dominum meum Ihesum Christum, et intemeratam virginem matrem eius dominam meam Mariam: a quo quidem thesauro quicquid feceritis non spoliabitis me.' Qui statim in insaniam versi, irruentes in eum alii gladiis, alii securibus coronam capitis eius plagis atrocissimis horribiliter vulnerauerunt, ita vt cerebrum capitis patenter videretur. Et ne quodlibet vite spiraculum in eo vigere permitterent, corpus eciam tabefactum et diuersis in locis inpiissime sauciatum et solotenus precipitatum, hastis et pugionibus suis nequiter transfixerunt, corpus exanime relinquentes. Statim vero postea per singulos lectos monachorum discurrentes, quicquid in eis repperire poterant furtiue sustulerunt. Quibus celeriter [7] perpetratis, timentes populum patrie in subsidium vndique concurrentem, et ipsi maris [in]temperiem preuenire uolentes, spoliis et rapinis suis simul collectis, manu sacrilega secum ad naues deportauerunt. Que quidem spolia sua et rapine quibus hoc monasterium spoliauerunt, iuxta veri valoris estimacio-

[1] MS. in in. [2] MS. intraturum. [3] MS. in quo ante. [4] MS. scelerius. [5] MS. vero. [6] MS. quam. [7] MS. sceleriter.

nem se largiter extenderant ad summam mille quingentarum sexaginta librarum, preter reliquias et munimenta monasterii, quorum precium nullo modo potuit estimari. Erectis igitur malis et velis expansis, classis ipsa pestifera Francie ad patriam de qua venerat celerius[1] est reuersa. Monachi vero qui pridem metu mortis perterriti ad latibula confugerant, recessu maledictorum vespilionum cum nauibus[2] suis veraciter intellecto, deorsum in ecclesiam descenderunt. Et in dormitorium conscendentes, casus sibi lamentabiles ibidem inuenerunt. In primis namque karum confratrem suum fratrem Thomam de la Hale terribiliter vulneratum et in sanguine suo, ut ita loquar, rebaptizatum, in solo ante lectum suum, altero pede discalciatum, mortuum misere videre iacentem. Pro quo tam nequiter iugulato grauibus lamentis singuli monachi se dederunt, voce flebili conclamantes: 'Ve nobis quid et nos acturi sumus, qui magis hanc miseram mundi vitam seruare contendimus quam cum hoc fratre nostro regulam nostram obseruando feliciter occumbere. Potuit namque vir dei, si voluisset, ad latibula nobiscum confugisse et mortem forsitan euasisse: set maluit se mortis periculo salubriter exponere, quam regulam sancti Benedicti, quam professi sumus, aliqualiter offendere. Ecce pro qua culpa frater noster ab iniquis interfectus est. Certe ob nullam aliam causam, nisi quia regulam nostram nolebat infringere, et quia uolebat sancte dei ecclesie violatores et crudelissimos spoliatores ut resipiscerent salubriter consulere. O quam graue viro dei contigit infortunium, qui toto tempore conuersionis sue regulariter et innocenter vixit, tam pro se quam pro nobis omnibus et precipue in obsequiis diuinis strenue et indefesse laborando.' Deinde in obliquo prospicientes, ostium loci illius in quo thesaurus ecclesie reconditus fuit violenter dirutum et confractum, nec non omnia et singula bona introrsus deposita spoliata et asportata, vna cum lectis eorum simul omnibus rebus exspoliatis, repperierunt. Qui cum ingenti merore, omni tamen qua poterant deuocione, ad corpus confratris occisi conuersi, omni qua poterant humanitate illud recolligentes eius exequias parauerunt. Verumptamen tot et tantis doloribus, angustiis et dampnorum miseriis vndique [erant][3] fatigati vt nec ea qua decuit [reuerentia][3] exequias sollempnizare potuerunt. In crastino vero monachi, considerantes quod coram altari quod in honore gloriose virginis Marie et sancte Katerine dedicatum est, noctium saltem temporibus secrecius in oracionibus suis dum vixerat excubare solebat, hoc in loco qui ipsum altare concernit corpus eius humandum seu sepeliendum decreuerunt. Cuius vero corpore sacre tradito sepulture: placuit statim Altissimo Christi fidelibus monstrare in aperto quanto pie dilectionis zelo ipsum zelauit viuentem in hoc mundo. In tantum namque circumquaque fidelium tam remote quam propinque positorum excreuit deuocio, vt quolibet die adueniente tumulus eius peregrinancium deuoto visitaretur obsequio. Vnde non nulli candelas accensas, alii ymagines, alii capita vel oculos vel dentes, alii vero manus et brachia, alii autem pedes et tibias, nonnulli vero naute a maris periculis graciose liberati nauiculas et huiusmodi instru-

[1] MS. scelerius. [2] MS. manibus. [3] om.

menta de cera similitudinaliter transformata ad eius tumulum de die in diem deuotissime obtulerunt. Ita ut tam viri quam mulieres peregre tumulum eius visitantes publice conclamarent quod 'propicius deus meritis beati serui sui fratris Thome de la Hale monachi Douorye de tribulacionibus et angustiis, periculis et infirmitatibus nostris, in virtute domini nostri Ihesu Christi nos misericorditer sanauit et liberauit;' cui honor, laus et gloria in secula seculorum amen.

p. 822.] 3. Vita sancti Winewaloei abbatis.

ERAT in insula Britannica vir quidam illustris, spes prolis beate, nomine F[r]acanus, Caton regis britannici, viri secundum seculum famosissimi, consobrinus; cuius adhuc sacrum in lumbis latebat semen. Iste igitur cum geminis natis, Withnocho Iacoboque vocatis, parenteque eorum Alba nomine, que cognominabatur Trimammis[1] eo quod ternas equato natorum numero habuerit mammas—nam eorum germana non est in mammarum calculo reputanda, quia feminarum non est moris in scripturis texere genealogiam:—iste, inquam, marmoricam Britanniam, vbi tunc opacum adhuc sine clade audiebatur siluisse terre spacium, rate conscensa aggreditur, enatato cum paucis ponto britannico, et circio leniter flante dilatus est in portum qui Bracheus dicitur. In qua statim proxima queque perlustrans et fundum quendam reperiens non paruum, siluis dumisque vndique circumseptum, inundacione fluuii, qui proprie Sanguis dicitur, locupletem, feliciter cum suis ibidem habitare cepit. Eodem tempore crescente paulatim sociorum numero magnaque rerum copia invndante, tertius, sancte formam exprimens trinitatis, exoptatur filius, quasi omnino esset parum duos tantum habere filios. Beata ergo femina preoptatum in se habere se persensit conceptum, maritus pregnanti aggaudens femine magna cordis alacritate tangitur, sperans illum heredem post se futurum; magnus dies natalis infantis a cuntis speratur venturus. Affuit ergo dies desideranda in qua bona diu exspectata ostenduntur patrie: dies, inquam, que cuntis lucidior diebus, occiduis patuit Armoricis. Quem genitum pure appellant nomine Winwaloeum. Beatissimus autem infans beata parente natus, et nobiliter secundum dignitatem seculi educatus, mox vt effari orsus est, ad dei mira intentione laudem assuetus est et cuidam patri spirituali, qui suam posset et aliorum curare animam, auidius sacris imbuendum literarum studiis se tradi rogabat, perpetuas inter celibes affectans ducere choreas. Set pater beatissimi pueri precibus abnuens, amantissimum filium suum minorem natu seculi molitur fieri athletam. [At][3] deus qui cunta in melius vertit, illum cum pastoribus quadam die pascentem gregem, terribili chorusci celi perterruit fragore. Vir[4] luminis nouitate perculsus, acclinis ac semiuiuus cecidit in terram, ita deum exorans: 'Domine deus rex omnipotens, in tua dicione cunta sunt posita: tuum tibi, non meum, inquit, filium Winwaloeum in ara tue laudis volens offero. Et non solum quem queris minorem, set et duos eius pariter cum eo germanos tibi deo reddam.' Nec mora terribili pauore concussus domum rediens, cunta

[1] MS. trimamitus. [2] MS. tamen. [3] MS. qu, crossed out. [4] MS. Via.

que in pascuis acciderant vxori sue referebat. Post septem vero dies vna cum infantulo, nouo Christi milite, quendam angelicum adiit magistrum nomine Budocum cognomine Arduum, sciencia preditum, iusticia egregium, quem velud quoddam fundamentum columpnamque ecclesie firmissimam cunti pariter tunc temporis credebant. Dum autem iter agerent ad insulam que Laurea appellatur, vbi lux fidei predicta[1] fulgebat, totus caligine polus obuoluitur, terra tremit, aer choruscat, freta feruent, et totum turbine et igne et cum niue grandine mixto turbatur pelagus, totamque circa tenuisse terram putatur. Pater autem tanta se videns circumdari procella, 'Timeo, inquit, dilecte deo, ne iter nostrum hodie impediatur.' Infans vero leto animo exultans: 'Cur, inquit, pater meus, vereris? Ipse creaturarum auctor qui cunta cum non essent fecit, qui celum sideribus ditauit, terram flore ornauit, mari terminum inposuit: aeris quoque iniuriam sedare, cum velit, et ponti potest mitigare fluctus. Nam nichil timentibus eum deerit. Vnum ergo est necessarium, vt totam in illo spem habeamus, et in eius semper dilectione maneamus, quia et ipse prius dilexit nos.' Hec et alia multa dictante puero, patre vero rem in corde suo tacite considerante simul et admirante: ecce totus subito sole apparente qui velaniensis dicitur pagus effulsit, et dies serenissima vsque ad vesperam illuxit. Sole igitur tandem per climata celi deuexa vergente ad australia, prefatus vir familiari cum iam dicto doctore vsus alloquio, omnem itineris sui causam exposuit et difficultatem. At doctor egregius verba narrantis intento hauriens ingenio, secumque audita parumper retractans, paruulum sibi acciri precipit. Ille autem sancto incitatus spiritu, nec mora concitus ac si plurimis inbutus annis, nemine docente toto in terram prostratus corpore ad tantum accessit patronum. Tunc vero magister, diuino prouidus spiritu, talia exorsus sic patrem pium alloquitur dicens: 'Puerum quem michi com[m]endas, video moribus transcendere etatem, et puerili in forma grandeuum conspicio virum et ingenii sagacitate diuina iam sollerter sapiencia eruditum.' Hiis et aliis inter se condictis, eiusdem pater paruuli—si fas est dici paruulum qui dei contemplatu iam conspicitur magnus—mane consurgens accepta viri dei benediccione per viam qua venerat prospere domum reuersus est. Puer autem beatus quamuis adhuc infantulus esset, nullo tamen primo parentis tedii pulsatus merore sicut quidam solent paruulorum cum in scolis a parentibus segregati mittuntur, cum predicto magistro stabilis permansit in monasterio. Statimque sub vnius diei curriculo cuntas tocius abbecedarii pleniter ediscens notas, ac si[c] dehinc, crescente in illo annorum numero, donorum gratia, vniuersos veteris ac noue legis cum sacramentis suis in corde suo recondens sermones, sanctarum eximius factus est sciolus perscitor scripturarum. Post non longum tempus predicto patre spirituali ad quendam locum oracionis gracia transeunte, discipulis[2] autem in insula relictis, magistri obtestacionibus constrictis: vnus eorum puerili adhuc florens etate, per plana discurrens cum quibusdam leuioribus ludentibus et senis mandatum obliuiscentibus, crure perfracto magno confestim casu afflictus est;

[1] MS. predicte. [2] MS. discipulus.

statimque luctu et dolore nimio lusus permixtus est, et omne cor maiorum et minorum vehementi merore percussum est pariter et pauore. Omnes enim quotquot aderant in vnum congregati, et propter lesum puerum vehementer tristes effecti, et maxime propter senis interdictum concussi timore, lacrimis infusi querulis plorabant [vocibus][1] dicentes: 'Quid acturi sumus quove ituri sumus? Fugiemus an exspectabimus? Quid excusacionis habebimus? Ille nos contra antiqui hostis insidias propriis cauere docuerat dictis, nos autem necligentes et verbi eius contemptores pro paruo decretum eius duximus.' Hec et alia multa illis cum alto suspirio cordis dicentibus, ecce mox beatissimus Winwaloeus sancto mouente spiritu, cuius iam non vult deus virtutem celare set cuntis cernentibus, vt in signum et exemplum sit, quasi tedam super candelabrum propalare, tristes eos aspiciens et manu silencium inponens, talibus verbis affatur dicens: 'Viri fratres et patres, nolite iam plorare, nolite amplius animo prosterni. Nulla enim tam magna passio est que non habeat mederi: quia non longe adest medicus si intimo, non ficto requiratur ingenio, qui omnes[2] illum confitentes eciam sine vllis olerum malagmatibus curat. Omnes igitur separatim singuli cum precibus fiducialiter adeamus Christum.' Qua fretri commonicione vnanimiter deum exorant. Ipse autem solus, eleuatis ad celum oculis cum manibus, intentissime orabat dicens: 'Domine Ihesu Christe, qui iacentem in squalore per Ade inobedienciam mundum erexisti, qui ligni vetiti pomum a parentibus antiquis comestum tue sancte crucis tropheo dulcorasti, qui illum refugam tyrannum iehenne ignibus deputasti, qui tuis seruitoribus vitam eternam promisisti, qui a querentibus te omnino non elongaris, qui cecos lumine et mancos manibus et claudos gressibus exanimesque uita per tuos famulos decorasti: hunc quoque nobis, licet valde horum dissimilibus qui hec a te impetrare meruerunt, oramus redde incolumem et sanum.' Statimque completa oracione ad puerum conuersus, et locum plage crucis signaculo consignans, dexteramque eius tenens: 'Surge velociter, inquit, in nomine domini nostri Ihesu Christi.' Nec mora audita dei serui voce, sanus et quasi nichil mali sustinuisset ante effectus, nullius manente lesure vestigio, surrexit. Hoc autem facto, precepit fratribus ne cui hec reuelarent, hanc rem eorum pocius meritis deputans quam suis. At[3] quanto abscondi cupiebat, tanto magis deus illa monstrari faciebat. Seni ergo de via reuertenti, cum ad accessum venisset locum, a referentibus nota habentur cunta que acta fuerant. Qui gaudens interiori leticia, et secum reuoluens quisnam esset iste cuius adhuc per manum in hac etate sistentis Christus hec operabatur, deo gracias agit. ‖ Per idem tempus crescente in eodem gracia dei coram deo et hominibus, et precurrente euum adhuc tenerum sophia: ne velud pecunie male defosse custos iniquus ab exactore condempnaretur, iunior quosque [pauperes][4] statim vt reperiebat, quos summus magister fratres non dedignatur appellare, alimenti corporalis administracione, diuini pabuli refocillacione cepit nutrire, iam non surdus diuini eloquii auditor dicentis: 'Qui obturat aurem suam ne audiat clamorem pauperis, clamabit et ipse et non erit qui exaudiet,'

[1] om. [2] MS. illum omnes. [3] MS. Et. [4] MS. fratres.

et alibi: 'Quamdiu fecistis vni ex minimis meis, michi fecistis.' Mox enim vbi pauper clamaret, deo gracias agens festinus, cum omni tamen grauitate et modestia, nisi in aliquo forte diuini officii occupatus negocio quod nullo omnino posset differri modo, occurrebat ad eum, opem illi confestim prestaturus. Et quos vnde pasceret substancia corporali minime haberet, vberibus fletuum querimoniis illorum penuriam deplorabat, et corda eorum spe retribucionis eterne subleuabat; et commemorans illis vocem ewangelii, 'Beati eritis qui nunc fletis et esuritis, quia ridebitis et saturabimini,' celestibus eos non cessabat educare diuiciis, que vmquam dispergendo detrimentum pati nesciunt, set magis magisque largiendo in augmentum sui cum feruore accrescunt. Ita cum non haberet ter[r]estres gasas, prebebat celestes. ‖ Quadam aliquando die dum ex more solito pauperum corda mollita celestis oraculi dulcedine deliniret spem promittens retribucionis eterne, atque oracionis solacia commiscens eorum indigenciam multum defleret: contigit vt quidam ex scolasticorum collegio illac transiret. Qui mox liuore percussus inuidie et contra dei famulum vehementer iratus, in verba subsannacionis et inclemencie prosiliens talibus illum verbis increpitat dicens: 'Tune hec vana quasi misericordie opera erga dei pauperes agitas? Ecce cotidie iacentes in plateis vagi vndique colliguntur pauperes vt a te inbuantur, et nichil proficientes regrediuntur vacui. Quomodo ergo per totum [diem] laborans opus tuum in tam ignobili vulgo flebiliter deperdis, quasi misericordiam simulans cuius affectum non habes? Tune ille es cuius saltem vel vmbra omnes curantur poscentes, aut cuius, pecuniam habere se denegantis, virtute suscitatur claudus?' At contra aperiens os suum beatus Winwaloeus et deo gracias agens, hanc humiliter letissimo pro tali conuicio uultu reddidit illi responsionem, dicens: 'Benedictus sis, amantissime frater, quia sicut oportebat conuenientissima michi protulisti testimonia. Clausis omnium oculis calamum quassatum laudancium, tui solius aperti sunt oculi, qui hoc tam recte de me diiudicare potuisti.' Protinus sanctus Winwaloeus de medio languencium quendam cecum arripiens excepit, ducens illum secum[1] secreciorem, et ita orans ait: 'Sicut oculos[2] cecorum clamancium ad te "Miserere nostri fili Dauid" sanasti, ita tu, domine Iesu Christe, digneris quoque et istius fratris in te confidentis oculos sanare.' Aperiens denique oculos eius manibus suis, et spuens in illos, ait: 'Argentum et aurum non est michi, quod autem habeo hoc tibi do: In nomine domini nostri Ihesu Christi respice.' Apertisque eius oculis, qui tristis ductus fuerat e porta, letus, nullo reducente, recurrit ad illam. Magister, vbi hec a narrantibus audiuit set tamen quomodo accidissent penitus ignorantibus, deo gracias agens festinanter, cum summa tamen grauitate, ne quis forte propter hoc extolleretur in mente, letus currit ad portam. Et interrogans quisnam eorum et quomodo visui donatus fuisset, a quodam didicit se cecum fuisse set a quodam iuuene introductum fuisse et curatum. Senex autem admirans pre gaudio: 'Quid tibi fecit, inquit, aut quomodo aperuit tibi oculos?' At[3] ille respondens: 'Mendicus, dicit, sedebam et cecus, sperans in medio pauperum a transeuntibus aliquid me ac-

[1] MSS. cecum. [2] MS. oculi. [3] r. Ac?

cepturum : set ille me secum per manum attrahens putantem elemosinam se daturum, cum se pecuniam huius mundi excusasset non habere, hoc michi melius pro dono concessit lumen oculorum.' Senex ad hec : 'Qualis est ille qui tibi, cum non habebas, visum dedit?' Is autem qui cecus fuerat : 'Talem, respondit, non video inter vos.' At senex : 'Posses, inquit, illum si videres, agnoscere?' Ait : 'Eciam, domine.' At senex iussit omnes congregare scolasticos. Hiis vero congregatis, prospectisque omnium vsque ventum est ad sanctum Winwaloeum uultibus : 'Iste est, inquit pauper, qui me sanum fecit.' Hiis auditis, senex et sui pariter discipuli confestim proni in terram adorauerunt. Ille autem valde concussus, et prohibens a talibus adorari, multum deplorans indignum se huius muneris esse dicebat, ac ne suo[1] set eorum magis vna cum magistri merito hanc virtutem, licet per illum ostensa fuisset, ascriberetur factam, cordis dolore compunctus nimis rogabat. Magister ad hec, continens illum ne nimium eius inflecteretur animus : 'Caue, aiebat, fili, ne lucernam quam deus ipse accendit extinguere nitaris. Caue ne talenti vnius quasi auarus seruator dampneris, et ne dona dei que tibi optaui habere grata, quasi supervacua contempnas.' (C^{m} 8^{m}). || Ex hoc tempore magne auctoritatis sanctus Winwaloeus in diuino cultu cepit esse, et celebre nomen pre omnibus coetaneis eius meruit habere. || Quadam die, dum ex more leuioris adhuc et instabilioris etatis soror eius vnica, Cheiriua nomine, paruula adhuc puella, cum aliis luderet puellis, forte accidit vt oga transeunti obuia occurreret oculumque diripiens penitus erueret atque cito absorberet. Dehinc puella, facie cruore pertincta, deformis cum planctu regreditur, tunc miserorum exoritur clamor planctusque parentum. Ecce vero, dum hec agerentur, angelus domini in sompnis subsequenti nocte apparuit sancto Winwaloeo, dicens : 'Sancte dei Winwaloee.' Quo respondente 'Presto sum,' ait : 'Surge, festina, corda parentum tuorum releua, nam nimia modo coangustantur tristicia ; non des requiem palpebris tuis, nec oculi capiant sompnum, donec tibi iussum Christi impleueris mandatum. Nam hodie, oga gallo trahente, vnica germana tua perdidit oculum suum, set locus in quo est reconditus venter oge est. Nec tibi in corde tuo hesitans set semper fidens de dei misericordia qui opem ferre consueuit recte postulantibus, dum ad locum peruenieris destinatum, tolles auem predictam—non enim erit tibi omnino ignota, nam alta alias supereminet : et euiscerans uentriculum eius, recipies oculum sororis tue : ac sanum incolumemque in loco pristino collocabis. Dominus enim, cui non inpossibile est vllum verbum, hoc per te faciet signum, ac tuam per te sororem parentibus vestris reddet sanam. Nec tibi parua quidem adherebit in excusando cogitacio, dicendo : "Egiptum reliqui nec volo regredi ad illam," et euangelium recordando : "Sinite mortuos sepelire mortuos suos." Si enim hec tibi humana suadere[n]tur loquela, verissime congruentissima eadem a te proferenda essent testimonia. Si vero diuina aut eciam sicut tu audis angelica, quomodo ea parentibus tuis inpertiri denegabis que cuntis in commune prestiteris?' Sanctus ad hec Winwaloeus inmobilis stans, 'Omnibus, inquit, nebulis quibus prohibebar a te procul euolutis[2], ecce seruus non solum domini et

[1] MS. sua. [2] MS. euolutus.

seruorum eius ad omnia que iubear iussa domini: [imo] inpiger et voluntarius ex eo.' Angelus autem: 'Hec summa, inquit, obediencia est, vt non tarde aut tepide quod iussum fuerit agatur; quia obediencia mente deo deuota maior est omnibus sacrificiis et holocaustomatibus.' Hiis dictis, statim angelus domini in auras euadit, sanctus autem Winwaloeus precingens se, iter facit. Et cum venisset ad parentes suos, videns illos merore confectos propter filiam suam extremum iam anhelitum pene fundentem, causam huius doloris et gemitus, et ordinem quasi inscius inquirit. Illi autem penitus ignorare se dicentes, hec sepius respondebant: 'Scis ipse, scis, sancte dei, nam certi sumus nullum te deo reuelante latere secretum. Set si quid potes, et si te vlla ad misericordiam proprii sanguinis aduocat gracia, adiuua nos dum adhuc viuimus.' Tandem igitur recolligi ogarum gregem precepit, et eam quam ceteris eminenciorem cernit tenere ac euiscerare precepit: et oculum sororis eius secundum predicti angeli dei sermonem de ventriculo eius diuiso detulit, atque in locum suum, facta deo graciarum accione, sicut fuerat prius recollocauit. Ales quoque predictus nullam sustinens iniuriam, illesus et quasi a nullo contractatus ceteras adibat aues. Hiis denique factis, parentibus a se pacifice et verbis consolatoriis admonitis atque humili benediccione in bonis operibus confirmatis, remeauit ad suos. ‖ Item de mirabilibus eiusdem gestis hoc factum uidetur nobis minime pretereundum narrari. Quadam etenim dum die quidam[1] ex discipulis suis ingrauescente subito sompno fessos sopori dedisset artus: ecce serpens gelidus morsu pedem eius lesit, totumque veneno infecit. Ille autem expergefactus, veneno iam non solum per pedem set per cunta grassante[2] membra pergens ad magistrum suum ostendit. At sanctus Winwaloeus, pedem cernens vltra quam credi potest distentum, et cetera membra iam pre tumore candescere incipiencia: 'Vade, inquit, ostende michi locum in quo te illicitus corripuit sompnus.' Nec mora, quamuis debilis, vrgente tamen necessitate, perrexit ad locum. Sanctus denique Winwaloeus, prostrato in oracione ad terram corpore, prospectisque circumquaque in circuitu omnibus locis, quandam inuenit fissuram vbi se lubricus anguis occultauerat: moxque vbi signa eius inuenta sunt, clamat: 'Quicquid letiferi seminis in ista latitas rima, erumpe, prodi foras, Christi edisce trophea.' Nec diu moratus, audito Christi nomine, squameus sibilans apparuit serpens: set statim crucis Christi vexillo confossus nemine feriente interiit. Sanctus autem vir, deo gracias agens, aquam peciit, et cum oleo confusa benediccione miscitans, infirmo, pene ueneno consumpto, porrigit bibendam: ac statim eius qui pene mortuus fuerat, animatis paulatim succrescunt vitalibus uires. Set pater eius Fracanus, hoc quoque audiens miraculum, currens ad illum talia commemorat dicens: 'Nate mee (!), te deprecor ut exores dominum deum tuum vt tale pestiferum genus [nusquam][3] in ista appareat regione.' Sic illo deum inuocante, factum est vt nullum omnino deinceps serpencium genus apparuisse dicatur in illa regione. Et si ab aliquo aliquando vsque hodie illic delatum fuerit uel probandi modo, cito

[1] sc. Tethgonus. [2] MS. grassancia. [3] om.; so T. E.; al. nunquam.

stridet quasi tridente confossus et statim expandit se moriturum. ‖ Set et hec eiusdem virtus egregia non est pretereunda narrari. Nam cum quidam ouium pastor qui appellabatur Wedmonus sub duce suo Quonethedo gregem suum in pascuis iuxta siluam pasceret, subito aer densa caligine conturbatus ictibus crebro fulmineis intonare cepit. Obtenebratis itaque per circuitum omnibus, pastor tantam non perferre valens aeris inclemenciam, cecatus ad terram prosternitur pauidus. Custos autem pecudum iam nocte omnia tegente quando in se capite erecto reuersus est, oues nullas nisi lupos pro illis circa se glomeratos vidit. Magno itaque timore concussus, ait : 'Sancte dei Winwaloe, ne, obsecro, furorem horum contra me dimittas preualere.' Set nec multum vir dei imprecatus, opem non distulit ferre poscenti. Nam inter se et alios visus fuit, vt postea referebat, vsque mane stare sanctus Winwaloeus. Mane autem facto, intrepidus fugitiuas absque vllo discrimine congregat et reducit vniuersas bidentes ; ac statim, pecore derelicto, graditur ad sanctum dei Winwaloeum, narrans ei omnia que per eum sibi in nocte facta sunt. Hec uir dei a rustico audiens, more solito auferre a se laudem hanc virtutis nitebatur : set rusticus nunc laudibus insistens, nunc cum increpacione, illum dei misteria celare cupientem arguere non desinit. ‖ Quadam die dum [1]ludicra inter Fracanum eius genitorem et Riwalum domnonice[2] partis de velocitate equorum suorum orta contencio fuisset, conuencio condicti diei, in qua quisnam eorum pernicior fieret probaretur, amborum consensu facta est. At tunc plurimis tam nobilibus quam ignobilibus ad spectaculum istud congregatis, leuissimi pueri, artificiosissime ad currendum edocti, equos ascenderunt. Plurimorum igitur equorum cursu concepto, cuntis vna se certatim mouentibus de loco agonis, solus Fracani caballus ante omnes cucurrit. Set cum ferre impetum currentis equi puer non valuit, casu inter acutissimas petras concidit. Cuius statim corpusculum, membris per omnia fractis et miserabiliter collisis[3], sui acceperunt mortuum, atque omnia membra particulatim recompaginare nitentes, studium gerebant incassum. Plorabat precipue Fracanus, cuius reatu omnia que accidissent mala contigisse fereba[n]t, et totus vndique promiscui sexus ploratu cum alto gemitu et eiulatu repletur aer. Tandem cum sufficienter modum dedissent fletui : 'Tollite hinc, inquiunt, eum ad sepeliendum : iam nichil aliud debetur mortuo nisi sepulcrum.' Illi autem qui prius sanctum Winwaloeum audierant atque nouerant, dicebant : 'Vere, si modo hic sanctus filius tuus Winwaloeus adesset, reuiuiscere equidem iste puerulus potuisset.' Cum hec dicerentur, deo agente sanctus adest Winwaloeus. Qui mox videns illorum uultus mestissimos : 'Recedite, inquit, non est mortuus puer, set eger iacet.' Illis omnibus recedere pusillum iussis et globum in circuitu ad uidendum quid ageret facientibus : mox vt fidem illorum ardentissimam aspexit, dexteram defuncti comprehendens, 'Dominus, inquit, Ihesus Christus, qui te cum non eras plasmauit, et carnem sumens ex virgine inmaculata pati pro te non dubitauit, resuscitet te.' At tunc puer qui mortuus fuerat, quasi a sompno excitatus statim

[1] MS. contencio l. [2] MS. demuonice. [3] MS. collisus.

surrexit, atque exinde cum suis, domum remeantibus et graciarum deo et sancto Winwaloeo accionem in commune referentibus, sanus atque incolumis equitauit. || Dehinc miraculorum cumulis, erudicionum sermonibus, morum exemplis, per vniuersam terre armorice regionem celebre factum est nomen eius. Et ecce non longe quidem post has et alias plures miraculorum multitudines quadam nocte dum se post laborem consuetum completorio expleto modice quieti dedisset, hec ei[1] subito inhesit cogitacio ut sancta loca in quibus sanctus Patricius habitauerat inuiseret, et eius disciplina atque exemplis quasi discipulus frueretur egregiis. Hic non ante multum temporis quasi candela lucidissima in alto collocata amplissima aspergens lumina, cuntas Hibernie insule illuminauerat ecclesias, et non solum illas, set eciam tocius mundi ad quas fama eius meritumque deferri potuissent. Hec eo cogitante: apparuit ei eadem nocte in sompnis vir splendidissimus habitu angelicus et quasi in capite coronatus, et dixit ei: 'Sancte dei Winwaloee.' Qui respondit: 'Assum. Quis es tu, domine?' At ille: 'Frater, inquit, carissime, non sit tibi cura tanta enatare maria, tanta terrarum perambulare spacia. Ego sum Patricius quem cupis adire, noli vexari; omnia que desideras nosse in solo alieno, poteris et in tuo manens pro certo scire. Set nec hic multum habitabis.' Hec et alia plura postquam locutus est, cito ab eiusdem oculis euanuit. At ille inpiger, omnia magistro ex ordine cogitacionis sue et visionis relaturus, cellulam vbi ipse solus dormiebat, legebat atque meditabatur, mane facto humiliter adorans adiit. At senex: 'Diuina hec reuelacio est, non ficta temptacio. Noli, ait, timere, set vade nichil diu retractans, imple diuinum mandatum quod tibi per sanctum virum transmissum est.' Et multum deflens, adiecit dicens: 'Tibi dabo quos michi dederat deus vndecim discipulos, viros post te secundum cor meum, in omni opere dei promptissimos. Felix tellus ad quam splendidissime mittimini stelle, maximam singule sufficientes magni mundi illuminare partem. Infelix autem ante alias illa que postquam enutriuit uos, quasi mater orbata spoliatur vobis.' At vnumquemque ex vndecim post sanctum Winwaloeum, insertis ad inuicem brachiis, complexans, dato[2] amantissime pacis cum lacrimis osculo: 'Gaudeo[3] tamen, inquit, propter quos[4] deus vos elegit, licet michi subito carnalis hanc quidem mesticiam suggerat affectus. Valete, valete, et pacem habete.' || Postera autem die post talem allocucionem, egressus est Winwaloeus cum vndecim fratribus sibi traditis, ignarus quam in partem se verteret; set dei fretus auxilio cunta eius disposicioni committens et gubernatui, iter beatum beatus perrexit. Per pagos domnonicos ad occidentem transiens ergo, et Cornugilensium confinia perlustrans, tandem in insula que Theopepigia nuncupatur, cum supradictis comitibus prospere hospitatus est. Qui[5] locus est asper[r]imus, ad omnem ventum porrectus, maribus vndique pene et acutis rupibus precinctus, nulla humana habitacione dignus. [6]Attamen vbi ad locum ventum erat iam dictum, statim singuli quasi apes ad aluearia voluntarie

[1] MS. enim. [2] MS. date. [3] MS. gaudio. [4] r. quod? [5] MS. Oeu.
[6] The two next sentences are transposed.

ministrabant. Illic ergo quibusdam casis et paruo oratorio instructis, ortoque ad olera subministranda plantato, tribus habitauerunt annis. Set quia nullo modo indignus conueniebat eis locus, non tam propter infertilitatem quam ventorum procellarumque inmanitatem, retardati contristabantur. Erat autem quidam collis in medio insule super quem cum vndecim [sanctus] sedere et dictare consueuerat discipulis: hinc vero silua conspicitur decora et vallis medio constituta, ad ortum solis conspecta; set magnum pelagus, cui fluuius ingens iungitur nomine Ampnis, quasi fere bini miliarii spacio intererat. A vallis autem medio fundo, sole cotidie protinus exorto, quasi fumus in altum porrigebatur nebula, locusque inde cotidie aspicientibus leuissimus apparebat. Ad hunc ergo locum deduci flagitabant, etc.[1] Quadam igitur die dum more solito super predictum collem tercia hora expleta in vnum congregati conuenissent et locum vltra mare—vbi postea sacrum corpus eius cum innumerabilibus sanctorum sociorum requieuit corporibus—aspicerent semotum, et pergendi ad illum haberent votum: facta prius oracione, dixit fratribus: 'Tantusne inest vobis adhuc tamque validus amor vt ad locum properetis quem de longe conspicitis?' Illi autem pre confusione stupefacti, responderunt: 'Domine, scimus quia homo dei es; sicut tua, ita nostra erit voluntas.' Ille autem mitissime ait: 'Si vultis tantum proscindere profundum et locum illum adire, flexis[2] ter genibus Christum dominum humiliter rogate vt si dux et comes vobis adesse dignatur, vobis hodie signum demonstret notissimum.' Quo dicto: 'Teneat, inquit, vnusquisque prioris precedentis manum.' At[3] vbi hec dixit, sequentis se tenens prioris dexteram, ceteris hoc ordine ita agentibus, profundi maris ostium baculi percussit cuspide. Cuius cum ora tetigisset, Moisaycum post maris rubri transitum cum vndecim decantans ymnum, nullo timore perturbati siccis pedibus transierunt per siccum. Ingredientes igitur siluam pergrandem super ora litoris sitam, lustrantesque vallem que prius eis de longe apparuerat, inuenerunt quendam in medio eius fundum in modum funde formatum. Illic ergo tuti sedere maluerunt, deum per omnia glorificantes. || Cum autem quadam die propter aque longinquitatem discipuli fatigati cepissent illum rogare vt aquam eis daret, consulte constituit eos vt ad opera iniuncta proficiscerentur; at illis iussis eis obedientibus, solus in claustro relictus est. Expandens se in oracione, deprecabatur deum dicens: 'Domine Ihesu Christe, qui siccam rupem producere aquam sicienti populo tuo in heremo largiter iussisti, digneris, queso, et huic paruissimo monachorum gregi aperire et dare fontem aque, vnde ministraturi in hoc loco sitim possint extinguere.' Hoc itaque vbi dixerat, quasi circulum in modum fontis de baculi sui cuspide fecit: et ecce mox aque largissime egresse sunt et fons patens liquidissimus apparuit, et statim oram termini sui excedens ac contra soiis ortum profluens litus appetens se dirigit. Fratres autem expleta iniuncta opera reuertentes videntesque hoc grande miraculum, multum gauisi sunt et deum in hoc sicut in omnibus virtutibus eius laudantes adorant. || Inter hec tanta et admiranda mirabilia, quadam nocte dum

[1] so MS. [2] MS. flexibus. [3] r. Ac?

solus in oratorio orabat, apparuit[1] ei quoddam ingens teter[r]imum atque horrendum monstrum, maligna machinacione fictum. Erat namque quasi quedam ymago ferro et fuligine conficta, plumis contexta[2] fuligineis, pedibus celerrima, alis pernicissima[3]; interdum centum habens oculos flammeos, nunc vero nullum, interim[4] vnum in media fronte fixum, in modum clipei maximi rotatum; centum linguas, totidemque ora et aures confi[n]gens; nunc vsque ad nubes se erigens, nunc vero deorsum pendens et cum puluere descendens. Hec itaque tam prophana sanctus per totam noctem videns, respondit dicens: 'O demens, o prophane, cur hec tam uana iactitas contra milites Christi? an te latet quod perpetua ignis eterni tormenta [te] manent cum sodalibus tuis? Quamuis enim modo quedam grauia sustineas, maiora tamen sustinebis, cum Christus apparuerit, vita et legifer noster.' Frater autem Thegonus, cuius cella oratorio erat proxima, tantas primo inter sanctum et diabolum audiens conflictaciones, surrexit, vt plenius euentum huius rei edisceret. Tunc tanta huius maligni vidit figmenta, et talia huius sancti illi pessimo conuiciando didicit responsa; atque fratribus reuelauit. Illi autem hec audientes, magis magisque in omni opere bono accensi et magis cauti effecti, multum edificati sunt. || A vicesimo itaque et primo[5] etatis sue anno vsque ad obitum suum, nunquam in ecclesia visus est sedere; nunquam tristicia deiectus, nec leticia solutus, nunquam alium irridens, nunquam moderacionis terminum excedens agnitus est, set neque iratus aut turbulentus. Nam cum ab infancia sua sancto Budoco deuotissimum exhiberet obsequium, cuius tam verbo quam exemplo instructus factus est iuuenis religiosissimus, omnem adhuc in clero cum in tali positus esset etate, transcendebat graciam. Nichil enim arrogancie, nichil superbie de eius sibi moribus vsurpabat, set in omnibus affabilis et beniuolus, in terra positus[6] celestibus aptum se moribus ostendebat. Quinquagenos namque ter cotidie particulatim psalmos consuescebat psallere, nunc in crucis modo, nunc inmobilis fixus [ut] statua[7], nunc fixis[8] prouolutus genibus. Hec breuiter de priori eius conuersacione dicta. Ex illa die qua locum suum construere cepit, nunquam indumento laneo vestitus est aut lineo, set caprinis induebatur pellibus; et neque in lecto plumis vel vestibus seu eciam paleis strato iacuit: durissimis nucum vti corticibus consueuit pro plumis; pro peregrinis autem tapetibus pictis, arenis cum lapillis delectabatur admixtis; pro capitalibus sericis aut bissinis vel lino intextis duobus tantum subleuari capud suum et pedes solidari faciebat lapidibus hinc et inde suppositis. Quid plura? Quali indumento in die, tali et eodem induebatur et nocte. Panem triticeum, nisi tantum ex quo confici sacrificium solet, non comedit, set modico vescebatur pane ordeiceo cum cinere admixto equali pondere librato. Excepto quod quadragesime tempore binis aut ternis abstinebat diebus; et tunc de cinere plus sumebat, memor scripture dicentis quia 'cinerem tanquam panem manducabam.' Pulmentum quoque hoc ei erat ferculum ex farina predicta aut ex oleribus confectum, set nulla impinguatum pinguedine. Vtebatur

[1] MS. appareuit. [2] al. tecta. [3] MS. perniciosissima. [4] T. E. interdum. [5] MS. prime. [6] MS. positis. [7] MS. statura. [8] al. flexis.

eciam sabato et dominico die modico caseo aqua decocto; paucos quoque in sancta resur[r]eccione pisciculos sumebat. Potus autem eius talis erat qualis ex aqua et arborum succis malorumve agrestium [1] siue siluestrium condiri posset; tali igitur tam ille [2] quam sui potacionis genere contenti reficiebantur. Nunquam os eius a spiritualibus ociosum visum est vel vacuum. Multi igitur ad illum ceci, surdi atque leprosi, claudi, paralitici atque demoniaci, et omnium infirmitatum atque debilitatum genera conferebantur et omnes redibant ab illo curati. Iam per omnem Britannie regionem longe lateque celebratur nomen eius cum meritis. Cuius vultum tanquam angeli splendentem ita cunti nitebantur contemplari, et iam non monachus appellabatur set angelus inter homines conuersatus. || Hiis ergo ita compositis, nunciatum est cuidam discipulo suo [3] matrem suam egrotare: qui dum anxius relaxari se deprecando videretur, tandem proficiscendi accepit licenciam; sanctus autem sciebat illam iam esse mortuam, diuina prouidencia demonstrante. Ille denique concitus, vno quodam puero comite contentus, accepta a magistro aqua benedicta iter acturus perrexit. Et cum ad locum in quo mortua iacebat deuenisset, omnes qui erant circa eam tumultuantes eiecit foras, increpans et dicens: 'Recedite; cur stulte agitis? Nichil enim proficitis.' Putabat autem animam eius adhuc intra membra contineri. Et aspersa super cadauer iam gelidum aqua sanctificata, 'Dominus, inquit, Ihesus Christus in cuius nomine magister meus plurimas iam fecit virtutes, ipse te sanare dignetur.' Illi autem qui foris stabant deridebant eum, quia sciebant eam iam fuisse mortuam priusquam ille aduenisset. At illa quasi de sompno excitata surrexit, et super lectum suum residens sudorem suum tergebat, quasi de quodam non leui labore reuertens. Illi vero qui eum prius deriserant ceciderunt proni in terram ante pedes eius, deum glorificantes, atque dicentes: 'Vere proximus deo est, cuius per inuocacionem discipulus hoc maximum licet illo absente potuit facere signum.' Illa deinde interrogata ad que loca vel a quibus se duci vidisset, hoc modo dicebat: 'Videbam circa me [4], extremum priusquam anhelitum amitterem, quosdam homunculos in modum carbonum gelidorum niger[r]imos, ad deuorandum me paratos, qui circumdantes me et pedes meos cum manibus circumligantes, per aspera trahebant ad superiora loca. At quidem cum exultantes me per inmania vellent miserabiliter tormenta trahere, sanctus obuiauit Winwaloeus, terribiliter personans ac dicens: "Dimittite hanc michi; vt quid enim tam audacter hoc scelus in meam perpetrare temptatis famulam?" Illi consternati atque stupefacti, repugnare volentes set diuino terrente imperio non audentes, tandem viro dei [me] reliquerunt, qui mox ab hostibus me liberatam, in hoc voluit deo propiciante collocare corpusculo.' Et exinde magis magisque iam non monachum set angelum vocitabant Winwaloeum. Illa vero reuersa totum in opere bono fructificans, mutauit studium suum.——[5] Consuetudo autem erat beati Winwaloci, ecclesiam que sita erat a monasterio suo miliario vno, visitare et ibi hostias tam pro viuis quam pro defunctis

[1] MS. aggrestium. [2] MS. illi. [3] sc. S. Riocho. [4] MS. meum, T.E. me. [5] Cf. Vita Ethbini, Boll. 19 Oct.

offerre. In huius enim[1] consuetudinem secum sociauit Ethbinum iuuenem preclarum, magnum diaconum, vt sacerdos dignus diacono sustentaretur iusto. Accidit quadam die dum consuetudinem explerent[2], et iter per campos in tempore messis facerent: inuenerunt quendam leprosum iacentem in messe grauiter plangentem, totum corpus vulneribus plenum, exclamantem flebili voce [et] auxilium ab eis postulantem. Tunc sanctus Winwaloeus Ethbino diacono dixit: 'Frater karissime, quidnam daturi sumus huic pauperi auxilium a nobis postulanti? aurum non habemus, argentum non recondimus, nudi pecuniis huius seculi quid acturi sumus huic egenti?' Sanctus etenim Ethbinus, spiritus sancti gracia repletus, ait: 'Legimus, pater, in actibus apostolorum quod beato Petro apostolo cum sancto Iohanne introeunte in templum, claudus quidam elemosinam peciit et sospitatem gressus itineris ab eis accepit. Tu autem appropinqua pauperi et superioris gracie munus inpartire illi.' Tunc beatus Winwaloeus stans secus pauperem dixit: 'Que sunt in te infirmitates, frater, [pro] quibus tam grauia suspiria tamque debilia verba emittis?' Ille ab intimo pectore trahens suspiria, cum magna humilitate [ait]: 'Magne angustie grauesque dolores quaciuntur in corpore meo[3]. Tamen insuper vnus dolor inest qui tantum est infirmitati mee noxius ut si hunc diem sine huius doloris auxilio[4] transiero, mortem pocius quam vitam proximam esse puto.' Ad hunc beatus Winwaloeus ait: 'Dic, frater, quo auxilio leuiari poteris? testis est michi deus quod nostre carnis partem in tui auxilio pro tuo leuamine, si necessitas comprobauerit, posituri sumus.' 'Nares, inquit, mee dolore vulnerum plene stercoris concremantur[5] ab ardore, vt vides, tante infirmita[tis].' Hoc audiebat Ethbinus, et librum quem gestabat manu in terram deposuit, et pauperem per latera arripiens, quia pronus in terra iacebat, erexit. Sacerdos igitur Winwaloeus ad nares eius manum porrigens, pauper flebili voce clamare vt poterat cepit: 'Noli, senior, noli manibus tangere nares, quia dolor non permittit. Set si pro remissione peccatorum tuorum dolorem meum leuiare volueris, necesse est michi vt in ore tuo nares meas miseris, et ita traxeris.' Humiliauit se beatus Winwaloeus qui exaltatus erat meritis in celo, et quando putauit leuiari pauperi in ore suo accepit carnem filii dei. O res miranda et admiranda stupendaque omnibus audientibus: mox vt ad se traxit beatus Winwaloeus, petra mirabilis in eius ore cecidit. Et beatus Ethbinus per latera dominum tenens, sursum aspexit celum apertum, et in capite domini quem tenebat sancta crux apparuit, angelosque in obuiam domini venire vidit. Sacerdoti ait: 'Pater sancte, ipsum quem teneo manibus et tu ore, dominum Ihesum Christum, qui pro nobis dedit semetipsum crucifigi, esse crede.' Cupientes autem illum tenere manibus, eleuauit se dominus Ihesus Christus in nubibus, dicens: 'Non erubuistis me, serui mei, in angustiis meis, nec ego erubescam vos in regno patris mei. Hereditas vestra mecum est; et hiis qui vestri suis in oracionibus memores fuerint, salus in regno meo.' Hiis dictis, euanuit ex oculis eorum et receptus est in celum cum magna laude: laudantes quidem audiebant, set neminem

[1] VE. huius visitationis. [2] VE. expleta consuetudine. [3] VE. quatiunt meum corpus. [4] VE. curatione. [5] VE. stercus congerunt.

videbant. Stupefacti autem et gaudio nimio leti, laudauerunt ipsum qui eos tantum dilexit quod eis ostenderet in similitudinem pauperis carnem filii dei. Beatus Winwaloeus ait: 'Hoc tuis meritis, Ethbine, accidit nobis, qui tante es humilitatis et obediencie ut quicquid humana lingua precipere potest, tu corde deuotissimo adimples.' At contra Ethbinus ait: 'Non ita est, pater, set tu qui cotidie carnem et sanguinem domini nostri Ihesu Christi immolas, meruisti ipsum videre in suo corpore, quem assidue tenes in animo.' Dehinc reuertentes ad monasterium, nemini factum [innotuerunt]; set suam consuetudinem deuote compleuerunt. || Erat quidam vir Cathmaglus, cui filii tres erant maligni, rei aliene raptores, et quod manifeste auferre nequibant, clam per furtum tollebant. Isti ergo pecunias et thesauros vniuerse regionis illic esse apud predictum sanctum depositos arbitrantes, inito consilio sancti loci nocte ceca nauigio inuaserunt septum. Cumque introgressi fuissent, horreum reperiunt apertum, atque in medio ordeum positum. Introeuntibus autem illis apparuit lux splendidissima quasi lux solis: propter hoc multum confortati dixerunt inter se: 'Si deo displiceret hoc quod agimus, non tanta nobis lux data fuisset; nec ostium istius domus clausum ac seris munitissimis firmatum vltro se aperiret. Ecce quales tenebras per totum sustinuimus quoadvsque huc venerimus, at modo splendidissima lux administratur. Eia, agite; si nichil preterea inuenimus, saltem de[1] huius [horrei] ordeo[2] sacculos impleamus nostros. Non enim nos condecet reuerti vacuos.' Hora autem erat quasi noctis media. Dum vero hec ita agebantur, huius rei nescius in basilica cum suis nocturnabat Winwaloeus. Cumque nocturnas debite percelebrassent vigilias, fratribus vna congregatis hoc modo interrupit silencium, dicens: 'Videte, fratres, vtrumne recte agitur erga res monasterii.' Et manu rursum indicens ait: 'Nolite metuere, nolite conturbari. Quidam enim arbitrati pecunias se recipere multas, inuaserunt horreum nostrum, et nunc marsua nostra, ne vacui redeant, sacire[3] disponunt: set tamen sinite illos, potens est enim deus et illorum conuertere corda, vt non minus celestem cupiant thesaurum furari quam terrenum. Nam siquidem hiis non indigerent, forsitan rem tam detestabilem nequaquam facerent.' Nil plura locutus, omnes iubet orare. Egredientibus autem illis de monasterio grauiter oneratis, vtrum hoc[4] sicut dixerant deo displiceret, innotuit. Nam primus eorum superbe recedens, protinus in terram prostratus est, costaque eius perfracta et comminuta, et miser depressus onere iacebat. Alter vero subsequens, fixis in terram pedibus nullo modo hinc vel inde mouere se valens, quasi lignum plantatus equanimiter licet inuitus stabat. Tercius autem non longe ab hiis distans, densa percussus cecitate huc atque illuc discurrendo ante portam monasterii errabat per litora vagabundus. Set et quartus, qui in scapha custodienda spectauerat, quasi insaniendo cum stridore magno frustra in remigio gestiens, sine intermissione clamabat dicens, 'Venite, furtiferi! venite pestiferi! Quid morati estis, malefici[5]? Nichil in furibus sanum nichilque preualidum, nichil nisi stultum. Thesauri magni

[1] MS. deo. [2] MS. ordei, horrei om. [3] This passage is untelligible to me. [4] MS. hec. [5] MS. malefidi corr.

sunt quibus onerati estis: vos portatis onera, ego diuidam illa. Quid enim? Nunquid putatis vos maiorem accepturos sortem? Mene ergo ad ista ideo prouocastis litora ut istic irritaretis? Non sanum in viros qui nullum michi eciam dignantur respondere verbo.' Illi autem vrgente metu et dolore, tenebant silencium. Hiis igitur ita gestis, post primam celebratam horam omnia que hiis viris acciderant vir dei enarrabat fratribus. Illis vero deo gracias agentibus, non solum propter viros prostratos, verum eciam propter gloriam dei in seruo suo manifestatam: 'Nolite, inquit sanctus Winwaloeus, in casu inimicorum vestrorum gratulari, neque gloriam ad inuicem set que a deo est queratis. Scriptum quippe est: "Qui gloriatur, in domino glorietur." Quin eciam domini mandatum voluntarie implere debemus. Festinemus ergo, ait, ad miseros: nam pene[1] consumpti in dolore et cordis angustia sunt.' Facta tamen primo sollempniter oracione, perrexerunt. At cum sanctus Winwaloeus et sancta secum simul congregacio ante illos apparuisset: quantus, Iesu bone, miserorum in pena existencium in corde dolor cum trepidacione tenebatur! Putabant enim vel ad mortem vel ad vindictam penalem cicius se esse trahendos. Quibus sanctus: 'Quam stulte egistis! Non enim magis condecuerat ex fratrum labore aliquid cum hillaritate postulare, et ex permissione quod sufficere posset suscipere, quam in dei famulos fraudem illicitam perpetrare? Set nunc ipse qui ligauit vos Iesus Christus dominus noster ab hac plaga liberet.' Hec autem eo ita rogante, confestim ab omni plaga corporali soluti sunt. Et adiecit dicens: 'Videte ne vltra hec faciatis; tollite hinc vestra vobiscum onera, et quociens necesse fuerit petite a nobis et nos incuntanter deo prestante tribuemus, et nolite propter res transitorias et caducas animas vestras perdere.' At illi mirum in modum conuersi, et ex lupis agni statim effecti: 'Nunquam a te, inquiunt, volumus separari, set tuis perpetuo[2] obsequemur imperiis.' || Set hoc ne vmquam obliuioni tradatur, quod nemo in eodem loco potuit mori nisi senectute grauaretur, libet hoc interserere loco. Vnde fratres longeui longo pergrauati senio et dissolui isto graui corpore iam cupientes et laborum suorum sibi reddere premia poscentes, et quid agere deberent propter ingrauescentem et decrepitam etatem iam nescientes, coegerunt illum transferre paululum loci huius edificia et suppellectilem secum portare contra solis ortum, et ibi deinde citra litus figi. Multociens quoque a sanctissimis viris referentibus auditum est, et eosdem audisse apud predecessores et vidisse que verissime vidissent et dixissent: et apertum esse tantum celi spacium supra illum locum in celo quantum terre occupauerat, et angelorum illic, sancto Winwaloeo demonstrante, visione fruitos fuisse ascendencium et descendencium in similitudinem visionis Iacob patriarche; et ob hoc ibi putabant se non posse corpore dissolui, vbi stabilem et insolubilem erecti animo vidissent vitam. || Dum quadam nocte sanctus Winwaloeus post completorium solus in oratorio pernoctaret, astantem sibi vidit angelum domini splendidissimum, cuius fulgor lucebat vt sol, ex cuius splendore et odore totus sufficeret mundus illuminari, et dicentem sibi: 'Sancte dei Winwaloee Christo dilectissime, vigilas?' At

[1] MS. penes. [2] MS. perpetuis.

ille quasi amicus ad amicum suum, notissima voce sibi emissa humilima ait responsione : ' Vigilo, domine.' Angelus ad hec : ' Mature segetis et bone frugis quam seminasti tempus instat colligende. At pauca grana et tamen maturiora quasi primicie noue boni seminis modo accipientur.' Hoc autem audiens sanctus Winwaloeus, suppliciter exorat ne aliquid inperfeccionis in illis inueniatur, ne inimicus homo qui nunquam nocere desinit huic segeti inuidendo aliquid inperfectum insultet[1]. Angelus ad hec : ' Michi crede quia, nisi preuidissem, nequaquam tollerem uel meterem.' Sanctus eciam : ' Vt tua voluntas, sic mea ; fiat.' Sic denique factum est vt de grandeuis senioribus vnus assumeretur, et ceteri in hunc modum sequerentur, ita vt vnusquisque sicut etate[2] precellebat, sic et assumpcione electa gauderet, nec minor etate maiorem [precederet][3] ; et hic ordo tamdiu est in eodem monasterio seruatus quousque non longe adhuc ante tempus permutat. || Preterea alia res digna laude predicanda est que sub articulo eiusdem temporis [fiebat][2]. Quedam mulier nobilissima mater familias subita cecitate percussa fuerat. Quadam ergo nocte dum se paululum inter plurimas fessa vigilias sopori dedisset, apparuit ei in sompnis angelus domini et totam splendore repleuit domum in qua erat dormiens, et ait ei : ' Surge, vade ad sanctum Winwaloeum, et per eum recipies sanitatem.' Nec plura affatus confestim ascendit in celum. At illa consurgens diluculo vna cum suis et filio eam ducente iter carpebat suum. Et confestim accedens ad illum, postquam adorasset, narrauit ei omnia que dicta fuerant per angelum. Ille autem humiliter respondens, et deo gracias agens, inquit : ' Deus hoc [fide] adhibita[4] prestare potest.' Et statim tergit[5] oculos eius manu dextera, dicens : ' Qui istos fixit[6], ille curare dignetur.' Et continuo aperti sunt oculi eius, clarissimo lumine desuper dato. Et ibat gaudens et magnificans deum. Cumque tempus egressionis eius a corpore sancto proximum immineret, per sompnum apparuit ei angelus domini et dixit ei : ' Winwaloe.' At ille : ' Assum.' Angelus vero : ' Frater, inquit, venerande, conciuem sibi exposcunt [te] celicole. Dispone ergo domui tue, vt se semper in omni opere bono feruentissime exerceant : quia cito ex hoc agonis huius labore liberaberis.' Et hec dicens erectus est in ethera. Sanctus autem Winwaloeus postquam hec cunta fratribus retulisset, gaudentes pariter et flentes dicebant : ' Cui nos commendabis, pater, ne orbati sicut oues pastorem non habentes, et relicti dispergamur per diuersa ?' At ille ' Habetis, inquit, vobiscum peritissimos in omni doctrina spirituali viros : set illum pocius eligite vobis pastorem qui ita dulcis quasi mel, et quasi absinthium amarus fuerit.' Et hec dicens, iterum loquitur : ' Preparate vos hodie, quia postquam missam cantauero et illud sacrosanctum corporis dominici recepero misterium, sexta huius diei hora dominus et saluator noster Ihesus Christus recipiet me ab isto ereptum corpore.' Tunc audito signo tercie hore, ' Surgite, inquit, oremus. Ecce hora quietis serenissime seni iam transeunti appropinquat. Ecce modo iam panduntur regni celorum porte, trophea Christi iam micant, castra fulgent, etheree iam apparent platee, celi ciues quam

[1] r. insulcet ? [2] MS. ita. [3] om. [4] MS. adhibito ; fide om. [5] al. tetigit. [6] al. finxit.

pulcre ostenduntur! Nolite ergo, fratres mei dilectissimi, pacem hic querere cum mundo, vt maximam illic et quietam tranquillitatem et quietudinem tranquillimam (!) habere mereamini in celo, vbi summa pax est et summa tranquillitas et tranquilla summitas.' Hiis denique dictis, sacris induitur vestibus, cum quibus missam celebraret. Sacrosancta deinde missa expleta, sacrosancti dominici corporis mistici et sanguinis assumpti refeccione vegetatus, stans ante altare honorabiliter inter duos monachos sustentatus hinc atque hinc, vna cum fratribus psallens angelicis choris astantibus, comitem sanctissimam deo et domino Ihesu Christo reddidit animam, quam a pollucione carnali mundam, tam a corporali egritudine intactam. Sanctus ergo Winwaloeus senex venerabilis, dompnus et eximius monachorum pater, plenus dierum ita vt dictum est, quinto nonas Martias, quarta feria in prima quadragesime ebdomada, integer et corpore et mente obiit, absque vllo membrorum solucionis dolore, quippe quia se prius iudicarat grauissima examinacione, vt iterum cum hoc mundo non iudicaretur, sicut ait apostolus: 'Quod si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.' Fratres vero honorifice sanctissimum corpus cum summa reuerencia sepelierunt cum ympnis et canti[bu]s spiritualibus, agentes gracias deo domino nostro Ihesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto viuit et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

p. 623.] 4. *De Sancto Edmundo rege et martire*[1].

Bulla de festo sancti Edmundi sollempniter ab vniuersis celebrando.

INnocencius .IIIJ.[us] episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, aliisque prelatis ecclesiarum et clericis in regno Anglie constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Religio christiana que nunquam retribuere potest deo pro hiis que tribuit ipse sibi, maiestati diuine gratum prestat obsequium quando pro ipsius gloria et honore pie deuocionis affectu procurat eorum venerari memoriam qui superno meruerunt munere sociari cetibus beatorum, cum ipsa veritas, que est deus, quod vni ex minimis suis fit sibi fieri, et in seruis suis se perhibeat honorari. Sane licet beati Edmundi regis Anglorum et martiris inclita felixque memoria, excellencia regie dignitatis et martirio gloriosa, digne sit vbique terrarum populi christiani celebri veneracione colenda: in Anglie tamen regno reuerenciori coli debet obsequio, ubi rex ipse beatus regalem optinuit sedem et adeptus est tandem martirii dignitatem. Ideoque vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus dictum gentis vestre regem et martirem a domino vobis datum speciali deuocione colentes diem festiuitatis ipsius annuatim in ecclesiis vestris singuli procuretis sollempniter celebrare, firmam spem fiduciamque tenendo quod si eum in terris reuerenter venerati fueritis, ipsum pro vobis aduocatum in celis efficaciter sencietis.

[1] Compiled from Abbo, Galfridus De infancia Edm., the Miracula by Hermannus in MS. Tib. B ii, those by Osbert in MS. Tit. A VIII fol. 126–145 (=Cap. 8–20 of the 2nd book of Sampson), and those by Sampson in MS. Tit. A VIII fol. 78–126 and MS. Trin. Coll. Dubl. B 2. 7; from Chronicles and many unknown documents.

Bulla de translacione sancti Edmundi sollempniter ab vniuersis celebranda.

INnocencius .IIIJ. episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, aliisque prelatis ecclesiarum et clericis in regno Anglie constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Religio christiana que nunquam retribuere potest deo pro hiis que tribuit ipse sibi, maiestati diuine gratum prestat obsequium quando pro ipsius gloria et honore pie deuocionis affectu procurat eorum venerari memoriam qui superno meruerunt munere sociari cetibus beatorum: cum ipsa veritas, que est deus, quod vni ex minimis suis fit sibi fieri, et in seruis suis se perhibeat honorari. Sane licet beati Edmundi regis Anglorum et martiris inclita felixque memoria, excellencia regie dignitatis et martirio gloriosa, digne sit vbique terrarum populi christiani celebri veneracione colenda, in Anglie tamen regno reuerenciori coli debet obsequio, ubi rex ipse beatus regalem optinuit sedem et adeptus est tandem martirii dignitatem. Ideoque vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus dictum gentis vestre regem et martirem a domino vobis datum speciali deuocione colentes festum translacionis ipsius annuatim in ecclesiis vestris singuli procuretis sollempniter celebrare, firmam spem fiduciamque tenendo quod si eum in terris reuerenter venerati fueritis, ipsum pro uobis aduocatum in celis efficaciter sencietis. Datum Lugduni .iij. Nonis Iulii, pontificatus nostri anno .vj°. et anno domini 1248.

Item de translacione sancti Edmundi celebranda.

VNiuersis presentes literas inspecturis frater Willelmus de Claxton̄. prior ecclesie cathedralis sancte trinitatis Norwici, Reuerendi in Christo patris et domini, domini Willelmi dei gracia Norwici episcopi in remotis agentis vicarius in spiritualibus generalis, salutem in domino, et fidem indubiam presentibus adhibere. Noueritis quod venerabilis vir magister Thomas de Methelwold iuris ciuilis professor, dicti patris officialis, die lune xxvi. mensis aprilis anno domini M°.CCC°.xliiij°. in ecclesia cathedrali Norwici predicta primo, et deinde die lune .iij. mensis maij eiusdem anni in ecclesia conuentuali sancte trinitatis Gippewici Norwici diocesis in plenis synodis pasche per eundem officialem celebratis de mandato nostro vice et auctoritate dicti domini episcopi ordinauit, publicauit, ac statui fecit, quod festum translacionis sancti Edmundi regis et martiris futuris temporibus annis singulis sollempniter in singulis ecclesiis ciuitatis et diocesis Norwicensis die penultimo mensis aprilis cum regimine chori celebraretur, annuente ad hoc toto clero in dictis synodis congregato. In cuius rei testimonium sigillum quo in huiusmodi vicariatus officio vtimur presentibus duximus apponendum. Datum apud Norwicum die viij° dicti mensis Maii anno domini supradicto. Originale istius est ad feretrum in cistula cum literis indulgenciarum et bullis.

Incipit vita et passio cum miraculis sancti Edmundi regis et martiris, excerpta de cronicis et diuersis historiis seu legendis, de eodem breuiter et sub compendio compilata.

De natiuitate sancti Edmundi.

i. Ex cronicis. ERat quondam in Saxonia quidam rex Alkmundus nomine, magnus quidem diuiciis et potencia et in bello per omnia strenuus et victoriosus, qui quamuis egregius et nobilis in regali successione haberetur, in cerimoniis tamen catholice professionis sic principari nouit super homines ut non obliuisceretur qualem subiec- 5
cionem creatori suo deberet, set omnia que ad dei cultum pertinebant iuxta humanam possibilitatem studiosius agebat. Habebat namque coniugem in benediccione seminis Abrahe reginam pulcher[r]imam in vxorem, nomine Siwaram, in moribus et fidei calore sibi consimilem. Ex istis igitur radicibus v[i]rentes ramusculi procedebant et suo more sicut lilium fra- 10
granciam sanctitatis expandentes pululabant, quorum quidam terram[1] Anglie signis et miraculis multipliciter illustrabant. Contigit igitur eundem regem, premonitum tamen in sompnis ab angelo, quodam tempore versus Romam causa deuocionis et oracionis iter arripere, et ibidem peracta oblacione cum quadam matrona spiritu prophecie deco- 15
rata pernoctando sacra familiaritate delectari. Cuius colloquio dum idem rex vteretur, globus solaris in quatuor partes extendens radios de pectore regis exire dicte matrone apparebat: vnde et coniciebat[2] ipsum regem a vero sole sublimandum, vel stirpem diuinitus insignitam a suo sanguine processuram et humana corda in Christi amorem circumquaque accen- 20
suram. Valedicens igitur reuerende matrone domum reuersus est: paucisque diebus euolutis regina concepit, et congruo tempore, anno videlicet ab incarnacione domini DCCC° xlj°., in quadam regia ciuitate Saxonie que Norhemberges nuncupatur, peperit filium nomine Edmundum, a deo preelectum et omni sanctitate sublimandum; quod quidem nomen 25
anglice et latine significat 'felicem et mundum.' Postea vero succrescente etate magis ac magis in dei amore proficiebat, et ei de bono in melius placere gestiebat. Fuit autem forma precipuus, corpore castus, mente deuotus, colloquio affabilis, aspectu amabilis, prudencia egregius, et temperancia clarus. Et quia diuina dispensacione agitur ut quos vocat hos et 30
iustificat: iam eum in omni virtute et amore christiane professionis talem efficere voluit, qualem postea per sanguinis sui effusionem suscipere dignatus est.

Qualiter electus fuit et consecratus in regem Estanglorum.

Galfridus libro de infancia sancti Edmundi. PEr idem tempus quidam sancti Edmundi predeces-
sor rex Estanglorum et nomine Offa, multo tempore sine herede vitam 35
transigens, crebra meditacione proposuit sancta loca Ierosolimis inuisere et sepulcrum Christi adorare, heredemque ab eo secundum eius nutum sibi impetrare. Disposuit eciam se profecturum per Alkmundum cognatum suum

[1] MS. tiranni. [2] MS. conniciebat.

regem Saxonie, cuius sibi perutile didicerat fore consilium ad perficiendum illud iter tam arduum. Ad quem perueniens, honore regio susceptus est, et a regni primatibus plurimum honori habitus vtpote rex et regis Saxonie cognatus; cuius obsequio duo regis filii deputantur, quorum natu posterior, Edmundus supranominatus, speciali solercia regiis excubiis inherens propensiori cura quam patri proprio ministrabat. || Considerans itaque rex peregrinus iuuenem studiosum et elegantem et toto annisu[1] sibi famulantem, eius delectabatur colloquio et gratulabatur obsequio. Et quia inter omnes studiosius ei obsecutus est, pociori super omnes remuneracione ab eo donatus est. Dispositis interim peregrinacioni necessariis, valedicens regi et magnatibus Saxonie accepta abeundi licencia, a cuntis Christo com[m]endatur. Tandem[2] cordis amorem erga iuuenem Edmundum pandens et coram cuntis eum amplectens, anulum aureum illi porrexit, sepiusque deosculans dixit: 'Edmunde fili karissime, accipe nostre cognacionis et mutue dileccionis monumentum, vt memineris me solerti tuo obsequio esse obnoxium, super quo gracias tibi refero et mercedem paternam ex dei prouidencia in corde tibi reseruo.' || Cum igitur Edmundus alacris accepisset anulum, pater eius carnalis subrisit eique alludendo dixit: 'Eya, Edmunde, siccine me reiecto elegisti regem Estanglorum in patrem? amodo sicut filio tibi prouideat, et tua ei solercia sicut patri adhereat. Quorsus michi hominem educare alienum?' Delectatus itaque rex peregrinus huiusmodi responsi allogiis, iterum Edmundum amplexibus mulcet et osculis, et alium anulum demonstrans ab episcopo acceptum in regni sui promocione, 'Intuere, inquit, iam omnino mi fili Edmunde, cuiusmodi sit anulus iste, vt si absens aliquid tibi per hoc intersignum intimauero, tu filiali non differas complere obsequio. Vt enim astancium percepit multitudo, habeo tibi prouidere sicut filio karissimo.' Discedens igitur cum apparatu non modico, arduo itinere et prolixo post multos labores emenso: sancta Ierosolimorum loca iuxta votum attigit, et laudum pariter et oracionum libamina sedulus optulit. Quibus expletis: cum familia sua regreditur alacris et letus. Set cum ad locum qui 'brachium sancti Georgii' dicitur peruenisset: langore correptus, hiis verbis suos alloquitur: 'Vt in rege eligendo omnis inter vos obstruatur contencio, michi successorem, vobis strenuum designo gubernatorem, cognati scilicet mei regis Saxonie filium Edmundum vobis non incognitum, morum honestate preditum, corporis forma elegantem, sapiencia et viribus prestantem;' anulum quoque pretaxatum eis porrexit, et ut Edmundo pro intersigno deferrent precepit. Deinde percepta ab eis fide cum sacramentis pro hiis que iniunxerat complendis, inter manus eorum sacro munitus viatico animam exalauit. Quo sepulto: Saxoniam gradu citato repedarunt, et regis defuncti mandata per intersignum porrigentes Edmundo, quasi ui exactoria illum in regem Estanglie pecierunt. Rex vero cognati eius regis agnita [morte], tristatus est, cui vtriusque ordinis populus condoluit; filium suum vero Edmundum in tam remotam patriam mittere detrectans, consilium super hoc ab episcopis suis interrogat. Qui omnes laudant in commune, vt disposicioni non refragetur diuine, asserentes esse scriptum:

[1] MS. annusu. [2] MS. Tamen.

'non est sapiencia, non est consilium contra dominum.' Rex igitur predicte matrone presagium reducens ad memoriam, sese in lacrimis dedit, et predicte peticioni clementer consensit. Tandem Angli regium assensum adepti, deducentes Edmundum, comitante dei gracia recesserunt. Cumque diuertentes ad borialem partem Orientalium Anglorum intrassent occeanum, appulerunt ad promontorium quoddam paruum et pulcrum, quod vsque hodie Maydenboure appellatur, et latine 'virginalis thalamus' interpretatur, a quo promontorio quasi ad vnius sagitte iactum siccum pedestres transmearunt fluminis alueum. Felix igitur aduena Edmundus procumbens in spaciosa iuxta flumen planicie, oracionem specialiter pro patria illa fudit, cuius oracionis virtutem terra adiacens ostendit. Nam villa cui pertinet locus vbi applicuit et orauit, vberiores segetes ex agricultura pre aliis terris Estanglie habere consueuit; vbi eciam mox vt ab oracione surrexit et equum ascendit, duodecim fontes limpidissimi de terra eruperunt, qui adhuc moderno tempore non sine intuencium admiracione decurrunt et delectabili ac festino murmure iugiter defluentes in salo descendunt. Quorum aquis plurimi languidi abluti, pristine sanitati sunt restituti. Remotis eciam pro infirmitate siue alia incom[m]odi de causa ad potandum efficax sanitatis eorundem foncium defertur aqua. Postquam vero Edmundus regnum optinuit, locum illum familiariter dilexit, ac prope fontes in eminenti loco regale domicilium condidit. Eadem vero villa Honystannestoun congruo nomine nuncupatur, cuius nomen pulchre interpretacioni aptatur. 'Mellee' etenim 'petre villa' sonat, ob virorum videlicet inibi conuersancium dulcedinem et virium inexpugnabilem fortitudinem. Viri itaque memorati deduxerunt Edmundum caute ad quandam vrbem antiquam, iuxta priorum tradicionem a rege Athla conditam, que 'Athleburgh' eius dicitur ex nomine, i. ciuitas Athle. Vniuersalis vero inimici membris agentibus et pro regni Estanglorum apice prepostere decertantibus, infra ipsius vrbis menia per annum integrum deguit, psalmis et oracionibus et piis aliis operibus diligenter vacans. In quo spacio psalterium quod in Saxonia inceperat perdidicit. ¶ *Ex cronicis Houdeñ*[1] *et Huntedoñ.* Interea sinister rumor regionem impleuit, et inhabitantes timor ingens perculit: transmarini etenim quidam piratice crudelitati insistentes eiusdem prouincie crebris irrupcionibus depopulabantur fines; set et regum collateralium ambicio, audita morte regis Offe, minabatur eandem prouinciam vel suo subicere[2] imperio, vel lamentabili disperdere exterminio. Conuocato igitur populo, de rege eligendo questio agitur. Quem Hunberthus vel Hunferthus elmanensis episcopus cum primoribus alloquitur, asserens, testante senescallo regis Offe qui in morte eius presens erat, Edmundum regis Saxonie filium, et defuncti regis Estanglie propinquum, regno fore necessarium et dignum, eiusdemque regis defuncti mandatum intimat, et eorum assensum super hoc impetrat. Omnes igitur maiores et minores pari consensu ad prefatam vrbem cucurrerunt, et Edmundum rapientes, ad Suthfolchiam deduxerunt, et in villa de Bure ad regni fastigium promouerunt, assistente prefato antistite, ipsum in regem vngente et consecrante, in die nat. domini, anno etatis sue xv°., et ab incarnacione anno dccclvi°, dominica existente.

[1] i. e. Hoveden.

[2] MS. subiacere.

¶ De Causa Martirii Sancti Edmundi.

Nicholaus prior de Warengford. BEatus igitur Edmundus adeptus culmen regiminis in Estanglia, regiam maiestatem non solum armis decorauit set et legibus equitatis ornauit, studuitque subiectam plebem ab infestancium incursibus armis protegere, et in ocio legibus iuris et equitatis informare. Nec dominantis licencia presumpsit aliquando abuti, vel innoxios deprimendo, vel noxios inpunitate in ausu nephario fouendo; set equa lance fouit innocentes, et nocentes a regno suo perturbauit. Et cum omnes homines sciret ex nature beneficio parilitate gaudere: ex reatus exigencia nichilominus attendit esse quod quidam sunt inferioris, quidam superioris potestatis in populo dei. Ideoque imperium suum non natalibus ingenuis, non meritis propriis, set subiectorum suorum ascripsit erratibus et peccancium obuencionibus, totumque se inpendit non deliciis affluentibus, set negociis subditorum casualiter emergentibus, et in dies confluentibus; nec credidit officii fore regii domesticis operam dare negociis, nisi prius expeditis alienis. *Ex alia legenda.* Erat autem statura procerus, decorus facie, manu strenuus, laborum paciens, ingenio perspicax, prouidus in consiliis, in iudiciis adhibita moderacione clemencie iustus, affabilis, verax et dulcis eloquio, pacientibus vera compassione [compaciens], misericors ad egenos beneficiis, pupillis et viduis clementissimus, benignus et mitis ad omnes, et quod hiis omnibus maius est, legem dei per omnia sequebatur. *Abbo Floriac.* Cumque tam conspicuus Christo et ecclesie emineret bonorum actuum ornamentis: humani generis inimicus quosdam ex suis membris ei aduersarios inmisit qui fidem Christi sibi excuterent, et paciencie perseueranciam subtrahentes fructum bone voluntatis auferrent.

Galfridus de Fontibus de infancia Edmundi. Fuerunt autem idem aduersarii Inguuar et Vbba gentiles et pagani, filii regis Danorum Lothbroci nomine, qui 'riuus odiosus' interpretatur. Isti cum multis aliis in aquilonali sinu Dacorum propter Gothos commanentes, ex antiqua consuetudine piraticam rabiem exercentes, latrociniis et depredacionibus ex toto se mancipauerant et plures prouincias crudeli exterminio dederant. Est enim gens mole corporis ardua et fortis, armorum genere terribilis, Gothorum soboles, et dictos se putant Dacos, quasi Dagos, de Gothorum videlicet stirpe creatos. ¶ Qui tamen non tantum confidebant in armis, quantum in Vbbe demoniacis artibus et in quibus imbuebatur maleficiis et virulentis prestigiis. Fuit enim ex toto minister iniquitatis, et sibi obsequentibus artis matheseos magister. Tantaque securitate huic arti inoleuerat quod hostili exercitui appropinquans, diceret: 'Erigite me in altum vt superuideam exercitum.' Quem si contingeret circumspicere, contingebat aduersam partem pessumire, illo magicis quibusdam artibus preualente; non quia efficaciam habeant huius artis maleficia, nisi ex dei cunta disponentis prouidencia, et ex merito pacientis hominis miseria. ¶ Quadam igitur die dum fraudulenti filii patri nequam assisterent, de probitate maligna et insolencia sua superbe conferentes: pater eorum cum

indignacione dixit: 'Pro nichilo inflati estis, et in ventum verba profertis. Quid enim dignum adquisistis memoria inter tot preliorum discrimina? Certe quidam iuuenis Edmundus nuper a Saxonia descendens anglicos ad sinus cum paucis appulit et regnum Estanglie pro velle disponit. Quid vos vmquam simile peregistis? O qualis genitura mea in vobis!' Illi itaque tam inuidia inflati quam paterna exprobracione verecundati, machinabantur ab illo die, si quando oportunitas se optulerit, beatum Edmundum aut in sentenciam suam trahere et potencie sue subiugare, aut mortis supplicio trucidare. ¶ *Ex cronicis Westm. et Norwici et Hely.* Postea quadam die pater eorum Lothbrocus cum accipitre solus breuem nauiculam ingressus, vt in insulis maris et terre vicinis anates et auiculas alias aucuparet, subita tempestate suborta intra maris latitudinem raptus, diebus aliquot cum noctibus huc illucque deiectus grauiter vexabatur. Qui tandem, plurima maris pericula perpessus, in Angliam proiectus est et in prouinciam Estanglorum que Northfolchia dicitur, apud Redham viliam applicuit, et ab hominibus regionis cum accipitre solus inuentus, regi Estanglorum Edmundo [pro] miraculo presentatur; et ab ipso rege cum honore receptus, aliquamdiu in curia eius remansit. Et quoniam lingua Danorum anglicane lingue vicina est, Lothobrocus regi cepit narrare quo casu in Angliam proiectus fuisset. Placuerunt itaque Lothbroco in rege Edmundo morum plenitudo et milicie disciplina quamplurimum, simul et curialitas astancium ministrorum, quos regalis industria in omni rerum ornatu et scemate verborum pleniter informauit. Ad hanc quoque Lothbrocus morum disciplinam licet paganus prouocatus, rogabat regem propensius vt sibi liceret in eius curia demorari ut regi[i]s posset plenius instrui disciplinis. Cumque rex Edmundus peticionem eius clementer exaudisset: iunxit se Lothbrocus venatori regis nomine Berno, vt artem venatoriam, in qua erat eruditus ad plenum, cum ipso frequentaret. Erat enim tam in aucupacione quam in venacione graciosus: vnde in auibus et bestiis capiendis omnia pro voto sibi succedebant. Capiebat quicquid volebat, et mensam regis delicatissimis ferculis persepe ditabat. Et cum fuisset a rege, in quantum eius gentilitas permisit, dilectus: cepit venator regis ei grauiter inuidere, pro eo quod in artibus predictis ipsum in omnibus superabat. Quadam igitur die dum venatum pariter irent, venator ipsum Lothbrocum interfecit, et in densitate nemoris interfectum abscondit. Quo facto, recessit venator nequissimus et canes cornicando ad se vocauit. Nutriuerat autem Lothbrocus leporarium quendam in curia regis Edmundi, qui ipsum, vt fieri solet, multum dilexit, et venatore cum ceteris canibus recedente, ille solus cum corpore domini sui remansit. In crastino quoque cum rex sederet ad mensam et inter ceteros commilitones Lothbrocum non vidisset: quesiuit propensius a ministris quid de illo actum fuisset. Cui venator Bernus dixit quod die hesterna cum de venatu domum rediret, ipse remansit in silua post eum, et quod eum postea non viderit asserebat. Sed vix verba compleuerat et ecce leporarius quem nutriuerat Lothbrocus regiam ingressus aulam omnibus et maxime regi adulante cauda applaudere satagebat. Quem rex cum vidisset, astantibus dixit: 'Ecce canis Lothbroci aduenientis dominum

suum venientem preuenit.' Et pre gaudio rex canem diligenter pauit, sperans per eum eius dominum aduenturum. Set secus contigit quam sperabat. Nam illico cum leporarius saciatus fuisset, reuersus est ad dominum suum et iuxta corpus eius consuetas excubias celebrauit. Qui iterum post triduum, fame conpellente, ad mensam regis ingressus est denuo reficiendus. Rex vehementer admirans iussit insequi vestigia canis si recederet ab aula, et diligenter quo pergeret explorare. Factum est autem a ministris vt eis a rege fuerat imperatum. Et canem recedentem subsequentes, ad Lothbroci corpus exanime sunt perducti. Cumque hec regi declarata fuissent, perturbatus est vehementer, et facta inquisicione de morte eius, Bernum venatorem de opere nephando conuicit. Et iussit a militibus de curia sua adiudicari ac legis peritis, quid de homicida foret agendum. Et omnes in hoc pariter consenserunt vt venator in illa nauicula in qua Lothbrocus in Angliam applicuit poneretur, et in medio maris solus sine omni instrumento nauali dimitteretur. Itaque venator iuxta quod sententiatum fuerat in mare dimissus, post dies paucos in Daciam est proiectus. Qui cum a portuum custodibus inuentus fuisset, cognouerunt nauiculam Dani, quod in illa dominus eorum Lothbrocus consueuerat aucupari: et perduxerunt eum ad Inguuar et Vbbam filios Lothbroci, viros potentes et crudeles. Qui continuo adhibitis tortoribus exegerunt a Berno quid de patre suo qui in illa nauicula ab eis fuerat subtractus actum fuisset. Bernus quoque grauiter et diu diuersis afflictus tormentis, fingens mendacium dixit quod pater eorum, cum casu applicuisset in Angliam, a rege Estanglorum Edmundo inuentus, et ipso iubente fuerat interfectus. At illi de morte patris sui perturbati, et alias ex paterna exprobracione et inuidia inflammati, iurauerunt per omnipotentes deos suos quod exprobracionem illam et patris sui mortem non relinquerent inpunitas. Bernum quoque venatorem qui in nauicula patris sui aduenerat, constituerunt ductorem suum vt se in regem Edmundum vindicarent.

¶ De adventu Danorum in Estangliam, quos sanctus Edmundus expugnabat et ab Estanglia repellebat.

Ex cronicis Westm., Ely, Houdene, et Mariani.

Anno igitur ab incarnacione domini, dccc° lxv°, et anno regni sancti Edmundi decimo, Ingwar et Vbba cum Berno, comitantibus regibus paganis Halfdene, Oskitel, Bagseg, Hosten, Eowils, Hamund et Guthrun, cum viginti milibus armatorum mare cum nauibus ingressi versus regionem Estanglie vela direxerunt et arma, vt se in regem Edmundum, de morte illa penitus insontem, vltum irent. Set ventis in contrarium classem inpellentibus, in Scocia apud Berwike super Twedam compulsi sunt applicare, vbi premeditatam seuiendo depopulacionem inchoauerunt, pueros et senes quosque sibi obuios iugulauerunt, sanctimoniales virgines et matronas ludibrio tradendas mandauerunt, ecclesias et monasteria et ministros illorum ferro et flammis consumpserunt. Omnis quippe nacio, omnis condicio, omnis professio, que Christum confitebatur, erat illis quasi publicus hostis, quia in fidem catho-

licam grassabantur; et quos dei cultores esse nouerant, omnino delere aut seruituti eos subiugare nitebantur. *Houdene.* Deinde circa annum xi. regni sancti Edmundi ad Estangliam nauigio peruenientes, et per totum annum nunc mari nunc terra circueuntes, monasteria, ciuitates et villas incendiis et cedibus deuastabant. Equos vero de exercitu sancti Edmundi et de prouincialibus sibi rapientes, equestres facti sunt, et prout audebant circumcirca discurrentes cunta pessumdabant. Ex hiis tamen cotidie plures non sine magno sanguine ab exercitu sancti Edmundi valide semper interficiebantur. *Ex cronicis.* Quadam namque vice cum quidam illorum sanctum Edmundum in quodam castro suo residere cognoscerent, castrum statim molientes euertere obsederunt. Cum vero in obsidione obsessi et obsidentes dira fame laborarent: ne inopiam suorum pagani perciperent, sanctus Edmundus multum frumentum proici precepit, et taurum quendam qui pinguis infra castrum pascebatur frumento mundo saturari et bene pastum vltra muros statim paganis ad diripiendum iussit exponi. Et hec auide rapta, dum taurus discissus et pene crudus[1] paganis famelicis deuorandus aptaretur, recenti frumento intestina eiusdem tauri repleta reperierunt. ¶ Estimantes igitur pagani obsessos omni copia ciborum habundare, vtpote qui animalia sua frumento pascerent: clam timidi recesserunt. Quos sanctus rex cum suo exercitu insequens, plures eorum interfecit. ¶ Alia vice dum pagani clam in abditis siluarum vndique locum quo sanctus rex in non tuto subito venerat circumdedissent, et quidam illius loci quo sanctus erat eis dilatorie timore cum pecunia indicassent, cum vix suorum aliquem secum haberet siluisque ac aquis vel paludibus profundis vndique circumdaretur: iuxta flumen quo erat, quatuor vene aquarum, semper deinceps fluentes, eruperunt. Deinde rex per vadum ante incognitum quod modo Derneforde, .i. 'latens vadum' dicitur, transiit; sicque ad suos veniens, ipsos coadunauit, et celeriter super eosdem incredulos irruit et eos prostrauit. Item relacione plebis refertur quoniam dum vice quadam in quodam municipio suo forti moraretur, exercitus paganorum prouinciam subito ingressi, illuc aduolant et castrum obsident. Prospicientes vero quod castrum eis inexpugnabile esset, recedere decreuerunt; set quidam latomus pre senectute cecus, quem inter prebendarios rex sanctus pascebat, mercede ductus infirmiorem locum castri, quo murus[2] facilius insultantibus cederet, indicauit; quoniam ipse olim construccionis muri illius prepositus fuerat. Cumque sanctus rex machinis inpellentibus murum cedere cognosceret, equo veloci per portam inter turmas paganorum exiit. Cum ergo insequeretur a longe, ab eis inquisitus vbi rex esset, respondit: 'Velociter redite, quia cum ego in castello eram, tunc rex ibi erat.' Hoc audientes: eum insequi omiserunt, et celeriter ad perscrutandum castellum pro capcione regis redierunt. Quem cum minime reperissent, tunc primo cognouerunt quod ipse rex locutus eis esset; cuius timore statim discedere parauerunt, quoniam eius reditum cum exercitu collecto exterminabilem sibi formidauerunt. Et cum furtim inde se subtraherent: rex sanctus cum exercitu rediit et omnes male

[1] MS. crudis. [2] MS. murum.

dilacerauit, nisi qui fuge presidio se saluare potuerunt. Sicque post varios euentus bellorum et magnos sudores sancti et exercitus eius, exire ab illa regione coacti sunt. *Ex cronicis Ely, Houdene, et Mariani.* ¶ Postea de Orientali Anglia tercio aduentus sui anno ad Eboracum per mare migrauerunt, et ibi pars maxima Northanimbrensium, duobus regibus Osbrutho et Alla occisis, occubuit. Qui vero euaserunt, pacem cum paganis pepigerunt. *Ex cronicis Westmon.* ¶ Quarto autem anno Northimbros relinquentes, Snotyngham et Merciam adierunt, vbi per annum hyemantes, loca sanctorum et monasteria seruorum et ancillarum dei depredantes combusserunt. Cumque per omnes fines regnorum tanta paganorum immanitas disseminata[1] fuisset: Ebba sancta collinghamensis cenobii abbatissa, metuens ne ipsa cum suis sororibus ludibrio traderetur paganorum, conuocatis eisdem sororibus dixit: 'Aduenerunt ad partes nostras pagani nequissimi qui loca singula perlustrantes nec sexui femineo nec paruulorum parcunt etati. Ecclesias et personas ecclesiasticas destruunt, feminas sanctimoniales prostituunt, et obuia sibi queque consumunt. Itaque si consiliis meis adquiescere decreueritis, barbarorum rabiem effugere valebimus et perpetuam virginitatem custodiemus.' Cui cum vniuersa congregacio spospondisset [se] suis in omnibus obtemperare preceptis: illa mox arrepta nouacula nasum proprium cum labro superiori ad dentes vsque precidit[2], et horrendum de se spectaculum astantibus prebuit. Quod factum sorores admirantes simili de se statim opere a singulis perpetrato materna vestigia sunt secute. Et hiis gestis venerunt tiranni vt sanctas feminas ludibrio traderent et spoliatum monasterium concremarent: set conspicientes abbatissam et sorores singulas tam enormiter mutilatas[3], cum festinacione recesserunt, et recedentes igne iniecto monasterium cum officinis et ipsis virginibus concremarunt. In hac quoque persecucione destructa fuerunt nobilissima monasteria, scilicet Lindisfarnense monachorum, in quo sedes tunc erat cathedralis, quam beatus Cuthbertus sacra sui corporis presencia [decorauit]; Tynemu[t]ense sanctimonialium; Girwense [et] Weremuthense monachorum, in quibus Beda doctor educatus erat; Streneshalense sanctimonialium, quod sancta Hilda abbatissa fundauit. Et iterum anno quinto Eboracum redierunt, ibique per annum manserunt insanientes, debachantes, et plures viros ac mulieres occidentes.

¶ Qualiter iterum ad Estangliam redierunt.

Ex cronicis Ely et Westm. Sexto igitur anno ab aduentu illorum in Angliam, et anno regni sancti Edmundi XV°, versus Estangliam repedantes vt se in sanctum Edmundum vindicarent, monasteria Crulandie, Thorneie, Burgi sancti Petri, Rameseie, et Segham monachorum, et Ely sanctimonialium, quod beata Etheldreda construxerat, cum omnibus qui intus erant ferro et flammis destruxerunt. *Warengforde et cronicis Westm.* Cumque maximas partes ab occidentali aquilone depopulando peragrassent: relicto Vbba ad sarcinas cum spoliis et prediis innocentum, Ingwar cum multitudine armatorum ad Estangliam perueniens, apud quandam ciuitatem sancti

[1] MS. dess. [2] MS. prescidit. [3] MS. mutulatas.

Edmundi Thefordiam nomine castra metatus est. *Abbo Floriac.* Quam latenter ignaris ciuibus introgressus, ignibus cremandam dedit, pueros senes cum iunioribus obuiam factos iugulat, et matronalem seu virginalem pudiciciam ludibrio tradendam mandat. Maritus cum coniuge mortuus aut moribundus iacebat in limine, infans raptus a matris vberibus truci- dabatur coram maternis obtutibus. Cumque tirannus ex multitudine interfectorum cruentam rabiem aliquantulum exsaturasset: quosdam plebeios aduocat quos suo gladio credidit esse indignos, et de regis Edmundi conuenit facultate, potestate et fortitudine, ac vbi moram faciat et quanto sit stipatus milite, quanta fretus emissariorum virtute, solli- cicius inuestigat. Sciebat tamen quod idem rex Edmundus viribus et armis per omnia esset strenuus ac in omni corporis dimensione simul et proceritate incomparabilis, et in Christi amore summe deuotus, et iccirco festinabat passim neci tradere quos circumquaque poterat reperire, ne multo stipatus militum agmine ad patrie et fidei sue defensionem posset rex sibi resistere. Et quamuis esset more piratarum ferox et crudelis- simus opumque et mundane suppellectilis cupidissimus, summo tamen et precipuo desiderio estuabat delere fidem Christi. Audiens igitur quod rex Edmundus apud Eglesdene, alio nomine Hoxne[1], eo tempore moram faceret, accitum vnum ex commilitonibus ad eum dirigit, iubens primo blandiciis cor eius allici vt spreto deo suo, ydolatrie se det, pariter et Ingwar maiestati, et mediatis thesauris suis cum eo, subterfugiat illius indignacionem sub eo regnaturus; ac interim sub blandiciarum pallio explioretur virium eius potestas, thesaurorum facultas, et loci municio si sit expugnabilis vel inexpugnabilis. Veniens itaque ad regem miles tiranni nuncius, sic eum alloquitur: 'Dominus meus vbique metuendus Ingwar, rex Danorum inuictissimus, diuersas terras subiciendo sibi armis ad huius prouincie litus cum multis nauibus hiematurus appulit, tibique mandat, monet ac consulit ut tue saluti prouidens deo tuo renuncies, et colas que colit ydola, et thesauros tuos cum eo dimidies, eiusque voluntati te et regnum tuum per omnia subicias. Quodsi neglecto eius imperio de tuis viribus presumpseris et rebellare disposueris, tuo preiudicio vita priuaberis et regno. Proinde communicato cum tuis consilio, velocius elige quod tue saluti expediat pariter et honori.' Rex, hiis auditis, alto cordis dolore ingemuit, et episcopum Hunberthum quem secum habebat, familiarem, seorsum vocauit et quid facto sit opus consulit, dicens: 'O serue dei viui Hunberthe et dimidium anime mee, ecce aduentus barbarorum et crucis Christi inimicorum im[m]inet, qui dulcem patriam cum suis habitatoribus, iam pro parte desolatam, funditus delere conantur. Set ecce me occumbente vtinam subiectus michi populus viuus euadere potuisset: nam ego pro amore regni temporalis vel lucro vite presentis non me subiciam tiranno gentili, cum pro fide moriens et patria, miles possim effici et signifer regis eterni.' *Warengford.* Cui episcopus secrete respondit: 'Domine rex, si aliquod occurreret diffugium quo pos- semus saluare animas nostras presidio fuge, possemus dedicionem subter- fugere: set quia duorum alterum im[m]inet, videlicet aut mors aut dedicio,

[1] MS. Horne; now Hoxon, on the river Waveny, in Suffolk.

de duobus malis tollerabilius est eligendum, et ideo laudo quatinus fide catholica seruata, tiranno pro tempore te subdas et instans discrimen dedicionis occasione declines. Nam belli presidio non potest tanta classis in tempore breuitatis repelli, quia et nos inparati sumus, et aduersarius exertus est ad prelium.' *Abbo Floriac.* ¶ Cumque episcopus timidus pro vita regis hiis et huiusmodi consiliis et plurimis hortaretur exemplis vt tirannum cautela simulacionis eluderet: rex obstipo capite defigens lumina terris, altaque trahens suspiria, paululum conticuit, et sic demum ora resoluit: 'O episcope, viui ad id peruenimus quod nunquam veriti sumus? ecce barbarus aduena districto ense veteribus regni nostri colonis im[m]inet, et quondam felix indigena suspirando gemens tacet. Et vtinam in presenciarum viuendo quique gemerent, nec cruenta cede perirent, quatinus, eciam me occumbente, superstites fierent et ad pristine felicitatis gloriam postmodum redirent.' Cui episcopus: 'Quos, inquit, rex mi dilectissime, optas habere superstites patrie, cum iam hostilis gladius vix aliquem reliquerit in plena vrbe? Hebetatis securibus tuorum cadaueribus, te destitutum milite veniunt loris constringere. Quapropter, nisi fuge presidio, aut dedicionis infausto patrocinio precaueas, hic statim aderunt tortores nephandissimi, qui te cum tibi subiectis auferre de medio conabuntur.' Ad hec rex beatissimus: 'Hoc est, ait, quod desidero et votis omnibus antepono, ne supersim meis fidelibus carissimis et amicis, quos cum liberis et vxoribus perdidit pirata truculentus. Et quid suggeris vt in extremo vite desolatus meo satellite, fugiendo glorie nostre crimen inferam? Semper delatorie accusacionis calumpniam euitaui, nunquam relicte milicie probra sustinui: et nunc ero mei voluntarius proditor, cui pro eterna vita consequenda et carorum amissione lux ista est fastidio? O episcope, omnipotens rerum arbiter testis assistit quod me seu viuum seu mortuum nullus separabit a caritate Christi, cuius in confessione baptismatis suscepi anulum fidei, abrenunciato sathana et omnibus pompis eius. *Ex alia legenda.* Decet enim Christianum quemque semper esse memorem professionis sue, et assidua meditacione reuoluere quod quanto plura et maiora quis recepit a domino, tanto de vniuersis et singulis districciorem redditurus est racionem. Cum ergo spiritus sancti trinam receperim vnccionem, primam quidem in baptismo, secundam per imposicionem manus episcopi, terciam in consecracione regni: nunquid iustum est vt post tot et tantas gracias diuini muneris incipiam duobus dominis seruire, et fiam vas et mancipium diaboli qui semel factus sum templum et membrum Christi? Tirannus bona promittit temporalia si paruero; si detrectauero, supplicia comminatur. Vitam concedit: hac nondum careo; regnum promittit: hoc habeo; pollicetur opes, quibus non indigeo nec eas concupisco. Deus autem est qui solus vtiliter hec cui et quando, quomodo et quantum uult vniuersa largitur, et fidelibus suis expediencia ministrat ad habundanciam.' Et hiis dictis, conuersus ad nuncium dixit: 'Recede festinus et domino tuo refer quod legem Christi professus, pro illa mori paratus sum, vnde nouerit quod nisi prius effectus fuerit christianus, nec me nec populum dei prophano duci subiciam. Et si thesauros

nostros siue diuicias potenter surripiat, me tamen sue infidelitati non subiciet. Honestum est enim perpetuam defendere libertatem simulque fidei puritatem. Pro quibus eciam occumbere non inutile reputamus. Igitur, vt cepit, superba sua feritas post famulos regem solio diripiat, trahat, expuat, pro Christi nomine colaphis cedat, ad vltimum eciam iugulet; quoniam rex regum hec videns me transferet in celum perhenniter regnaturum.'

¶ De bello inter sanctum Edmundum et Ingwarum prope Thefordiam, et de modo martirii sancti Edmundi.

Ex cronicis Westmon. et Norwici.

Recedente itaque nuncio, rex Edmundus iussit commilitones ad arma conuolare, asserens dignum, pro fide pariter pugnare et patria, ne desertores milicie se esse probarentur et populi delatores. Igitur ad instanciam Hunberthi episcopi ac nobilium virorum ac commilitonum suorum animatus beatissimus rex Edmundus cum toto exercitu quem habere potuit, confidens de dei auxilio processit audacter in hostes. Et non longe ab vrbe Thefordie contra aduersarios, sibi in[1] obuiam venientes, graue certamen ac nimis vtrobique dampnosum commisit. Nempe cum a mane diei vsque ad vesperam mutua se nece prostrauissent, et pro nimia interfectorum multitudine [2]sanguine loca certaminis rubuissent, piissimus rex Edmundus non solum ex strage commilitonum suorum pro patria gente et fide Ihesu Christi decertancium, quos iam martirio coronatos agnouit, condoluit[3], verum eciam pro nece barbarorum infidelium ad inferni baratrum detrusorum nimis amare lugebat. Recedentibus itaque primitus de loco funeris paganis, beatissimus confessor Christi et martir futurus rex Edmundus cum reliquis[4] commilitonum suorum qui superstites erant ad Heglesdene reuersus est, inmutabiliter statuens in animo suo se nunquam decetero contra barbaros pugnaturum; set hoc solomodo[5] dixit sibi fore necessarium vt solus moreretur pro populo, et non tota gens periret. Ingwar igitur cum de strage suis illata inconsolabiliter anxiaretur: venit ad eum apud Theford Vbba frater eius cum decem milibus armatorum. Et sic iunctis viribus, vt se vindicarent in sanctum regem Edmundum, versus Eglesdene, quo rex beatissimus tunc erat, castra mouerunt. *Warengford.* Hoc audito: beatus Edmundus, videns terminum passionis sue im[m]inere, talibus verbis suos alloquitur: 'Scio, commilitones karissimi, quod vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittunt: set aliud est fori permissio, aliud poli institutio. Euangelice quippe non est institucionis sanguinem fundere, hostem dimicando propulsare, armis inimicos abigere. Duo proposuit tiranni legatus, apostasie enormitatem et subieccionis degenerositatem: set a fide Christi nulla me deterrebit persecucio, ad dedicionem nulla emolliet promissio. De cetero angustia temporis non permittit exercitum congregare ut more patrum dimicemus pro patrie libertate et populi liberacione: quia tirannus iam magna ex parte debilitauit populum nostrum deseuiens vsque ad interempcionem, et ad manum iam alium habet exercitum vt irruat in regem et populum inermem, et triumphet de seruis

[1] al. om. [2] al. ac s. [3] al. condolebat. [4] al. reliquiis. [5] al. solummodo.

Christi seuissimus Christi persecutor. Ideo pro temporis et casus instantis exigencia, necessitas vrgens permutanda est in virtutem, et hostis vincendus est pocius paciencia quam ascia, humilitate magis quam pugione; quia nec Christum negare, nec seruituti addici nisi christiane decet Christianum. Ego genti inclite cui presideo quia presidium non possum ferre, possum pro eis et cum eis mortem subire.' Vix sanctus verba compleuerat: truculentus Ingwar adueniens iubet circumuallari palacium, et regem suo tribunali loris constrictum presentari. *Ex cronicis* [*Westm.*]. Sanctus itaque rex Edmundus cum se ab hostibus vndique vallatum cognosceret: de consilio Hunberthi episcopi confugit ad ecclesiam vt se membrum Christi ostenderet: et armis temporalibus proiectis, celestia induit, humiliter patrem et filium cum sancto spiritu deprecans vt in passione sua constanciam et pacienciam sibi largiretur. Igitur a ministris iniquitatis ab ecclesia extrahitur, vinculis arcioribus artatus constringitur, atque innocens ducitur ante impium iudicem quasi Christus ante Pilatum presidem, cupiens eius sequi vestigia qui pro nobis immolatus est hostia. *Warengford.* Et factum est cum astaret coram Ingwar et interrogaretur si Christum confiteretur, intrepidus respondit: 'Confiteor plane, et vnicum deum colo, credo in Christum dei filium incarnatum de spiritu sancto, ex virgine Maria natum, pro salute humani generis crucifixum, tercia die resuscitatum, et quadragesima ascendentem in dextera dei patris collocatum, et in fine seculi venturum viuos et mortuos iudicaturum, bene promeritis vitam eternam, non credentibus et perdite viuentibus iehennam redditurum; ab eius caritate non separabit me gladius persecutoris, non blandimentum promissionis, non mors, non uita, non preterita non instancia non futura discrimina. Istam fidem in qua adoleui non desero, degenerem seruitutem non subeo, thesauros nostros non dimidio set integros expono; de donariis tuis ditescere penitus respuo, quia ad pociores diuicias aspiro, quas nec vetustas reddit viliores, nec habendi assiduitas abiectiores: que de innata suauitate semper ingerunt desiderium, de sacietate continua nunquam generant fastidium; que principium norunt set finem nullum; que de temporali dono nec proueniunt nec de voluntate tolluntur. De cetero igitur profiteri dominum quem non habeo in fide socium, nec sanguinis permittit generositas, nec alacritas fidei christiane. Toto igitur malignitatis tue debachare spiritu, et inuenies manus tuas inualidas ad inferenda tormenta, que pro fide Christi et populi mei libertate perferam.' ¶ Ad hec tirannus furore succensus pariter et indignacione debriatus, iussit fustibus cedi sanctum regem Edmundum. Vinctus itaque fustibus crudelissime ac diutissime ceditur, deficiuntque carnifices in torquendo; set sanctus non lassescit[1] in orando nec deficit in paciendo, set dolorem omnem calore fidei temperat, et Christum indefessa voce inclamitat. Porro tortores non ferentes salutiferum nomen Christi ab eo indesinenter inuocatum, ad quandam arborem vicinam alligant Christi confessorem, et stantes eminus quasi ludendo ad signum sagittas mittunt ad regium corpus, et vulnera uulneribus infligentes geminant dolorem ex ictibus

[1] MS. lacescit.

inidem geminatis. *Abbo Floriac.* Sicque factum est vt spiculorum terebratis aculeis circumfossus palpitans horreret velud asper ericius, aut spinis hirtus carduus, in passione similis Sebastiano egregio martiri. Nam sicut ericius in cute densis armatur spinis, ita corpus inuicti regis spiculis configitur et sagittis. *Ex alia legenda.* In hiis omnibus animus in Christo nobilis dilatatur, carnis infirmitas de vigore spiritus inualescit ad penam, et in ipsa passionis angustia, inter ipsas carnificum manus gloriosus Christi confessor de fidei persecutore triumphat. Cumque sanctum dei martirem conspiceret iniquus Ingwar nec suis persuasionibus assensum prebere, set in fide Christi et confessione sancte trinitatis constanter perseuerare, vertitur in furorem, dentibus stridet, tremit corpore, et lictori mandat protinus vt amputet capud eius. Ille seminecem cui adhuc vitalis calor in tepido palpitabat pectore, vt vix posset subsistere, auellit cruento stipite festinus, auulsisque detectis costarum latebris pre punccionibus crebris acsi raptum eculeo aut seuis tortum vngulis iubet capud extendere, regali quondam insignitum diademate. Cumque staret mitissimus vt aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam seculo, diuinis intentus beneficiis, iam recreabatur visione interne lucis, qua in agone positus saciari cupiebat attencius. *Warengford.* ¶ Et impetrato orandi spacio, breuem fudit oracionem, dicens: 'Deus qui de beneplacito tuo, non de nostro merito, filium tuum carne vestiri et affigi patibulo voluisti, non solum ad caritatis exemplum set maxime ad peccati remedium: da michi in passionis mee articulo constanciam et vsque in finem in caritate perseueranciam, nec truculentus Ingwar se vicisse gaudeat si me capite mutilet, set ille pocius in te et de te gaudeat qui de hoste paciendo triumphet. Non enim victoriosum est quod serui tui occidi possunt, set magis, quod flecti nequeunt. Ecce ceruix mea vibrantis expectat gladium: tu vero suscipe spiritum meum, quem angelorum cohors post ferientis ictum deferat in paradisum tuum.' Et completa oracione, spiculator arripiens pugionem capud abscidit regium, Christoque consecrauit martirem persecutor inuisus quem in regem consecrauerat episcopalis manus. *Abbo Floriac.* Sicque xij. Kalend. decembris, indiccione iij^{a}, feria ij^{a}, luna xxij^{a}, anno ab incarnacione domini .dccc.lxx., beatus Edmundus anno etatis sue xxix., et regni sui xv., igne passionis examinatus cum palma victorie et corona iusticie rex et martir intrauit senatum curie celestis. Talique exitu crucis mortificacionem quam iugiter in suo corpore rex pertulit, Christi domini sui secutus vestigia consummauit. Ille quidem purus sceleris in columpna ad quam vinctus fuit sanguinem non pro se set pro nobis flagellorum suorum signa reliquit: iste pro adipiscenda gloria inmarcessibili cruentato stipite similes penas dedit. Ille integer vite ob detergendam rubiginem nostrorum facinorum sustinuit benignissimus immanium clauorum[1] acerbitatem in palmis et pedibus: iste propter honorem nominis domini toto corpore grauidis sagittis horridus et medullitus asperitate tormentorum dilaniatus, in confessione sancte trinitatis pacienter perstitit, quam ad vltimum accepta capitali sentencia finiuit. *Ex cronicis.* Passus

[1] MS. clauium.

est autem cum eo comes illius indiuiduus Hunberthus elmanensis antistes, qui eum in regni fastigium sublimauerat, et constancia inuicti regis ad martirium animatus, cum ipso regni celestis possessor est effectus.

¶ De absconsione et inuencione capitis sancti Edmundi et coniunccione illius ad corpus, et de sepultura vtriusque.

Abbo Floriac. Dani igitur corpus sancti martiris ita truncum et aculeis hirsutum et hispidum relinquentes, capud eius sanctissimum in siluam vicinam, cui nomen est Heylesdun, recedentes asportauerunt, ac inter densa veprium frutecta longius proiectum occultauerunt ; id omni sagacitate elaborantes ne a Christianis quos paucos reliquerant, sacratissimum corpus cum capite honeste traderetur sepulture. Didicerunt enim Ingwar et Vbba pirate nequissimi, Lothbrocum patrem suum falsa suggestione Berni venatoris sancti Edmundi in silua de medio sublatum fuisse, vnde talionem reddere cupientes in silua iam dicta capud eius bestiis et auibus deuorandum ignominiose proiecerunt. *Abbo Floriac.* ¶ Quibus tandem aliquantisper abeuntibus et depopulacioni quoquo locorum operam dantibus : ceperunt Christiani de latibulis consurgere, diligenti animo satagentes vt dominum suum regem condigne sepelirent. Corpus igitur regis sanctissimi adhuc sub diuo positum, facilime est repertum in eodem campo vbi rex occubuit : set capud non inuenientes, suspendunt sepulturam, donec solliciciori indagine deprehendant quo capud deuenerit. *Warengford.* ¶ Volente itaque deo : dum sanctus rex pateretur quidam catholicus subtractus paganorum gladiis deprope delituit et omnia que agebantur pia curiositate signauit. Quem contigit adesse dum fieret questio de regio capite : nec distulit referre quod Danos vidit precisum capud in siluam Heylesdun secum deferre ; set quo reposuerint, non deprehendisse. Quo audito : qui aderant siluam perlustrare festinant, pro certo credentes quod aliene secte cultores, inuidendo nostre fidei, sustulissent capud martiris et infra densitatem saltus abscondissent aut vili cespite obrutum, aut auibus et feris deuorandum. Initoque consilio, decreuerunt quatinus circumcirca peruagantes, vocibus aut tubarum ductilium vel cornuorum strepitu mutuo sibi innuerent : ne aut lustrata repeterent, aut non lustrata desererent. *Warengford.* ¶ Cumque in hunc modum silue deuia peruagarentur, et singulus ad singulum vtpote socius ad socium alternatim queritans diceret ‘vbi es, vbi es?’, capud sancti martiris longius remotum a suo corpore respondit : ‘her, her, her,’ quod interpretatur : hic, hic, hic. Nec destitit eadem verba repetere, donec omnes qui lustrando dispersi fuerant per silue deuia, ad se congregaret. O rem a seculis inauditam et miraculi singularitate stupendam ! O mira dei magnalia, qui semper et vbique in sanctis suis mirabilis et gloriosus est ! Voce igitur ducente, peruentum est ab omnibus ad locum vbi capud sanctissimum fuerat occultatum : arida lingua visa est palpitare et intelligibilem formare vocem - illius quidem agitata virtute qui humana verba formauit in ore asine vt prophete vesaniam increparet. Set et hoc miraculum alio fulcitur miraculo :

Immanior quippe lupus eo loci inuenitur reuerendum martiris capud brachiis suis amplectens, aliarum ferarum voracitatem propulsans et propriam refrenans, nec cessit susceptam custodiam nisi multitudini capud querenti. Ecce alterum Danielem! Ille quippe in medio leonum in lacu positus dei gracia leonum repressit rabiem: iste non inferiori gracia feris expositus et auibus, nec feras sensit nec aues, immo leoni in voracitate consimilem lupum habuit non voratorem set custodem. Vnanimi igitur deuocione qui conuenerant deferentes capud inuentum ad corpus sanctissimum, lupum habuerunt funeris socium vsque ad sepulcri locum. Qui eis a tergo imminens et quasi pro perdito pignore[1] lugens et eiulans prosecutus est eos, inpendens obsequium quale potuit martiris sanctitati; interfuitque funeris obsequio donec cunta peragerentur, neminem ledens, a nemine lesus; peractisque de more cuntis que defuncti contingebant officium, rediit ad siluarum lustra quasi deuocione custodie completa;—nec antea illis in finibus nec postea lupus specie tam terribilis apparuit. Capud igitur sancti regis et martiris coniunctum corpori, traditum est sepulture iuxta locum illius martirizacionis. Quo eciam edificata lignea desuper ecclesiola, triginta sex annis in terra defossus idem sanctus martir requieuit humatus. [2]Preciosus igitur rex et martir Edmundus post triumphum victorie a domino remunerari meruit corona glorie laureatus. Qui coram tiranno Christum confiteri purpura[3] regia non erubuit[4] exutus: eundem agnum dei comitatur[5] vbique stola immortalitatis indutus. In cuius ore nec inter fremitus barbarorum nec inter fustes tortorum laus dei valuit cessare: iam inter spiritus angelicos illam non cessat decantare. Capud quod alacriter pro Christo subdidit gladio percussoris: diademate fulget ornatu[m] eximii decoris. Corpus eius crebrarum sagittarum ictibus perforatum, ad indicium quante sit illius anima in celo dignitatis, integrum inuiolatumque perseuerat in terra per diuine clemenciam maiestatis.

De ceco nato ad eius tumulum apud Hoxne illuminato, tempore quo corpus illius iacuit ibidem.

Ex libro de miraculis eius Sampson. INterea quamuis athleta dei Edmundus raro coleretur inhabitatore: paulatim tamen regiones finitimas miraculorum illustrabat fulgore, et ideo non solum priuatorum, set eciam sublimium corda sibi amicuit per signorum inmutata mirabilia. E quibus vnum dignum[6] duximus memorasse, vt ex hoc vno plura pensari queant; tum quia neclecti cultus fuit correccio, tum quia multorum ora in dei laudes resoluit. Cecus enim quidam a natiuitate, cum puero ductore viam carpens, saltum quo martir sanctus tumulabatur ingreditur: quem cum necdum dimidiasset, sole ad occasum tendente tenebre densantur. Querule voces ad inuicem conferuntur; que ceteris leuamen consueuit laboris afferre, [peregrinis curarum sollicitudinem nox ipsa parturiebat[7]]. Domicilium omne sub-

[1] MS. pugnore. [2] Here begin (Samson's) Mirac. in MS. Tit. A VIII, Trin. Coll. Dublin B 2. 7. [3] MS. purpurea. [4] MS. eribuit. [5] MS. commitatur. [6] MS. digne. [7] om.; so MS. Tit.

trahitur, vagus ferarum excursus tutam sub arbore quietem non pollicetur. Inter hec puerulus ceci ductor contiguam e latere domum aduertens, 'Euax! en, ait, modica in presenti discrimine nostris vsibus accom-[m]odatur[1] cella.' Et cecus ad hec: 'Deo gracias, inquit, subeundum est eam.' Quam protinus ingressi, tumulum beati Edmundi martiris offendunt; et, vt erat, sepulturam ibi hominis autumantes, primum, vt humanitatis est, horripilacione percelluntur, deinde, presumpta securitate, ianuam obicibus artant, straueruntque sibi, tumba martiris vicem ceruicalis ministrante. Necdum vero plene poterant obdormisse: cum subito flammiflue columpne splendor habitaculi tocius ambitum occupauit. Quo comperto: puer, qui solitudine nimirum sollicitante molestas agebat vigilias, pauefactus magistrum a sompno excussit, dicens: 'Heu, heu, quid accidit nobis! hospicium nostrum flamma consumit.' At ille trementem puerum blande compescens, 'Tace, inquit, tace; ne turberis! fidelis et ydoneus est hospes noster; nichil aduersi sustinebimus, quiesce securus.' ¶ Cum autem solis ortum prenunciasset aurora: lux celitus emissa redit, set lucis signa ceco reliquit. Qui enim cecus venerat, sancti Edmundi merito illuminatus, ductori suo ait: 'Lucescit; adoriamur iter nostrum.' A quo, pre verbi nouitate stupefacto, protinus audiuit: 'Et vnde tibi lucem enunciare, quam semper altero mediante ortam esse dideceras? Lucem quidem nominare, nunquid eciam videre consueueras? Vide sanum sapias.' Cuius errorem ille redarguens, 'Tune me, inquit, delirare suspicaris? Res verbis concinunt, fidelis est hospes noster.' Vale facto igitur hospiti suo, digna laude saluatoris referunt clemenciam. Cecus igitur non egens deinceps ductore, suos sibi oculos sufficere gratulatur. Tunc primo sibi nasci putatur, cum mundialem conspicatus fabricam, singula queque miratur. Propalatur miraculum, obuios quosque reddit attentos; exultant vniuersi regem et dominum suum sanctum Edmundum talibus indiciis virtutum magnificari.

¶ Qualiter de Hoxne vsque ad Bedricesuuorthe sit translatus, et quomodo corpus eius ibidem post xxxvi annos incorruptum est inuentum.

Sanctus Abbo Floriac. Clarescentibus igitur longe lateque miraculis permota Orientalis Anglie multitudo non solum vulgi set eciam nobilium, reminiscensque minus honestam sui regis tumulacionem: habito consilio, in villa regia que lingua Anglorum Bedricesuuorthe dicitur, construxit permaximam miro ligneo tabulatu ecclesiam. Circa annum vero domini 900 tempore regis Alfredi, vel secundum alios 906^m tempore regis Eduuardi senioris ante Conquestum primi, episcopus cum clero et populi multitudine reuerenter processit ad locum sancti Edmundi sepulture. Vbi dispositis circa mausoleum honestioribus clericorum personis, thecaque preciose margarite reserata, ligneum amouentes[2] operculum introspiciunt. Set mox pre visu insoliti miraculi[3] resiliunt, atque clamore repentino ceteros ad admiracionem inuitant. Iacebat enim rex gloriosus et martir Edmundus corpore integer similis

[1] *al.* accommoda. [2] MS. ammouentes. [3] Tit. visus i. miraculo.

dormienti, et cum corpus eius pre nimia temporis prolixitate aridis ossibus in puluerem redactum crederetur, ita integrum et incorruptum est repertum acsi eodem [die] fuisset sepultum. Capud quoque quod precisum fuerat a corpore in passionis articulo, ita corpori loco suo consolidatum et vnitum inuenerunt, vt nulla in eo, sicut nec in toto corpore, macula cicatricis vel alicuius lesionis appareret. In collo tamen subtilis ac rubicunda linea ad modum fili coccinei rutilabat per circuitum, vestigium decollacionis representans. Eleuata tandem cum leticia sanctissimi corporis gleba: Christo duce cum maxi[m]o cleri plebisque tripudio, in prefatam transfertur ecclesiam, vbi adhuc in eadem forma expectat beate resurreccionis gaudia repromissa.

Qualiter Oswen prescidit capillos eius et vngues.

Abbo Floriac. et prior Warengford. De incorrupcione eciam et integritate corporis sancti Edmundi testis erat ad populum beate recordacionis femina Oswen vocabulo dicta, que prope dicte translacionis primordia ad sancti martiris tumbam in habitu religioso ieiuniis et oracionibus vacans, multa transegit annorum curricula. Que diuine reuelacionis vel proprie deuocionis auctoritate, vel certe vtriusque presumpcione, de more consueuit in cena dominica, patefacto beati martiris sepulcro, singulis annis capillos pariter et vngues sancti regis precidere[1], et in capsula diligenter recondens, mira affeccione quamdiu vixit excoluit, et tamquam preciosas reliquias super altare eiusdem ecclesie deuote reposuit; vbi adhuc reseruantur debita veneracione. *Prior de Ware[n]gford.* In veteris autem siue noui testamenti serie non est aliquod huic consimile mirabile; quod enim in mortuo cadauere crescat capillus, vel vnguis excrescat, nec legis nec euangelii occurrit exemplum. Proinde singularis gauisus est signi specie qui in sublimitate positus singulariter de morte ad vitam transitum fecit, et speciem imperio dignam in seruilem commutauit quando rex more[2] serui dignatus est mori. Verumptamen quod[3] inattencio percucientis credidit seruile, intencio pacientis fecit imperiale: quia summa ingenuitas est in qua seruitus Christi comprobatur. *Abbo Floriac.* ¶ O quanta reuerencia locus ille dignus existit qui sub specie dormientis tantum Christi testem continet, et in quo tante virtutes fiunt et facte referuntur, quantas apud Anglos nusquam alibi audiuimus. De quo constat, sicut et de aliis sanctis omnibus iam cum Christo regnantibus, quod licet eius anima digne pro meritis sit in celesti gloria, non tamen per visitacionem die noctuque longe est a corporis presencia, cum quo promeruit ea quibus iam perfruitur beate immortalitatis gaudia. Nam dum in eterna patria ei iungitur qui[4] vbique totus est, de eo habet posse quicquid habuit et velle, preter id solum quod infatigabili desiderio concupiscit vt per resur[r]eccionem circumdetur stola demutate carnis: quoniam tunc erit perfecta sanctorum beatitudo cum ad id fuerit Christo largiente peruentum. Set et de hoc sancto martire estimari licet cuius fuerit sanctitatis in hac vita, cuius caro mortua prefert quoddam resur[r]eccionis decus, sine labe

[1] MS. prescindere. [2] MS. mori. [3] MS. quid. [4] MS. quibus.

sui aliqua; quandoquidem eos qui huiuscemodi munere donati sunt, extollant catholici patres de singulari virginitatis priuilegio, dicentes quod, iusta remuneracione, eciam hic gaudent preter morem de carnis incorrupcione qui eam vsque ad mortem seruauerint, non sine iugis martirii valida persecucione. Quid enim maius sub caritate christiane fidei, quam adipisci hominem ex gracia quod habet angelus ex natura? Vnde diuinum oraculum quasi singulari quodam dono repromittit quod virgines sequ[e]ntur agnum quocunque ierit. ¶ Considerandum igitur quis iste fuerit qui in regni culmine inter tot diuicias et luxus seculi semetipsum, calcata carnis petulancia, vincere studuit: quod eius ostendit caro incorruptibilis. Cui famulantes satagant illi ea placere mundicia, quam ei perpetuo placuisse manifestant membra incorrupta; et si non possunt virgineo flore pudicicie, saltem experte voluptatis iugi mortificacione. Quoniam si illa sancte anime inuisibilis presencia alicuius famulancium spurcicia offendatur: timendum est quod propheta terribiliter comminatur: 'In terra sanctorum iniqua gessit et ideo non videbit gloriam domini.' Cuius terrore sentencie permoti, huius sancti regis et martiris imploremus patrocinium, vt nos cum sibi digne famulantibus a peccatis expiatos, ad gloriam ducat sempiternam.

Qualiter clerici deo et sancto Edmundo vouerunt se deuote famulari.

Hermannus archidiaconus Arfasti episcopi[1]. TRanslato beato martire, vt dictum est, in nouam basilicam in Bedricesuuorthe constructam: locus idem abintus et a foris nocturnis temporibus amplissimi iubare luminis celitus illustrabatur, et miracula, sicut iam diximus, nullo pene tempore ad eius tumulum cessabant. Quibus ad amorem sancti martiris Edmundi plebis multitudo, de diuersis prouinciis aduentans, accenditur, sicque locus diuersis donariis et oblacionibus adornatur. Tempore igitur regis Ethelstani, qui cepit regnare dcccc.xxv°, perpendentes quidam clerici martirem magni esse meriti, sub eius patrocinio deo se deuouerunt perpetuo famulari. Horum quatuor, Leofricus videlicet et Alfricus, Bomfildus, et Eilmundus, sacerdocii dignitate preminebant, duo vero, Leofricus et Kenelmus, diaconatus officium administrabant: quibus ob amorem sancti multa sunt collata beneficia; inter que rex Edmundus filius regis Edwardi primi et Ethelstani regis frater et Edgari regis pater dedit sancto Edmundo totam villam de Bedricesuuorthe, cum carta sic incipiente: 'Quamuis decreta,' etc., anno domini dcccc.xlv, et minorem Fornham. Post paucos autem annos multiplicati sunt clerici in eadem ecclesia vsque ad numerum xix, ita quod in eadem ecclesia fuerunt xiiij presbiteri, et quinque diaconi, prebendas suas habentes et de oblacionibus populi viuentes. Inter quas quidem prebendas et oblaciones vna porcio ad episcopum pertinebat et fideliter ei seruabatur. Ex ipsis autem clericis vnus vocabatur Adulfus, et postea dioceseus episcopus factus, locum ipsum dictis et factis vehementer honestabat.

[1] Cf. MS. Tib. B II fol. 24; and Sampson in Tit. A VIII f. 83.

De muliere liberata, et vicecomite punito.

Sa[m]pson abbas sancti Edmundi. Vir quidam curialis nomine Leofstanus, honore vicecomitatus a rege sublimatus in diocesi qua sanctus Edmundus tumulatur, erga sanctum non solum nullam deuocionem gerebat, verumeciam audita illius miracula contracta nare subsannabat. Hic statuto die kalendarum maiarum cuidam loco[1] Thinghowe nomine placitaturus aderat: vbi cum animaduertit quandam abesse mulierem iudicarie sue potestati ream, atque eam timore perter[r]itam ad sancti confugisse tumbam, pre nimio cordis tumore statim totus infremuit, missisque apparitoribus suis eam tribunalibus sub omni celeritate sisti precepit. At illi concito gradu ad ecclesiam properant et absque veneracionis honore intrantes, vicecomitis ream, iuxta martiris pignora procumbentem, cum magna verborum austeritate reposcunt. Constanter abnuunt clerici maiores Bomfildus et Leofricus, asserentes, nullo modo, nulla racione reddi posse ad dampnacionem quam sanctus susceperat ad erepcionem. Quid plura? fautores impietatis manibus sacrilegis [sancta] violantes et sanctum irritantes, extrahunt mulierem. Videntes autem clerici preualere satellitum audaciam, nimio percussi dolore circa sancti sepulturam prosternuntur, cum psalmis et letaniis[2] lacrimosis singultibus plenis diuine vlcionis indicia inprecantes. 'Eya, inquiunt, tyro dei Edmunde, tirocinii iam signum exere, et hostes sancte dei ecclesie comprime. [3] Quid agis, o Edmunde? itane supplices tuos defendis? Nunquit non dominus et magister tuus mulierem in adulterio deprehensam a Iudeorum manibus eam lapidare volencium misericorditer eripuit? an imitator eius esse dissimulas? Si modo taces, iusticia conculcatur, impietas roboratur, blasphemus insultat, locus vilescit, reuerencia minuitur, religio euanescit. Hec tua paciencia inbecillitas[4] deputatur; aliquando fuit tempus paciencie, iam nunc vindicte.'[3] Porro ministri sacrilegi cum muliere, sanctum iugiter inuocante, vix ab ecclesia pedem extulerant: et ecce repente vicecomes, qui iam infra atrium basilice, habita stacione ad sepulturam cuiusdam Bundi presbiteri, ad condempnandum eam cum vniuersa concione descenderat, possessus a demone, alienacione mentis et amencia[5] crudeliter vexabatur, et elisus in terram, spumas ore trahens dentibusque stridens, per plateam rotabatur. Fit confusus populi clamor, aduolant vniuersi; quibus perstrepentibus, tortorum manibus elapsa ad asili sui recurrit mulier leta presidium. ¶ Cumque infelix ille vicecomes diu torqueretur, inter tormenta miseram emittens vocem, spiritum exalauit, traditusque sepulture, cepit nocturnis horis in vicinia commanentes inquietare, per hoc nimirum propriam et ipse protestatus[6] inquietudinem; [cum] vt fateri licet, non ipse, set demon in eius effigie minus eruditos in fide, et eos quam maxime qui prestigiis falluntur, seduceret. Ad postremum autem terra auulsus, culleo insutus stagno immergitur—qui vtinam ad hoc sit traditus in presenti sathane, ut spiritus eius in iudicio saluus fiat!

[1] Tib. acervo. [2] MS. cum ps. et let. prosternuntur. [3–3] This passage is only found in MS. Trin. Coll. Dublin. [4] MS. inbellicitas. [5] MS. amencie. [6] MS. prostratus. [7] MS. tamen; Tit. cum, falsely corr. to tamen.

De quodam Leofstano punito eo quod indigne uidit corpus sancti Edmundi.

Sanctus Abbo Floriac. Circa idem tempus contigit quod quidam iuuenis Leofstanus nomine, genere pollens et rerum affluens copia, presumptuosa curiositate preciperet, licet ab amicis et viris religiosis prohiberetur, sibi[1] locellum aperiri et sancti martiris corpus ostendi. Custodes vero scientes eius arroganciam, et timentes insolenciam, licet inuiti ad eius imperium mauseolum aperuerunt[2], et insolens iuuenis irreuerenter accedens corpus sancti Edmundi repperit et uidit incorruptum. Qui statim arreptus a demonio versus est in amenciam, et dentibus ac manibus circumstantes appetebat. Audiens autem vir[3] religiosus ac timoratus Alf[g]arus pater eiusdem Lefstani, quid presumpserit, et quid inde ei acciderit, interdixit ne vlterius paternam uideret faciem, nec ad mensam suam recumberet. Qui inedia simul ac vesania corrosus, miserabiliter tandem vermibus consumptus exspirauit. Colligitur hinc ex conformitate vindicte, martirem hunc Edmundum et beatum Laurencium meritis esse conformes. de quo beatus Gregorius refert quod cum quidam minus digni corpus eius leuare volentes conspicerent, contigit septem ex eis ibidem morte subitanea interire, ut[4] ceteris metus incuteretur, ne ad sanctorum corporum contemplacionem irreuerenter accederent.

¶ Qualiter Theodredus episcopus fecit suspendi latrones, et corpus sancti Edmundi repperit incorruptum.

Abbo Floria Cumque prefato loco tumulacionis sancti martiris in Bedricesuuorthe a quibus[que][5] catholicis multa conferuntur donaria et ornamenta in auro et argento preciosissima : quidam maligne mentis homines aggressi sunt nocturno tempore beati martiris infringere basilicam. Fuerunt autem octo, qui absque vlla sancti reuerencia decreuerant rapere omnia quecunque infra basilicam utilia sibi inuenissent. Vnde sumptis machinis ad parandum ingressum et egressum, alius posti scalam applicat ut per fenestram se ingerat, alius malleo fabrili pessulum ab ostio excutere nititur, alius seram lima corrosam depascitur, alius vangis et ligonibus parietem suffodere conatur. Excitatus a sompno de tanto strepitu quidam iacens interius, nec pedem ad gressum mouere nec linguam ad verbum laxare poterat : domino deo hoc permittente non in perniciem iacentis set in laudem et gloriam martiris presidentis. Set sicut innoxium ad tempus suspendit ab officio pedum et lingue, sic noxios protraxit in lucem in opere cepto inuitos : vt [alius] de scala penderet, alius incuruus fodiendo laboraret, alius pessulum cum malleo contunderet, et alius de poste seram excuteret. Mane facto populus ad ecclesiam properans inuenit fures sic in incepto sacrilegio defixos, vt nec fugere valerent, nec ab opere desistere. Comprehensi igitur, et vinculis con-

[1] MS. iussit sibi. [2] MS. aperirent. [3] MS. quidam vir. [4] MS. et ut. [5] MS. a quibus.

stricti, sancti Theodredi elmanensis episcopi, qui 'bonus' vocabatur, consistorio presentantur. Qui inpremeditatus sentenciam dedit quam se dedisse omni tempore vite sue penituit, nam omnes simul iussit affigi patibulis, eo quod ausi fuissent atrium sancti martiris furtiue ingredi; non reducens ad memoriam quod dominus per prophetam ammonet, dicens: 'eos qui ducuntur ad mortem, eruere non cesses;' factum quoque Helisei prophete, qui latrunculos de Samaria, pastos pane et aqua remisit ad propria, dicens regi volenti eos percutere, quod non cepisset eos in gladio et arcu suo; Apostoli eciam preceptum, quod dicit: 'Secularia negocia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, i. viros seculares, constituite ad iudicandum.' Canones eciam prohibent ne quis episcopus aut quilibet de clero delatoris fungatur officio: quoniam satis dedecet ministros vite celestis, assensum prebere in mortem eius pro quo Christus mortuus est. Quamobrem predictus episcopus in se reuersus grauiter indoluit, et sibi penitenciam indicens in grauibus lamentis diucius se dedit: ac deinde populos sue diocesis conuocat, suppliciter persuadens vt a se triduano ieiunio diuine indignacionis iram auertant, quatinus sacrificio spiritus contribulati placatus dominus illi suam graciam concederet, qua corpus beati martiris tangere et lauare auderet, et honestiori locello reponeret. Quia licet tantis virtutibus floreret in mundo, indigno tamen et insufficienti continebatur mauseolo. Placata ut credidit ira dei quam de morte furum promeruerat: accessit vt sanctum regem et martirem Edmundum dignius sepeliret: et aperto locello vidit et repperit illud corpus sanctissimum, ante dilaceratum et truncum passionis tempore, iam integrum, vnitum, et incorruptum. Vidit, inquam, et gauisus est; tetigit, lauit, et rursum nouis et optimis vestibus indutum, ligneo et nouo recondidit loculo; sicque testis erat ad omnes de gloriosi corporis integritate, quod oculis conspexerat et manibus attrectauerat.—Hec autem prescripta miracula passionis historie sunt innexa ad incorrupcionis probamentum quam de virginitatis merito credimus sancto indultam Edmundo ante diem magne resur[r]eccionis et generalis incorrupcionis. Sicut ergo de beato Iohanne apostolo legitur, ipsa docet incorrupcio carnis quam alienus martir extiterit ab omni corrupcione mentis. Non quod omnibus virginibus[1] indultum sit post mortem priuilegium incorrupti corporis; quia quos in angelica incorrupcionis gaudere gloria conspicimus, omnes virgines fuisse non dubitamus. Legimus quidem beatum Paulum virginitatis beatitudine floridum martirium celebrasse, nec tamen corporis incorrupcionem promeruisse. Legimus et fratrem domini Iacobum virginem et martirem extitisse, nec minus in terre puluerem resolutum esse. Nec ideo hec dicimus vt sancto Paulo vel fratri domini preferamus in merito martirem Edmundum, set ut designemus quam accepta sit deo in rege humilitas et in mente castitas, in prepotente socialitas et in principum spiritu spiritus paupertas, in deliciis fuga deliciarum, in affluencia rerum temporalium amor martirii, inter tormenta longeua constancia, et spiritus suauitas inter crebra telorum vulnera. Et quia in hiis et in aliis multis viriliter egit virilis agonista,

[1] MS. adds: set solis.

inicia premiorum de manu domini dupplicia [sortitus est], stolam videlicet duplicem, anime beatitudinem et corporis incorrupcionem; que quidem hic inciatur set in futuro consummabitur, quia hic dat deus sanctum suum Edmundum non videre corrupcionem, ibi daturus videre gloriosam et plenissimam eius visionem.

De Ailwino monacho ad custodiam sancti Edmundi per episcopum constituto.

Ex cronicis de Hely. PRocessu temporis circa martirem tepuit clericorum deuocio, nec satis debite, sicut solebant, ipsius sancti beneficiis respondebant: et iccirco episcopus diocesanus quendam valde religiosum et honeste vite monachum Aeylwynum nomine in obsequio sanctissimi regis et martiris Edmundi, quasi suo loco et vice ipsius, ministrum bonum atque custodem ordinauit et instituit, circa annum dcccc. xcix. *Sampson abb.*[1] Hic ob ardorem amoris precipui quo totus in sanctum dei flagrabat: circa sepulcrum eius die noctuque sedulus excubabat. Cui eciam mos inoleuerat vt pia motus audacia intemeratum corpus eius certis vicibus aqua dilueret, pectine cesariem componeret: defluentes capillos in pixide diligencius recondens. Hic insuper tanta dulcedine dileccionis a sancto fouebatur Edmundo propter mire deuocionis sinceritatem, ut per nocturnam reuelacionem, pene quociens vellet, ei confabularetur, presertim quando pro calamitatibus diuersis eum interpellare consueuit.

De translacione sancti Edmundi de Beodricesuuorthe ad London[iam].

Sampson abbas.[2] ANno ab incarnacione domini Millesimo. x°., et a passione sancti Edmundi cxl°., comes quidam nobilis Danorum Turkillus nomine, multo stipatus agmine apud Gippeswicum applicuit, et per totam Estangliam discurrere, predas agere, villas cremare, et homines crudeliter non cessabat trucidare. Deinde ad locum qui dicitur Ringemere, vbi Vlfketellum ducem Estanglie cognouit exercitum aduersus illam congregasse, perrexit, et durum cum eo prelium .iij°. nonis Maii commisit. Tercio congressi, maxima strage profligati sunt Angli. Vlfketellus vero de loco in locum fugiendo delitescens, spe vana celari suspicatus est, nam perscrutatus, prosecutus, et comprehensus peremptus est. Adeo quoque fuit illa persecucio generalis, vt nec cenobiis quidem nec sacris edibus aliqua religionis contemplacione parceretur. Quod Aeylwinus monachus animaduertens, et attrocitatem indomite gentis pauitans: presertim cum et [3] hoc sanctus hortaretur, capsam cum corpore martiris reuerenter excipiens et super bigam ponens, per anfractus tortuosos et calles deuios versus Londoniam profectus est; clerici tamen in suo loco permanserunt. [4] Cumque iter ageret sepius a tergo respiciens, sole ruente quadam die ad domum cuiusdam presbiteri nomine Eadbrihti, patris Alfwini abbatis Ramesie, diuertit, et ibidem hospicium cum sua

[1] Cf. MS. Tit. fol. 86. [2] Cf. MS. Tit. fol. 89b, where this follows after Swein's murder. [3] Tit. ad.

modica suppellectili pro amore dei peciit. Abnuit sacerdos, homines ignotos hospicio recipere detrectans: set tandem, post illata conuicia, ipsum cum reda sua sub diuo in orto suo iacere permisit nec in domum suam introducere voluit. Ayelwinus autem lectum suum sub biga nocte illa qualicunque modo potuit sibi substrauit. [1] Sicque recubat monachus sub martire, martir vero sub diuo luciflue columpne [lumine] choruscus. O quam felicia quiescentis lectisternia, vbi seruus secura sompni carpit ocia! Quis nobis, o Ayelwyne pater deuotissime, reserabit quam gratam, quam placidam, sub tam precioso culmine noctem transegeris? Quis tametsi facundus orator, explicare queat quam dulcis sopor, quam deliciosa quies merorem pariter ac laborem tuum refocillauerit? Quanta putamus animam tuam intima luce serenari, cum attenderes, indice celo, Christum amici sui peregrinacionem comitari? O mira suauitas, o ineffabilis iocunditas! Nox illa nouum tibi solem parturiebat; hospitalitatis repulsa auro tectis edibus gracius tentorium ministrabat. Quarta denique noctis instante vigilia, ceperunt vehiculi rote sine alterius mocione velud ad gradiendum concitari. Quarum stridore prefatus monachus expergefactus, voluntatem sancti animaduertit de corporis sui ab illo loco celerius asportacione: moxque [uie] redditus iter quod ceperat aggreditur. Iamque a loco longius processerat: et ecce post tergum solito respiciens, intuetur eminus flammis vltricibus domum presbiteri conflagrari. Et quidem satis iuste, quippe qui caritate seclusa voluit vt proprium possidere quod deus omnibus, et maxime domesticis fidei iubet esse commune. Nam licet ignorauit quis quantusve fuit peregrinus quem aere sub nudo pernoctare coegit, in Christi tamen nomine rogantem aspernari non debuit. Legerat hoc scriptum set non intellexerat: hospitalem se fieri debere sine murmuracionis angore. ‖ Cumque monachus sepedictus ceptum iter conficeret, eodem die Stratfordie vadum offendit, quod tribus milibus a ciuitate Londonie distat. Cui breuis plurimisque in locis pons inter[r]uptus superiacebat, tutum nullius, presertim equitancium vel militancium, vestigium sustinens. Quem volens transire: propter artitudinem pontis, rotarum ambitum non ferentis, reprimitur. Nauigium abest, semita inter fluctus solida non subsistit, immo tumidus aquarum gurges naufragium comminatur. Dacus a tergo perurget, diuerticula nulla patescunt, remorari [2] non est consultum. Quid ergo monachus ageret, quo se verteret, consilio pauper prorsus ignorabat. In se tandem reuersus, omnipotenti dextere que mare fecit et arridam, negocium suum committit. Statim mouit se biga, nec stare destitit donec dextera rota voluente super pontem, sinistra in aere vltra aquam tanquam super arridam incedente et quasi sulcante, ad terram oppositam peruenit. Quod videntes hii qui erant ex alia parte fluminis, in laudem dei cicius prorumpunt; Ayelwinus eciam preuius auriga miratur visum, insolitoque spectaculo diu multumque delectatus, in dei laudibus et sancti martiris assiduus perseuerat. Tandem cum londoniense suburbium attigisset, mirum in modum obuiam sancto corpori turba non modica processerat, que, nescitur vtrum precurrencium an diuine voluntatis vaticinio, ad obsequelam martiris premonita con-

[1] Cf. MS. Trin. Coll. Dubl.

[2] MS. rememorari.

fluxerat; nec enim decebat vt tantum lumen ignorancie n ibe tegeretur. Cuius aduentu per urbem conclamato, religiosorum, clericorum et magnatorum caterua, immo quasi tota ciuitas in occursum eius conuolauit. Hinc elatus in humeris, versus ecclesiam beati Pauli apostoli cum magna laudum frequencia deportatur. [1] 'Letare iam Londonia, vrbs Anglie iam opulentissima, magna quidem tuis magnatibus, set maior ac maxima beati Edmundi magnitudinibus. Satis et admodum gemuisti [2] cum non pariente sterili: verum ecce sterilis letare que non paris; que paucos parturis vel habes sanctos ante istius Edmundi ingressum, clama et erumpe laudis exhibendo melos, quia venit tibi suffragator ab Estanglia [3], [felix] [4] sui nominis nuncupacione. Iam secure zacharizabis cum Zacharia: 'Visitauit oriens ex alto nostra.' Et vt euidencius noueris quis quantusve tuas subeat portas, miracula per eum facta declarant. Egroti namque variis langoribus aggregantur, platee debilium multitudine constipantur. Per cuntorum ora Edmundi nomen, Edmundi laus, Edmundi resonat preconium. Cecis peregrina mundi species tunc primo formatur, claudis rudis incessus innouatur; paraliticis fluxa membrorum officina restringitur, leprosis corporum mundicia restituitur; fit diserta lingua mutorum, patescunt aures surdorum. Sicque, deo cooperante, meritis sancti Edmundi a via que dicitur Algate vsque ad ecclesiam beati Gregorii pape, xviij varia infirmitate detenti miraculose sunt curati, quibus medicorum diuturna sedulitas sanitatem conferre non valuit. ¶ *De muliere contracta Londonie sanata.* Audito itaque uulgari plausu: quedam strato recubans contracta mulier, que nec incedere nec grabato pedem extendere potuit, domesticis ait: 'Quisnam hic est fragor multitudinis vociferantis?' Ad quam illi: 'An ignoras, aiunt, sanctum Edmundum regem Orientalium Anglorum, qui ab infidelibus et impiis paganis innocens pro Christo necisus [est] [5]? hic vrbem istam ingressus plurimos langore depulso reddidit sospitati.' Tunc illa: 'Heu michi, ait, quam [6] deus non iudicauit dignam illius oblatam presencie misericordiam promereri! Nam si vel feretri pallam attingerem, ab hoc incom[m]odo confido me continuo per eius merita liberandam.' Et hiis dictis: confestim erexit se et stans super pedes diu sibi peregrine sanitatis munus excepit, nonadecima facta curatorum virtutes dei in sancto dei magnificancium. Que cum se sanitati plene redditam comperisset, illico cursim turbam irrumpens, fusis pre gaudio lacrimis feretri velum rigat, inpressisque labris oscula sancto dulcia libat. ¶ *De Daco ocitate punito, et per sanctum Edmundum liberato.* Postquam igitur diuine largicionis miseracio famuli sui Edmundi nomen per miraculorum exhibicionem celebre reddidisset decem enim et nouem a diuersis incom[m]odis ea die curati fuisse memorantur: in ecclesia beati Gregorii pape, que sita est prope basilicam apostoli Pauli, sanctissimi martiris preciosum corpus deponitur. Vbi dum Londonienses cum oblacionibus votiuis beatum martirem excolerent, Dacus quidam, explorans [7] quisnam esset cuius fama tantam populi frequenciam inuitaret, cum deuotis ingreditur versipellis. Et ceteris oracioni procumbentibus, ipse

[1] Cf. Herm. f. 35. [2] MS. genuisti. [3] H. Eastangle. [4] MS. velud. [5] om. [6] MS. quem. [7] Tit. explorare satagens.

rigidus et inflatus genua flectere distulit, et velo[1] quod coram sacrario oppansum erat reuulso, curiosis oculis perscrutari cepit interiora. Quod cum impudens irreuerenter ageret : vtrorumque luminum cecitate multatur. Quam cladem vt sensit : se peccasse, se errasse, se nequiter egisse miserando clamore fatetur, vitam spondet emendaciorem, se fidelem deo, deuotumque sancto Edmundo deinceps futurum pollicetur. Ideo oracio indicitur generalis, sanctus Edmundus inuocatur, vt misero subueniat imploratur. Fit vna vox omnium, et pro ceco multi supplices intercedunt. Quorum precibus sanctus martir pulsatus, gratum munus optate lucis indigenti detersa caligine rependit. Mox ille detractis aureis armillis, pro graciarum accione sancto Edmundo eas offerre non distulit. Cui eciam, vt vouerat, deuotus extitit quoad uixit. vitamque [correxit. Hiis et huiusmodi virtutum insignibus][2] fere per triennium quo ibidem commoratus est, longe lateque nomen martiris enituit, ac, vt fieri solet, per indultam salutem corporum salutem sepius operabatur animarum.

¶ De reduccione sancti Edmundi de Londonia ad Bedricesuuorthe.

Sampson. Euolutis fere tribus annis, et pace ecclesie reddita : sanctus Edmundus Ayelwino in somnis apparuit, et vt corpus suum ad Bedricesuuorthe reduceret admonuit. Qui statim Alf[h]unum vrbis Londonie episcopum adiens, licenciam postulat abeundi ; ad peregrinandum pocius quam ad manendum, illuc se venisse commemorans. Egre presul accipit, set inuitus tandem annuit ; simulata tamen deuocione fraudem adumbrans, religioso famulatu sanctum Edmundum se prosecuturum pollicetur. Tunc secum ascitis tribus e clericis, ad ecclesiam sancti Gregorii quamtocius properat, et si non simpliciter tamen reuerenter accedens, thecam cum thesauro subiectis humeris, clericisque iuuantibus, conatur attollere. Ad quod dum enixius elaborat : sentit onus intollerabile. Alii quatuor adiunguntur : set vires minime suppetunt ; deinde xij additi, incassum fatigantur ; ad postremum xxiiij iunctis viribus circa lecticam subleuandam disponuntur, set et ipsi diu desudantes martirem dei in aliquo mouere non poterant. Quod videns episcopus vna cum suis pudore suffusus admirabatur. Siquidem domesticis suis et quibusdam ciuibus indixerat ut cum feretrum de ecclesia sancti Gregorii extulissent : ad ecclesiam sancti Pauli quasi nolentes exportarent—bona quidem deuocio, set a voluntate dei et sancti Edmundi discrepabat talis intencio. Verum cum ab huiusmodi spe dei nutu prepeditus episcopus recidisset, appropians Ayelwinus procidit in oracione coram sancto, propensius eum obsecrans ne eum hac vice sue voluntatis frustretur ostentamine, in presenciarum ostendendo propriam se nolle deserere regionem. Et cum ab oracione surrexisset, tribus ex comitibus suis sibi iunctis tanta facilitate thecam eleuat ut nichil ponderis habuisse putaretur. Arrepta demum via, in magno merore ciuitatem reliquit, plurima cleri plebisque frequencia sanctum procul ab vrbe vsque ad pontem Stratfordie prosequente ; nec

[1] MS. velum. [2] om.

iam, vt prius, latibula captat nec celari satagens publicos conuentus deuitat: set fama preconante de vicis quibusque per itineris tramitem in occursum eius proruentes cum ingenti gaudio illum deducunt, ac priusquam subsequentes recedant ab occursantibus recipitur. Cumque caterуatim agmina succedunt agminibus nundinarum instar, consertis turbis via constipatur; quibus autem prompcior inerat deuocio, alii diruta poncium innouabant, alii sentibus euulsis callem leuigabant. In redeundo quoque de Londoniis, multis signorum radiis per viam tenebrosas hominum mentes illustrabat, et infirmis graciam sanitatum aliorumque co n[m]odorum affluencius procurabat. Inter quos quendam languidum apud Stapilforde, qui eum hospicio recepit, a diutino langore curabat; qui quidem infirmus, illius ville dominus, pro sanitate in eius aduentu consecuta manerium illud sancto Edmundo dedit imperpetuum. Tandem propriis ab alumpnis beodricensibus cum omni deuocione suscipitur; pristinoque reponitur in loco, vbi deo propicio deuote se petentibus non desistit suffragari.

De interfeccione regis Suani per sanctum Edmundum.

Ex cronicis et Sampson. Anno ab incarnacione domini M°. xiij°., et anno regni regis Anglorum Etheldredi .xxxiiij., quidam Suanus, rex Danorum, post innumera et crudelia mala que in Anglia et in aliis terris per decem annos gesserat iterum ingressus Angliam, suis edictum posuit vt agros deuastarent, villas concremarent, ecclesias spoliarent, masculos iugularent, set feminas ad suam libidinem explendam reseruarent. Quod cum audisset rex Etheldredus, nullo resistendi consilio fretus Normanniam peciit, cedens ad tempus fortune potenti. Cuius hostes absencia fidenciores effecti[1], plebem anglicam absque miseracione prosternunt, armis iura regni vendicantes. [2] Interea Suanus rex Anglorum appellatus, mandat vt ab omni populo Anglie generale sibi persoluatur tributum. Et cum ab huiusmodi tributo nulla prouincia Anglie, nec sancta quidem loca fieri possent immunia: contigit censores ad sancti descendere mansiunculam Beodrici villam nuncupatam, [3] sibi dum vixerat suorumque antecessorum reg[n]um [4] orientalium a quodam vt dicitur rege Beodrico proprie nominatam, set modo pignoribus martiris sacrosanctis dedicatam, suisque seruitoribus ab Edmundo rege patre Edgari aliisque regibus Anglie concedendo victualiter delegatam[3]. Illuc sine reuerencia requirentes regis vectigalia--quod nemo prius audebat facere ex quo illud oppidum datum fuerat memorati sancti ecclesie--cultores territant, comminantes, nisi cito quod querunt annuant, se procul dubio ipsum oppidum cum oppidanis crematuros, ipsius martiris ecclesiam funditus euersuros, clericos eciam variis modis cruciaturos. At illi, concepta in deo fiducia, tributarii regis peruasoris fieri respuentes, spontanea vota regi suo sancto Edmundo se reddituros profitentur. Tunc censores tanta eorum audita constancia vim timentes inferre nimirum[3] qui iam cognouerant qualiter sanctus martir suis patrocinetur[3], huiuscemodi rebellionis presumpcionem regi nunciare festinant.

[1] MS. affecti. [2] Cf. MS. Tit. fol. 84[b]. [3–3] Ex. Herm. [4] H. regnum.

Perpendentes autem nepharii regis ferocitatem, non solum vicini, verum eciam accole tocius Estanglie, cum luminaribus [et] oblacionum votis ad basilicam sui regis et martiris Edmundi vnanimi deuocione, vigiliis, ieiuniis et oracionibus insistendo, cateruatim se conferunt, deum per eius merita rogaturi quatinus iugum durum[1] captiuitatis, quod iam per decem annos et amplius Anglia gemebunda contraxerat, potenti virtute contereret; Ayelwynum eciam monachum rogauerunt—qui tante deuocionis et dileccionis gracia apud eum vigebat vt ad sepulcrum eius accedens necessitates et angustias suas coram eo allegaret, et ut ipse sanctus nocturna reuelacione more solito non solum vtile responsum dare non differret, set eciam viam leuaminis et consilii salubrioris remedium, impetraret. Cum igitur monachus ille quadam nocte sopori se dedisset: sanctus Edmundus astitit ei niuea stola prefulgidus, vultu hillaris, sermone iocundus, dicens: 'Vade ad regem Suanum, hec illi ex ore meo mandata perferens: "Vtquid vexas pusillum gregem meum, imponendo iugum quod sub nullo traxere regum? Vectigales esse nunquam didicerunt, tributum soluere nequaquam consueuerunt, nec requisitum vel persolutum fuit post me aliquo eorum tempore. ¶ Quapropter, dum licet, iniustam sentenciam corrige: ne forte, cum volueris, minime liceat. Quodsi mea monita non reuereris, et ab hac infestacione te cicius non remoueas, prope cognosces quod deo michique displices: quia Estanglie me defensorem experieris attrectatus."' Igitur Ayelwinus diuino admonitus oraculo imperatis obsecundans, laborem itineris aggreditur. Tandem apud Geynesburghe regem Suanum reperiens, ex parte sancti Edmundi, humili premissa salutacione, legacionis sue causam prosequitur, miscendo duris blanda set et mitissimis demulcendo aspera mandatum martiris indicat, videlicet ne cultores suos pondere tributi presumat onerare. At ille velud aspis surda aure nec audire dignabatur, nec respondere, set monachum lacessitum obprobriis et contumeliis spretum a conspectu suo iubet arceri, iurando contestans quod nisi celerius ab[s]cedat, ignominia fedatum suus eum Edmundus recipiet, si tamen mortis discrimen euadat. Insuper et sancto Edmundo probrose detraxit et illum nil sanctitatis habere dicebat. Ayelwinus igitur animaduertens regem tirannum nec deum timere nec sanctum reuereri, tristis admodum viam carpere cepit domum reuertens. ¶ Qui cum in territorio lincolniensi frueretur hospicio et post laborem sopore placido se recrearet: sanctus Edmundus apparuit ei, dicens: 'Quid timore sollicitaris, quid merore tribularis? An verba mea oblitus periculum desperacionis incurristi? Surge ergo festinus et iter tuum aggredere: quia priusquam peracti metas itineris attingas, de rege Suano celebris fama te et tuos compatriotas exhillerabit vniuersos.' Qui reuelacione roboratus euigilans, iter suum arripit ante diei crepusculum, partim affamine sancti Edmundi fisus, partim minis tiranni regis pauidus. Cumque iter ageret: audiuit post se quorundam murmur Danorum equitancium. A quibus infra breue consecutus, et salutatus, vnus eorum dixit ei: 'Heus sodes, tune es ille presbiter quem nudiustertius apud

[1] *al.* dure.

regem Suanum conicio me vidisse cuiusdam regis mandata perorantem?' Ad quem ille: 'Ego sum.' Tunc ille: 'Heu, heu, inquit, quam ponderosa fuit comminacio tua! quam verum vaticinium! Rex enim Suanus morte sua letificauit Angliam, mestam ac luctuosam reliquit Daciam. Denique, cum post recessum tuum sequenti nocte securus et gaudens nichilque aduersi metuens rex stratum suum intrasset, ac per totum palacium familie strepitus conquieuisset: intra cubiculum regi adhuc vigilanti subito miles astitit ignotus mire pulcritudinis, vibrantibus armis ornatus, vocansque proprio nomine regem ait: 'Vis habere tributum, o rex, de terra sancti Edmundi? Surge, ecce suscipe illud.' Qui consurgens in thoro resedit, set mox conspectis armis terribiliter vociferare cepit. Quem continuo miles impetu facto, lancea perfossum ab[s]cedens reliquit. Ad cuius clamorem expergefacti concurrentes, inuenimus eum cruore proprio fedatum animam eructasse.' *Willelmus de gestis pontif. lib.* 2°. Confabulaciones enim quasi altercancium et sonum ictus custodes corporis Suani mirum in modum audierant.—Hec audiens Ayelwinus, ad tam euidentem relacionem apud se tacitus tripudiabat, deum ac sanctum Edmundum magnificabat. Citatoque gradu perueniens ad suos: quod secretum esse arbitrabatur iam publicatum aduertit. *Marianus.* Vt autem gloriosi regis et martiris Edmundi de tiranno victoria longe lateque claresceret, omnipotens dominus hoc cicius reuelare dignatus est quod sanctus martir egerit pro suo populo: siquidem in Estsexia quidam egrotus nomine Wlmarius, vita et genere preclarus, tanto percussus langore triduo iacebat vt nullo membrorum suorum officio, nec lingue quidem, vteretur, et sic cuntis spem vite denegabat; cuius cum nocte quadam parentes et vicini circumstantes exitum anime prestolarentur, recuperata virtute in sessum se erigens voce gratulabunda dixit: 'Hac nocte et hac hora sancti Edmundi lancea transuerberatus rex Suanus occiditur[1].' Quod cum dixisset, in lectulo recubans vltimum flatum emisit, atque morte sua tiranni mortem indubitanter asseuerauit. Cumque hec sepedictus audisset Ayelwinus: iam et ipse cepit publicare quod prius suppresserat silencio. Iam passim fama per regionem cursitabat, iam sumptis alis, Ayelwino mortem regis perfidi propalante, per cuntorum ora uolitabat. Sic non solum contigui sancti Edmundi vel vicini qui constanter vectigal denegauerant liberi permanserunt, verum orientalis plage[2] illius incole vniuersi, qui ad eorum exemplum fieri tributarii vnanimes contempserunt. Et vt nobis[3] Alfwen religiosa inclusa, apud sanctum Benedictum in Holm tempore illo solitarie viuens, retulit, nec tributum concessum in illis partibus nec collectum reminiscebat. Tantum[4] in regione mari proxima que dicitur Flegh, plebs rusticana, terrore concussa barbarico, censum adunatum per manum patris predicte recluse apud Thefordiam iam transmiserant regiis ministris assignandum; set diuulgato per sanctum Edmundum de iniquo rege dei patrato iudicio, sua singuli receperunt. Occubuit autem Suanus rex iniquissimus .iiij°. nonis februarii, anno ab incarnacione domini M°. xiij°. Porro Daci remordente consciencia, de vita

[1] Tit. occubuit. [2] MS. plaga. [3] MS. vobis, cf. Herm. [4] MS. Tandem.

periclitantes, domini sui cadauer exanime copioso sale sallitum a fetoribus munierunt secumque per immensa equora ad Daciam remeantes asportauerunt. Ab ea siquidem die, licet Anglia graues habuerit tirannos, ecclesia beati Edmundi ab indiccione fisci mansit immunis. Nemo enim eorum deinceps martirem ausus est prouocare aut in oppri- 5
menda eius ecclesia sine vindicta persecucionem inferre. Nonne sic ad preces beati Basilii et beate dei genitricis imperium Mercurius martir vastatorem ecclesie prostrauit apostatam Iulianum? Sic sanctus martir Edmundus contemptores suos et ecclesie sue aduersarios potenter conterens, et pia cultorum suorum vota patenter et efficaciter promouens, 10
multis et magnis non cessat choruscare miraculis. Vnde factum est vt extunc peculiarius eum inciperent eciam remote familie venerari, per quem se nouerant a pressuris coacticie seruitutis relaxari.

Qualiter monachi apud sanctum Edmundum sunt introducti.

Ex legend. et Sampson abb. ETheldredo rege defuncto, et Edmundo rege Irensido filio suo dolo perempto: Canutus, filius Suani, regni apicem adeptus est, anno domini M°.xvij. 15
Qui regni monarchiam dei miseracione sibi perpendens attributam, primates regni prouectosque viros ac modestos conuenire precepit, hac scilicet de causa vt quecunque iusta et vtilia ipsi in commune racionabiliter tenenda decernerent[1], ipse decreta sanccciret, sanccita perpetuo caractere firmaret, firmata pro legibus posteris habenda mandaret[2]. 20
Dixit, et opere dicta compleuit. Hic tam pius, tam benignus, tam religionis amator fuisse memoratur, vt per vrbes et oppida publicas instituens scolas, magistris deputatis elegantes boneque spei pueros, necnon seruorum filios manumissos, literis traderet inbuendos, de racione fiscali sumptibus constitutis. Anno igitur predicti regis quarto: 25
Alfwinus episcopus elmanensis, eliensis autem monachus, suggessit regi et regine de clericis qui habitabant apud sanctum Edmundum, dicendo iustum et deo beneplacitum videri quatinus in loco eorum monasticus ordo succederet; vt scilicet peculiari famulatu ac honestiori cultu sanctus, vt dignus est, excoleretur. Ab anno enim xix. trans- 30
lacionis sancti Edmundi de Hoxne vsque ad Beodricesuuorthe, quo nunc incorrupta carne quiescit, assignati erant obsequio dei et sancti Edmundi clerici seculares, qui tepescente deuocione beneficia eidem martiri collata inter se diuidebant, et corpus sanctum absque condigno honore dimittebant. *Ex cronicis de Ely.* Contigit autem quodam 35
tempore, Ayelwynum episcopum diocesim visitare et in eadem villa de Beodricesuuorthe hospitari, vbi incontinenciam illorum clericorum et alias enormitates audiens, intendebat eos corripere et ad meliora prouocare; set nichil suam preualere monicionem intelligens, partem sue prebende, que sibi de illa ecclesia debebatur, et alia que ad ius episcopi pertinebant 40
petiuit. Illi vero hoc audientes indignati sunt, et ad episcopum in veru fixa frusta carnis que de carnibus porcinis et vaccinis ad oblacionem

[1] MS. discernererent. [2] MS. firmaret et m.

venerant, sicut per frusta sibi partiti sunt frustatim palam cum indignacione miserunt. Hiis itaque perceptis, episcopus aliquantulum permotus est, tacitus tamen rem perferebat, conferens in corde suo, sicut erat pacientissimus et in omni operacione sua mansuetissimus. Tamen de excellencia loci et sanctitate martiris Christi Edmundi et presencia corporis illius incorrupti, absque venerabili cultu religionis sic diucius permanentis [1], non leuiter in seipsum commotus est. Vnde non quieuit, nec spiritus eius requiem habuit, donec hec omnia venerande regine peroraret, et quod aptissime fieri posset tantus locus pro salute regis et com[m]odo patrie, et pro tanti martiris excellenti sanctitate et miraculorum frequencia que in eodem loco fiebant creber[r]ime, locus dicatus religioni et seruicio Christi. Sicque de hiis preuenit venerabilem reginam in benediccionibus dulcedinis; et postea propositum suum regi Canuto perorauit, adiutus suggestionibus regine, et beneuolencia ac diligencia comitis Turkilli in cuius dicione locus ille fundatur. Rex autem, super hoc habito cum suis sermone, conuocatoque consilio archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, comitum atque baronum tocius Anglie, precepit vt in predicta basilica fierent monachi, qui die noctuque ibidem deo et sancte Marie seruirent deuote. Deinde prefato episcopo elmanensi, qui huius innouacionis caput extiterat et causa, negocii perficiendi causam delegauit. Hic igitur ipsius regis auctoritate et precepto, et Turkilli comitis auxilio, clericis motis et alibi constitutis, quosdam de Hulmo sancti Benedicti, et quosdam de ecclesia cliensi monachos ibi collocauit, anno ab incarnacione domini M.xx°., et a passione sancti Edmundi C[l]°. *Ex cronicis de Hulmo.* Placuit enim predicto regi vt de ecclesia beati Benedicti de Hulmo antiquitus constituta pars dimidia fratrum ad ecclesiam beodricensem dirigeretur. Ea vero tempestate xxvj monachi viri religiosi et bone fame in ecclesia de Hulmo deo et sancto Benedicto famulabantur. De illa namque parte dimidia fratrum ad Beodricesuuorthe directa, vir prudens et honestus Vuius erat, qui in ecclesia beati Benedicti officium prioratus agebat, et in ecclesia sancti Edmundi apud Beodricesuuorthe abbas extitit primus; et cum eo alius frater Leofstanus nomine, qui in eodem loco post ipsum abbas effectus est secundus. Hec autem sunt nomina aliorum xi fratrum qui cum ipsis sunt introducti: Ailtwinus, Ailwardus, Leofdricus, Alfricus, Bondo, Edericus, Alfuuoldus, Leofsurus, Sparafocus: et pueri Oswaldus, et Ordricus. In quorum quidem introduccione ita diuino cultu et religione locus ille profecit [2], vt statim mutato nomine preclarius ei nomen inoleret, i. 'sancti Edmundi oppidum.' *Prima exempcio monasterii sancti Edmundi: Ex cronicis de Ely.* Concessit idem presul Ayelwinus in ingressu monachorum prefato monasterio omne ius suum ac iurisdiccionem et episcopalia sacramenta, intra idem monasterium et oppidum, et in circuitu eiusdem oppidi per ambitum vnius stadii, ad augmentum glorie et loci dignitatem, et contemplacionem sanctissimi regis et martiris Edmundi. Nec ad illorum ingressionis officia, nec ad benediccionem abbatis interesse voluit, licet prouincie illius episcopus fuerat; set a londoniensi presule ordinatus fuit eorum primus abbas. Sibi vero prefatus

[1] MS. permanere. [2] MS. prefecit.

antistes nec minimum quid reseruari voluit, set in toto conferens[1] monasterio iurisdiccionis sue dignitatem, quam illi contulerat ob reuerenciam sancti Edmundi, et in ceteris omnibus ministrans eis suum consilium et presidium. Didicerat enim in sua ecclesia de Hely idem presul, ubi educatus et nutritus fuerat, quanta grauamina sepe imminere solent monasteriis solummodo constitutis in potestate illorum qui magis querunt que sua sunt, quam que Ihesu Christi, vnde, quia de aliis nequeunt, dominacionem ex hoc in cenobiis sibi vsurpant. Statuta fuit et annotata huiusmodi dimissio presulis Alwini pro se et successoribus suis in perpetuum anno regis Canuti quinto. In hiis quippe operibus et seruorum dei multis com[m]odis et administracione, quamdiu in episcopatu fuit delectatus est beatus antistes, et in reparandis eorum edificiis, et ecclesia renouanda iugiter instabat. Anno siquidem introduccionis monachorum secundo, destructa basilica antiqua et lignea clericorum, cepit idem episcopus construere nouam, sumptibus suis propriis vna cum pecunia de carnagio et oblacionibus proueniente. Quam archiepiscopus Agelnothus anno xij°. sequente perfectam et completam in honore Christi, sancte Marie et sancti Edmundi dedicauit, anno domini M°.xxxj°. *Secunda exempcio sancti Edmundi per regem.* Ipse quoque rex Canutus libertatem quam rex Edmundus eidem sancto et clericis contulerat, monachis dedit et confirmauit, adiciendo quod monasterium sancti Edmundi sit per omne euum monachis deputatum ad inhabitandum, et ab omni dominacione omnium episcoporum liberum; Et quociens populus vniuersus persoluit censum[2] Danis vel ad naues seu ad arma, persoluant habitantes in ipso fundo eadem ad vsus monachorum. Deditque sancto Edmundo theloneum piscium maritimorum quod ad ipsum regem pertinebat annualiter in fundo predicto, et piscacionem quam Vlfketil habuit in Welle, et omnia iura quarumcumque causarum in villis que monasterio adiacent et que adiciende sunt per dei graciam. Dedit quoque regine sue assensum dare sancto Edmundo quatuor milia anguillarum cum muneribus que pertinent ad illas pro annuali censu in villa de Lakynghethe. Hec omnia rex Canutus assensu omnium procerum regni sui eidem sancto Edmundo et monachis suis contulit anno regni sui duodecimo, per cartam que sic incipit: 'In nomine poliarchis.' *Will. de Malm. li. 2° de gestis pontif.* Videns enim patrem suum sic diuinitus per sanctum Edmundum interemptum, micius deinceps cum sancto egit; et terram illius fossa magna circumduxit, immunitatem terre sancti preter fossatum ab omni prestacione et inquietudine tribuit. Exactores quoque vectigalium qui alias per Angliam debachantur fas nephasque iuxta mecientes, sibi supplices contra fossatum sancti Edmundi litigaciones sistunt. *Ex cronicis de Ely et Mariani.* ¶ Concessit insuper rex Canutus monachis in augmentum venerandi loci et eorum suffragia, transferre corpora sanctorum Botulphi episcopi, et Iurmini clitonis Christi, de Grundesburgh et Blideburghe ad monasterium sancti Edmundi. Quod postea tempore Leofstani abbatis sollempniter est executum. Corpus namque beati Botulphi episcopi primitus apud Grundesburghe humatum est, vbi concursus populi et

[1] r. conferebat?

[2] MS. sensum.

creber[r]ima[1] fiebant miracula. Cuius translacio cum obscura nocte fieret, columpna lucis super feretrum eius ad depellendas tenebras protendi celitus visa est. Corpus vero beati Iurmini similiter apud Blideburghe cum patre suo Anna primo iacuit, in cuius plumbea theca, in qua delatus est, tale epitaphium inscriptum continebatur: 'Ego Iurminus com[m]ando in nomine sancte trinitatis vt nulla persona audeat depredare locum sepulture mee vsque in diem resurreccionis. Sin autem, remotum se sciat a sorte sanctorum.' *Ex quodam libro de Bliburgh.* Hinc scribitur in historia sua: *Item* 'Extraneis bis venditur et bis asportatur: et bis per se rediit quo prius locatur; set tercio pro precio ponderis daretur, secundum pactum tercium, quod non mutaretur: Ecce corpus cum copia thesauri stateratur, et thesaurus magis ruit licet plus minuatur. *V.* Sic paulatim minuitur dei prouidencia, vsque corpus et quadrantes tres librant equalia. Tunc eductus de patria, cum magna plebis gloria Sancti Edmundi martiris transfertur [in] ecclesia.'

Incidencia de carnagio monasterii sancti Edmundi.

CUm enim Suanus rex Danorum Angliam sibi subiugando tributum inportabile sibi solui precepisset, accedebant[2] episcopatus Estanglie parochiani tam de Northfolchia quam de Suthfolchia ad sanctum Edmundum, deuote supplicantes quatinus eos potenter a tam crudeli depressione liberaret. Exaudiuit ergo more solito sanctus Edmundus orantem populum, exaudiuit et deus orantem Edmundum, nocte siquidem diei purificacionis beate Marie ipsi Suano apud Geynesburgh apparuit sanctus Edmundus et eum lancea transuerberans mortuumque relinquens disparuit, et patriam ab inportabili tiranni tributo taliter absoluit. Quo quidem diuulgato miraculo, incredibili populus exultauit tripudio; volens et sancto Edmundo rependere graciarum acciones, vnanimi omnium assensu de qualibet carucata terre in toto episcopatu Estanglie quatuor denarios annuos imperpetuum sancto dei conferre decreuerunt. Quod vsque modo eadem de causa 'carnagium' appellatur. Quibus sic auctoritate episcopali confirmatis, vniuersisque vota sua annuatim alacriter conferentibus, accreuit pecunie summa, de qua, et de aliis oblacionibus aliunde prouenientibus, incepta est ecclesia[3] noua, anno quoque duodecimo ab incepcione perfecta, in honore Christi, sancte Marie et sancti Edmundi ab Agelnotho cantuariensi archiepiscopo dedicatur. Postea, tempore regis Willelmi secundi, Herbertus primus episcopus norwicensis, qui sedem episcopalem de Thefordia transtulit ad Norwicum, et ecclesiam magnificam ibidem construxit: videns ecclesiam sancti Edmundi consummatam, accessit ad conuentum sancti Edmundi et impetrauit ab eis, vtpote ab hominibus minus cautis, quatinus carnagium ad ecclesiam suam perficiendam ei accom[m]odarent, post cuius perfeccionem carnagium predictum bona fide promisit illis esse restituendum. Quo quidem ei ab incautis, excepto carnagio infra libertatem sancti Edmundi, et carnagio hundredi de Stowe in Suthfolchia, et carnagio decanatus de Belihowe in Northfolchia, concesso: de ipso carnagio suam consummauit

[1] MS. creberime. [2] MS. accedentes. [3] MS. ecclesie.

ecclesiam; nostrisque deinceps minus considerate agentibus, norwicensi ecclesie de predicto carnagio continuis annis ab ipsius diocesis incolis respondetur. Eo tamen excepto, quod de duobus decanatibus, vno scilicet de Stowe in Suthfolchia, et alio de Belihowe in Northfolchia, in testimonium iuris nostri pristinum nobis retentis, Stowe nobis more solito respondet; set Bilihowe sacrista norwic[ensis] nobis deforciat, et hac quidem racione: cum propter distanciam decanatus de Bilihowe ab ecclesia sancti Edmundi, inter sacristas sancti Edmundi et Norwici conuenisset quod, datis sacriste sancti Edmundi annuatim decem solidis, idem decanatus de Bilihowe sacriste Norwici de carnagio responderet. Et cum per multos annos sacriste sancti Edmundi de decem solidis continuis annis sacrista Norwici satisfecisset: volens sacrista sancti Edmundi sacristam Norwici aliquo visitare munusculo, cepit ei vnum taurum vno anno transmittere, atque alio anno forte non. Quibus sic procedentibus, post multa tempora sacrista Norwici cepit calumpniari quod, nisi taurum reciperet, decem solidos pro carnagio de Bilihowe non solueret. Processiue calumpniatum est quod, nisi taurus decem valeret solidos, in nullo sacriste sancti Edmundi responderetur. Quod ut omnibus liqueat, presentibus duxi inserendum.

De priuilegiis et libertatibus sancto Edmundo ab Hardecanuto et sancto Edwardo [collatis].[1]

CUm rex Canutus regnum Anglie strenue per plures annos gubernasset, laudabilis exempto vite curriculo viam vniuerse carnis ingreditur. Certantibus autem Heraldo et Hardecanuto filiis eius de prioratu, quinquennale circiter infortunium gemebundi traxerunt insulani; nam quicquid emolumenti sobrietas Canuti contulerat, filiorum tempestate pessum isse visum est. Hardecanutus tamen sancto Edmundo talem dedit libertatem, confirmando cartam patris sui Canuti: vt nullus archiepiscoporum vel episcoporum vel aliarum personarum eis adherencium presumat quicquam consuetudinis siue dominacionis amodo in eodem monasterio et villa super monachos, clericos aut laicos proclamare, vsurpare, iusticiam aliquam facere, aut missas celebrare, nisi monitus fuerit ab ipsius loci abbate. Si quis vero hoc aggressus fuerit calumpniari aut infringere decretum, presencium ecclesiasticorum prolate excommunicacioni subiaceat, et insuper regio fisco triginta auri talenta persoluat.—Tandem manu dei Haraldo et Hardecanuto velud minus fructuosis palmitibus a regno succisis: qui fractus putabatur sue[2] rursus oliue ramus inseritur. Egressus enim a Normannia Edwardus regis Etheldredi filius, domesticum pariter et stipendiarium secum habens exercitum copiosum, ius paternum exposcere non torpescit, set cum summo tripudio susceptus, ab Anglis heres legitimus ad honoris insignia promouetur, anno domini Millesimo .xliij°. regali diademate coronatus. Nec multo post, anno videlicet domini Millesimo .xliiij°., sanctum martirem Edmundum, pro statu et prosperitate regni supplicaturus, adiit - cuius ecclesiam in tantum semper habuit reuerencia[3] quod quando oraturus ibidem veniebat, a miliario ad ipsam non nisi pedibus procederet. Sane circa primum annum regni ipsius ad

[1] Cf. MS. Tit. fol. 95b. [2] MS. sine. [3] MS. reuerenciam.

monasterium sancti Edmundi perueniens, hillari gratulacionis voto, propensiori fratrum excipitur obsequio. Vbi quanta deo pie confessionis holocausta, quanta pure oracionis effuderit libamina, quis digne fari sufficiat? Graciam deuocionis operis approbat exhibicio. Quoniam, ne infructuosus eius esset aduentus, loco eidem manerium de Mildenhale cum pertinenciis, et octo hundreda et dimidium, prima vice contulit, deinde confirmauit libertates a Canuto et Hardecanuto sancto Edmundo collatas, et quod monachi liberam sui abbatis habeant eleccionem, et sokam et sakam vbicunque terras habuerint vel in posterum habebunt; et quod ille locus nunquam sit locatus cum aliis personis quam cum monachis; nec aliquis episcopus habeat vmquam potestatem in eodem monasterio, nec infra fines eiusdem ville crucibus designatos. Hanc igitur libertatem mutantibus seu in aliquo adnichilantibus, ipse rex penam apposuit, videlicet quod sint anathematizati et in iehenna igne demersi, nisi in vita sua resipuerint. Idem rex sanctus alia vice concessit sancto Edmundo eternam libertatem in villa de Beodricesuuorthe ita pleniter sicut vmquam habuit, videlicet ut quociens homines censum persoluerint exercitui vel nauibus, tociens ville habitatores censum persoluant ad necessitatem abbatis et monachorum; et quod nunquam aliquis transmutet abbaciam ad alterius ordinis viros, nisi velit separari a communione dei et omnium sanctorum eius. Item dedit sancto Edmundo Pakenham, quod prius habuit Osgothus Claf, de quo scribitur infra inter miracula sancti Edmundi. Item dedit sancto Edmundo Konegestoñ, Wulpet, Risby, Stantone castre, et monetarium siue cuneum infra burgum sancti Edmundi. Hic dixit in cartis suis quas sancto contulit Edmundo, se cognatum eius fore. Cuius ecclesie multas alias dignitates et libertates concessit et terris et redditibus eam valde multiplicauit.

De muliere contracta et sanata.

Ex libro primo miraculorum Sampson abb. TEmpore sancti regis Edwardi quedam mulier contracta manuum fulta remigio, scabellulis rependo nitebatur, reliquam corporis fabricam aridis cruribus trahens. Hec nocte dieque, ceteris recedentibus, ab ecclesia non recedebat, sperans, et rogans, a sancto Edmundo consequi salutem. Qua in peticione perseuerante [nocte] quadam solito gratior somnus obrepsit. Accidit eciam tunc oracionis gracia nobilem quandam matronam nomine Aluene, ab Orientali Saxonia, affuisse, accensum cereum manu tenendo votiuas excubias celebrant [m]: ¶ Cumque in ecclesia noctem insompnem transigeret, videtur sibi subito virum uultu et habitu venerandum de sacrario quo sancti pignora condita habebantur egredi, amplissimo refulgentem lumine, reseratisque quibus presbiterium chorusve claudebatur ianuis nauem ecclesie obambulans ad locum deuenit quo contracta recumbebat. Aspicit hec precincta matrona et contremiscit, ac pene amens effecta inusitate miraculo visionis perturbatur. Stans itaque uir quasi medicus super eneleticam, prolato antidoto lesa membra perungit: salutifera namque dextera percurrente, crucis tantum super eam vexillum depingit. Quo peracto, reuertitur; nec mora,

expensa medicina, salus optata subsequitur. Igitur apocrisarius Brunstanu-nomine strepitu perturbatus, furum suspicans irrupcionem, quiete cubilis excutitur, rememoransque feretri, concito gradu ad sancti mausoleum accedit: vbi fixis obtutibus videt cortinam que locum ambiebat velud ad ingressum cuiuspiam persone tremulis rugis agitari. Tunc maiori stupore perfusus, quod uerebatur credit accidisse: tamen, introgressus, singula queque sicut dimiserat inuiolata cognoscit; vnde rursum digressus, quo sonitum audierat tendit. Et veniens ad supradictas valuas inter presbiterium et chorum, quas diligenter seris artauerat, patulas inueniens [1], admirabatur. Mulierem quoque quam heri et nudiustertius doloris constrictam angustiis viderat et nouerat, incolumem videt et alacrem, deum et sanctum Edmundum benedicentem. Signoque pulsato, fratres conueniunt; et celebrato de more nocturnali officio, prefatus edituus rei euentum profert in [publicum] [2]. Ad medium deducuntur sepedicta matrona, et mulier contracta set iam sana; narrat illa que uiderat, explicat ista que experimento didicerat. Refert eciam edituus que sibi de miraculi perpetracione innotuerant. Verba rebus consonant, res verbis eque respondent. Pulsatis igitur mane campanis, cordis ac uocis iubilo choris alternantibus laus creatori decantatur, qui sanctos suos mirabiles reddit in terris, ut nouerint omnes quanta gloria perfruantur in celis.

Qualiter Osgothi Daci superbia punita sit.

Sampson abb. Die quadam dominica contigit eundem sanctum regem Edwardum apud sanctum Edmundum deuenire. Qui cum in crastino, vtputa vir tocius religionis cultor et custos, fratrum subisset capitulum, aut eorum consulens vtilitatibus, aut eorum se com[m]endans oracionibus: Dacus quidam Osgothus Claf nomine, auro textis vestibus et aureis armillis decoratus, deaurata nichilominus bipenne more Dacorum ab humero dependente, sancti Edmundi basilicam indeuotus ingreditur. Hic tanti nominis tanteque potestatis erat, ut secundus a rege, non minus quam rex ipse cuntis formidandus haberetur. In hoc sane discrepare videbantur, quod rex tenore iusticie, iste terrore seuicie timebatur. Inter cetera vero malignitatis sue studia, sancti Edmundi virtutes inprobare, et ei famulantes consueuerat infestare. Ingressus igitur ecclesiam, mente rigidus per medium chorum [ad] secreciora penetrabat. Et cum bipennem in presbiterio a collo deponere temptaret, ut super eam incumbens magis curiose quam deuote que agebantur consideraret: illico virtute diuina manibus eius auulsa in pauimentum procul detruditur, ipse quoque correptus a demonio, miseras emittens voces in terram eliditur. Fit clamor inconditus, ecclesia tota turbatur; set et rex in capitulo strepitu pulsatus insolito, cognouit a narrante, predictum Osgothum in ecclesia peruasum a demone. Quo comperto, conuersus ad abbatem Leofstanum ait: 'Tuum est, pater, pro huius restituenda salute sanctum suppliciter cum monachis tuis interpellare.' Tunc abbas precibus suos adhortatur insistere; ipse quoque dictis exorcismis aque consecrate aspersione perlustrans egrotum, demonem expellere satagebat. Set cum

[1] *al.* om. [2] MS. medium.

nichil proficeret, consultum est ei ab Aycelwino beati martiris consecretali, quatinus energuminum ad tumbam sancti curandum deferri iuberet. Quod cum factum fuisset, omnibus in commune psalmis et letaniis incumbentibus, tande[m] ab ymagine dei nequam spiritus egredi compulsus est. Quod cernens rex et alii circumstantes, ceperunt glorificare deum in sanctis suis mirabilem, et mirabilia per eos operantem. Osgothus eciam se sibi redditum perpendens, gracias deo et sancto Edmundo impendit; deinde vitam correxit et mores mutauit, sanctoque deinceps Edmundo fidelis permansit. In testimonium tamen presumpcionis indebite, vtrarumque manuum multatus est arriditate: ut sub iugi supplicio semper admoneretur non altum sapere set timere.

¶ De domino de Werketoñ et vxore sua ab horribili morte preseruatis.

Ex cronicis Sancti Edmundi[1]. Fuit quidam dominus Manerii de Werketoñ tempore primo sancti Edwardi, qui habuit vxorem sibi deuote copulatam. Vterque iustus, uterque pius ac operibus misericordie assuetus. Quibus inuidens inimicus, deceptoriam eisdem sub specie religionis inmisit suggestionem. In primis itaque suggessit cordibus innocencium sanctorum victorias, confessorum gloriam, ac virginum triumphalem continenciam, set demum demonstrauit coronas excellenciores martirum beatorum: ut quanto scilicet cicius peruenerint ad coronam martirii, tanto velocius inducantur ad loca premii. Ecce martirium com[m]endatur, set modus martirii non distinguitur. Elegerunt ergo vitam mundi finire martirio, et formam execrande perdicionis precogitauerunt: et[2] dum in vicinio manus non haberent occidencium, ne diucius prolongaretur optatum gaudium, vterque in corpus proprium seuiendo, sibi tamen tantum cognitus, sacrilegum precipitauit homicidium. Qui die quadam, remotis ad cautelam famulorum intersticiis, quisque nephas conceptum precurrit occupare. Set deus bonus, qui noluit sanctos suos inmisceri eternis ludibriis, temptatorem hebetauit, et temptatos a proposito nequam tali modo reuocauit. Mos enim predictis a priscis temporibus inoleuit vt cotidie post prandium in honore gloriosi regis et martiris Edmundi post gracias deo solutas potacionem, quam plenum siue plenitudine[m] sancti Edmundi vocabant, ad gustandum postulare, non, quod absit, ad gule illecebras excitandas, set, vt verius loquar, ad Christi pauperes recreandos. Prochdolor, dicto die concepti sceleris poculum beati martiris omiserunt—nimirum cum totum ad malum aspirabant, bonum non sapiebant. Tandem vero inter densas ac peropacas tenebras lux exilis emicuit, sancte videlicet recordacionis Edmundi regis oblata potacio. Vnde dum plenum sancti Edmundi deportatur, suasio diaboli effugatur: et dum gustatur potus ob deuocionem sacratus, fugatur hostis excecatus. Quapropter vterque, sceleris precogitati penitens, sancto martiri gracias egit dulcifluas. Qui cicius eiusdem regis limina visitantes,

[1] A Chronicle of St. Edmund's is extant in MS. Queen's Coll. Oxf. cccix. 3, f. 58 (15th cent.).

[2] MS. vt.

dictum Manerium de Werketoñ cum omnibus pertinenciis suis ecclesie sancti Edmundi imperpetuum donauerunt; populi eciam intra septa eiusdem monasterii, quoad uixerunt, in quadam aula veteri que Bradfeld dicebatur permanserunt. Set obstat quod in cronicis scribitur aliis, regem Willelmum primum, vel reginam Matildem vxorem eius, dedisse idem manerium sancto Edmundo. Ad quod respondendum est, quod idem rex Willelmus Angliam armis sibi adquisiuit, comites subiugauit, comitatus inuestiuit, indigenas exheredauit, alienigenas infeudauit, et, ut breuiter replicem[1], qui totum adquisiuit, partes tocius vbi et quomodo et ad quos voluit distribuit; adeo vt non nulli magnates angligene, grauibus expensis a rege flagitabant vt dominia que antiquitus iure possidebant hereditario, sub nouo rege possiderent tanquam per nouum regem de nouo feodati. Vnde quibus in illis diebus rex Willelmus vel eius regina aliqua donauit, concessit vel confirmauit, quasi noui donatoris acceperunt fundamenta. Manerium ergo de Werketoñ donum regis Willelmi vel regine eius dicitur, non quasi ante non datum, set sub specie donacionis de nouo confirmatum. Ad huius rei manifestandam noticiam sciendum est quod idem rex spoliauit monasterium de Rameseia de mille septingentis libratis terre, quas inter milites suos quos in Angliam duxerat impertiuit.

Consimile miraculum narrat Odo de syrentona in sermonibus suis super illud: 'exiens iesus de finibus tiri,' etc.

In Maiori Britannia vir et vxor eius, spiritu tristicie instigante, proposuerunt se suspendere; et cum se in quadam domo inclusissent, et ut laqueum sibi inponerent parati essent: dixerunt ad inuicem: 'In domo nostra frequenter cantauimus antiphonam sancti Edmundi regis: semel ergo dicamus eam antequam moriamur'— quoniam secundum morem patrie beati Edmundi, ipsi laici antiphonam beati Edmundi que incipit 'Aue rex gentis' circa ignem loco Benedicite frequentant. Cum autem cantilenam terminassent: ad inuicem erubuerunt[2], admirantes qualiter tam enorme propositum in corde eorum ascenderet. Et sic per cantilenam gloriosi martiris Edmundi ab horribili morte liberati sunt.

¶ De muliere muta a nativitate; et de abbate Leofstano contracto.

Sampson abbas[3]. Opere precium est memorie titulis eternare illud insigne miraculum quod de incorrupta corporis integritate regis et martiris Edmundi diuina propiciacio dignata est propalare. Tempore igitur Leofstani abbatis, quedam mulier a natiuitate muta, de pago wintoniensi, sanctum inuisit Edmundum, incom[m]odi sui ab eo flagi[ta]tura remedium. Hec, quia voce non poterat, intimo cordis affectu constanter deum eiusque martirem exorabat. Denique, perseuerante illa iuxta sepulcrum martiris in gemitu et contricione cordis: soluuntur eius lingue repagula, vocis organa formantur ad noua famina. Post annosa demum silencia in aperta prorupit verba, cum omnibus qui aderant saluatoris virtutem laudancia. ¶ Que cum sibi loquelam

[1] MS. replicam. [2] MS. eribuerunt. [3] Cf. Tit. fol. 97.

plene redditam comperisset, illico patriam p[ar]entesque repudians, nunquam ab obsequio martiris vel ad modicum recessuram se deuouit. Pauimenta mundare, variis florum speciebus adornare ministerium arripuit, indefessas beato martiri exhibens excubias. Hec postmodum in tantam sancte conuersacionis puritatem excreuit, ut sancti Edmundi creb[r]a visionis pariter et allocucionis mereretur reuelacione confoueri. Quadam enim nocte beatus Edmundus solita presencie sue dulcedine permulcens, talibus eam verbis affatur: 'Vade, dic Leofstano abbati: "Cur ita necligenter agis vt nulla mei tuum tangat animum sollicitudo? facies mea cassibus aranearum indecenter obducitur, omnis[1] circa me veneracionis cultura sopitur."' Mox illa parens imperatis, nichil intactum pretermisit. Abbas autem muliebria verba paruipendens, velud aniles inepcias respuebat.—Quippe qui iam dudum in commune decreuerat a contactu sanctimonii reuerenter abstinere. Porro quod reuerencia[2] credebatur, pro necligencia imputabatur, et vnde gracior haberi confidebat, inde periculosius displicebat.—Paucis admodum elapsis diebus, rursus sue consecretali sicut prius adest pater Edmundus, iam dicta replicat, eademque consignat. Illa geminat officium; nec sic vilus laboris fructus emergit. Tercio demum sanctus id ipsum repetens, austeritati verborum terrorem inmiscet minarum. Quibus auditis abbas, magis perhorrescens vindicte promisse seueritatem, quam reueritus fuerat admonicionis premisse lenitatem, fratribus innotescit negocium. Qui habita deliberacione, audita statuunt experiri. Tandem, cum oracione [explicito][3] triduano ieiunio, abbas cum fratribus quibusdam preelectis accedit ad sacrosanctum beati martiris locellum. Quo patefacto: Ayelwinus monachus, iam pre nimia senectute cecus, propius adducitur vt palpando probet an adhuc in omnibus ita perseueraret quemadmodum se meminit eum reliquisse. At ille [nichil][3] hesitans vtputa qui simile [quid][3] sepe peregisset, non solum integros set et corpulentos domini sui attrectat artus. Palpat, vertit ac reuertit, et nichil sentit immutatum, set omnia deintus inuenit vt dimiserat. Tunc demum, ceco ductoribus suis vicissim ducatum prebente, singuli manus inicere gaudent. Expositus autem super ligneam tabulam deponitur, mulieris attestacio vera comprobatur. Pristino cultu exuitur, interula illa in qua tirannum uiriliter triumphauit, cum crebris telorum ictibus perforata tum infeccione sacrati sanguinis intertincta, —alioquin autem reperitur penitus incorrupta. *Ex libro de antiquis miraculis ab Hermanno archid. scripto*[4]. Puluillus quoque qui alio nomine dicitur auricularis, sub sancto capite repertus est talis: non ex plumis vel bombice alicuius generis, set solummodo tenuissimis lignorum dolaturis. Philacterium quoque crucis dominice a collo dependens supra pectus sanctissimum inuenitur, quod archipresul et martir domini Alphegus olim Londonie desiderans[5] comparare multo auri pondere, set nequit propter Ayelwinum custodem martiris ibidem, eciamsi proferret ibidem aurea dona Tharsis. O quam dulce spectaculum! quam euidens, quam stupendum miraculum! Vultus serenitate, membrorum

[1] MS. omnes. [2] *al.* reuerencie. [3] om.
[4] Cf. Tib. fol. 45. [5] so Tib.

integritate quedam resurreccionis insignia presentando, sanctus nichil distabat a viuente, si mobilis efficacia non defuisset. O quantus et quam dulcis tunc odor suauitatis non solum in ecclesia set in claustro per totum diem, et in cuntis monasterii officinis fragrancius emanauit! Hiis visis: abbas cupiens experiri si capud firmiter hereret corpori, iussit ut, se manibus vtrisque capud martiris conplectente, vnus eorum pedes arripiat: quatinus dum [ad] se trahere[1] quisque nititur, de integritate eius vlterius non dubitetur. Ad hoc expauescunt singuli, nullus eorum hoc facere consensit, non rebellionis proteruia, set timore, nimirum reuerencia. Tunc abbas, singulis circumspectis, vnum eorum nomine Thurstanum, quem a puero intra monasterium educauerat, taliter affatur: 'Tu pre ceteris peculiarem michi debes obedienciam: accede ergo nil dubitans, animum vacillantem gradu firmiore consolida.' Tunc illo beati martiris pedes annisu quo valebat astringente, abbas alteram ceruici martiris, alteram mento supponens manum, tanto traxit impetu, vt ediuerso reluctantem post sacratissimum corpus inclinaret et monachum. Sicque caput ita firmiter inuentum est vnitum corpori acsi nullo ferro percuciencium tactum esset, nisi quod quedam cicatrix quasi in modum fili coccinei circa collum rubens apparuit. Post hec abbas vehementer stupefactus, et percuciens cor suum, exhorruit factum. Non enim ad distrahenda vel diuaricanda reuerenda testis Christi membra, set ad honoranda fuerat inuitatus. Ideoque statim manus eius vtraque contrahitur, acies luminum tenebris obducitur, lingua torpescit, suique docetur exemplo quam piaculare fuerit flagicium super hiis dubitasse. Ceterum sicut Thome infidelitas fidem ecclesie corroborat, sic et huius abbatis dubitacio multorum blasphemorum retundit perfidiam: dum enim audacter intulit ipse sibi perniciem, ex aliorum cordibus dampnosam fidei segniciem eradicauit. Tunc fratres sanctissimum corpus, reuestitum nouis quibus competebat induuiis, in locello cum omni reuerencia et deuocione reposuerunt. Exuuie[2] vero martiris in seruatorio reconduntur, cum philacteriis; vnde de sacrario diuinitatis presto sunt beneficia multis. *Will. lib.* 2° *de gest. pont.* Abbas autem regem Edwardum per nuncios conuenit ut sibi medicum mitteret. Ille Baldwinum sancti Dionisii monachum, artis medicine peritum, direxit. Qui causam morbi a scientibus edoctus, in curacione maxime digitorum modicum profuit.—Diutino igitur tali incom[m]odi flagello correctus: eodem qui percusserat medente, linguam recepit et oculos; set in testimonium presumpcionis, vsque ad finem vite sue contractus permansit, vnde de eo dicitur: 'Tracto contractus fuit hic pro martire factus.'

De vlcione facta in Arfastum episcopum Estanglie per sanctum Edmundum.

Marianus in cronicis[3]. QUidam episcopus Estanglorum Arfastus nomine propter cupiditatem possessionum, apud monasterium sancti Edmundi volebat sedem suam episco-

[1] *al.* om. [2] MS. exinie; overl.: i. camisia cum aliis.

[3] The passage of Marianus, from MS. Bodl. v. 3. 7 Iur., is given in Monast. Angl. III. 141.

palem constituere, et in suo eum dominio subiugare temptabat. *Hermannus archidiac. Arfasti Thefordensi*[s] *episcopi*[1]. Volebat redigere consilio suorum in seruitutem, quod reges ac sui predecessores firmauerant in libertatem. Partem sue diocesis, locum dicebat esse preciosissimi martiris: querens iniuste pocius preesse, quam secundum deum vt debuit prodesse. Insectabatur lupi more caulis ouium, scilicet gregi monachorum aduersans inique, intro gestiens ponere pedem primum, sic vt ingerere posset deinde corpus totum. Contra quod abbas Baldwinus pauca respondit, securus regum priuilegiis sibi ac suis predecessoribus successoribusque concessis. [Nec][2] propter hoc quieuit episcopus, factus[3] loco locique pertinentibus inportunus. Grassabatur in maliciam modis omnibus, nullius habens episcopi sui scriptum antecessoris, vel cirographum testimonium[4] sue calamitatis[5]. Deinde regis licencia baculum quendam episcopalem cuiusdam sui antecessoris a monasterio rapuit, putans sic per baculum sibi vendicare tanti loci participium. *Marianus.* Orta igitur tali ex causa inter eos graui contencione et graui controuersia: Baldwinus abbas consilio et auxilio regis Willelmi primi Romam profectus est; vbi a papa Alexandro susceptus honorifice, presbiter ordinatus est. A quo eciam priuilegium exempcionis optinuit, in quo continetur inter cetera: vt idem monasterium sancti Edmundi sub abbatis regimine imperpetuum ordini monastico deseruiat, nec aliqua potestas secularis aut ecclesiastica iam dictum locum in sedem episcopalem conuertat; et vt nullus rex, dux, comes, episcopus, abbas, seu aliqua persona secularis aut ecclesiastica, predictum monasterium sancti Edmundi vel monachos ibi deo seruientes sub pena anathematis inquietare, nec aliquid eorum que nunc habet vel in futurum adquisierit diripere, inuadere, aut alienare presumat. Et dedit idem papa abbati Baldewino virgam pastoralem et annulum, et altare portatile ex lapide porphirico preciosum et in honore sancte Marie et sancti Edmundi sollempniter ab ipso consecratum, dicens: 'Si totum regnum Anglorum aliqua excommunicacionis causa a diuino cessaret officio: quamdiu altare istud integrum et illibatum custodire poteritis, nunquam a sacris missarum sollempniis pro aliqua prohibicione, nisi papa hoc nominatim interdixerit, cessabitis.' Super quod quidem altare hii versus scribuntur: 'Altaris mensam cum reliquiis bene comptam Dat, sacrat hanc uobis Baldewino pater orbis Pontificumque sidus Alexanderque secundus.' ¶ *Hermannus archidiac. Arfasti episcopi.* Postea rediit abbas domum priuilegio munitus apostolico secundum libertatem a regibus sancto Edmundo concessam. Set presul nichilominus magis exardescit, iram multiplicans in tribulando, zeli mali circa locum sancti gestiens amaritudinem; et conatur modis omnibus ibidem sedem suam collocare. Nec preteribo silenti caractere, confusionis deterso rubore, quod audiente me presul idem tractrauerit sepissime, et regi predicto propter eandem abbaciam ad sedem suam constituendam me dictante, dictatasque scribente, literas trans mare miserit, remissas quoque legerim quales presul susceperit. Que remisse consilio quorundam aliquando fuerunt allectiue, aliquando eciam virtute sancti

[1] Cf. Tib. fol. 52. [2] om. [3] H. quiescit . . . fit.
[4] H. testimonio. [5] = clamationis, claim.

recusatiue. Et quia omnia Rome venalia, ad hoc est audax promota presulis lingua, promittens regi centum marcas auri si sibi concederet placitacionem enarrandi; nescius sancti vindictam pro foribus esse presentem. Interea presul equitans in silua dum de predictis iniuriose cum suis sermonem faceret: ramus inpegit eius in oculis, sancti videlicet vlcione, ponens eum in inopinate passionis angorem, versis ambobus oculis in multiplicis sanguinis suffusionem. Visi sunt intus oculi putride carnis pleni, nec a quoquam viro valebant auxiliari. Iacet presul vere cecus, tantillumque refrigerii potitur quod sanguis purulentus[1] ab oculis cum spica ordei detrahitur. Hec dum viderem quodam mane superueniens: tactus eius miseracione, et exspes factus ex suorum sospitate visus oculorum, dixi ad eum: 'Domine presul, in vanum per[2] te laboratur, nullum quippe collirium tibi prodesse videtur: set graciam dei requiras deuote, simulque sanctum Edmundum, qui in hiis comitatibus patrocinatur. Dirige citissime ad abbatem Baldewinum cum pacis humilitate, ut tibi per preces ad deum sanctumque Edmundum velit medicamentum sanitatis inpendere.' Cuius ipse primo desperat[3] admonicionis, propter iniurias abbati illatas; set statim ab omnium suorum consilio, consilium datum prosequi iubet, et ut omnes lites et controuersie inter ipsum et abbatem imperpetuum conquiescant. Inponitur ergo super me talis legacio, quam et eadem die, festo scilicet apostolorum Symonis et Iude, perficio; memorato abbate me sui gracia luculenter suscipiente luculencius quoque coram testibus respondente, et luculentissime postulata concedente. Quibus benigne concessis, descendit ad abbaciam presul debilis, cum omni susceptus apparatu decoris; fruitur abbatis alloquio salutari, commonentis eum vt[4] si quid offensionis contra deum vel sanctum Edmundum suapte sit, se debere premeditari, quatinus peccatis primo leuiatus, inpensura medicina celerius foret alleuiandus. Annuit presul verbis boni consilii, et eo deducto in ecclesie vestiario[5], presentibus eiusdem loci senioribus fratribus et quibusdam regis primoribus, Hugone de Montfort, Rogero Bigot, et Ricardo filio Gilberti[6], cum aliis pluribus: in quorum audiencia profert episcopus causam sue necessitatis, memoratur iniurie quam erga locum sanctum fecerit iniuste vicibus multis, verbo se dicit et velle in deum et sanctum Edmundum peccasse, et ablacione baculi pastoralis superius dicti reminiscitur, pro quo Thefordiam confestim mittitur. In omnibus se fatetur culpabilem, clamat in audiencia locum esse quietum ac liberalem, dampnat sub anathemate quos consiliarios habuerit inde, et voto constringit se [se] tale quid [amodo] repudiare. Sic publice confessus, cum fletibus et gemitu ad maius altare progreditur, et ibi pro dictis offensionibus episcopalem ponit baculum, scilicet dupplicis cause vadium, tum pro reddendo memorato baculo pignoris certitudinem, tum deum et martirem impetrans[7] offense remissionem; ad altaris crepidinem deinde prosternitur psallendo vii psalmos, ab abbate cum fratribus absoluitur. Tandem medicinam abbatis

[1] MS. prurulentus. [2] H. super. [3] MS. despexerat. [4] eum vt om. in H. [5] H. confessorio quod tunc erat in v. [6] H. Gisleberti. [7] so H., r. imprecans.

expertus, et vt vidi cauteriacionibus ac colliriis vsus peroptimis, eciam fratrum precibus apud deum et sanctum Edmundum adiutus, infra breue tempus sospitati redditur; quadam tamen obscuritate in medio pupille vnius oculi pro signo remanente. Et hoc est quod canitur in festo translacionis sancti Edmundi: 'Ad sedandum consilium discordie, conantis honorem alienum inuadere, Edmundus, digna sanctitate, pontificem percussit cecitate: set penitenti pene partem donauit, partem pro audacia eidem seruauit.' Deinde presul idem in die festo sancti Edmundi de recuperacione sua verbum fecit ad populum, inuitans eum ad eiusdem sancti deuocionem; deumque et sanctum Martirem oracionibus delictique sui confessione, cause eciam sue resignacione, placans, ad propria cum gaudio reuersus est.—Set postea, quod sibi peius erat, omnem promissionem suam fregit. Restitutus enim pro magna parte sanitati, calumpniam[1] suam renouat et iterum clamat abbaciam sancti Edmundi debere redigi sub iuris sui dominio. Qua discucienda calumpnia, et ut intelligeretur comitatus exinde, mittitur ad suburbium sancti Edmundi regio iussu Lanfrancus Cantuarie presul, hac pro re terminato ibidem nouem comitatuum cetu, Alfwino ramesiensi abbate tunc pleno dierum ac sene, cuius testimonium ex tempore regis Canuti prolatum, voceque nouem comitatuum obfirmatum, quod abbacia viguit prenominata tunc temporis libertate testificata. Ad quod inuitatus presul iniuriosus, venire renuit ne fieret dedecorosus, euomens secum flammas ire, retro mordens venenose, acriter morsurus quandoque. Dedit centum marcas auri quas regi pollicitus est stolide pro licencia placidi: nec nouissimus quadrans perdonabatur inde, quin vltra decuplum exigebatur; reuera fortunatus, si non exigeretur amplius. *Marianus.* Igitur anno domini M°lxxxi° ventilatur hec altercacio ex precepto regis apud Wintoniam, presentibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, et multis aliis regni nobilibus; vbi presul suum facunde fecit clamorem, set scriptis et testimoniis omnino vacuum; abbas vero econtra, quomodo Canutus rex cum consilio archiepiscoporum et episcoporum et optimatum suorum monachos in eadem ecclesia posuerit mediante et auxiliante Ayelwino presule tunc diocesano, (*ex cronicis de Ely*) qui quidem presul ob deuocionem qua[m][3] erga sanctum Edmundum habuerat, totum ius suum et iurisdiccionem ac episcopalia sacramenta intra idem monasterium et oppidum et in circuitu eiusdem prefato monasterio concessit, nec ad illorum ingressionis officia, nec ad benediccionem abbatis interesse voluit; (*Marianus*) Et quod primus abbas loci ab episcopo londoniensi, secundus ab episcopo wintoniensi, et ipse Baldewinus tercius abbas ab archiepiscopo cantuariensi fuerit confirmatus, et quod per triginta tres annos sine alicuius episcopi[4] iam dicti Arfasti predecessoris contradiccione monachi predicti loci a quibus voluerunt episcopis ordines susceperint, ex ordine luculenter enarrauit; ostendit denique precepta Canuti regis atque gloriosissimi regis Edwardi, in quibus ab omni dominacione omnium episcoporum Estanglie funditus sepedictam ecclesiam liberam esse perpetualiter, ipsi reges concesserunt. Quod cantuariensis archiepiscopus Lanfrancus, et Thomas eboracensis

[1] H. calamitatem. [2] H. calamitas. [3] MS. qua. [4] *al.* om.

archiepiscopus, et alii episcopi ceterique principes regni qui aderant audientes, censuerunt tanti loci tantam auctoritatem vsque in finem seculi debere permanere. Quorum iudicio pariter et consilio, placuit predicto regi Willelmo [illam] roborare precepto: vt ab Arfasti episcopi omniumque sibi per tempora succedencium episcoporum subieccione ipsa ecclesia, et villa in qua sita est eadem ecclesia, sit imperpetuum libera; et, ut hec auctoritas suis et futuris temporibus circa ipsum sanctum locum perhenniter firma et inuiolata permaneat, hanc carta sua decreuit roborare, et sigilli sui inpressione firmare. || *Hermannus.* Hoc iudicio omnium assensu communi firmato, assurgit contrarie iam dictus presul, inpaciens mentis et exul, falsificat iudicium, suum videlicet infortunium; pro quo dicto dat vadium cum baculo episcopalem annulum, fere non iam episcopus set pro vindicta quasi depositus. Hinc dedecorosa sibi nascitur confusio, eciam vsque ad diem eius mortis huius vadii durauit persolucio; dando libras nummorum vndecies centum, neque sciens in dando vllum nisi modum indiffinitum, vt michi suspirans retulit diebus octo priusquam obierit. Taliter dei corroborata misericordia, iuxta modum iusticie prostrato calamitatis capite, regis quoque bona voluntate et suorum optimatu[m] concordi fauore, priuilegiatur martiris Edmundi locus inperpetuum; liber fit de subiugo diocesani presulis, vt est notum et notificandum in omnibus seculis.—*Marianus in cronicis.* Deinde circa annum domini M.Cj^m^., secundum Marianum, Herbertus episcopus tunc thefordensis versus Romam iter arripuit, iniqua cupidine dominandi super abbaciam sancti Edmundi. *De episcopo Herberto.* Eadem abbacia, ex quo primum fundata fuit, semper a subieccione omnis episcopi libera fuit, libertatem ipsam quasi a beati Edmundi martiris iure trahens, qui loco in quo[1] iam sita est ipsa abbacia regali quondam potencia presidens, speciali quadam eum locum, inibi corporaliter dum viueret degens, libertate donauerat; quam libertatem reges et romani pontifices sancto Edmundo annuerunt, roborauerunt, et inconuulsam manere constituerunt. Hic itaque Herbertus episcopus cum partes Lugdunie attigisset: comprehensus est a quodam Guidone viro prepotente et fero, cui xl^a^ marcas inuitus reliquit quas contra ecclesiam sancti Edmundi Angliam egrediens disposuerat expendisse. Hinc rediens domum, sedem episcopalem transtulit de Thefordia ad Norwicum, et infra breue postea, anno videlicet proximo sequente et anno regis Henrici primi iij^o^., proposuit calumpniam satis facunde de subieccione ecclesie sancti Edmundi, multisque de causis iustam ac necessariam ibi fore suam prelacionem. Set causa diligenter ventilata, calumpniam ipsius irritam esse debere comprobauit ac decreuit vniuersa synodus ab Anselmo archiepiscopo cantuariensi Londonie[2] celebrata; quia episcopi quamplures et abbates, necnon duces regni[3] considentes,[4] affirmauerunt se interfuisse causis Arfasti episcopi elmanensis et Baldewini abbatis sancti Edmundi, ipsumque Arfastum a causa cecidisse, abbatem vero Baldewinum per legitimos testes comprobasse se ac suam abbaciam per liij annos liberam et quietam

[1] MS. qua. [2] MS. londoniensi. [3] MS. regum. [4] MS. confidentes.

ac sine calumpnia fuisse ab omnibus antecessoribus ipsius Arfasti; demonstrasse quoque testati sunt predictum abbatem, monasterium suum dedicatum ab Agelnotho archiepiscopo dorobornensi, seque postea abbatem consecratum fuisse a metropolitano eiusdem sedis; antecessorum eciam ipsius alterum ab ipso londoniensi, alterum a presule wintoniensi ordinatos; monachos quoque sui monasterii a quibuslibet episcopis ad diuersos ordines promotos sine contradiccione theffordensis vel elmanensis episcopi, eleganti testimonio comprobasse. Discussa tandem calumpnia[1] prefati Herberti honestis[que] racionibus refutata per decretum vniuersalis consilii, ne mutire quidem ausus est deinceps contra ecclesiam sancti Edmundi quoad uixerat, et sic in causa sua minus iusta, meritis sancti Edmundi plane defecit. Hec Marianus.

¶ De puero in Italia a diutino langore sanato.

Sa[m]pson[2]. TEmpore regis Willelmi primi, abbas Baldewinus, Romam proficiscens, de camisia sancti Edmundi partem secum assumpsit ad propagandum honorem martiris, religiosis eam distributurus personis. Cumque ciuitatem Italie que Lucas dicitur apprehendisset, partem camisie quibusdam fidelibus largitus est; vnde factum est vt mox in basilica sancti Martini ad honorem beati Edmundi martiris altare consecraretur. Predictus autem abbas expeditis negociis pro quibus Romam adierat, prospere in Angliam reuersus est. Nec multo post tempore Edfricus ecclesie beati Edmundi prepositus, et sacerdos quidam Siwardus nomine, iter idem aggrediuntur; atque post diuturnos uie labores in prefatam diuertentes ciuitatem, cuiusdam Petri subeunt domicilium. Quibus post exhibitam hospitalitatis humanitatem hospes dixit: 'Viri fratres, quibus ab oris fines nostros penetrastis?' At illi: 'Nacione, inqui[un]t, Angli, professione monachi.' Ad quos ille: 'Nostis, ait, quippiam de sancto Edmundo, qui eiusdem [insule] rex pro fide Christi martir effectus est?' 'Optime, inquiunt, nam sub eius alis educati, eiusdem martiris alumpni sumus.' At ille subiunxit: 'In hac ciuitate, in ecclesia beati Martini, altare titulatur sub honore sancti Edmundi; ad quod vir quidam multis pollens diuiciis filium suum vnicum diutino langore percussum, post medicinam multiplicem adhibitam et sanctorum suffragia implorata fecit adduci: vbi cereis accensis cum parentes eius vigiliis et precibus instarent, im[m]inente iam crepusculo sopore merguntur, qui rursus expergefacti, puerum sanum reperiunt et alacrem, qui diucius encleticus fuerat ac debilis. In argumentum fidei puer sanus et alacer publicis aspectibus presentatur, laus creatori decantatur, in commune martiris triumphus attollitur. Huius gracia miraculi populus illius patrie annualiter eandem frequentat ecclesiam, ad laudem dei veneracionemque sancti martiris Edmundi.' Hec Petrus prefate vrbis ciuis sub fidei retulit testimonio, puerumque languentem ac postmodum sanitati restitutum se vidisse sacramentis plurimis asseruit.

[1] MS. calumpniaque.

[2] Cf. Tit. fol. 101.

De quodam milite demoniaco rapiente quoddam manerium de sancto Edmundo.

Hermannus[1]. QUidam normannicus Willelmi regis aulicus quoddam manerium sibi adiacens inuasit, et inuadendo eciam suo vicino copulauit. Quem cum abbas et fratres orarent ut sancto Edmundo suam terram quam ui tulerat[2] redderet: effreni lingua profert se nescire quid Edmundus dormiens de terra faceret; set sibi, profectibus ac regiis insistenti negociis, hec et alia vtilior esset, quam martiri vel suis monachis. Sicque datus in reprobum sensum predictus miles discedit, super quem martir Edmundus reuera vigilauit. Quem vlcio diuina post paucos dies cefalargica passione percussit; que eciam vsque ad [diem][3] mortis in oculo dextro signum sibi permansit. Macula enim fuit alba super-cooperiens oculi pupillam, in modum pisi gros[s]issimi habens figuram. Qui dum priori torqueretur passione, pocius suorum[4] instinctu quam spontanea voluntate dirigit sancto per suos cereum pulchre magnitudinis, vt medelam tanti doloris reciperet. Verum quia sancti sciunt quodammodo cordium intima, patent deo: recusat deus et sanctus cereum quem mittit malus animus, et, vt relatu videntis qui affuit didicimus, decidit ad terram fractus in nouem partibus. Ecce sancti miraculum ad quoddam nos ducit ridiculum: quia rebelli et tumido inprimitur macula passionis in oculo, veluti quondam cauteriabatur in fronte teta[5] mortis alicui reo.

¶ De reliquiis sancti Edmundi perditis et miraculose repertis.

Hermannus[6]. TEmporibus regis Willelmi primi venit ad abbaciam sancti Edmundi Warnerius francigena quidam, abbas resbacensis cenobii, homo quidem religiosus et pollens excellencia literarum, cum dulci modulacione neumarum. Is[7] denique susceptus officiosissime, composita quatuor antiphonarum cantilena suaui ad honorem sancti Edmundi, sic de die in diem ad ipsius amorem cepit accendi, vt promereretur ab abbate Baldewino de pignoribus sancti recipere, quibus idem martir sanctus in exteras regiones posset venerari. Quibus susceptis reliquiis, et cursu maris transito, pontiuum ingrediens pagum raptorum patitur inpulsum. Depredatur enim ab omni sua suppellectili, et vix cum vita euadens abbaciam intrat Christi confessoris Richarii. Illic tunc preerat abbas Gerwinus vir uita sanctitatis orbi famosus: qui depredati abbatis intelligens angustiam, predonum quoque signis quibusdam agnoscens essenciam, post ipsos equitat, inuentisque, requirit minis cum precibus mixtis que rapuerant. Quibus caritatiue receptis, quia condigne veneracionis erat in illa regione, domum redit, fratrem consolatur desolatum, reddit[8] que perdita receperat; set de pignoribus martiris Edmundi nullus in amissione sermo fiebat[9]. Sic itaque receptis rebus perditis, reliquiarum nil inuenit: pro quibus dolet; ac vere, perdi-

[1] Cf. Tib. fol. 50b. [2] MS. intulerat. [3] MS. finem. [4] MS. eorum. [5] i. e. litera, overlined. [6] Cf. Tib. fol. 61b. [7] MS. Hiis. [8] MS. reddidit. [9] H. fuerat.

disse cetera maluisset, si preciosa pignora repperisset. Igitur tali modo ab eodem die noctem proximam dolendo ducit insompnem, dolens iacet in cripta quadam beate virginis orando, et necligenciam pro reliquiis perditis deflens veniam deuote precatur. Dehinc lassus ante diei crepusculum se vertit ad lectisternium, membra quantulocunque sopori committens. Cui in sompnis adest vir venerande speciei, dicens: 'Que causa meroris tui?' Respondit quod pro amissione reliquiarum sancti Edmundi doleret. At ille: 'Tange, inquit, pectoris tui superiora: illic reperies que tibi doles esse remota.' Expergefactus manum ponit supra pectus, sentitque dulcissimum munus, illic credo depositum diuinitus; quas quide[m] reliquias miraculose inuentas, in altari gestatorio decentissime collocauit, laudando deum et sanctum martirem Edmundum.

Qualiter sanctus Edmundus subuenit naufragantibus.

Hermannus archidiac. Arfasti[1]. QUodam tempore dum rex Willelmus in Normannia moraretur, abbas Baldewinus a rege, vt frequenter, accersitus, illis in partibus officii sui diligenciam ei sedulus exhibebat. Cumque longior ibi[2] mora fieret, et quedam victualia consumpta deficerent: quendam de suis, Normannum nomine, domum delegauit vt que minus suppetebant rediens ipse suppleret. Insinuauit eciam abbas abeunti de quodam philacterio sancti Edmundi preciosa pignora concludente, quatinus illo secum assumpto, quam tocius remearet. Ille parens[3] imperanti, mari transito properat ad cenobium. Et assumptis pro quibus missus fuerat, philacterium quoque collo suspendens, repetit iter quo venerat. Deinde nauem ingressus est, et mox exorta tempestate nauis nunc ad alta subrigitur, nunc ad yma relabitur. Quo per triduum iactatis[4] infortunio, spes[5] omnis euadendi perierat. Igitur Normannus labore pariter et horrore deficiens, in sompnum leuem resoluitur. Cui persona elegans, aspectu claro sermoneque iocundo, mox astitit, dicens: 'Cur, Normanne, sompno deprimeris, tam horrendo vallatus periculo?. Expergiscere et tolle quod collo tuo inheret philacterium, inuoca illum cuius insignitur nomine: tibi sociisque tuis tranquillitatem eius meritis obtenturus.' Qui statim exiliens et vtraque manu philacterium collo euulsum leuans in sublime, cum sociis sanctum exorauit Edmundum ut ab im[m]inenti discrimine eos potenter eripere dignetur. Nec mora: venti mitigantur, celi adest serenitas, et mare sedatur. Igitur deum glorificantes, sese mutuis exhortacionibus ad sancti martiris obsequium et amorem pariter accendebant; et miraculum postea in multis locis diuulgabant.

¶ De puero ceco in festo sancti Edmundi illuminato.

Hermannus archidiac[6]. TEmpore regis Willelmi secundi, quidam miles Yuo nomine suis mandauit ut filium suum cecum sancto Edmundo curandum perferrent. Instante autem

[1] r. Sampson; cf. Tit. fol. 103. [2] MS. largior vbi. [3] MS. parans. [4] MS. iactatus. [5] MS. species. [6] Cf. Tit. f. 105b.

sancti Edmundi festiuitate patruus pueri ac illius nouerca, puero secum comitante, gaudiis sollempnibus properant admisceri. Porro in ipso vigiliarum exordio, de peculiari monachorum familiaritate presumentes, viciniora feretro sancti Edmundi loca pecierunt. Quibus impetratis, circa conticinium in sinu patrui puer obdormiuit. Cui vir clarissimus splendenti fulgens habitu, cereum manu gestans, apparuit, tetigitque illum et ait: 'Num me vides?' Qui respondit: 'Video, domine mi.' Et ille: 'Quid est quod manu teneo?' 'Candela,' inquit. Hiis dictis puer euigilans, cepit vociferari: 'Deo gracias, ego video,' et sepius id ipsum replicans, attentos reddidit vniuersos. Nec mora alternantibus campanis matutinas celebraturi monachi conueniunt, reboantibusque[1] camenis, pro miraculo laus trinitati decantatur.

¶ De vlcione facta in peruasores rerum suarum.

Sampson abbas. EOdem tempore, primo videlicet anno regis Willelmi secundi, miles quidam Robertus de Curzun a domino Rogero Bigot villam quandam nomine Suthwaldam sibi dari postulauit. Cui ille, hanc esse sancti Edmundi respondit; set blandis adulacionibus illius delinitus, aliquando, licet inuitus, quantum ad ipsum spectabat prebuit assensum. Cumque ad eandem villam, duobus assumptis militibus pari demencia debachantibus, inuadendam properaret: subito celi facies immutatur, aeris intemperies excitatur; mugiunt tonitrua, fulgura choruscant, venti deseuiunt[2], elementa commota nemini securitatem pollicentur. Tunc rei veritatem fateri compulsi, se scelestum opus arripuisse summurmurant. Robertus igitur male ceptum iter deserens domum rediit; milites vero, mentis obstinacione cecati, possessionem illam cum armigeris suis inuadunt, vices eius peracturi. Quo peruenientes, rapinis insistunt, quietos perturbant, resistentes affligunt, vsurpant indebita, occupant aliena. Qui cum omnia viriliter se egisse gloriarentur: statim vlcio eos diuina consequitur. Nam vnus in reprobum sensum versus amens effectus est, alter frenesi correptus. Talique ordine sanctus Edmundus impios et auidos sui iuris peruasores a presumpcionis[3] deiecit audacia, iniuriam vindicauit, et ius proprium vendicauit. *Marianus in cronicis.* Processu vero temporis dum idem Rogerus Bigot sancto Edmundo quandam terram alia vice conaretur auferre: die quo placiturus erat cum dompno Roberto eiusdem loci abbate, deo vt creditur vindicante causam beati martiris sui Edmundi, subita morte mane perisse inuentus est; atque delatus Norwicum, ab Herberto episcopo ibidem sepultus est, circa annum domini M^m^. Cvij^m^.

De mantica cum reliquiis sancti Edmundi furata et postea miraculose inuenta.

Hermannus archidiac[4]. IDem Normannus portu qui Barbefleot dicitur appulso, quasi iam in tuto cum suis rebus positus dum falerat equum, cupiens inde facere digressum: fures manticam

[1] MS. roboantilusque. [2] MS. disseuiunt. [3] MS. presumpcione.
[4] Cf. Tib. f. 65. This mir. ought to precede the two last.

eius cum reliquiis sancti Edmundi rapiunt. Quam velud amissam, dum nusquam repperit, dolens, cum socio descendit ad villam. Subtristis itaque per viam incedit, et fretus spe vera petit ecclesiam, orans deum et sanctum Edmundum. Exeunti ecclesiam, ait ei quedam vetula: 'Cur, heus, sic tristaris, vel quasi lacrimans vadis?' Respondit: 'Egressus mare perdidi manticam, quam nescio qualiter aut vbi requiram.' Indicat solatrix mulier domunculam deprope ore et digito. Mox intrat quesitor intus, videt quam perdiderat in angulo domus manticam; quam manibus suis accipiens, gracias egit deo et sancto suo Edmundo. Hinc iter mouens predictus Normannus, retro se super equum consesso socio, manticam cum reliquiis ante se tenens a collo pendentem: cum gaudio experitur virtutem martiris Edmundi tercio, vadum regionis nitens transuadare quo nemo transierat ante. Mirantibus hominibus monetur[1] redire, ne submergatur vadi insoliti profunditate. Tamen securus cum socio transit siue tranans siue gradiens, eius se fiducia muniens cuius philacterium in mantica ferebat; glorificans deum in secula seculorum.

De quodam milite a febribus curato.

Hermannus archidiac[2]. QUidam miles Willelmus nomine filius Askitelli, de prouincia Herefordie[3], omnigenarum febrium vrebatur ardoribus, in tantum vt carnibus exesis, elimatis ossibus cutis herebat. Hic post expertas frustra medicinas, multis expletis annis, in lecto gestatorio ad monasterium sancti Edmundi pertrahitur: vbi facta oblacione, deploratur necessitas, martiris imploratur auxilium. Hinc delatus ad hospicium in villa, lectulo reclinatur. Et continuo velud in extasin raptus, sensibus alienus, ore supino ardua rimatur. Suspicantur assidentes, tam vie fatigacione quam et passionis fractum immanitate proxima iam morte illum agonizare. Cum vero paulisper sic attonitus quieuisset: subito quasi se alloquenti respondisse vicissim audiebatur. Nam, vt idem postea retulit, apparuit ei uir quidam ignotus, statura procerus, quadam vultus et habitus prerogatiua regiam preferens maiestatem, qui tangens eum dixit: 'Quid hic agis, o homo? vel quare ita iaces?' Cui ille: 'Febribus, inquit, validis diucius attritus sanctum Edmundum expetiui, ipsius meritis pristinam recipere sperans sanitatem.' Ad quem rursus ait: 'Credisne illum tibi posse valere in hiis que postulas?' 'Indubitanter, inquit, credo.' Et ille: 'Surge ergo iam incolumis, ad propria festinans regredi.' At ille percuntari cepit quis esset qui tanta sibi gaudia nunciare venisset. 'Ego sum, ait, Edmundus, domini Ihesu seruus. Sta super pedes tuos, et assumptis comitibus domum reuertens, narra quanta tibi fecerit deus omnipotens.' Sic fatus, ab oculis eius disparuit. Eger autem set iam sospes, ad se reuersus, deo et sancto Edmundo gracias egit, et cunta que circa se gesta fuerant innotuit; sicque domum veniens, Edmundi virtutem quam expertus est, quoad uixit predicare non cessauit.

[1] MS. meretur. [2] Cf. Tit. f. 103b. [3] MS. Herdfordie.

¶ De nummo perdito.

Hermannus[1]. VIr quidam cum coniuge, vt nobis sancti Edmundi retulit edituus, ad sanctum Edmundum oraturus aduenit. Vbi reuerenter stans et orans: manum apponit crumene, queritans in ea quid offerat digne. Illic enim posuerat nummum ex iustissimis rerum suarum semotim, deo et sancto Edmundo offerendum. Quem non inueniens, nescit quid agat, et alium offerre dubitat; vbi perdiderit stupidus cogitat, sicque vocibus querulis[2] sancto Edmundo clamitat: 'O domine et sancte Edmunde, ecce perdidi quod disposueram tibi offerre,' et abinde pedem remouens, loca repetit quibus prius stetisse se meminit. Ingrediensque forum respicit circumquaque, et cunta loca videt multorum pede conculcata: set mirum dictu, subito uidet nummum splendere in eodem quo perdidit loco, pedibus multorum deculcato. Acclinis itaque terre speciem nummi recognoscit; accipit, et redit hillaris ad feretrum, et nummi perditi patefecit omnibus miraculosam inuencionem, deinde nummum offert gracias agens deo et sancto suo Edmundo martiri glorioso.

¶ De puella muta.

Hermannus. ALio tempore, vigilia sanctorum vij fratrum, venit ab Estsexia cum oblacione atque candela deuota quedam matrona orans ad sancti martiris corpus, cum sua pedissequa iam iam triennio muta. Que longius recubans quam domina quasi orans ad sacrosancta pignora, diuinumque senciens antidotum[3], surgit, sue inquiens domine: 'Bene michi, domina, bene michi; ecce loqui possum.' Miratur matrona, laudat et deum voce dulcissima. Quod cernens ecclesie custos, vir religiosus nomine Tolinus monachus, ex ordine fratribus reuelauit.

¶ De puella ceca.

Hermannus. VIdimus in natiuitate gloriose virginis Marie puellam quandam sospitatis visum recepisse, quam pater eius Willelmus nomine, Colcestrie inhabitator, miserat ad sanctum Edmundum cum nutrice. Igitur ad tumbam sancti delata, in die natiuitatis beate Marie visum recepit. Deinde pro testimonio sistitur in medium ad sacra sollempnia missarum; decantant monachi 'Te deum laudamus,' magnificatur a populo deus ac genitrix eius, necnon sanctus martir Edmundus.

De quadam contracta curata.

Hermannus. HUius gloriosi sancti meritis quedam sanatur paupercula in festo sancti Iohannis Baptiste. Requierat enim sanctum Edmundum cum [co]habitatoribus suis, duobus sustentata baculis. Hec post oracionem sana, sine baculo sistitur in medio pro testimonio. Testes eciam assunt qui eam contractam se vidisse dicunt.

[1] The next miracles are missing in Tib.
[2] MS. querulus.
[3] MS. antidodum.

Dominican College

Hinc laudem adaugent martiris Edmundi, virtutem videntes dei omnipotentis [1].

p. 648. ¶ De translacione sancti Edmundi de ecclesia veteri in nouam basilicam a Baldewino constructam.

Hermannus et Sa[m]þson [2]. Regnante rege Willelmo secundo cum abbas Baldewinus nouam basilicam apud Beodricesuuorthe, priore basilica tempore Canuti regis ibidem constructa pulcriorem, artifici[osi]orem et eminenciorem, ad instar templi Salomonis construxisset: regem adiit rogaturus vt eius edicto, principumque fauore, [et] basilica dedicaretur, et sanctus Edmundus in illam digno cum honore transferretur. Cuius peticioni rex primo faciliter assensum prebuit. Set interim cepit inter curiales de corpore eiusdem sancti questio ventilari, vtrum, ut perhibetur, incorruptum perduraret, an more mortuorum corrupcioni subiaceret. Quorum pars maior et sanior, integrum et incorruptum, quod sepius exploratorum probauere manus, in suo iacere mauseolo sanctum corpus asseuerabat.—Tempore namque translacionis ipsius de loco martirii sui apud Hoxne, vbi per triginta sex annos iacuit in terra sepultus, ad Beodricesuuorthe, que nunc villa sancti Edmundi nuncupatur, corpus illius ita integrum et incorruptum est repertum acsi eodem die fuisset sepultum. Cuius incorrupcionis postea testis erat quedam deuota mulier Oswen nomine, que patefacto sepulcro singulis annis consueuit in cena domini capillos et vngues eius prescindere, et in capsella deuote recondere. Progressu vero temporis quidam nobilis Leofstanus nomine arroganter iussit locellum aperiri, quo aperto, sanctum corpus vidit et repperit incorruptum, et statim arreptus a demonio, miserabiliter expirauit. Deinde sanctus Theodredus Estanglorum episcopus, circa annum ab eiusdem sancti martiris [passione] octogesimum, tractus deuocione locellum aperuit et corpus integrum repperit et incorruptum; tetigit, lauit, et rursum nouis vestibus inuolutum locello reposuit. Aielwinus eciam monachus ad custodiam sancti Edmundi ab episcopo diocesano deputatus per annos triginta ante introduccionem monachorum, pia permotus audacia intemeratum corpus eius certis vicibus aqua solebat diluere, pectine cesariem componere, et defluentes capillos in pixide recondere. Leofstanus insuper abbas, dubitans de eius incorrupcione, locellum aperuit et eius gloriosum corpus sine incorrupcionis macula repperit, cupiensque cerciorari si capud firmiter hereret corpori, capud traxit, et alius pedes; quod quidem capud ita firmiter inuentum est vnitum corpori acsi nullo ferro percuciencium tactum esset, nisi quod quedam cicatrix quasi in modum fili coccinei circa collum rubens apparuit; vnde vehementer stupefactus est, et in vlcionem tante pre-

[1] After this follow in Bodl. two chapters which do not belong to the life:—
C[m] 39. Incidencia: Amalarius de obsequiis mortuorum, p. 647.
Item W. Durandus ex racionali suo.
C[m] 40. Reuelacio quam ostendit dominus Esdre prophete vt ostenderet filiis qualitatem anni per introitum Kalendarum Ianuarii, p. 648.

[2] Cf. Tit. f. 111, Tib. f. 78.

sumpcionis vsque in finem vite sue contractus permansit, *vide infra de Sampsone*.—Hiis ergo et aliis docemur exemplis, de incorrupcione beati martiris non dubitare. Willelmus autem rex premisso mandat abbati Baldewino, dedicacionem hac vice se quidem inhibere, sancti tamen licenter [posse][1] fieri translacionem. ¶ Anno igitur ab incarnacione domini millesimo nonagesimo quinto, et a passione sancti Edmundi .CC° xxv., vii Kalend. Maii, feria iiij[a], conueniunt ad Beodricesuuorthe wintoniensis episcopus et quidam capellanus tunc regalium prouisor et exactor vectigalium, regia peracturi negocia. Quibus cum intimatum esset deo placitum videri si sanctus Edmundus sine mora in nouam transfer[r]etur basilicam: responderunt se ad hoc esse paratos, et huius rei negocium a rege specialiter sibi fore commissum. Hec audiens abbas, indicto triduano ieiunio vigiliis et oracionibus cum fratribus insistens, diuinam interpellabat clemenciam quatinus in tali temporis [articulo][1] seruis suis propiciari non desistat. Set et ipse pontifex ante beati viri corpus solo prostratus deuotas transigens excubias, psalterium ex ordine decantauit. Graue fert Herbertus episcopus dioceseus eo quod ad hoc non interpellatur ut sit ex eis vnus; vetitum uult inferre, set cassatur inde velut [nomen Satane de libro vite][1]. *Hermannus et Sampson.* Tercio igitur Kalend. Maii, instante iam hora tercia diei dominice, procedit antistes in veterem basilicam pontificalibus indutus infulis, aquam consecrat et aspergit, et detecto locello, corpus thurrificat incorruptum, inchoans antiphonam 'Iste sanctus.' Tunc accedentes sex fratres ad hoc preelecti, archam efferunt corpus sanctum continentem—cui sicut post ducentorum spacia non potuit, ita nec post milia poterit annorum corrupcio dominari. Porro cum ad ostium australe predicte antique basilice venissent, tanto pondere in ipso exitu sunt depressi, ut nisi laicorum fulcirentur auxilio, succubuissent; siquidem predicti sex fratres a loco sancte remocionis eum baiulantes asserebant nil leuius eos aliquando gestasse, ponderosius eciam nullam se unquam[2] sensisse sarcinam vt in exitu meridiani ostii predicte veteris ecclesie. Mos enim fuerat ipsius sancti in eodem ecclesie loco se maioris ponderis fieri quociens efferebatur alicuius rei necessitate, quod et predicti fratres sepissime sunt attestati. In quo nunc exitu, multorumque magnatorum impressu, sanctus martir operatus est miraculum. Dum quidam miles hamptoniensis manum ad archam apposuisset ut fratrum labores pro posse suo leuigaret: extentum illius brachium egrediencium impetu, muro ostii ipsius basilice tam grauiter alliditur, ut pars quedam brachii ab ipsa manus iunctura videretur vsque ad os carnibus excoriata abrasis. Lesus itaque timens ne fluxio sanguinis stillaret circa sanctum, vel noui presbiterii uiolaret pauimentum, subtraxit se et statim obuoluens clamide lacertum seorsum diuertit, ambitu vallatus plurium. Prolato[3] vero super altare martire sancto, egreditur antistes sermonem facturus ad populum. Interim prefatus miles lesum detegens brachium, meritis beati Edmundi sanum repperit et integrum, sola cicatrice ad testimonium miraculi permanente. Anno eodem maxima siccitas aeris segetum virorem, graminum et arborum, terramque supra modum torruerat, et vite humane

[1] om.; but so Tit. [2] MS nunquam. [3] MS. Prelato.

necessariorum desperacionem pluribus ingesserat: Populus igitur ab episcopo predicante commonitus est quatinus deum per sanctum Edmundum inuocaret sibi misereri et hanc aeris siccitatem, futuram famem pretendentem, pro sua pietate remediari. Finitoque sermone, presul intus redit, uult ac precipit vt extra deferatur sanctus, populo fortassis aliquid a deo misericordie prebiturus. Sanctus igitur martir cum decenti processione foris deportatus, statuitur in plebis medio in eminenciori loco, eius toto discooperto locello, ex cuius longa qualitate intelligi potuit introiacentis veneranda proceritas. Quo facto, presul alcius intermissum repetit sermonem, de sancto martire plebi [sermocinatur] dulcia simul et vtilia, redigens omnia ad anime corporisque necessariora, quatinus sanctus apud deum veniam presentibus impetret et absentibus, pluuieque iam diu deficientis affluenciam salutarem indigentibus. Sic fatus, alta voce tercio repetitum intonat 'Kirieleyson,' subsequitur et populus hoc idem concrepando, vario quidem concentu sed consono affectu. Statimque serenitas aeris immutatur, et repentinus ymber forenses tecta subire coegit. Tanta igitur vbertate suos exhillerauit eodem anno colonos, vt vltra quam meminit illa etas frugum protulerit incrementa. Dum hec agerentur: vir quidam londoniensis maculam in oculo diucius habens, procumbensque super saxorum colliculum quo prius sancti stetit feretrum, Edmundi nomen deuotissime inclamabat, deinde lapidibus tetigit oculum: et statim sanus effectus est. Post missarum denique sollempnia, sollempnes dat antistes populo benedicciones, delictorum relaxat vincula, merencium corda letificat; presentibus et absentibus de peccatis dat veniam, ut quicunque sanctum martirem in determinato temporis spacio postea requisierint, illam se adeptos gratulentur indulgenciam. Transfertur itaque, vt dictum est, corpus beati Edmundi regis et martiris incorruptum a Walkelino wintoniensi episcopo, et a Ranulfo tunc regis capellano, postea dunelmensi episcopo, in preparatam sibi basilicam cum magna cleri plebisque leticia, die et anno supradictis, iam vice quarta, et retro magnum altare decenter reconditur. Primo namque translatus erat de Hoxne, vbi occubuit martirio, ad Beodricesuuorthe anno a passione sua tricesimo sexto; deinde, propter infestacionem Turkilli comitis Danorum, Londonias ab Aielwino monacho est aduectus anno a passione eiusdem centesimo quadragesimo; set tercio anno sequente ad Beodricesuuorthe ab eodem est reuectus; postea transactis septem annis rex Canutus eiectis clericis monachos ibidem introduxit, anno videlicet ab incarnacione domini Millesimo .xx°., quorum ab ingressu .lxxv.to anno, facta fuit hec translacio quarta et vltima, ad magnam populi leticiam et beati Edmundi omniumque sanctorum gloriam. Translati sunt nichilominus cum rege beatissimo et reliquiis multis sanctorum de ecclesia veteri in nouam corpora duorum sanctorum, videlicet Botulphi episcopi, et Iurmini clitonis et sancte virginis Etheldrede germani, amboque, ut percipimus, illo delati tempore Leofstani abbatis.

¶ De puella quadam ceca in festo sancti Edmundi illuminata.

Hermannus[1]. EOdem anno, in die passionis sancti Edmundi, sanatur quedam puella ceca nomine Lyeueua in eadem dei et sancti domo noua, dum hora celebratur vespertina. Amiserat enim fortuitu visum, magis quam per annum: set fidens in deum ac martirem Edmundum, cum parentela et ville sue plebicula venerat ad sanctum; quam[2] vidimus in solo presbiterii decubuisse, dum ad 'Magnificat' procederemus cum thurribulo cum venerando abbate Baldewino sancto[3] sanctorum thurrificando. Hec pernoctans in oratorio merito[4] sancti visu recepto, sistitur in medium [ad] misse maioris officium; post verbum inde populo factum redditur deo laudacionis votum. Sic deus in sanctis suis mirabilis, sic sancti mirabiles in operibus suis[5].

De quadam clinica in festo sancti Iohannis baptiste curata.

Hermannus archidiaconus Arfasti episcopi. QUedam mulier nomine Bryghtyeua, ex cuiusdam presbiteri Odonis familia, septem et eo plus annis contracta sic vt magis reperet quam incederet, pedibus clunibus[6] adiunctis: instinctu diuino premonita, rogat predictum dominum suum Odonem vt ad Christi martirem Edmundum et confessorem Botulphum venire possit per eius auxilium. Cui presbiter largitur subsidium equitacionis, famulum eciam prebens tanti itineris comitem. Que super equum ligata, venit ad villam sancti Edmundi Curtis vocatam, descendensque, pluribus videntibus [se] recepit ad ecclesiam, secum trahens partes corporis vltimas. Pernoctat in ecclesia ieiunio vacans et oracioni[7]: et in crastino, priore loci misse sollempnia celebrante, inuenitur iam sana iacens ad crepidinem altaris. Miratur prior et arbitratur id questus gracia fieri, et mentite sanitatis vmbratilem esse deuocionem: voce preconaria fecit declamari si qui adessent eius agnitores. Inuenti sunt plures, qui testantur eam multo tempore iacuisse clinicam quam sanam astare cernebant. Igitur pro tanto miraculo fit presentibus sermo, necnon ympnus laudacionis decantatur in voce exultacionis.

¶ De incorrupcione sancti Edmundi, et de vlcione facta in tolinum monachum palpantem et videntem corpus sancti Edmundi incorruptum.

[*Sampson*[8].] MUlti mecum aut fama norunt aut facie quandam religiosam feminam apud sanctum Edmundum vitam celibem actitantem, nomine Seieyam[9]. Hec cum de illustrium duceret Anglorum prosapia natales et in domibus paternis annos [adhuc] ageret puellares, plurimi nupcias eius appetebant, inter quos vnus erat tam genere quam

[1] Cf. Tib. f. 85. [2] MS. quem. [3] MS. sancta. [4] MS. meriti.
[5] In Tib. here follows the beginning of the miracle at sea, p. 631, the rest, with 6 more mir., is lost. [6] MS. clinibus. [7] MS. oracione. [8] Cf. Tit. f. 118.
[9] Tit. Seiepam.

diuiciis prepollens, qui crebrius huius rei gracia virginis aures pulsabat, sed nullum penitus extorquere poterat assensum. Super quo diabolus indignatus, illius viri mentitus speciem per nocturnum soporem, sicut eadem virgo narrare solita est, apparuit ei dicens: 'Vnde tibi tanta temeritas vt nec mee nec parentum obtemperes voluntati, aspernando mea connubia? an forte michi aliquem pretulisti?' Cui illa: 'Nec te, inquit, nec alterum quemquam, set dominum meum Ihesum Christum michi sponsum elegi.' At ille: 'Noueram, ait, et ego[1] quod monachicam anheles conuersacionem: set scito prenoscens quia quocunque sub huius propositi [peragendi] perrexeris obtentu, ego te precedam et ingressum tibi precludam[2].' Quod et factum est. Nam postea diuersas cepit lustrare prouincias et virginum circuire monasteria, semper tamen peticionis sue cassabatur effectu. Vnde et factum est vt ad sanctum Edmundum, Baldewino tunc abbate inuitante, immo Christo vocante, veniret. ‖ Que nocte quadam, ut ait, cum nocturnalibus ympnis cum pedissequa festinaret interesse, venissetque ad atrii portam, prior illam aperuit[3], apertamque quousque pedissequa sua transisset, [ipsa] tenuit. Quam cum sensim ad se redire permitteret, vehemencia ventorum que tunc inhorruerat cui accludebatur appulsa stipiti dexteram quam necdum incauta retraxerat sibi violenter attriuit. Cuius protinus apporiata[4] dolore solotenus prosternitur, ac velut[5] extasin passa, pedisseque[6] compassione permulcebatur, que casus ignara, credens in cimiterio eam visum vidisse, lateri stupens assidebat. Dehinc mitigato ex parte dolore, et explicitis antelucanis ad hospicium reuersa, ex-[t]uberatam admodum sinu manum efferens, oscellum digiti medii confractum repperit. Post aliquantum vero temporis tumore sedato cum sanari cepisset digitus, instar gallice nucis super fracture locum struma concreta resedit. Quadam igitur die cum in ecclesia solitis peruacaret precibus, ad sancti Edmundi feretrum accessit, lesamque protendens ad lecticam sancti simpliciter dexteram: 'Vide, ait, domine, an bene deceat in manu ancille tue struma talis? Si tua foret voluntas, eam auferri[7] postularem.' Quibus peroratis, de asilo processit: postera die cum digitum, vt crebro, perspiceret, omnino struma deleta, pristinam articuli formam agnouit.—Set vt expedicius alia que dicenda sunt explicemus, ipsius verba duximus interserere, quorum ista est forma:

De incorrupcione sancti Edmundi.

'Per id temporis, ait predicta mulier, fuit in monasterio vir vite venerabilis et sancte conuersacionis, nomine Tolinus, qui, tanquam fidelis et prudens, sacriste officium administrabat, verbisque et exemplis ad amorem patrie celestis quoscunque poterat inuitare curabat. Hinc est quia si quid in me boni vmquam poterit haberi, ipsius instinctu, ipsius monitis[8] est et [h]ortatu. Eodem igitur anno quo translacio sanctissimi martiris Edmundi de antiqua in nouam facta est basilicam, cum post sollempnitatem apostolorum Petri et Pauli sanctum Edmundum oracionis pariter et edificacionis gracia expetissem, prefatus Tolinus frequens michi colloquium inpendebat. Ceterum cum vna dierum mecum ante altare

[1] MS. ille. [2] MS. precindam. [3] MS. apperuit. [4] MS. adds i. e. tribulata. [5] MS. velim. [6] MS. pedisse. [7] MS. auferre. [8] MS. monitus.

sancti Iohannis euangeliste de contemptu mundi conferret, dulcis incidit sancti Edmundi memoria, quam ille iugiter pectore voluebat et ore. At ego demisso uultu diucius disserentem sustinui, et tandem rupto silencio dixi: "Quid est, domine mi, quod uos incorruptum subsistere, plerique eum corrupcioni succubuisse contendunt? Nam cum nudiustercius ad eius accederem imploranda suffragia, quidam eques in itinere michi sociatus est, querens quo tenderem, ego vero respondi me sanctum Edmundum velle inuisere; at ille cum de integritate martiris dubitando questiones miscuisset, redarguens eum dixi: 'Ne vmquam sic erres, set confitendo crede quia sicut eodem die quo martirio coronatus est, sic et in presenti incorruptus perseuerat et integer.' Verum hoc magis iuxta uulgatam opinionem et communem fidem dixerim, necdum plenius edocta quo cerciori argumento calumpniis incredulorum possim refragari." Quo audito, alcius ingemiscens ait: "Heu, quam penaliter peccant quicumque super hoc dubitant! An [et] tu fortassis vna cum eis nutanti[1] fide vacillas?" "Non, inquam, de dei virtute diffido, set qui michi super hoc satisfaciat non inuenio." "Vellesne nostrum, ait, de hac re testimonium recipere?" "Nemo tam callidus, nemo tam facundus qui vllis argumentis possit a corde meo euellere quod semel sermonis tui auctoritas ei inseruerit." Tunc ille manum vtramque proponens, "Hiis, inquit, licet impuris[2] et indignis, manibus reuerenda ipsius membra palpaui; hiis petulantibus oculis iocundam eius et omni refertam gracia faciem conspexi. Et quemadmodum hic plenam intueris carnem et teneram"—dexteram siquidem meam sinistra cingebat—"ita vniuersi artus illius molli et pulpa vestiuntur carne. Insipienter quidem ac presumptuose fecisse me confiteor, det veniam confitenti qui penitendi spacia nuncvsque concessit. Socios vero ad hoc habui dompnum Sparafocum suffraganeum meum, et aurificem Hereuuardum." Cum hec ab eius ore didicissem, et aliquantulum ibidem temporis exegissem, vltimum uiro dei uale dicens paternis edibus representor, vlterius eum non visura. Nam cum ipse que in memorata translacione fixa est metam excederet[3] quando tam visu quam tactu plures[4] Christi martirem probauere corrupcionis expertem, infra paucos dies postea obiit. Siquidem cum vna dierum celsa parietum ecclesie fastigia obambularet, circumspiciens ne quid ab artificibus qui ipsius deputati erant custodie per incuriam esset necglectum, casu accidente subito ruit in preceps. Quem licet diuinum inpulisset iudicium, diuina tamen non [penitus] deseruit clemencia: nam in ipsa ruina vni stipitum quibus crates fulciebantur ora vestimenti sui cohesit. Quod videntes latomi, mox spe subueniendi machinas conscendunt, illesum eripere laborantes. Ad quod dum enixius elaborarent, rupta vestis margine in subiecto saxorum decidens aggesto, acerba membrorum collisione quassatur. Semiuiuus tamen inde sublatus, post presumpcionis prefate confessionem viatico percepto, inter manus fratrum animam exalauit. Porro tres illi quos conscios habuit, non multo post letalibus tacti incom[m]odis moriendo culpam temeritatis protestati sunt, nec vllus[5]

[1] MS. in tanti. [2] MS. in imp. [3] MS. excedens. [4] *al.* om. [5] MS. vllis.

eorum annalis orbite circinum combinauit.—Igitur audita morte Tolini, grauibus lamentis[1] affecta sum. Hinc allocuta genitorem, vt ad sanctum Edmundum procederem instancius exorabam. At ille: "Quid, inquit, filia mea, vis illuc ire, illum tuum carissimum dompnum Tolinum iam minime visura?" Respondi: "Etsi ipse mortuus est, tamen ille quem amare me docuit, cui me deuote seruire commonuit, non moritur, set mente et accione mundo mortuis[2] uitam largitur eternam." Tunc pater meus, cernens quod religio esset in causa, tandem annuit deprecanti. Ego vero cum illuc aduenissem, pro anima dilecti mei in Christo deo deuote cepi supplicare. Interque reliquas pie sollicitudinis exequias tricennarium ei psalteriorum inpendere satagebam. Quod dum attencius peragerem: nocte quadam exempto matutinorum officio, impetrata ab edituis licencia, psalmis in ecclesia vacans resederam. Et dum psalmum octogesimum concreparem, et rarescentibus vmbris polus albesceret, irruente sopore codex labebatur e manibus, verba semiplena, lingua languente faucibus intercepta, coherebant. Inter hec, dum ceruicem parieti reclinassem, quidam a tergo me per scapulas arripiens, horrifice concussit, inquiens: "Tu sompno resolueris et carus tuus Tolinus penas acerbas luit?" Tunc ego expergefacta, psalmorum summam vt prius inceperam diligencius exaggerabam. Set mirum in modum, recedente persona, digitorum eius inpressio non statim ab[s]cessit; sentiri a me potuit, videri nequaquam. Tempore sub eodem, necdum tricennario emenso, cuidam monacho[3] sibi familiari dum adhuc viueret, idem Tolinus per soporem apparuit; quem ille sub uultu tristi et habitu lugubri contuens, talibus eum affatur: "Quid est, mi domine, quod te tenebrosum ac merore affectum conspicio?" Et ille: "Vtquid, frater, me tetro squalentem amictu admiraris, cum incircumscripti fulgore luminis necdum perfrui meruerim?" Cui ille: "Et ob quam causam? cum omnium nostrum arbitrio vita tua inculpabilis haberetur?" At ille: "De vita mea non arguor, verum me quiddam presumpsisse peniteo, pro quo tali addicor supplicio: quia scilicet dominum meum sanctum Edmundum infida mente contrectare non exhorrui, aliisque contrectandum exposui. Quocirca queso te vt hec vice mea fratribus exponere non differas, obsecrans vt a patre misericordiarum misericordiam, et a beato Edmundo michi impetrent indulgenciam, cuius intollerabilem pacior offensam." Frater vero consurgens, abbati et fratribus retexuit oraculum. Qui fraterne condolentes anxietati, diuinam ei propiciacionem conciliare satagebant. Sextum denique circa mensem, denuo apparuit Tolinus, [hilari facie, niuea stola indutus]; qui ab eodem requisitus quomodo circa se ageretur: "Hucvsque, ait, pessime, set iam pii redemptoris clemenciam, et sancti domini mei Edmundi recipere merui graciam. Cui sicut fideliter consueueram ministrare, ita nunc quoque contubernii pocior ciuilitate, obsequiis inhereo, visioni congaudeo, gloriam admiror."'[4]

[1] MS. lamenta, Tit. graui lamento. [2] MS. mortuus. [3] sc. Edwino.
[4] The next mir. still belongs to the same group.

DE VLCIONE FACTA IN HERMANNUM MONACHUM EXPLICANTEM CAMISIAM S. EDMUNDI ET OSTENDENTEM POPULO AD OSCULANDUM.

Sampson abbas. QUidam monachus sancti Edmundi nomine Hermannus, verbi diuini predicator, cum die quadam pentecostes ab edito[1] congregatam multitudinem alloqueretur, prolata summatim est theca regis et martiris insignia continens ornamenta in quibus pro Christo viriliter agonizans armis paciencie mundi principem strauit, eaque populis vniuersis stupentibus et deum laudantibus ostendit. Quod quidam ex Anglie primoribus audiens, tercia ebdomada sequente concitus affuit, non sibi denegari quod iam plebi concessum fuerat summa deuocione deposcens: cuius postulacioni fratres assensum prebentes, semotim in cripta que deposcebat ostensa sunt, quibus suppliciter deosculatis, gratulabundus ab[s]cessit. Discurrit interim vltra citraque qua nichil in rebus fama mobilius[2]. Conglobatur protinus sexus promiscui infinita congeries, exigunt itineris fructum, quia[3] casso regredi labore erubescunt; martiris triumphum sub hoc obtentu, suamque deuocionem memorant posse dilatari. Quid plura? tot turmarum populositatem inanem dimittere non fuit consultum. Aptatur ergo in abside medio altaris instar ligneus gradus, sup[er]ponitur scrinium illud sancti Edmundi reliquiis accumulatum. Accedit iam dictus Hermannus, exponit post alia camisiam illam, agonis acerbitatem euidencius attestantem, crebris iaculorum punccionibus perforatam ac preciosi[4] martiris cruore purpuratam. Hanc ergo non summatim, vt prius, cum reliquiis aliis, set capsella prorsus exemptam cernentibus cuntis explicans, inuitat ad osculandum. Huic intererat spectaculo cum multis aliis sepedicta virgo, summa cum veneracione dei magnificans magnalia; que cum ad osculandum os suum porrigeret, tanta fragrancia suauitatis vt fateri[5] consueuit sensit se perfundi, vt humanos excellere posse sensus putaretur. Hiis ita gestis: eadem die Hermannus presumpcionis vindice morbo corripitur. Deinde nocte subsecuta iam dicto fratri Edwino nomine prefatus apparuit Tolinus, et minaci vultu ac verbis austeris vehementer eum et ceteros [con]fratres[6] suos cepit increpare[7]. 'Quid, inquit, egistis? Cur sic neciigenter et irreuei enter reuerenda tractastis? Deum eiusque martirem spei uestre patronum irritastis: quia dum heri camisiam eiusdem sancti publicis aspectibus opposuistis et incaute minusque diligenter explicastis, sacer sanguis, quo infecta fuit[8], ex parte humi decidit et periit. Hoc vero ad penitenciam vos inuitasse debuerat quod ille per cuius neclectum hoc contigit, diuino iam verbere flagellatur, cuius dolor irremediabilis est et uita desperabilis. Set et vos quam cito[9] diuina manet vlcio, nisi cicius per congruam satisfaccionem auertatur.' Ita fatus, disparuit. Et Edwinus fratribus audita reuelauit[10] maturius, Hermannus vero egritudinis vrgente molestia tercio[11] proximo sequente obiit. Vnde solerter considerandum est quanta sanctis reuerencia, quanta in veneracione sit exhibenda diligencia. Quos enim

[1] MS. edicto. [2] MS. nobilius. [3] *al.* om. [4] Tit. precioso.
[5] MS. fieri. [6] T. confratres. [7] MS. concrepare. [8] MS. fuerit.
[9] *al.* cita. [10] MS. reuelacione. [11] MS. tercia.

[diuinitas] per caritatis vnionem indiuisibiliter sibi connexos sempiterne glorie fecit participes, horum iniuriam sine vlcione ferre non sustinet.—

¶ Relacio domini Lamberti abbatis Andegauie.

Sampson abbas. 'Quodam yemis tempore, necessitatibus ecclesie nostre andegauensis exigentibus, ad portum qui Barbefleoth dicitur transfretaturi cum nostris applicuimus. Vbi cum per aliquot dies multa consumendo moraremur et preter voluntatem nostram ventorum cogente intemperie dietare cogeremur, ait quidam confrater noster Andegauie monachus Natalis[1], non alienus a religione: "Laudo et consulo ut beato Edmundo Anglorum regi et martiri egregio promittatis et voueatis vt si ad portum optatum ipsius sancti merita vos perduxerint, eius ecclesiam gracias reddituri adeatis, et eum de cetero familiari deuocione diligatis." Cuius consilio statim paruimus, tota cordis deuocione gloriosi martiris inuocando suffragia. In crastino summo diluculo portu relicto ad vota mare sulcauimus, et beato martire Edmundo ducatum nobis prebente, quod mirum dictu est pro votis Hamptonam ad nonam vidimus et tenuimus. Qui promissionis nostre non immemores, ad beati martiris basilicam quam expedicius potuimus properauimus, vota soluimus, ipsius nos deuote com[m]endantes patrocinio.—Dum hec in antiqua regis Edmundi describeremus ecclesia, affuerunt tres uiri de Londoniis, qui cum medium sulcando pelagus ad sanctum Egidium oracionis gracia de Anglia properarent, ventum non habentes prosperum sancti martiris adiutorium implorabant, cuius meritis aura[2] flante secunda portum quem desiderauerant in breui sortiti sunt. Cum autem redissent, et sancto martiri gracias egissent, humiliter rogabant ut et hoc miraculum caritatiue subtitularemus; quibus pro amore et amplificacione nominis sancti Edmundi gratanter paruimus, et gaudendo cum eis optulimus deo graciarum acciones.'

¶ Qualiter in mari se vocantes liberauit.

Sampson[3]. Quidam viatores qui summorum adierant apostolorum limina, Roma regressi ascensa naui aura flante secunda Angliam repetebant. Eratque nauis lxiiij^{or} capiens homines, excepta varia suppellectili copiosa. Denique grandi maris spacio suauiter emenso, circa gallicinium aquarum profluuio repleri puppim compererunt[4]: quam protinus exhaurire festinant, set vnda succrescens labores eorum an[n]ullauit. Siquidem fracte tabule frustum elisum, liberum gurgiti concesserat illapsum. Cuius mole grauata ad mortis periculum nauis [sistitur, euadendi][5] naufragii omnis via precluditur. Ergo neclecta salute corporum, sola pro animabus cura versatur in medium; hora spectatur[6] nouissima, inter mortem et vitam breue distat momentum. Huic intererant duo viri periculo, vnus Wluuardus presbiter de Schimplynge, et alter nomine Robertus, ambo de patria sancti Edmundi, qui postulato silencio, taliter socios alloquntur: 'Viri fratres, constantes estote. Quis vestrum est qui

[1] MS. natalis. [2] MS. aure. [3] Cf. Tit. f. 116. [4] MS. comperierunt. [5] om. [6] Tit. expectatur.

sanctum nesciat Edmundum? quis virtutes eius quarum terra marique fama dilatatur, non audiuit? quis eum patronum elegit et confusus est? Accedamus igitur ad eum toto corde, exclamemus ad eum implorantes eius auxilium in tempore afflictionis nostre; accelerate singuli et iuxta quod penes se quisque repperit, in commune conferte, oblacionem vestram beato martiri dedicantes, simulque spondentes circa cultum eius et amorem prompciores, fidelesque virtutum eius quamdiu vixeritis uos fore professores.' Collacione deinde facta et in vnius crumene sinu reposita, consona voce et intencione conclamabant: 'Sancte Edmunde, adiuua nos!' Quod dum tempus increbruissent[1]: cepit aqua minui que nauem occupauerat, nauisque leuiata paulatim progredi; deinde leuato velo[2] mare feliciter nauis inpulsa quasi trino cuiusdam inpulsu prospere cepit velificare. Sic claro die redduntur homines terre, deum ac sanctum Edmundum magnificantes; collectamque pecuniam ad monasterium deportantes, fideles extiterunt huius miraculi relatores.

¶ De quodam Wulmaro ab im[m]inenti morte erepto.

Sampson[3]. CUm quidam sancti Edmundi conuicaneus Wulmarus nomine oracionis gracia Romam inuisere decreuisset, supplex[4] domini sui sancti Edmundi subiit asilum[5], ipsius presidio curam itineris sui assignans. Deinde cum prosperitate regressus, ad agendas sancto Edmundo gracias accessit, spontanea vota pariter oblaturus. Inde cum domum descenderet, necdum atrii metis emensis, horrore repentino simul et tremore corripitur: et domum perlatus, acribus[6] cepit vrgeri doloribus, viaticum peciit, et accepit, de uita desperans. Qui cum octo dies sic recubans exegisset, omnium membrorum suorum priuatus officiis: quedam sancti Edmundi festiua memoria in ecclesia celebrabatur, de representacione scilicet incorrupti corporis ipsius que ab abbate Leofstano [facta] narratur. Cuius noctis sequentis circa medium, languidus ipse, qui iam per octo dies non dormierat, grato sopore dormiuit. Cui in sompno videbatur domus sue ostium patere, ac per illud leni volatu niueam columbam subintrare, que cum super lectuli sui capud resedisset, mox in ve[nusti][7] uiri speciem transformatur et conuersus ad egrotum, eius doloribus compaciens, ait: 'O homo, in graui, vt uideo, infirmitate laboras.' Qui cum sic esse responderet[8], ille manu extensa tetigit eum, dicens: 'Noueris clemenciam dei esse magnam: ecce iam sanus factus es. Surge quam tocius, ecclesie sancte te representa, saluatori tuo laudes repende, tecumque ad eius amorem et alios accende.' At ille multum exhilleratus, sedulo eum rogabat ut quis esset ei insinuaret. Cui respondens: 'Edmundus, inquit, dicor, regis eterni famulus.' Quibus uisis euigilans, depulso langore se sensit ex integro restitutum. Surgensque diluculo sanus mente et corpore, ad ecclesiam, vt per visionem iussus fuerat, properauit, atque fratri Tolino, cuius superius fecimus mencionem, que sibi contigerant ex ordine manifestauit. Quo audito: abbas Baldewinus,

[1] Tit. crebrius increpuissent. [2] Tit. maris discrimina felix carina feliciter cepit velificare. [3] Cf. Tit. p. 115. [4] MS. simplex. [5] o. m.: i.e. templum. [6] MS. acris. [7] page concludes in ve. [8] MS. responderetur.

collectis in vnum fratribus et quibusdam laicis, hominem statuit in medium, cuius relacione iam dicta replicantur, et plurium testimonio confirmantur, ad laudem et gloriam regis regum et sancti Edmundi regis et martiris gloriosi.

De Radulpho filio Hugonis, de dolore dencium liberato.

Hermannus. CIrca idem tempus profuit martir et sanctus Edmundus cuidam Radulpho Hugonis filio, dolore dencium laboranti tribus ebdomadibus: cui dum faber adesset vt ex maxilla dentem nociuum euelleret, infirmus subito memor sancti Edmundi paululum substitit et in uoto sancti pariter et honore candelam fecit fieri ad sui colli et capitis modulum; quo facto, cum propriis dentibus requiescit dulcius, et plena fide recipit valitudinem meritis sancti martiris Edmundi.

De humero cuiusdam monachi grauiter leso et miraculose sanato.

Hermannus. FRater quidam congregacionis sancti Edmundi iam die ferme decurso domini natalis, dum instaret pulsando vespertina synaxis, accurrens festinus ex claustro ad oratorium anxius pro disposicione quatuor cantorum quos ipse coraula dispositurus erat ad vesperas ad regendum chorum: dum ascensum iniret nouem graduum, inpegit in eum turba monachorum scolarium. Qui terre elisus nullo modo valens consistere pedibus, sentit ex impetu casus collisionem humeri sinistri qua parte cecidit totus, saliente ipso humero ex iuncture loco proprio. Quo fratrum adiutorio leuato, et ad vestiarium deducto, tractibus suauissimis et crebris motibus trahitur brachium, si forte humerus ad locum iuncture resiliret proprium. Sic et fit; eo resiliente suauius se habet frater inde; set tamen vt mancus caret eleuacione brachii vel manus, non valens sursum tendere, nec re pro aliqua retrorsum porrigere. Anxius ergo frater pro hac lesione, fideliter orat sanctum Edmundum vt sue miserans lesionis, ab eo depelleret anxietatem doloris. Huius euentus transito tempore a domini natale vsque ad medium xl^e^, idem frater elencus sanctum sepe requirit attentus nocturnis interstitionibus, bona fide propians ad sancti lecticam martiris, tangendo dextra manu sanctam marmoris tabulam super quam nouerat sancti requiescere tumbam preciosissimam, quam dum tangeret plenus fide, solitus erat humerum scapulotenus cum eadem manu fricare, non dubius sancto Edmundo propiciante sui doloris anxietatem se posse fugare. Instante igitur nocte post dominicam medie xl^e^, appropiat idem frater ad tumbam martiris tempore matuti[n]orum qua vellet deuocione: et tactu sue manus percipit ab eodem marmore gratum liquoris sudorem desudare. Desudatum cogitat se manu dextera posse colligere, collectoque dolentem humerum perungi debere. Itaque a sinistra parte corporis et capitis sancti, psallens psalmum 'Inclina domine,' trahendo tergendoque cum manu colligit marmoris rorem, exinde sepe perungens iam diu dolentis humeri partem. Quo facto, dextrorsumque progresso itidem perficiendo: gracias deo et sancto, manum extendit cum brachio sursum ab humero,

porrigitque retro, quod a natali domini nequiuerat vllo modo. Quod munus in eo gratissimum sancti, eadem die fratribus reuelauit.

De quadam muliere ab infirmitate, et filio suo a lippitudine curatis.

Hermannus. Quedam Gylindis nomine, in Suthfolchia commanens, sanctum requirit Edmundum pro sua magna necessitate — infirmabatur enim intrinsecus graui infirmitate; adducens secum paruulum filium nomine Otgerum, pacientem in oculis nimiam profusionem lacrimarum. Qui dum pedes pro sancti reuerencia ferme per xii miliaria peruenium[1] ad sanctum eius petentes suffragia: accubat mater infirma cum filio oculorum lippitudine grauato; orat hec pro infirmitate sua, merens et angens fortiter ad sanctum clamat Edmundum: 'Eya, sancte et gloriose martir Edmunde, ecce te requisiuimus de longe pedibus et cum angore: domine, miserere nobis,' deinde monet filium pro seipso ne desistat ab oracione dominica, quam pater suus nouiter eum docuerat. Complentes autem oracionem, et pauperem quam poterant oblacionem, descendunt in eadem villa sancti Edmundi ad hospicium propter pausacionis recreacionem; vbi paululum requiescentes: experti sunt dei donum, matre[2] facta sana, et filio ab inundacione lacrimarum curato.

¶ De vlcione capta in latronem, monilia rapientem de feretro sancti Edmundi.

Hermannus. Quidam miser[r]imus furto rapuit de lectica preciosi martiris Edmundi duo monilia, eidem operi fabriliter inserta. Que sceleris perpetracio dum ventilatur, circa sancti tumuli crepidinem fratres tocius congregacionis prosternuntur, septem psalmos psallentes, et vindictam latrocinii inprecantes. Set adhuc non exaudit deus vel sanctus quod congregacio deprecatur, donec simile latrocinium circa preciosum martirem iteretur, sicque dupplicatum mirabilius reueletur. Accedit[3] iterum latro et de scrinio martiris rapit monile de auro maius; verumptamen si maledictum repeti stropha, perpetratum non latebit anathema. Quod dum thesaurarius ecclesie percipit, de sacrilegio querelam facit cum sancto, quod ut manifestetur agit circa sanctum nocte dieque precando. Latro cum anathemate descendens ab ecclesia, petit in eadem villa diuerticula, et, ut postea captus retulit, monile furatum amouere nullatenus a se valuit. Heret cum latrone latrocinium, latro cum latrocinio ville sancti non valet exire terminum. Hoc perpetrato latro cum latrocinio, iterum petit ecclesiam ausu temerario, appropiat velud aliquis cum oblacione ad sacrum altare, ipsum deosculans nummum inde capit ore, iam tercio latrocinium perficit corde maliuolo. In eodem momento capitur ab assidentibus custodum ecclesie seruientibus; alapis ceditur, pugnis tunditur, nummus furatus ab ore proicitur. Deinde ad remota deducitur, quid super se gestet diligenter exquiritur, aureum

[1] MS. perueniunt peruenium. [2] MS. mater. [3] MS. accidit.

monile super eum inuenitur. Quod confitens qualiter rapuerit, ac de aliis quo deuenerint, latronem se palam fatetur et dicit. Sic captus verberibus afficitur, postque dimittendus cum cauterio velud reus cauteriatur, et a finibus illis eliminatur. Que facta populo die sollempni notificata, deo redduntur et sancto Edmundo laudum preconia.

De vlcione sumpta in Eustachium filium regis Stephani, seuientem in ecclesiam sancti Edmundi.

Ioh. Sar. in policratico li°. octauo. Anno domini Millesimo. C°lij°., Eustachius filius regis Stephani, qui in ecclesiam dei seuire consueuerat; cum omnia pro uiribus depopulatus esset, et terram beati Edmundi regis et martiris, cui omnes predones detulerant, videret opulentam; sibique non esset, consumptis opibus regni, vnde semel et secundo militibus era procederent — iam enim defecerant donatiua: predia iam dicte ecclesie sancti Edmundi depopulatus est, — nondum tamen digesserat cibum quem de facultatibus loci illius acceperat. Ipsaque die, antequam se domi sue reciperet que nimis vicina erat: tactus est martiris manu et letali morte percussus; die circiter octauo rebus cessit et vita.

De vlcione sumpta in Henricum de Estsexia.

Ex cronicis Iocelini[1]. Anno regis Henrici secundi decimo, floruit Henricus de Estsexia, qui inter primates regni vir magni nominis habebatur; genere clarus, armis conspicuus, et domini regis primipilarius. Cum igitur ceteri comprouinciales ecclesiam beati martiris Edmundi in rebus et redditibus ampliabant: ille non solum hoc clausis oculis preteribat, verum eciam vi et in iuris[2] iniuriam annuum redditum quinque solidorum abstraxit, et in proprios vsus conuertit. Processu vero temporis cum in curia sancti Edmundi ageretur causa de raptu cuiusdam virginis, accessit idem Henricus, protestans et asserens loquelam illam in curia sua debere tractari, racione natiuitatis eiusdem puelle, que in dominio suo de Layland nata fuerat. Cuius racionis pretextu curiam sancti Edmundi in itineribus et erumpnis et innumerabilibus expensis longo tempore uexare presumpsit. In hiis interim et consimilibus arridens ad votum prosperitas, perpetui subintulit causam doloris et sub fantasia iocundi principii tristes in eum moliebatur exitus. Insurrexit autem in eum Robertus de Montfort, nec genere nec viribus inpar, in conspectu principum terre dampnans et accusans eum de prodicione regis; asseruit enim eum in expedicione belli apud Walliam in difficili transitu de Coleshel vexillum domini regis fraudulenter abiecisse, et mortem eius sublimi uoce proclamasse, et in presidium eius venientes in fugam conuertisse. Henrico siquidem resistente et in concione obiecta penitus abnegante: ad corporale duellum processum est. Conuenerunt

[1] Cf. Jocelin de Brakelond Chron. in MS. Harl. 1005, ed. Camden Soc. 1840, p. 50. (A better MS., Vitellius D xv, is lost.)

[2] r. martiris? H vi et iniuriis et per iniuriam (!).

autem apud Radynges pugnaturi in quadam insula satis abbacie vicina; conuenit et gencium multitudo, visura quem finem res sortiretur. Et factum est cum Robertus duris et crebris ictibus viriliter intonasset, et audax precipuum fructum victorie promisisset: Henricus parumper deficiens circumquaque respexit, et ecce in confinio terre et fluminis vidit gloriosum regem et martirem Edmundum armatum tanquam in aere volitantem, et cum quadam uultus austeritate versus eum crebro capitis motu minas iracundie et indignacione plenas pretendentem; vidit et alium cum eo militem Gilbertum de Crouile, non solum quantum ad apparenciam gradu dignitatis inferiorem, verum eciam ab humeris et infra statura minorem, oculos indignantes et iracundos in eum conuertere. Hic ad preceptum ipsius Henrici vinculis et tormentis afflictus, diem clausit extremum in carcerem intrusus, occasione et accusacione vxoris Henrici, que propriam nequiciam in innocentem deflectens dicebat se peticiones precarias Gilberti de illicito amore non posse sustinere. Hos itaque timidus Henricus intuens, antiquum scelus nouum ferre pudorem recordatur, et iam totus desperans et racionem in impetum conuertens, inpugnantis, non defendentis, assumpsit officium. Qui dum fortiter percussit, forcius percussus est; et dum viriliter inpugnabat, virilius inpugnabatur. Quid multa? victus occubuit; et cum mortuus crederetur, ad magnam peticionem magnatum Anglie concessum est monachis eiusdem loci ut darent corpus eius sepulture. Postea tamen conualuit; et resumpto sanitatis beneficio, sub regulari habitu superioris cui labem detersit, et longam dissolute etatis ebdomadam vno saltem sabato curans venustare, studia virtutum in frugem felicitatis excoluit. ‖ Quodam tempore cum venisset abbas Radingiam, et quidam monachi eius cum eo: occurrit ei inter alios monachos loci predictus Henricus de Estsexia; qui nacta loquendi oportunitate, abbati et omnibus assidentibus narrauit qualiter uictus fuit in duello, et qualiter sanctus Edmundus, et ob quam causam, apparuit sibi comminando et ipsum confudit in ipsa hora pugnandi. Cuius narracionem Iocelinus audiens, in scriptis redegit.

De vlcione facta in Willelmum de Curzun.

Sampson[1]. REgnante rege Henrico secundo anno suo xiiij., miles quidam nomine Willelmus de Curzun, prenominati Roberti de Curzun successor, hereditatis sue redintegrande sollicitus archidiaconum pictauensem Ricardum adiit, qui tunc temporis ex regis imperio in Angliam precipuam exercuit potestatem. Archidiaconus igitur, ad sue cause com[m]odum prece siue precio inclinatus, de sue sortis iure capescendo a domino rege literas quales voluit impetrauit. Literarum autem summa hec fuit ut quecunque, vbicunque, quo[modo]cunque prefati militis predecessores tenuissent, eadem iuris successione sibi restituta et ipse teneret. Regio igitur armatus precepto, subnixusque archidiaconi patrocinio: prenominatam villam[2] que Suthwalde dicitur, glorioso martiri Edmundo antiquitus votiuo deuocionis munere peculiariter ascriptam[3]:

[1] Cf. Tit. f. 107[b]. [2] Tit. predium. [3] MS. ascriptum.

eo quod antecessores sui tempore turbate pacis violenta inuasione sibi vsurpauerant, ad suc sortis porcionem asseruit pertinere. Veniens igitur ad sanctum Edmundum, regis preceptum abbati proposuit, sine dilacione postulans sibi fieri restitucionem. Abbas autem inducias postulat, ut interim quid equitatis inesset calumpnie posset perscrutari. Quas cum ille dare recusaret, uotumque suum in proximo promoueri minime sensisset: ira tumidus minas intorquens, martiris parum deferens sanctitati, ad archidiaconum qui Londoniis morabatur iter conuertit, quasi de regii contemptu precepti ei querimoniam illaturus. Abbas vero priorem conuentus ad archidiaconum misit, qui rei veritatem pandit ei ex ordine, miraculum eciam quod olim virtus diuina in predicti calumpniatoris predecessoribus eandem villam inuadentibus in sui martiris vlcionem patrauerat, scriptum ostendit. Tandem impetratis induciis, prior ad monasterium remeauit. Miles vero aduersarius eodem die, quo et prior, ab vrbe digrediens, in itinere manifesta et subita vlcione martiris grauissima percussus inualitudine [1], vix ad hospicium apud Chelmesforde sibi preparatum delatus est. In crastino discedens, Colcestriam cum omni anxietate peruenit, ibique a monachis susceptus, protinus tam miserabili vexari cepit amencia vt non solum a sibi ministrantibus, verum eciam a coniuge propria relinqueretur; terribiles ergo gestus preferens arrepticii, omnibus qui aderant incuciebat horrorem. Panno igitur inuolutus, nexibus artissimis constrictus, summa fatigacione reluctancium vix potuit cohiberi. ¶ Hoc audiens abbas, priorem suum ad miserandum hominem destinauit, quatinus ei persuaderet, si redisset ad memoriam, vt se in martirem deliquisse reminiscens de perpetrata iniuria veniam postularet satisfaccionemque repromitteret. Veniensque ad eum, accepit ab assidentibus eum necdum memorandi recepisse facultatem; vnus autem de ministris prosiliens vadium pro domino suo priori optulit, condignam spondens emendacionem si sancti Edmundi miseracione de infirmitate conualesceret. Placuit ergo priori vsque in crastinum sustinere. Mane autem facto iterato veniens, audiuit eum tocius noctis spacio quieuisse, iamque facultatem intelligendi diuino munere recepisse. Hinc prior ad egrotum intromittitur: peccati immanitatem ei aperiens, suasit ad celerem festinare satisfaccionem. Ille vero monita salutis gratanter suscipiens: se nimis deliquisse recognoscens, postposita intencione calumpniandi veritum, promptus est [se] omni vite sue tempore beato martiri Edmundo sedulum exhibiturum famulatum.—Nec illud silendum est quod cum quidam predecessorum istius militis de hac eadem calumpnia aduersus ecclesiam sancti Edmundi litteras regias alia vice detulisset: dum hospitaretur in villa mandatum regis in crastino, si ei successisset, abbati ostensurus, in ipsa nocte iusta martiris sanccione superuenientes latrunculi omnia ipsius diripientes, litteras eciam ipsas inter cetera secum asportauerunt.

[1] Tit. valitudine.

Incipiunt miracula scripta ab Osberto priore Westmonasterii[1].

De quadam puella de Clare contracta et sanata.

TEmpore regis Henrici primi quedam puella de Clara, manibus ac pedibus cruribusque contracta, integrum sui corporis amiserat officium, nec aliquod vspiam preualebat reperire remedium. Ab amicis igitur suis ad basilicam sancti Edmundi delata, ab omni infirmitate conualescens sanitati restituitur, regisque gloriosi fulta patrociniis a cuntis molestie corporalis obstaculis reparata salute liberatur. Hoc miraculum retulit nobis monachus religiosus nomine Radulfus qui propriis oculis hoc vidit fieri, quique multis annis custos in ecclesia deuotus ad mauseolum regis extitit et multa alia athlete precelsi magnalia ab eo conspecta veraciter enarrauit. Eodem ordine nobis fere retulit renouatam salutem alterius puelle quam de Spaldynge parentes adduxerant ad beatum martirem: eandemque, quam ab altera, ab ista exclusit infirmitatem. Sic operatur dilectus noster et princeps sanctus Edmundus, candidus et rubicundus, quem et niuea integritas induit virginei corporis, et rosea circumdat laurea preciose passionis.

De paralitico sanitati restituto[2].

Osbertus de Clare prior Westmonasterii. IN possessione prouincie Lincolnie Rotlanda nomine, ruris cultor quidam extitit cui molestia paralisis[3] dimidiam corporis sui partem ademit. Quem asini sui vehiculo inponentes coloni possessionis illius et affines ad villam et ecclesiam de Beodricesuuorthe deducunt. Vbi cum venisset, ad beati Edmundi sepulchrum prouolutus exponit ei suppliciter membrorum suorum erumpnam, rogans ut sese oleo sue miseracionis delibutum preueniat, et rorem salutiferum membris penitus dissolutis infundat. Respexit igitur eum deus et Edmundus christus eius, et iuxta fidem eius et illorum qui eum adduxerant sospitati restituitur et incolumitati graciosius restauratur. Laudat itaque uir ille deum et insignem militem suum Edmundum, qui sibi remedium de celestibus contulit, quod fieri per hominem phisica denegauit.

¶ De muliere per triginta et duos annos ceca, illuminata.

Osbertus. IN quanta gloria spiritus sancti martiris Edmundi uiuat vbi cum Christo victor exultat, ad mortuum corpus eius miraculorum testatur frequencia, quo martiris interuentu stupens de sui reformacione miratur natura. Hoc affirmauit quedam femina Wintonie nata, per xxxij annos ceca, cui tanto tempore nil successit vnde salutem adquireret, vel recipere[4] iam vnde speraret. Frequenter miracula sancti

[1] Cf. MS. Tit. f. 126–145, where these Mir. continue the 2nd book of Sampson. That Osbert commences here, follows from the first words: In prouincia qua venerabile monasterium b. Edm. suorum illustrat splendor et gloria martyrum, oppidum quoddam Ciara dicitur, vnde *relationis mee series* sub testimonio veritatis *inchoatur*.

[2] MS. restitutus. [3] MS. paralesis. [4] MS. reciperet.

Edmundi regis audierat, eapropter ad ipsum confugere vel sero intendebat, sperans ab eo celitus aliquod subsidium optinere. Filiam ergo quam habebat interpellauit vt ad sanctum martirem eam duceret. Paruit genitrici parua[1] progenies, et conserto itinere mulier ceca sancto martiri presentatur. Secus locum sacri corporis oraciones exhibet, et impetratas a secretario sacras in nocte vigilias exercet. Anticipat deuocio mulieris pietatem regis et martiris: cum inter matutinales laudes lux noua cepit ei illu[ce]scere, et dies repentine claritatis sollemniter apparere. Quid plura? Recepto visu, cuntis in ecclesia festinanter innotuit quod eam[2] christus domini et martir Edmundus nouis sideribus illustrauit. Cuntis igitur Christus [meritis Edmundi] locum sepulture sue venerantibus aditum regni celestis aperiat.

De mercatore cui sanctus Edmundus furtiue surrepta restituit.

Osbertus. QUidam prediues vrbis Londonie mercator nomine Deormannus ad nundinas sancti Edmundi affuit et suas in foro gazas exposuit emptoribusque precio redimendas reliquit. Erant in nundinis custodes sui suis mercibus deputati, dum oraturus procederet ad basilicam beati martiris et regis Edmundi. Dum autem in cimiterio primum[3] tunc poneret ingressum: ne quis furtim precideret[4], manu propria crumenam accepit, que lapides cum moneta preciosos, aureosque ad valorem decem marcarum argenti continebat. Prostratus autem circa regis et martiris mauseolum, marsupio oblito suorum implorat indulgenciam delictorum. Huic quedam mulier rapacitate seuiens latenter appropiat, sectisque furtim loculis celeriter abiit et secum que rapuerat ethnica deterior asportauit. Manum deinde mercator ut oblacionem apprehenderet marsupio iniecit: set de suis nil loculis vspiam inuenit. Tunc ad egregium dei martirem conuersus cum dolore cordis ait: 'Cum apud te, princeps sancte, in tua orarem ecclesia, cur permisisti meam diripi pecuniam cruentis manibus impiorum? Cur secura coram te non fuit mea possessio, qui preciosa queque negocia tuo custodienda credidi testimonio? Cum in deliciis glorie positus facile possis ablata restituere, noli me, preciose dei martir Edmunde, spoliatis opibus defraudare.' Exiens igitur a templo peruenit ad ostium: vbi incautus manum suam inter pressuras populares super mulierculam posuit que furtim cum loculis gazas eius apprehendit. Et statim [euomit][5] vipera venenum quod biberat, confessa mercatori dampnum quod ingesserat. 'Ecce, inquit, heros illustris, quicquid surripui tuis est in loculis, nichilque de spoliis ablatis consumptum est; noli crimen meum publicando detegere, noli scelus initum, pro quo peream, diffamare!' Sic admissum luget flagicium, spondetque penitencie remedium. Abdita ergo sub amphibalo sublata protulit, et innoxia[6] propria viro restituit, sine aliqua porcione quantumlibet imminuta. Qui vehemencius obstupescens,

[1] Tit. prona. [2] MS. eciam. [3] MS. primo. [4] MS. prescideret. [5] om. [6] Tit. corr. to innoxio.

et deum collaudans, feminam indempnem abire permisit; ad beatum deinde regem Edmundum rediens laudum ei et graciarum immolauit preconia, suisque que facta sunt narrauit vniuersa. Hic postmodum domino docente ad seruitutem dei sub patrocinio sancti Edmundi se transtulit regularis vite exerciciis innormandum. Qui multis annis spirituale monachorum pertulit certamen, et Christo militans dies omnes vite sue in bona senectute conclusit.

De eo qui pecuniam domini sui amiserat, quam ei sanctus restituit.

Osbertus. Miles quidam suis contentus diuersoriis vltra Eboracum in prouincia que Coplanda nominatur, habebat [quoque] predia in Anglie partibus Orientalis. Eo seruiens eius uenit debitam domino reposcens pecuniam: eamque graui infortunio amisit impetratam. Cumque rediturus in itinere laboraret et exicialis fortune gemeret pressuram: quam multi ad sanctum regem et martirem Edmundum confluerent secum cepit retractare. Igitur ad sanctum ab itinere diuertit Edmundum, diuinum per eum petiturus auxilium. Antea tamen quam illuc veniret, per beatum martirem se propriis restitutum gauisus est spoliis. Ex quo, sancto libauit hostias digne deuocionis, et se sua sancti Edmundi meritis recepisse palam omnibus nunciauit.

¶ De muliere diuite a febribus per potacionem de cipho sancti Edmundi curata.

Osbertus. Quedam mulier diuiciis valde locuplex, diris uexata febribus lecto decubuit, et longeuo tempore crudeli passione laborauit. In qua cum omnis phisica deficeret, et curacionis opera nulla penitus preualeret[1]: post expensas perditas ad celestis medele se conuertit efficaciam. Didicerat a non nullis ciphum inpreciabilem beati martiris in ecclesia contineri, de quo si quis hauriret quem premeret infirmitas, mira ei cum potu rediret uiuacitas; ab antiquis eciam tradebatur diuulgatum, dum more princeps Edmundus imperaret regio, ex hoc nectar quodlibet sumministratum erat regi glorioso. Male potens itaque femina, fama sancte opinionis audita, paratis celeriter expensis ad locum properat in quo gloriosus princeps Edmundus incorrupta carne quiescit. Adorat in ecclesia iam dicta virago, suasque dei athlete representat excubias. Exponit deinde sue negocium molestie secretario, de cipho suppliciter postulans sibi propinari. Prelibans ergo potum de cratere regio, suis reliquum sociis liquorem tribuit: et sic statim ab infirmitate liberatur, gracias agens deo et sancto suo Edmundo martiri glorioso. Ad hospicium itaque rediens post salutare remedium, mense innititur copia multorum diffuse ferculorum; assidentque sibi collaterales duo milites, vnus habens coniugem, alter equestrem cum dicta femina mansionem. Torrens illum ignis adurebat libidinis qui vinculis astrictus tenebatur vxoris: infamis infames asciuerat sibi pelices, cum

[1] MS. preualerent.

quibus cum sepius frequentaret flagicium, subito in grauissimam incidit egritudinem. Cui contubernalis eques improperans ait: 'Merito sustines intollerabile supplicium, qui celebre coniugii violasti sacramentum: Regis et martiris insignem attigisti calicem indigne, vnde eius indignatam erga te minuisti maiestatem. Sed ut cito placare queas sanctum dei martirem, pronam illi deinceps pollicere seruitutem. Pathera namque preciosi regis cuius haustus infusio dominam nostram a mortis incom[m]odo liberauit, impenitenti tibi, ut uidetur, absque remedio carnis et spiritus geminatur detrimento. Aggredere itaque uias vite, et ad ipsius misericordiam tota cordis contricione et confessione perfecta confugias.' Audiens hec virago quam rex sanctus eruerat a mortis exicio, militis sui monitoris[1] vicibus uices adhibuit correpcionis; 'Age, inquit, penitenciam et[2] satisfacias illico maiestati diuine, quia leges confudisti coniugales, et datus adulterio dum excelsi martiris attigisti poculum, vlcioni subiectus vite tue formidas egressum. Ad sanctum te premoneo regem rediturum, et quem per incontinencie offendisti ludibrium, placare rursum studeas pura consciencia meritorum.' Cum licencia confestim accepta prout potuit ad sanctum martirem rediit, et digna ei confessione satisfecit. Quem beatus martir dupplicata sospitate, corporis et anime, diuina miseracione sanitati restituit. Persolutis igitur liberatori suo graciis, ad propria rediit, seseque deinceps honestis morum excerciciis copule coniugalis informauit.

De ydropico per potacionem de cipho sancti Edmundi sanato.

Osbertus. VIr quidam Donewici, morbo laborans ydropico, et de curacione totaliter desperans, rogauit ab amicis se posse presentari martiri precioso: sperans per haustum salutiferum cum deuocione de cipho eius preclaro sanitatem habere. Quo audito, amici sui gestatorium preparant, et virum intus debilem suauiter locant; ad domicilium regis adducitur, et ad mauseolum egregii sistitur principis[3], excubiis inuigilans digne deuocionis. Ex cipho regio haustum sibi postulat propinari, sperans in illo salubre celitus generari remedium, quod salutem contulisse nouerat incom[m]odis plurimorum. Ab administrantibus itaque ciphus ille porrigitur, et ab egro haustus salutaris sine dilacione gustatur. Quo degustato: mox ydropicus veneni maximam quantitatem euomit, ac in momento ventris illius grossitudo detumescit; aquosus humor ille deperit, et recenti cute redintegratus homo conualescit. Eadem enim hora qua ciphi gustum attigit, sese sensit celitus ex hoc incom[m]odo leuigatum. Libatis igitur regi regum eiusque glorioso martiri deuotis hostiis, ad propria cum amicis et vxoribus regreditur, et ab egritudinis molestia penitus liberatur.

De naufragantibus liberatis.

Osbertus. REligiose uite monachus nomine Radulphus cum feretro sancti martiris assideret de eiusdem obsequio sollicitus: tres uiros in oracione prostratos inspicit. Qui cum preces prolixius

[1] Tit. monitoriis. [2] Tit. enitere ut. [3] r. principis sistitur.

funderent, exurgunt, et[1] feretro labris inpressis, monachum sic alloquuntur: 'Nudiustercius marinis tempestatibus expositi fuimus in quibus beati Edmundi celerem probauimus magnificenciam. Horrendi procella discriminis seuiebat in equore, et intumescentes tempestatis vnde nauem irremediabiliter opprimebant. Nunc ad celum vsque puppis extollitur, et post [ad] abissum in modico reuocatur. Vnde spes vite tota defecerat, et letifera profundi Acherontis immersio cuntorum formidine mentes occupabat. Tunc vnus consodalis ait: "Sanctus Edmundus martir celebris et Orientalis Anglie rex illustris, innumeros ab vtraque morte consueuit liberare: cuius inuocandum in presenti periculo non diffidamus auxilium, ut ab angustia nos eruere mortis acceleret, et ad portum salutis introductos misericorditer conseruet." Hiis animati monitoriis[2], omnes beatum martirem ceperunt inuocare, dicentes: "O sancte Edmunde rex et martir gloriose, in presenti nobis tribulacione succurre! O potens et benigne princeps, nobis auxilium tue pietatis porrige, insignis triumphator Edmunde!" Inter has uoces orancium doloribus plenas, mira dei pietas et miranda martiris occurrit potencia: mare namque sedatur, celumque spirantibus a[u]stris noua cuntis rediit oportunitate serenum. Magnum igitur creuit in illa protinus sodalitate tripudium, iactisque fidenter anchoris: multiplicant noua recencium[3] sollempnia gaudiorum; et qui tam graue formidauerunt in salo naufragium, in solo per hunc solidum transferuntur ad portum. Hinc est quod tanto principi gracias et laudes reddimus, eique capita nostra submittimus, et munerum nostrorum libamina uotis supplicibus comportamus.'

De clerico desub undis maris per beatum Edmundum extracto et solide telluri restituto.

Osbertus. QUidam clericus de Licio campo[4] gloriosi pontificis Christi Cedde, coram senioribus in capitulo regis Edmundi retulit hoc miraculum de se ipso contigisse. 'Tendentes igitur Ierosolimam cum plurimi nobiscum nauem ingrederentur, et velis in equore prosperis portum sperarent salutis apprehendere: ex inopinato passi sumus omnes naufragium luctuosa tempestate. Et cum procella immanis ad abissum perdicionis inpelleret, et in mari quisque miserabiliter expiraret: ego superstes cepi sub vndis inestimabili tremore pallescere, et sanctum domini regem Edmundum sub mortis articulo crebris clamoribus inuocare. Et sicut de beato scribitur Nicholao quod nautis in mari clamantibus celeriter affuit, ita rex gloriosus et martir Edmundus michi naufraganti patrocinari non destitit, qui apprehensa cesarie capitis mei, super vndam maris traxit me ad arridam. Et cum a me vellet testis Christi recedere, hiis eum cepi denuo precibus inuocare: "Edicito, domine, quid de te michi liceat credere, et quid de tuis debeam auxiliis scissitantibus aliis intimare. Nomen tuum scire desidero, per quem a mortis nexibus ereptus respiro." "Ihesu Christi, respondit, famulus ego sum, Edmundus cuius implorasti pronus auxilium; mea te cognoscas in

[1] MS. et a. [2] MS. monitoris. [3] MS. recencia. [4] sc. Lichfield.

naufragio sedulitate saluatum."' Sic clericus sese liberatum misericorditer asseruit, sic per beatum regem Edmundum vite sibi redisse presidium constanter astruxit.

De quodam milite paralitico de Lindeseia sanato.

Osbertus. IN prouincia Anglie que Lindeseia dicitur, miles erat egregius qui precioso deuinctus erat Edmundo sedula seruitute. Hic toto corpore paralisi dissoluitur, et ineffabili langore absque remedio cruciatur; torquetur os eius, faciesque contrahitur, nec spes superest ulla consilii quo reparari ualeat alicuius medele inposicione. Dumque sub tantis quateretur pressuris: ex insperato diuine ei pietatis consolacio affuit ipsumque celitus subito confortauit. In hominis namque pulcher[r]imi tam forma quam habitu splendido nuncius quidam apparuit, et quomodo aut qualiter sese haberet diligenter inquisiuit. Cui infirmus pacienter respondens: 'Sicut placet, inquit, deo, grauibus vsquequaque molestiis et tormentis affligor: et si deo non displiceat, sospitatem obtinere desidero.' Accessit igitur angelicus heros et capud suum tetigit, eminencioremque sui corporis partem in hec verba solo tactu sanauit: 'Ad domicilium mansionis mee uelocius proficiscere, ibique ex integro sanitati donaberis amissamque status tui graciam consequeris.' Tunc ille: 'Quisnam, inquit, es, domine? aut que est habitacio tua ad quam me inuitare dignatus es?' Respondit: 'Ihesu Christi regis omnium me seruum Edmundum oportet noueris, a quo beneficia uite vtriusque consequeris.' Hiis et huiuscemodi a summi regis nuncio peroratis, sanctus Christi martir euanuit; et languidus ille suam pre gaudio vocauit vxorem, eique retulit optate promissionis uotum et seriem, visitacionem gloriosi regis exposuit et capud vexatum cruciatibus sanatum ostendit. Gauisa mulier et spe superne sponsionis animata, feretrum preparauit vt ad preciosum martirem dei suum velociter deportaret virum. Dumque viator cum vxore inualidus adhuc ex diutina langueret egritudine, in Hoylandie prouincia curriculo aduectus caballario sumpsit hospicium, in crastino ad martirem profecturus gloriosum. Pernoctans autem eo, cum nec de promisso diffideret nec adhuc ex toto sanitate gauderet, in ea nocte adeo penitus conualuit aegsi nullam passus fuisset infirmitatem. Surgens autem mane cum se conualescere sentiret ex integro, equum ascendit et iter suum ad sanctum Edmundum acceleraut. De duobus quidem quibus aduectus fuerat equum vendidit alterum, regique precioso secum detulit precium. Coram senioribus uero ex ordine retulit, quam misericorditer eum ineffabilis dei clemencia per beatum regem et gloriosum martirem Edmundum a tanti langoris incom[m]odo liberauit.

De monacho Salopie ab estu febrium et ydrope liberato.

Osbertus. QUidam religiose uite monachus de Salopia estu febrium laborabat, nec aliquam medicinam reperire poterat. Monetur tandem a medicis vt ingrediatur aquam in balneo calidam cum hora immineret angustie, et hoc sibi adhiberet remedium. Cum autem huiusmodi frueretur consilio, membra penitus intumuere genitalia, vbi

calidas ingressus est aquas in anxietate sua. Et noxius humor ydropicus adeo totum corpus eius infecerat, quod cuiuscumque sibi medele remedium vlterius desperabat. Cui de funeris acceleracione sollicito, beatus apparuit Edmundus in venusta specie formaque precellenti, extensaque manu exhibuit gladium aureis vt videbatur litteris hiis verbis inscriptum : 'Hec est victoria qua mundum vicit Edmundus.' Cumque legisset martiris imperio quod in militari ferro diuina virtute resplenduit, loca corporis infirmiora regalibus digitis princeps insignis diligenter attrectauit. Et statim ex membris omnibus toxicatum uirus cepit effluere, adeo ut tamquam in momento totus videretur sospes et incolumis, qui paulo ante tam densis afflictus quatiebatur pressuris, et apud homines uidebatur incurabilis. Valuit ei sepius frequentata sanctissimi nominis Edmundi memoria, propter quod ei dignatus est tam clementer assistere, et tot ac tantis fatigatum cruciatibus celestis opere curacionis releuare. Sic itaque recepta sospitate suam properat ecclesiam curatus hillariter reuisere, et quantam in illo sit operatus misericordiam, lacrimis attestantibus atque suspiriis, veritatis et fidei relacione propalare.

De Geruasio monacho cluniacensi a febribus quartanis per potacionem de cipho sancti Edmundi curato.

Osbertus. Monachus quidam cluniacensis nomine Geruasius, in conuentu sancti Saluatoris trans flumen [in] Londonie suburbio moram trahens, quartanis febribus adeo cruciabatur ut [1] totus in se pene deficeret, et vltimum fere spiritum exalaret. Mater igitur illius in ciuitate predicta commanens, a quodam milite didicerat antidotum [2], diurnis incom[m]oditatibus suis velocius profuturum. Hic enim miles de cipho sancti Edmundi regis et martiris semel biberat, vnde a febribus mox conualuit integre redditus sospitati. Religiosus igitur vir premonicione matris ad ecclesiam sancti martiris iter accelerat. Ad paternum ergo veniens equo subuehente quoddam predium, in itinere aliud maximum sui corporis incurrit detrimentum. Humores namque noxii ad renes confluxerant, et compagem tocius corporis vno miserabiliter in loco deprimebant. Hiis itaque geminis afflictus in paterna domo molestiis trium ebdomadarum implet curriculum, baculo sustentans debile corpus tot anxietatibus fatigatum. Appropinquante autem gloriosa festiuitate sancti Edmundi, frater languidus patri suo conqueritur de miseria qua premitur, et quod tante festiuitati non intersit magnis suspiriis lamentatur. Deliberat ergo penes se, aut curru uectus aut quoquo modo si fieri ualeat, equo suauiter incedente, ad diem sollempnem cicius properare. Veniens igitur ad monasterium sancti Edmundi, in sacris a senioribus suscipitur vigiliis, et ad cellam infirmorum subportatus, strato sibi cubiculo, in eodem collocatur. Ad ecclesiam progredi non potuit, set in cella prefata beati regis clemenciam exspectauit. Recordatus autem negocii pro quo venerat, propinari sibi festinancius haustum de cipho inpreciabili sancti regis Edmundi deuotus implorat. Quo audito, seniores ciphum de thesauro regalis domicilii deferunt, eumque haustu salubri potatum spe fidei sane

[1] MS. et. [2] MS. antidodum.

meliorandum repromittunt. Ex insperato igitur eadem nocte conualuit, et qui gemina grauatus infirmitate ad sanctum venerat Edmundum, integram professus est in crastino se recepisse sanitatem.

De conuersione cuiusdam militis, qui de salute anime desperauerat.

Osbertus. AD laudem dei aliud innectitur miraculum de quodam milite qui multis erat terris terrarumque possessionibus locuples et sicut in externis longe prouinciis sic apud Anglos diues possessor Orientales, set tot criminibus et illecebrarum voluptate carnalium depressus erat, quod iam de conuersione desperauerat. Iamque adeo pessima peccandi inualuerat consuetudo, vt nulli pre verecundia peccata sua detegere, neminique confitendo auderet ea denudare. Tandem in se reuersus, oculisque misericordie dei respectus: 'Heu, inquit, quam multos sanctus dei martir Edmundus sanat in corpore, qui cotidie videntur de carnis vita desperare! Et quanto plus est animam resuscitare a peccatis, quam vitam membris reddere mortuis, tanto maior sanctorum predicabitur gloria, si mortuam in criminibus animam retraxerint a culpa. Ego itaque qui peccatis meis exigentibus grauiore mortis vrgeor discrimine quam alter quilibet[1] corpore mortuus, ad sanctum dei martirem Edmundum non tardabo percurrere, et ab illo remedia anime mee postulare. Sicut enim claudos sanat et cecos illuminat et demonibus imperat, sic meo succurrere potest incom[m]odo et animam meam a dampnacione liberare.' Hec secum loquens, iter suum ad basilicam sancti Edmundi accelerare festinat. Et cum venisset ad locum, cum maximo ingressus est tremore monasterium. Peccatorum namque suorum recordacio eum reddebat pauidum, quia timebat ne quid sibi deterius contingeret si tot criminibus obnoxius sancti illius loci tabernaculum intraret. Spe tamen bona et vere credulitatis fide concepta, audacter ingreditur, et ante sepulcrum gloriosi martiris et regis Edmundi prostratus, noxam sui criminis gemebundo corde confitetur: et rogat toto corde vt facta confessione, secura sibi redeat consciencia, et deinceps ab iniquitate resurgat et vitam suam in bonum commutet. Dumque huiuscemodi lamentis et oracionibus miles peccator instaret: ita eum diuine pietatis gracia ab opere nephario custodiuit, vt nullam postmodum incurreret intemperancie aut voluptatis corporee leuitatem. Dicant alii de excellencia miraculi quod senciunt: ego autem maius existimo quod animam resuscitauerit beatus martir Edmundus ab operibus mortuis, quam si corpus resurgere faceret a dolore mortis.

Expliciunt extracta de miraculis sancti Edmundi scripta[2] *ab Osberto priore Westmonasterii.—*

Hic debet scribi consequenter miraculum de Eustachio, cum duobus sequentibus, ut miraculum de cipho sancti Edmundi.—

[1] MS. qualibet. [2] r. scriptis.

Ex cronicis Iocelini[1]. ANno domini M°. C°. [lxxx.] xviij°. voluit gloriosus martir Edmundus terrere conuentum suum et docere ut corpus eius reuerencius et diligencius custodiretur. Erat quidam ligneus tabulatus inter feretrum et magnum altare, super quem duo cerei solebant stare et ardere; solebantque sepius cerei cereis, noui veteribus, turpiter inseri et indecenter coniungi. Erant autem sub tabulatu illo multa superflua reposita, et quicquid veniebat in manibus custodum ibi reponebatur: ostio et parietibus ferreis existentibus. Cum ergo dormirent custodes nocte translacionis sancte Etheldrede: cecidit, vt credimus, pars cerei coniuncti iam combusti super predictum tabulatum pannis opertum, et cepit omnia proxima que supra et subtus erant accendere, ita quod parietes ferrei[2] igne candescerent. Et ecce furor domini, set non sine misericordia. Eadem enim hora cecidit orologium ante horam matutinarum: surgensque magister vestiarii, hec percipiens et intuens, cucurrit quam tocius et percussa tabula tanquam pro mortuo, sublimi voce clamauit dicens: 'Feretrum est combustum.' Fratres igitur accurrentes, flammam inuenerunt incredibiliter seuientem, et totum feretrum amplectentem et non longe a trabibus ascendentem. Iuuenes ergo propter aquam currentes quidam ad puteum, quidam ad horologium, quidam cucullis suis impetum ignis cum magna difficultate extinxerunt, et sanctuaria quedam prius diripuerunt[3]. Cumque frigida aqua super frontem feretri funderetur, ceciderunt preciosi[4] lapides et quasi in puluerem redacti sunt. Claui autem quibus lamine argentee configebantur feretro, exiliebant a ligno subtus combusto ad spissitudinem vnius digiti, et pendebant [lamine] sine clauis vna ex altera. Aurea quidem maiestas in fronte feretri cum quibusdam lapidibus remansit firma et intacta, et pulcrior post ignem quam antea, quia tota aurea fuit. Contigit eciam, volente deo, tunc temporis magnam trabem que solebat esse vltra altare sublatam [esse], ut noua sculptura repararetur. Contigit et crucem et Mariam et Iohannem, et loculum cum camisia sancti Edmundi et philacteria cum reliquiis, que ab eadem trabe pendere solebant, et alia sanctuaria que super trabem steterant, omnia prius esse sublata: allioquin omnia combusta essent, vt credimus, sicut pannus depictus combustus fuit qui in loco trabis pendebat. Set quid fieret si ecclesia tunc cortinata fuisset! Cum ergo securi essemus quod ignis in nullo loco perforasset feretrum: rimas et foramina si qua essent attentissime inuestigantes, et omnia frigida esse percipientes, mitigatus est in parte dolor noster. Set ecce clamauerunt quidam ex fratribus cum magno eiulatu, ciphum sancti Edmundi esse combustum. Cumque plures hinc et inde quererent lapides et laminas inter carbones et cineres: extraxerunt ciphum omnino inuiolatum, iacentem in medio magnorum carbonum qui iam extincti erant, et inuenerunt eundem ciphum inuolutum in panno lineo set semiusto; pixis vero quercina in qua ciphus de more ponebatur, combusta erat in puluerem, et sole ligature ferree et sera ferrea inuente sunt. Viso itaque miraculo, omnes lacrimati sumus pre gaudio. Maiorem ergo partem frontis feretri

[1] Cf. Joc. de Brakelond Chron. p. 78. [2] MS. ferri. [3] MS. dirupuerunt. [4] *al.* om.

excrustatam uidentes, et turpitudinem combustionis abhorrentes: de communi consilio, accersito clam aurifabro, laminas coniungi fecimus et apponi feretro sine dilacione, propter scandalum; vestigia quoque combustionis cera vel alio modo cooperiri fecimus. Set teste euangelio 'nichil opertum quod non reuelabitur.' Venientes summo mane peregrini oblaturi, nichil combustionis perceperunt: quidam tamen circumcirca intuentes, querebant vbi fuit ignis quem circa feretrum esse[1] iam audierant. Cumque celari non potuit, responsum est querentibus, candelam cecidisse, et tria manutergia fuisse combusta, et ad ignis ardorem lapides quosdam in fronte feretri deperisse. Fingebat tamen fama mendax capud sancti esse combustum, quidam autem dicebant capillos tantum esse combustos: set cognita postmodum veritate, obstructum est os loquencium iniqua.—Hec omnia facta sunt prouidente Altissimo, ut loca circa feretrum sancti sui honestius custodire[n]tur, et ut propositum abbatis cicius et sine dilacione debitum finem sortiretur, videlicet vt ipsum feretrum cum corpore sancti martiris gloriosius et securius in loco eminenciori poneretur. Quia antequam hoc predictum infortunium accidit, iam crista[2] feretri vsque ad medietatem facta fuit, et lapides marmorei ad eleuandum et sustinendum feretrum ex parte magna parati et politi fuerant. Audito hoc infortunio: valde dolebat abbas qui[3] tunc absens erat; et veniens domum, et capitulum intrans, hec et consimilia et eciam maiora pericula dixit posse euenire propter peccata nostra, et maxime propter murmuraciones de cibo et potu. Quidam enim monachus noster, religiosus valde, modico tempore precedente per visionem vidit quod sanctus martir Edmundus videbatur extra feretrum suum iacere et gemendo dicere se pannis suis exspoliatum, et macilentum[4] esse fame et siti, et suum cimiterium et atria ecclesie sue necligenter et inhoneste custodiri. Et hoc sompnium abbas exposuit hoc modo: 'Sanctus Edmundus nudum se asserit quia pannos vestros ueteres subtrahitis nudis pauperibus, et inuiti datis quod dare debetis, et de cibo et de potu similiter murmuratis. Desidia eciam et necligencia sacriste et sociorum eius patet ex recenti infortunio combustionis que fuit inter feretrum et altare.'

Qualiter Sampson abbas corpus sancti Edmundi [tetigit] et vidit incorruptum[5].

Ex cronicis Iocelini. IGitur appropinquante festo sancti Edmundi anno supradicto, politi sunt lapides marmorei, et parata sunt omnia ad eleuacionem feretri. Celebrato igitur die festi vj. feria, sequente die dominica indictum est triduanum ieiunium populo, quibus et ostensa est publice causa ieiunii. Abbas autem predixit conuentui vt se prepararent ad transferendum corpus nocte proxima post ieiunium, et ad transferendum feretrum et consistendum super magnum altare donec machina cementaria perficeretur; et tempus et modum prefixit ad tale opus. Cum ergo venissemus illa nocte ad matutinas:

[1] *al.* fuisse. [2] This crest is depicted in the Harl. MS. of Lydgate's S. Edmund. [3] MS. quia. [4] MS. maculentum. [5] Sampson was abbot 1182–1211.

stetit magnum feretrum super altare vacuum intus, ornatum coriis albis ceruinis sursum et deorsum et circumcirca, que affigebantur ligno clauis argenteis, et panellus vnus stetit deorsum iuxta columpnam ecclesie; et sanctum corpus adhuc iacebat ubi iacere solebat. Percantatis laudibus, omnes accessimus ad disciplinas suscipiendas. Quo facto: vestiti sunt in albis Dompnus abbas et quidam cum eo, et accedentes reuerenter et deuote, festinabant detegere loculum. Erat autem pannus lineus exterius qui loculum et omnia cetera includebat, qui quibusdam ligamentis suis desuper ligatus inuentus fuit; postea quidam pannus sericus[1], et postea alter quidam pannus lineus, et postea tercius; et ita tandem discoopertus est loculus, stans super ligneum alueolum ne ipse loculus a lapide marmoreo lederetur. Iacuit super pectus martiris affixus loculo exterius angelus aureus ad longitudinem pedis humani, habens ensem aureum in vna manu, et vexillum in altera; et subtus erat foramen in operculo, ubi antiqui custodes martiris solebant manus inponere ad tangendum sanctum corpus. Et erat versus superscriptus ymagini: 'Martiris ecce zoma Michaelis seruat agalma.' Erantque anuli ferrei ad duo capita loculi ad portandum, sicut solet fieri in cista norensi. Subleuantes ergo locu[lu]m cum corpore portabant vsque ad altare: et inclusus [est] loculus in feretro stante super altare, panello apposito et coniuncto. Sequenti die dixit abbas se habere in uotis uidere patronum suum, et se uelle sibi associari sacristam et Walterum medicum ad inspeccionem, et alios xij fratres deuotos et qui fortes essent ad portandos panellos feretri, et prudentes essent ad eos coniungendos et disiungendos. Et nominati sunt duo capellani abbatis, et duo custodes feretri, et duo magistri de vestiario, et alii sex fortes et deuoti. Dormiente ergo conuentu, uestiti sunt illi xij in[2] albis, et extrahentes loculum de feretro portauerunt illum, et ponentes super tabulam iuxta antiquum locum feretri, parauerunt se ad disiungendum operculum, quod coniunctum et confixum erat loculo xvj clauis ferreis longissimis. Quod cum difficultate fecissent: iussi sunt omnes longius abire, preter duos prenominatos. Eratque loculus ita repletus sancto corpore et in longitudine et in latitudine, quod vix posset acus poni inter capud et lignum, vel inter pedes et lignum: et iacebat capud vnitum corpori, aliquantum leuatum paruo ceruicali. Abbas autem intuens cominus, inuenit prius pannum sericum velantem totum corpus, et postea pannum lineum miri candoris; et super capud pannum paruum lineum, et postea alium pannum paruum sericum et subtilem tanquam hoc esset velum alicuius sanctimonialis femine. Et postea inuenerunt corpus inuolutum lineo panno. Et tunc demum patuerunt omnia liniamenta sancti corporis. Hic restitit abbas, dicens se non esse ausum vltra procedere vt sanctam carnem nudam uideret. Accipiens ergo caput inter manus eius, gemendo ait: 'Gloriose martir sancte Edmunde, benedicta sit illa hora qua natus fuisti. Gloriose martir, ne vertas michi in perdicionem audaciam meam, quod te tango peccator et miser;' tu scis deuocionem et intencionem meam.' Deinde tetigit oculos, et nasum valde grossum et valde eminentem, et postea

[1] MS. cericus. [2] *al.* om.

tetigit pectus et brachia, et subleuans manum sinistram digitos tetigit, et digitos suos posuit inter digitos sanctos. Et procedens, inuenit pedes rigide erectos, tanquam hominis hodie mortui; et digitos pedum tetigit et numerauit. Datumque est consilium ut ceteri fratres uocarentur et miranda uiderent: et venerunt sex vocati, et sex alii fratres cum illis, qui se intruserunt sine assensu abbatis; et corpus sanctum videbant. Quorum vnus nomine Thurstanus Paruus solus manum apposuit et pedes sancti tetigit et genua. Et ut esset copia testium, disponente Altissimo vnus ex fratribus nostris, Iohannes de Dice, sedens supra testitudinem ecclesie, cum seruitoribus de uestiario, omnia ista euidenter uidebant. Hiis factis: affigebatur operculum loculo eisdem clauis et totidem, et simili modo, vt prius, cooperto martire eisdem pannis et eodem ordine sicut prius inuentus fuit. Et postea collocatus est loculus in loco solito: et positus est super loculum, iuxta angelum, furulus quidam sericus, in quo reposita fuit s[c]edula anglice[1] scripta, continens quasdam salutaciones Aielwini monachi ut creditur, que s[c]edula prius fuit inuenta iuxta angelum aureum quando loculus detegebatur. Et iubente abbate statim scriptum fuit et aliud breue, et in eodem furulo reconditum, sub hac forma verborum: 'Anno ab incarnacione domini M°. C°. [lxxx] xviij° abbas Sampson tractus deuocione corpus sancti Edmundi uidit et tetigit nocte proxima post festum sancte Katerine, hiis testibus'—et subscripta sunt nomina monachorum xviij. Inuoluerunt autem fratres loculum panno lineo satis apto, et posuerunt desuper pannum sericum preciosum et nouum, quem Hubertus archiepiscopus cantuariensis eodem anno obtulerat; et quendam pannum lineum dupplicatum ad longitudinem loculi proximum lapidi, ne loculus vel alueolus eius posset ledi a lapide. Et postea portati sunt panelli et decenter coniuncti in feretro. Cum autem veniret conuentus ad matutinas cantandas, et ista perciperent[2]: doluerunt omnes qui[3] hec non viderant, intra se dicentes: 'Male seducti sumus.' Cantatis autem matutinis conuocauit abbas Conuentum ante magnum altare, et ostendens eis breuiter rem gestam, allegabat quod non debuit nec potuit omnes ad talia conuocare. Quibus auditis: 'Te deum laudamus' cantauimus, et ad campanas in choro resonandas properauimus. Quarto die sequente custodes feretri et custodem sancti Botulphi deposuit, nouos substituens, et leges eis proponens vt sanctuaria honestius et diligencius custodirent. Magnumque altare quod prius concauum erat, ubi sepius quedam indecenter reponebantur, et spacium illud quod erat inter feretrum et altare, solidari fecit lapide et cemento, ne aliquod ignis periculum fieri possit per necligenciam custodum sicut prius, iuxta dictum sapientis: 'Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.'—

Incipiunt miracula excerpta de paruo quodam antiquo quaterno ad feretrum.

¶ De naufragantibus liberatis.

VIce bina bino, etsi longe diuerso, naufragii periculo inter procellas fluctuum marinas a Normanensium parcium confinibus vsque

[1] MS. angelice. [2] *al.* perciperet. [3] MS. quia.

Angliam remeantibus Edmundi gloriosi famulis, Edmundi suffragia conclamantibus, misericorditer affuit virtus, et salubriter patuit salus. Vere, inquam, longe diuersum, etsi mortis idem vel consimile periculum. Quippe hii feruentibus uentorum flatibus, imbribus irruentibus, fluctibus seuientibus, nunc nubibus noctis obscuritate, nunc profunditate marina rapti periclitabantur. Ruptis funibus et uelis male scissis, puppes fluctibus mortiferis latera ponunt. Heu dolor, heu gemitus! omnibus vna mors sola patet. O quociens Edmundus conclamatur, quociens serui dominum suum sanctum Edmundum inuocant. Nec tardat, set et videbatur, et pius presto suis patet; illico adiuuat et potenter eos saluat. Vice vero alia mari eodem in medio, vento diucius cessante, estatis ardore, tum sitis arriditate, tum longiturnitatis fame fetorisque putredine naute quidam cum sanctissimi Edmundi famulis nimium cruciati, ac vita desperati, inuocabant Edmundumque sanctum conclamabant. Inuocatus affuit, liberauit et eos dei gracia saluauit.

De vlcione capta pro festo sancti Edmundi non obseruato.

Quidam agricola de Depynge pro uite necessariis corporei laboris uires uirtuosa protelacione vexare[1] studuit, at modum excedens, uix uel nunquam in festo sancti Edmundi cessare voluit ab opere manuali. Lumine igitur uultus interioris cecus, exterioris visus luce, multo minus ualentis, iure priuatur digniusque cassatur. O dolor, o planctus! eius proles, eius vxor complangunt, plorant et ululant. Hec inter, sacerdos precatus adest, consulit et hortatur vt cecus sanctos dei martires Edmundum et Thomam archiepiscopum petat et repetat, et petitos credat sibi salutem impetrare. Cecus igitur, et amici eius cum eo, post octo dierum reuolucionem sanctissimo et integro corpori sancti Edmundi appropiantes, orant, supplicant, et munera offerunt, feretroque hac et illac oscula figunt. Quod monachi more solito duo assidui ibidem concernentes, sub corpore sancto cecum inclinari more infirmorum ortantur atque compellunt. Inclinans igitur [se] demittit, supponit, supplicat et orat: et post modicum tempus exclamans ait: 'Dei gracia uideo, dei graciam conspicio, sencio dei clemenciam in dilectissimo suo sancto Edmundo.' Ceco illuminato, multi mirantur et accurrunt viri religiosi, enixius certificari student, vt fide percepta maturius et plenius sub tali miraculo deum laudare queant. Igitur qui eum adduxerant parentes et vicini, tactis sacrosanctis euangeliis iurando eum fuisse cecum, et per merita sancti Edmundi illuminatum, affirmant et contestantur. Contigit hoc miraculum tempore Hugonis abbatis.

De vlcione capta in puerum cachinnantem.

Cuiusdam filius confinis martiri diuitis et egregii, pueriliter de sancti Edmundi actis sepe cachinnans: ut mentis ocello cecus, ita vlcione condigna lumine oculorum suorum priuatur. Tandem deuocius exoratus Edmundus et multimodis veneratus puero ceco visum restituit et incolumem doccioremque restituit.

[1] MS. vexari.

De puella eliensi muta et sanata.

PUella quedam eliensis lingue sue modulacione priuatur, lingue regimine alienatur, vix uocis obmutescentis exalacio retinetur; sicque muta prorsus facta diucius siluit. Tandem mater eius admonita gloriosissimo regi et martiri Edmundo eam adducit. Et quia genitricis genita minus supplicare potuit, pro genita genitrix deuocius supplicat et orat, assistentesque precatur quatinus pro nata muta presenti ad deum in sancto suo, et ad sanctum in deo suo, suppliciter intercedant. Quibus orantibus: clamat et exclamat subito muta, non utique muta set meritis sancti colloquens puella; inter ceteros quoque pro eadam orantes orat, et inter precantes precatur. Hoc igitur miraculum operatus est deus in sollempnitate sanctissimi confessoris sui Iurmini, per merita gloriosi regis et martiris sui Edmundi.

De uoto militis lincolniensis et vxoris[1] eius pro prole habenda.

VIdimus oculis et auribus nostris audiuimus ecclesiam sancti Edmundi quondam militem valde deuotum intrare, et sponsam eius formosam cum filio suo et vnico cliente subsecutam. Qui facta oracione custodes feretri et alios monachos assistentes sibi affatur: 'O dilectissimi et sancte religionis viri, lincolniensibus egoque vxor[2] mea confinibus nati et educati, lege coniugali septem annorum repeticione vitam adinuicem produximus, set quia prolem non genuimus, votum deo vouimus tota cordis intencione vt si deus nobis concederet prolem generare, nosmet ipsos omnino corpore et anima et prolem pariter seruituti[3] dei et sanctissimi martiris Edmundi omni tempore vite nostre subdi, humiliari, eorumque voluntate finiri. Dei gracia exaudita est oracio nostra: dei gracia nosmet ipsos et filium nostrum miraculose nobis donatum deo et sanctissimo Edmundo offerimus, rogantes quatinus deum et sanctum eius Edmundum pro tanto miraculo collaudare velitis et glorificare.'

De canonico et eius parentibus ab infirmitate sanatis.

IOhannes quidam canonicus sancti Oswaldi de Leicestria cum patre et matre, set et alii de stirpe sua, pariter egrotauerunt vsque ad mortem. Quocirca medicorum cura in quantum potuit laborauit, victaque tandem, nobiscum (!) eciam victis, succubuit et puduit. O pudor, o gemitus! quid ualet hic medicus? Nulla igitur via salutis auxilii humani patente, uitaque vix remanente, uota uouerunt deo et sancto suo gloriosissimo Edmundo pro salute optinenda: quam maturius et celerius uoto facto dei gracia obtinuerunt. Qui postea cum omni deuocione et cordis contricione tum precibus tum precio uota persoluentes ad sanctum Edmundum accesserunt, orantes vt dei et sancti Edmundi miraculum in eorum maturata et patenti sanitate manifestetur et multiplicetur. Siquidem totus conuentus audito miraculo deum in sancto suo Edmundo laudabant et glorificabant, nec cessabant die ac nocte in sancto Edmundo et omnibus operibus suis eum laudare, in secula seculorum.

[1] MS. et de vxore. [2] = ego vxorque. [3] MS. seruituri,

Quod admonicione et reuelacione sancti Edmundi fit per paludem via ad sanctam Etheldredam in Ely.

Ex cronicis de Ely. TEmpore Heruei episcopi eliensis, sanctus Edmundus colono cuidam ville de Exninge in uisu apparuit atque suscitans hiis eum verbis alloquitur, dicens: 'Vir bone, que dico diligenter attende, et que tibi iubentur efficaciter comple: et surgens ad episcopum de Ely properanter ascende, eique meo nomine dices quatinus michi paret viam qua[1] dominam meam beatam Etheldredam adire queam.' At ille mox in Ely sicut iussus fuerat ad episcopum festinauit, et mandatum quod a beato Edmundo acceperat illi denunciauit. Qui ut talia audiuit, pre gaudio fleuit; et si forte valeat hoc impleri a pluribus inquisiuit. Set cum negocium multis com[m]odum suscipere nemo presumeret: eliensis ecclesie monachus quidam Iohannes nomine accedens, natura, verbo et uultu simplicissimus, coram episcopo optulit se dicens opus hoc velle incipere, et cum dei adiutorio posse perficere asseruit. Qui statim iussus ab ipso episcopo a terra de Saham cepit metiri, atque arundinetum in viam sternere; alueos eciam fluminum ponticulis cinxit: sicque uir ille deo dilectus in breui proficiens, opus celitus prouisum expleuit et per inuia paludum vsque in Hely uiam semite fecit, mirantibus cuntis ac deum, sanctum Edmundum et sanctam Etheldredam benedicentibus.

De rustico miraculose a vinculis liberato.

QUidam clericus de Geddinge nomine Herueus, sepissime contra iura sancti Edmundi vsurpans et mala ingerens nouaque opponens et imponens, homunculum quendam iuris et hominii[2] sancti Edmundi rapuit, flagellauit, vinculis ferreis inposuit, noctibus diebusque cum austeritate retinuit diuciusque detinuit. Cui tandem sanctus Edmundus nocturno tempore apparuit, dicens: 'Eya rumpe moras, surge cito: dissoluta namque sunt vincula pedum tuorum ferrea; comproba quia soluta, igitur comporta. En ego Edmundus tuus, en egomet; palpa et uide vincula tua et comproba; surge et accelera.' Hic igitur dolore confectus tandem palpauit, et solutum se sensit; letusque exilit, cucurrit cicius, nec vsque ad corpus sanctissimi Edmundi cursum retinuit. Cuius presencie astans, uoce sublimi profert et ait: 'O Edmunde bone, o Edmunde pie, laude mirabili digne, tu michi vincto vinculis hiis ferreis nocte hac vltima apparuisti, locutus fuisti, vincula soluisti, cum quibus ut tibimet confugerem commonuisti et precepisti. Rex mi gloriose et Christi martir inuictissime, tibi laudes refero, tibi gracias ago, et in Christo te adoro. Hec igitur vincula ferrea a te soluta, ad honorem laudemque dei, et tibi domine meo regi, in conspectu tocius ecclesie suppliciter appono et offero.' Exiliunt igitur hac et illac viri Religiosi, et alii circumstantes, inspiciunt et scrutantur. Quibus subtilius scrutantibus, rei veritas innotuit, propalatur et manifestatur. Hec inter fama circumuolat, clericique predicti Heruei tetigit aures. Qui stupefactus cucurrit, vinctum que-

[1] MS. quam. [2] r. dominii?

siuit, locum vacuum repperit, se derisum intumuit ac doluit: statimque clientem iuuenem equo velocissimo pro veritate scienda ad sanctum Edmundum dirigit et transmittit. Qui veniens ad locum et ecclesiam intrans, vinctum ibidem set solutum dei gracia, conspicit et miratur, laudantes circumquaque audit et uidet, et vincula ferrea cognoscit. Timet siquidem et silet, verecundiaque repulsus domum redit, et que vidit domino suo narrat. Clericus igitur sic conuictus, dei gracia redit ad cor, exurgit, equum ascendit, et hac et illac amicis eius coeuntibus, oracionis iter aggreditur; et presencie sanctissimi regis Edmundi appropiat, genua flectit, offert et orat. Tandem patenter satis se humilians et rehumilians, una cum homunculo soluto et cum tota ecclesia super audito et viso miraculo gratulatur, et deumque suum[1] Edmundum laudat et magnificat. Magnificetur igitur et multiplicetur sancti Edmundi gloria, laus, virtus et memoria, in secula seculorum.

De morte predancium, et de duobus incarceratis per sanctum Edmundum et sanctum Thomam a uinculis liberatis.

In Henrici regis tempore dimicacio magna et miranda inter ipsum et filios suos, reges Gallie et Scocie, comitem Flandrie, et comitem Hugonem Bigoth, et alios comites et barones exorta fuit, et exacta patuit. Hic itaque rex Henricus solus contra omnes predictos et dimicauit et conuicit. Huius dimicacionis exordio iam pululante, Hugo Bigot comiti Flandrie nuncios misit, rogans eum quatinus uiros bellatores, predatores rapaces et maleficos, sibi remittere dignaretur. Comes igitur populi multitudinem cicius ei transmisit. Qui Angliam ingressi, sub proteccione Hugonis Bigoth hac et illac irruunt, rapiunt, predantur, et occidunt. Inter tantam multitudinem iniquorum comes quidam Leicestrie preminebat et preerat, qui die quodam inportuno cum omni exercitu suo rapidissima ferocitate per portas sancti Edmundi regis incliti transire studuit et ingredi, malignequc temptauit. Cui viri sancti Edmundi cum armis occurrentes, percuciunt, vulnerant, capiunt, et occidunt. Sicque vix hore vnius breuitate comitis et mille bellatorum et predatorum corpora cum eo ante portas sancti Edmundi cecidere; reliqui vero, quibus vita breuis fauebat, quidam capti, quidam ad feretrum sancti Edmundi confugientes mortem vitasse congratulati sunt. Hec audientes et intelligentes deum et sanctum Edmundum laudent, admirantes tam paucos tantos et tot superbos in momento destruxisse et adnichilasse! In sanguine igitur interfectorum profundo sub corporum strage quidam vulnerati et semimortui, vt timidi mortem confingentes, vsque ad noctis crepusculum latuerunt. Quorum duo vota deo, sancto Edmundo et sancto Thome archiepiscopo deuote vouentes[2] quatinus a mortis periculo liberarentur, peregrinacionis et oracionis iter suum arripuerunt, viamque terra aliena et odibili penitus ignorantes, hominibusque propalari[3] contremiscentes, errabundi et vagi a[m]bierunt. Tandemque capti, vinculis ferreis grauioribus inierunt (!), fameque et inedia corporis ingrauescente cum carcere obscuro duro et

[1] = deum suumque. [2] MS. fouentes. [3] MS. propalare.

immundo, mortem optarunt. Millesies et vltra mors optata, sepe uocata, tarda uidebatur. Congemiscunt et condolent se morte[m] sodalium vitasse fugitiuosque fuisse. Non cessant igitur nocte ac die clamare et inuocare deum in sancto Edmundo et sancto Thoma. Quibus incessanter[1] orantibus, adest dei clemencia, et maturius se solutos senciunt; set vere se solutos dubitant, nimio timore perterriti vincula ferrea refirmant, tandem nimii doloris tristicia constricti ante auroram sopori traduntur. Quibus statim videntur duo viri preclari accedere, vincula ferrea confringere et per carcerem dispergere; vigilantibus autem ipsum fit idem. Igitur in se reuersi laudant deum et super miraculo constupescunt. Deinde ad sanctum Edmundum et sanctum Thomam, quorum interuentu sine dubio libera[ba]ntur, iter arripiunt, deum in sanctis suis per omnia magnificantes.

De vlcione capta super quendam predatorem rapientem pauonem de dominio sancti Edmundi.

EOdem tempore quidam predator villas confines inuasit. Ad villam de Brokedisch veniens, domum cuiusdam Stephani, uiri incliti et hominis sancti Edmundi, aggreditur, domosque uacuas cernens, quippe pre timore omnes ad ecclesiam cum bonis suis confugerant, vnum pauonem naturali splendore rutilantem repperit, inuadit, rapit, et sub brachio comprehendit et asportat. Transiens autem per portas ecclesie, matronam nobilem prospicit vxorem Stephani prenominati: que pauonem suum videns, exclamauit et ait: 'O mi pauo! heu[2], de terra sanctissimi regis Edmundi sum et ego et omnia mea: dimitte pauonem, dimitte aio.' Cui raptor subridens et cachinnans ait: 'Sic et sic omnia sunt Edmundi, omnia nunc Edmundi: set hoc meum; hoc est, inquam, meum.' Inprecatur igitur mulier, et circumstantes secrecius maledicunt. Turgidus et parui[pen]dens discedit et discurrit. Et tandem ad mare veniens, cum pauone sub[3] lacerto gurgitis transnauigare capacitatem accelerans: statim in ingressu fit fluminis preda; fluctuque periclitans ille nocens: exilit non periclitans pauo innocens. Euolat et abuolat, nec vsque predicte ecclesie summitatem desistit, ibidemque tribus diebus ac tribus noctibus recumbit et quiescit. Tandem predictus Stephanus vir inclitus cum vxore sua que pauonem diripi viderat et doluerat egressus, pauonem culmine ecclesie residentem miratur, et congratulatur; paneque ei porrecto, manu domini sui et domine assueta aspecta et cognita, descendit, appropinquat, et vescitur; sicque mortem sibi destinatam, eius destinatore mortuo, vitauit, euasit, uitamque diucius et innocencius protelauit.

¶ De visione Radulphi monachi.

VIdimus uirum religiosum nomine Radulphum, sancti Edmundi monachum. Qui cum a iuuentute vite sue vsque ad canos in religione perseuerasset, iussuque dompni abbatis Hugonis altare sancti Thome

[1] MS. incessantibus. [2] r. heus. [3] MS. cum

martiris edicasset, hac sanctum Botulphum, illac sanctum Iurminum, medioque reliquias sancti Thome et aliorum quamplurium auratis et gemmatis feretris preclare collacasset: egrotare cepit. Nocte igitur quadam dominicali morbo ingrauescente: visione dulcissima visus est sibi dominus Ihesus Christus, Edmundus quoque cum Thoma, Botulphus eciam cum Iurmino et Nicholao, appropinquare, qui eum[1] melliflua allocucione alloquuntur[2]. Tandem aiebant: 'Adorna, dilecte, thalamum cordis tui et veni ad nos. Quid vlterius? venies ad requiem et gloriam eternam.' Facta igitur tam sancta visione, mox confessorem sibi accersiri iussit; cui cum hec retulisset, et facta confessione dominicum corpus percepisset: deo et beate Marie sanctoque Edmundo ceterisque preuisis necnon et omnibus sanctis spíritum com[m]endans, in pace quieuit.

De quodam a mortis periculo preseruato.

REgio precepto uiri homicide, fures et huiusmodi e diuersis prouinciis inquirebantur, capiebantur, et coram iudicibus regiisque ministris apud sanctum Edmundum ducebantur et in carcere claudebantur. Et ne doli malo liberarentur, iudicum precepto in tribus breuibus eorum nomina scribebantur. Inter quos quidam Robertus cognomine putridus sotular, de Banham, pro rato semet scribi et vidit et audiuit. Hic inter oraciones, afflicciones, lacrimas et deuociones uotum uouit deo et sancto Edmundo quatinus si eum eriperent de huius[modi] periculo, prestanciorem quatuor boum suorum ei redderet vnum. Mane igitur hiis eductis nominatimque cum scriptis accersitis vt aque examine purgarentur: huius Roberti nomen nullic est repertum. Libens igitur et gaudens ad propria remeauit, votique sui non immemor bouem adduxit et cum maxima deuocione deo et sancto Edmundo optulit; sicque deinceps beacius uitam suam protelauit.

De naufragantibus Donewici per sanctum Edmundum a morte liberatis.

QUidam portus donewicensis, nauigio remigantes, more piscario in altum mare tendebant, reciaque laxantes tota nocte iactabantur salo: subitoque eis tempestas exorta certauit eosdem propellere ad mortis extrema. Quibus diu vexatis, uitaque desperata, animas suas deo com[m]endabant, sepe clamantes sancti Edmundi nomen, sancti Edmundi auxilium, et inter clamores et dolores sibi uota sua vouerunt, quatinus si mortis periculum euaderent, quam cicius possent eum peterent et oblacionibus venerarentur, annuatimque diebus omnibus vite sue persoluerent. Vix facto peracto: tranquillitas facta est in mari ita ut mirati sunt; et qui prius estimauerunt escam se fore piscibus maris, iam cum retibus eosdem extrahentes in escam habuerunt. Vota itaque persoluere festinantes, munera et oblaciones coaptauere, et inter cetera anchoram quandam ceream construxere. Tandem ad sanctum Edmundum venientes, anchoram predictam offerentes suspendere, laudantesque deum et sanctum Edmundum ad propria cum gaudio redierunt.

[1] MS. Cui cum. [2] MS. alloquerentur.

Qualiter sanctus Edmundus et sanctus Thomas apparuerunt cuidam dolenti pro morte filii sui.

Quidam valens et egregius Symon comes dictus, vnicum habuit filium, qui iam in proximo armis militaribus sublimari debuit, set langore et morte preocupatus, patrem absque herede superstitem inuitus reliquit. Igitur pater eius dolens precibus assiduis deo et sancto Edmundo martiri et sancto Thome archipresuli dorobernensi deuote vacabat. Nocte siquidem vna tanquam in visione uiri duo veste preclara sibi astitere, quorum vnus sic orsus est: 'Quare tanta doloris anxietate constringeris? Doles tantum pro filio tuo? Noli dolere: filius enim tuus gaudio perfruitur; veni et vide.' Quibus ille respondit: 'Quinam estis vos tam preclari?' Et illi: 'Serui domini nostri Ihesu; en iste est Edmundus egregius rex et martir, ego uero Christi seruus et martir Thomas cantuariensis; et quia basilica ubi filius tuus sepelitur mei amore construitur, territorium vero in quo construitur huius est sancti Edmundi, nos iccirco tue consolacioni assumus. Et ut perfeccius iam dictis credas, veni et uide si cognoscas filium tuum.' Et adduxerunt eum tanquam in domum dei: et vidit filium suum inter iuuenes dealbatos ludentem, et gaudentem inter preclaros in domo dei. Vidit, et videntem[1] alloqui optauit: set ab eisdem sanctis prohibitus, allocucione priuatus discedit. Hec episcopis, abbatibus uirisque sancte religionis enucleans, dei magnalia glorificabat.

De tribus viris sub undis maris a submersione mirabiliter preseruatis.

Ex relacione uiri bone opinionis, monachi et sacerdotis Radulphi de Carleflod, Christi laudes et sancti Edmundi multorum memorie tradere curauimus. Siquidem aiebat, quamplures Anglicos nauigio de partibus aquilonis versus Angliam more mercenario tendere: set subito tempestas eis diucius incumbens, naues preclaras dispersit et eas diriputt. tum has confringens, tum has submergens. Heu dolor! tot anime, cum multimoda diuiciarum copia, submerse euanuerunt, vitaque presenti infra breue caruerunt. Hoc inter, tres ibidem viri inter fluctus marinos hac illacque iactati, vsque in cumulum arenosum in medio mari propellebantur. Quorum vnus, gladio accinctus, etsi vix tamen duos alloquitur: 'Inuocemus deum et sanctum Edmundum cum lacrimis, ut nos a morte dignentur eripere.' Maris igitur fluctuacio tumescit, circuit et appropinquat: et quanto magis, tanto et hii timent et proclamant ne vita periclitentur. Circuit ergo mare fluctibus et spargit; Hac frigus, inde timor, quia mors vicina patescit. Deo igitur inspirante, solus ille gladiatus exurgit et in nomine dei et sancti Edmundi gladium educens, cum fide perfecta pro se sociisque suis orat; et ait eis: 'O socii, constantes estote in oracione, et nolite timere! Habemus enim potentem aduocatum et dominum, sanctum regem et martirem Edmundum; hic suis perfecte inuocantibus nec terra nec mari deesse solet. Inuocemus igitur, et voueamus nosmet ei in Christo ut quandiu supervixerimus, anno quo-

[1] r. visum.

libet ad eum cum oblacionibus veniemus.' Hiis auditis, maturius fauent[1] et conclamant: 'Sancte Edmunde, adiuua nos!' Clamore autem vix propalato, ecce tempestatis procella vndique concutitur. Hic vera fide magis armatus quam gladio, fluctibus obiectus signat arenam circa se et socios, circulum agens cum gladio. Interim fluctus turgescit et crescit in altum, mortemque minatur. Signat humum, vocat atque deum: fluctusque resistunt. Concrescunt tamen, alta petunt, signumque refutant. Stat mare in excelsis: hii cernunt atque stupescunt. Crescit adhuc pontus: set eos non transiit vnda. Expectant: fenestra patet, dant lumina celi. Stetit et vnda fluens vt murus, et vndique constat, Vixque vident celum, tantum mare creuit in altum. Hii vero in spiritu humilitatis et animo contrito de profundis clamabant in excelsum et exaudita est eorum oracio. Et quamuis mora longa semper deum et sanctum Edmundum inuocabant, hic cum gladio signat humum in nomine sancte trinitatis, nunc circulum agens circa se et socios, nunc minacibus vndis etsi altissimis et quasi vsque ad nubes elatis obstat et minatur. Tandem fluctus more marino diffluere, eosque sicut prius super arenam relinquere. Hec inter, piscatores solito sulcantes procul aspexere: et appropiantes, extraxere, et ad litora perduxere. Miraque vicinis diuulgantes, deum et sanctum Edmundum laudauere, precipue illi[2] qui mortis pericula tam mirifice euasere. Hiis igitur tota illa prouincia diuulgatis, ad sanctum Edmundum iter suum arripientes, et illuc aduenientes, eius ecclesiam intrauere et uota sua cum oblacionibus deuotissime persoluere. Quibus visis et auditis, monachi rei veritatem ex ordine perscrutantes, laude multimoda deum et sanctum Edmundum cum ympnis et organis laudauere.

De peregrino et vxore sua sub vndis maris a submersione mirabiliter lireratis.

Aliud consimile, iocundum et insigne contigit miraculum, diuerso tamen tempore. Vir quidam deuotus natus de Northfolchia, in mari procella seuiente, et naui sua naufragante, ceteris pereuntibus ad harenam[3] subtracto mari exsiccatam cum vxore sua naufragium euasit. Cum autem mare uehementer reflueret, videns sibi mortem iterato proximam, flebiliter dei misericordiam implorauit gloriosumque dei martirem Edmundum precibus inuocauit, et in eius virtute plenius confidens, circulum circa se et vxorem suam cum sue peregrinacionis baculo fecit, voce magna clamans ad mare et dicens: 'In virtute dei omnipotentis et ex parte gloriosi regis et martiris Edmundi tibi prohibeo ne nobis noceas, nec infra circulum istum intrare audeas.' Mira dicturus sum, set vera: mare seuienter superundauit, nec circulum intrauit, set quasi murus solidus et altus vndique circa circulum stetit, donec more solito reuerteretur in abissum, Christo Ihesu cum sancto Edmundo prouidente naufragancium saluti. Cuius magnalia longe late uulgata patescunt.

[1] r. vovent. [2] MS. ille. [3] MS. harduam.

De milite decem denarios offerente, quorum duo in manu sua miraculose remanserunt.

QUidam miles lunellus lemensis (!) nomine Willelmus, dapifer comitis Warennie, cum duobus clericis et vno cliente capitulum monachorum sancti Edmundi introiit, acceptaque fraternitate humiliter ait: 'Placeat sanctitati vestre parum quod loquar audire. Ego cum vxore mea nomine Flandrina deuote nudis pedibus ecclesiam sancti Edmundi martiris intraui adoransque deum ante crucem, memorie reuocaui fieri oblacionem deo et sancto suo Edmundo pro me et octo liberis meis. Igitur a marsupio meo pro singulis denarios educens, vnum quoque pro vxore mea, decimumque pro me ipso, decem connumeraui itemque renumeraui, et inuentus est idem numerus perfectus: et tamen enumeratis [duo] in manu mea remanserunt. Miratus itaque tercio connumeraui singillatim, et idem fiebat. Accedens igitur ad feretrum, hunc ibidem hominem pro teste huc adductum vocaui dicens: 'Vide si decem nummos hic offero.' Quo vidente decem optuli: et tamen duo e numero computato et ibi oblato in manu mea remanserunt. Siquidem satis mirans, et deum in sancto Edmundo laudans, illos duos item pro me et vxore [offero][1].'

De filio militis per sanctum Edmundum a morte liberato.

QUidam miles egregius habuit filium diucius egrotantem, et tandem egrotando morti appropiantem. Quadam enim die patre et matre cum vicinis et amicis astantibus et plangentibus, vite sue extremitas iam finita videbatur. Cuius mater maternali dilectione ardore estuans, flebiliter ait ad uirum suum[2]: 'Heu, heu, mi domine, utquid differs filium nostrum iam mortuum quamuis sero deo et sancto Edmundo regi et martiri glorioso vouere, et votum cicius reddere? Voueto ergo, et fide perfecta perfice.' Qui maturius accumbens, filium defunctum deo et sancto Edmundo cum lacrimis vouit et reuouit. Dei igitur et sancti inuocato nomine, cicius defuncti interioribus fragor ingens insonuit, irrupit, et tanquam bacello fracto aura redundans audientes stupidos reddidit admirantes. Reuixit igitur puer, et surrexit, et sancti Edmundi meritis in toto conualuit.

De filio Henrici cantuar[ie] a morte suscitato.

FIlius cuiusdam militis cantuariensis nomine Henrici vsque ad mortis exitum egrotauit et languit. Quo tandem moriente, vel pocius mortuo, eiusdem parentum deuocio condolens suimet corporis mensure candelarum luminaria coaptauerunt et oblaciones sancto Edmundo deuouerunt. Quibus factis, puer reuixit et conualuit; moxque parentes properauerunt et vota sua sancto Edmundo reddiderunt.

FIlius Willelmi de Bealuer domini egregii vsque ad mortem egrotauit: set a parentibus nomine domini et sancti Edmundi inuocato, cicius conualuit et surrexit; vnaque cum eis sanctum Edmundum adiit,

[1] om. [2] MS. sanctum.

luminarium oblacionibus uota parentum cum mentis affectu, caterua nimia constipante, persoluit.

VIr quidam senex de partibus Northumbrie ab etate iuuenili cecus, cum vicinis et amicis, seruulo suo pariter[1] ducente, iter peregrinacionis et oracionis vsque ad sanctum Edmundum arripuit. Transeundo igitur versus locum, preuisa celsitudine campanilis ecclesie sancti Edmundi omnes eiusdem consocii, et ipse cecus cum aliis, genibus flexis[2] deo et sancto Edmundo supplicant, votaque secrecius enucleant et effundunt. Tandem exurgunt et incedunt ut iter arreptum peragant. At cecus inter ceteros exsurgens profert et exclamat: 'O Edmunde sanctissime, en temetipsum video; en te hic video precedentem. O uos conuicini mei ductorque, laudes deo et sancto Edmundo persoluatis, quia, deo gratias, ego regia via rectoque uestigio sine ductore procedo, vos subsequor et precedo.' Mirantur eum qui cecus erat solum incedere et eciam precedere plus quam vt estimatur sex milibus; eumque subsequntur ad basilicam sancti Edmundi, exultantes et deum in sancto suo Edmundo glorificantes.

TEmpore quo Ricardus rex Anglie Achonem obsedit, quidam de terra gloriose virginis Etheldrede in ipsa obsidione miserabili inflacione toto corpore torquebatur, in tantum vt nec oculi nec dentes nec vngule manuum vel pedum possent discerni; insuper a lumbis vsque ad talos niger, quasi pannus niger[r]imus, fuit, nec verbum proferre, nec aliquantulum se mouere potuit; et sic duobus diebus permansit. Die vero tercia inspirabat ei deus, gloriosum et martirem Edmundum, pro populis Anglorum interuentorem optimum, fideliter inuocare et corpus suum ad eum mensurare. Quo facto: statim surrexit et sanus inuentus fuit. Quod miraculum intuentes et audientes sanctum Edmundum[3] com[m]endabant, et in eo dominum deum glorificabant, qui martiribus suis amaritudinem tormentorum recompensat per dulcedinem miraculorum.

SAcerdos quidam in episcopatu cicestrensi carnali lasciuie nimis deditus fuit, qui cum a uiris magnis et honestis sepius corriperetur, nec pro reuerencia sui ordinis, nec pro amore patrie celestis, nec timore pene iehennalis emendare voluit. Decidens autem in egritudinem, tandem penituit, et dei misericordiam precibus deuotis implorauit; beatum quoque Edmundum Christi martirem sibi in auxilium constanter exorauit, et sue correccionis, si conualesceret, quasi obsidem apud deum flebiliter instituit. Positus autem in agonia: domum plenam demonibus eius animam rapere volentibus[4] inspexit. Intuens siquidem inter eos beatum Edmundum, audiuit eum dicentem: 'Quid agitis hic, peruersi? quid hic queritis, maligni?' Et dixerunt: 'Animam huius presbiteri, qui luxuriose viuendo nostre se subdidit seruituti.' Quibus martir respondit: 'Non est vester, quia iam penituit, votum michi fecit et me pro eo fideiussorem et intercessorem ad deum instituit.' Sumens ergo beatus Edmundus filum, quo ad eum mensuratus erat, fecit cum ipso filo circulum circa infirmum, et ait: 'O miseri et maligni, si potestis, in-

[1] MS. pater. [2] MS. flexibus. [3] MS. sancti Edmundi. [4] MS. volentes.

gredimini circulum et irruite in infirmum; sin autem, reuertimini in locum vestrum.' Qui statim virtute martiris conpressi, cum confusione recesserunt; presbiter autem corpore et anima conualuit, miraculum exposuit, et beatum Edmundum magnificando ad eius ecclesiam cum oblacione properauit.

PUer quidam septennis, super quem olla cum fabis vehementer ebulliens corruit et incendit, quasi in procinctu mortis nouem diebus iacebat exanimis. Cui pater eius condolens, ipsum puerum beato Edmundo, ut eum sanaret, offerebat. Puero vero per martirem sanato: pater uotum non impleuit. Apparuit ergo beatus Edmundus fratri ipsius pueri, dicens: 'Dic patri tuo vt membrum michi soluat quod promisit.' Cui respondit: 'Domine, quod uel quale membrum queris?' Qui ait: 'Filium suum quero quem michi vouit; quem michi soluat, vt promisit.' Pater autem audita visione commonitus, ipsum puerum glorioso martiri tradidit obsequendum.'

SUmmus imperator, famam sui militis non solum in propriis, set eciam in remotis et diuersis partibus excellenter attollens, in natali ipsius sancti martiris Edmundi in ecclesia cicestrensi magnum pro eo fecit miraculum. Clericus enim nocte illa circa altare beati Edmundi, super voltas ibidem constructum, ministrans, ab altitudine quasi xlvij pedum corruit. Incipiensque ruere: voce querula et anxia inuocat auxilium martiris egregii cuius seruiuit honori. Cum autem post tantam ruinam mors repentina putaretur: ecce die tercia meritis sancti Edmundi plene conualuit, et more solito debitum exequebatur ministerium, dicens et predicans beatum Edmundum sibi dum caderet fuisse suffragatum.

MOnachus quidam de Euesham in membris virilibus diutino langore cruciatus, cum nec medicis nec medicinis curari posset, beatum Edmundum piis precibus inuocabat. Nocte igitur quadam apparuit in visione ipsi monacho, dicens: 'Nunquid dormis?' Et respondit: 'Non.' Et statim visum est ei quod de lecto eum extraheret, gladium in manu tenens et dicens: 'Lege quod scriptum est in hoc gladio.' Inspiciens autem gladium, vidit et legit in eo scriptum: 'Hec est victoria qua mundum vicit Edmundus'; visumque est ei quod beatus Edmundus illo gladio infirma illius membra abscideret[1]. Qui euigilans, et clamans, monachos per totum dormitorium excitauit. Qui accurrentes et cutem membrorum incisam, et magnam putredinem effusam, fratremque miraculose curatum intuentes, virtutem martiris magnifici com[m]endabant.

QUidam Flandrensis ad feretrum beati Edmundi cum deuotis[2] accedens versipellis, aureum feretro infixum quasi deosculans cum dentibus conabatur eripere. Quem beatus Edmundus non sustinens, stupidum reddidit, et dentem talento herentem feretro coniunxit; nec dentem nec pedem amouere[3] potuit. Accurrebant ergo monachi et alii plurimi, virtutem martiris reuerentes, et eius pietatem pro misero Flandrensi humiliter exorantes. Qui tandem martire compaciente resolutus, facinus

[1] MS abscinderet. [2] MS. deuotus. [3] MS. ammouere.

suum retulit manifeste, et [se] condignam vlcionem pertulisse; nec ausus est postmodum ad feretrum accedere. In hoc miraculo instruimur glorioso martiri magnam exhibendam esse reuerenciam.

MUlier quedam londoniensis Matildis nomine puerum suum qui per tres ebdomadas nec manum nec pedem mouere poterat, exposuit sub martiris Edmundi feretro, preces et uota lacrimabiliter effundendo. Cumque puer sub feretro paululum obdormisset: statim virtute sancti Edmundi sanatus est. Sit igitur gloria laus et honor spiritui sancto, qui tam magnifice operatur in suo martire glorioso.

PUella quedam vinculo morbi miserabilis afflicta, beatum Edmundum multis precibus deuotis et gemitibus exorauit. Conceperat enim per que[n]dam potum circa pectus mortalem inflaturam, pro qua medicinalem pocionem receperat, cumque medicinalis pocio nec tumorem nec dolorem mitigaret[1] set intollerabiliter augeret, prudentem medicum consuluit qui dixit ei: 'Nisi te recepta medicina euacuet, tumor et dolor tibi uita comite permanebunt.' Puella uero tristis et anxia celestem medicum interpellat, qui ei tandem inspirat vt gloriosum martirem Edmundum humiliter adiret, ipsumque confidenter exorans salutem acciperet. Que diuinitus confortata, venit ad sanctum Edmundum, et salutem ab eo sicut ei a domino promissum fuerat deuotis precibus exorauit; vbi de eius cipho in nomine sancte trinitatis trina vice deuote potauit. Cumque ab hora prima vsque ad terciam in tanta supplicacione persisteret: statim virtute gloriosi martiris Edmundi tota illius inflatura, que gemino fetu[i] similis fuit, sine omni purgamine mirabiliter[2] euanuit, totus dolor ab[s]cessit, et puella sanata permansit.

IUuenis quidam de Symplynge in guerra semel, secundo et tercio captus et de tortoribus in tortores, de malis in peiores venditus et a singulis miserabiliter afflictus manibusque fune fortissimo ligatis intollerabiliter cruciatus, gloriosum regem et martirem Edmundum et reuerendum confessorem Christi Nicholaum flebiliter et instanter inuocabat. Qui nimio dolore pioque clamore paululum obdormiuit et interim virtus sanctorum a vinculis eum absoluit. Euigilans autem liberum et solutum se inspicit; vinculum quo ligatus fuerat gloriosissimo martiri et regi Edmundo tanquam liberatori gracias agens optulit, ipsius quoque virtutes magnifice collaudauit.

ERat quidam molendinarius in obsequio martiris Edmundi apud Werketone, quem ministri regales iniuste ceperunt et in castello Norhamptonie cum nouemdecim captiuis simul in vno compede constrinxerunt. Ipse vero lacrimis, uotis et suspiriis sanctum Edmundum exorauit, vt natiuum suum non desereret. Die igitur octauo gloriosum martirem Edmundum sibi mirabiliter patrocinantem percepit: vidit enim pedes suos extra compedes solutos, et pedes omnium sociorum sicut fuerant simul compeditos. Liber surrexit, et ad ecclesiam beati Edmundi in villa Norhamptonie constructam gracias agens perrexit. Miraculum

[1] MS. mitigauit. [2] MS. miserabiliter.

istud magnifice com[m]endat[ur] per quatuor custodes compeditorum, videntes eum solutum recedere, nec eum impedire nec aliquid ei dicere potuerunt.

FUit autem apud Swynesheued quidam preco Roberti de Gresley compedibus et anulis ab ipso crudeliter artatus, nec prece nec precio apud eum aliquam inuenit graciam. Cucurrit ergo fide et gemitu ad fontem misericordie Ihesum Christum, gloriosi martiris Edmundi et beate virginis Etheldrede flebiliter implorans auxilium. Sexta vero die apparuit ei sanctus Edmundus in visione, dicens: 'Surge et vade hinc velociter.' Cui respondit: 'Domine, non possum, quia compedibus et anulis constrictus sum.' At ille: 'Immo potes; surge et recede.' Euigilans ergo, compedes et anulos facilime quasi festucas dissoluit, et ad beatum Edmundum gracias agens festinauit.

QUidam rector institutus erat in ecclesia sancti Edmundi ciuitatis Londonie, ad collacionem prioris sancte Trinitatis Londonie pertinente. Modicum post institucionem suam accessit ei voluntas agere ad hoc ut cum quodam vicario perpetuo, extra ciuitatem beneficiato, quasi excambium faceret beneficii. Ex hoc proposito qui[1] cogitabat ibi esse vicarius, voluit ut sagitta quedam que iam erat in ecclesia sancti Edmundi ubi adhuc rector erat, transfer[r]etur ad locum prefate uicarie; et in hoc consenserat vicarius ille qui exspectabat mutacionem beneficiorum, sicut et ipse rector ecclesie sancti Edmundi. Erat autem sagitta illa preciosa in opinione rectoris, pro eo quod audierat quod corpus sancti Edmundi in tempore martirii sui de ea inter alias fuerat sagittatum. Ventum est igitur ad hoc ut secundum disposicionem rectoris sagitta acciperetur et per suos ad locum vicarie per aquam de Billingsgate[2] in Londonia deferretur. Intrant batellum quo vlterius[3] ad locum vicarie processuri: stat batellus in aqua, nullo modo, nulla arte vlterius ductilis. Quod videntes, suspicantur quod sagitta sit in causa, vel pocius rectoris intencio alienandi eam ab ecclesia sancti Edmundi, cuius sacrum erat memoriale, et speciale loci iocale. Dicunt quidam eorum: 'Si hec sit causa, cito perpendemus. Exeat de batello qui sagittam portat; si absente sagitta batellus reddatur ductilis, certum nobis esse potest quod immobilitas batelli ad sagitte causam pertinet.' Fit quod condicitur, exit portans sagittam et ceteri remanent: ductilis redditur batellus ad quamcumque partem volunt qui in ea remanserunt. Excogitat rector quod sagitta illa per terram posset deferri ad locum vicarie: veniens igitur super pontem qui eam detulit, nullo visibiliter sibi obsistente obicem inuisibilem super ipsum pontem inuenit, quod nullo pacto potuit vlterius versus locum statutum procedere. Cogitur igitur velit nolit redire et sagittam ad locum suum reportare. Hec magna et mirabilia dignatus est in paruis facere maximus in sancti Edmundi fauorem, vt ostendat qualis gracie sit apud eum eciam in magnis.

[1] MS. quo. [2] MS. Billingaste. [3] MS. qua vlterius, repeated.

¶ De quodam blasphemo punito.

Ex quodam textu dominicali ad magnum altare sancti Edmundi.

'Dilecto cognato suo domino Ricardo de Insula, priori sancti Edmundi, suus Ricardus de Argentin salutem quam sibi. Sciatis quod dominus noster sanctus Edmundus post capcionem ciuitatis Damiete primus in ea fuit feodatus. Nam post recessum comitis Cestrie fundaui ibi ecclesiam bene ornatam, et in ea, ad titulum sancti Edmundi constituta[1], tres capellanos cum clericis suis pro seruicio domini nostri Ihesu Christi et sancti Edmundi stabiliui; et si sanctus Edmundus aduocatus meus michi tantum vellet quantum uobis suffragari, in breui melius erit in regno Babilonie seruicio famulancium honoratus, quam sit in anglicana regione ab Anglicis obministratus. Vos autem pro certo scire volo miraculum quod post fundamentum ecclesie predicte et celebracionem diuinorum in ea primitiuam contigit notorie et publice manifestum. Quidam seruiens flandrensis de Flandria ortus, baiulans clauem in manu sua ecclesiam subintrando ymaginem sancti Edmundi, ex nouo ad dis-posicionem meam sculptam et depictam, prospexit et verba contumeliosa eidem protulit, quoniam quosdam de gente sua, vt dixit, sanctus Edmundus aliquando interfecit; et sic versus sanctum litigio maximo et manifesto murmurauit. Qui post obprobria sancto Edmundo illata volens de ecclesia, semper rixando, exire: accidit miraculose quod lignum quoddam supra ostium ab antiquo Saracenorum tempore constitutum, dicte ecclesie de alto corruens, graue vulnus ruina sua in capud ipsius seruientis inflixit. Qui tum pro lesione maxima, tum pro sanguinis assidua effusione, nullatenus sine aliorum auxilio potuit de ecclesia exitum habere nec ad hospicium proprium reuerti.' Scriptum anno domini 1220.

De canonico Herdfordie per sanctum Edmundum a febre quartana curato.

AD declaranda beati Edmundi preconia, contigit dominum dominum Robertum de Hasceleia, canonicum Herdfordie, febre quartana uexari. Qui statim sancto se vouit Edmundo profecturum, sperans per sanctissima eius merita ab infirmitate se posse sanari. Ob deuotam igitur quam erga sanctum habuit voluntatem, citam recipere meruit sanitatem. Sanus autem effectus, versus sanctum Edmundum proficiscitur, de sua gracias redditurus prosperitate. Set uix octo leucas in die perficere potuit, propter debilitatem contractam ab infirmitate. Verum mox per virtutem dei et sancti Edmundi meritum ita in itinere est melioratus vt, qui prius octo in die leugas ire non posset, viginti postea perageret non grauatus.

De capellano eius.

CApellanus siquidem predicti canonici Rogerus nomine ad Auestoñ, pari deuocione multo tempore elapso sancto Edmundo se deuouerat,

[1] MS. constitutam.

set tandem obstante morbi grauedine, sancti limina non poterat adire. Cum vero de morte territus exitus sui spiritus prestolaretur, innumeram demonum multitudinem . . ., [rest wanting : 2 inches left vacant].

De quodam contracto ad sepulcrum sancti Edmundi curato.

ANno secundo regis Henrici secundi, quidam contractus ex villa de Writle ad sepulcrum sancti Edmundi repens venit, sustentamina deposuit, salutem illico meritis sancti Edmundi recepit, et erectus gaudens ad propria rediit.

De quodam claudo ad tumbam sancti Edmundi curato.

EOdem tempore quidam claudus iuxta tumbam sancti Edmundi cecidit, baculos sustentatores linquens : et infra horam vnam sanus et incolumis recessit.

Expliciunt miracula scripta in quodam veteri q(uatern)o[1] *ad feretrum.*

De equis raptis de monasterio sancti Edmundi et reductis.

Ex cronicis sancti Edmundi. ANno domini M°.CC°.lxvij°, tempore discordie inter regem Henricum et barones Anglie, licet in conspectu baronum preciosa valde fuerat libertas sancti Edmundi, quidam tamen ribaldi de municione eliensi egredientes, equos quorundam virorum qui in secrecioribus locis curie beati martiris Edmundi occultabantur, per medium infirmarie deducentes, in insulam eliensem secum duxerunt. Quos cum quidam monachus eiusdem loci insequeretur, magnatibus insulanis rem gestam luculenter exposuit. Tandem dictis insulanis sentenciantibus, dicti ribaldi dolentes et penitentes cum dictis equis arbitrio dicti monachi committebantur. Quos videlicet equos cum ad altare sancti Edmundi deuotissime reduxissent, in signum presumpcionis gladios suos [quos] irreuerenter contra sancti Edmundi libertatem erexerant, veniam petentes feretro martiris optulerunt.

Istud miraculum sculptum est in choro cum aliis miraculis iuxta sedem abbatis cum hiis versibus :

Hic rapiuntur equi de fundo martiris equi.
Clamant raptores, furiunt paciendo dolores.
Post veniunt flentes, enses offerre volentes,
Abbatem querunt, contriti corde fuerunt :
Hos absoluebat, humiles quos esse videbat.

De naufragantibus per sanctum Edmundum liberatis.

IOhannes quidam brabantinus, fide qua potuit et iuramento asseruit quod cum in die sancti Clementis pape cum sociis in mare velificaret

[1] Erased ; libro on the margin.

associatis ei pluribus aliis nauibus, et ad quendam portum cuperent omnes applicare: repente orta est tempestas in mari, turbans omnes nauigantes—sicut vulgo creditur quod qui illius sancti die opera marina exercent finem dubium consequentur. Cumque vis tempestatis eos preocuparet, aliis nauibus hinc inde pereuntibus, solliciti de vita omnesque in desperacione positi mortem adesse formidabant, maxime cum omnia armamenta nauis exposita fuerant perdicioni. Tandem, cum omnes sanctos familiares pro auxilio inuocarent, recordatus ille alienigena regis et martiris Edmundi: 'Frequenter, [ait], audiui quendam sanctum nomine Edmundum multa mirabilia dono dei in pelago operari; explicemus illi corda nostra et corporum pericula, votiuos sibi nos fore spondentes si a presenti periculo dignatus fuerit nos eripere et viuos ad portum ductitare.' Cumque omnes vnanimi assensu conclamarent, et succursum ab eo efflagitarent: concito cursu nauis omni armamento destituta ad optatum portum feliciter emigrauit.

De rebus furatis et miraculose restitutis.

IDem Iohannes Brabantinus ob amorem sancti Edmundi Angliam incolens, asserere consueuit quod in monasterio eliensi in domo hospitum cum quodam nuncio regis pernoctauit, presente quodam garcione, quem credidit ipsius nuncii ministrum fuisse. Cumque mane surrexissent ut iter arriperent, perpendit idem Iohannes, res suas, scilicet diploidem capellum, gladium et cultellum, cum cirotecis deesse, et predictum garcionem recessisse. Aggreditur nuncium predictum, credens illius fuisse famulum; quod et nuncius ille negauit. Vnde vnus dampno confusus, et alter rubore perfusus, querere statuerunt vt amissa recuperarent; suspicantesque predonem versus Cantibriggiam diuertisse, prosequi statuerunt, nuncius nauigio, Iohannes predictus campestri via. Qui quidem Iohannes itinerando, memor beneficii quod per sanctum Edmundum receperat, sic orauit: 'Sancte Edmunde, esto mediator apud deum vt res meas recipiam; et tibi offeram vniuersas.' Vixque uoto completo: conspexit sibi obuium formose state et faciei hominem indutum vestibus . . . tinctisque coloribus iacinctinis, querentem causam tante festinacionis. Qui prius distulit enodare, set iterum et iterum querenti tocius facti ordinem enarrauit. Cui ille: 'Retorque iter et veni ad villam que vocatur Litleport, et in quarta domo ab aqua distante, reperies quem queris, habentem vnum pedem infra limen ostii et alterum exterius situatum; vnam partem clamidis vendidit, alteramque pro defectu emptoris sibi retinuit.' Cumque finem dicendi faceret, reuocauit prefatus Iohannes nuncium, dicens: 'Ne labores in cassum: ecce iste homo tocius cure nostre seriem michi indicauit.' Et ille: 'Quisnam est ipse?' 'Ecce, inquit, iuxta me stantem poteris intueri.' Qui cum obnixius respiceret, neminem vidit, nec ipse Iohannes qui nuncium reuocabat. Intellexerunt ergo ex visione desiderium eorum cicius adimplendum: et simul pergentes, omnia sicut dictum erat facto et ordine inuenerunt. Vnde Iohannes, non immemor voti sui, omnia reportans

beato martiri offerebat; que ad deuocionem intuencium multis annis iuxta feretrum dependebant.

ANno domini M°.CC°.lxx. erat quidam paterfamilias apud Donwicum cuius domum nocturno tempore aggressi sunt quidam latrones infringere et depredari; qui de humano diffidens adiutorio, ad diuinum se conuertit presidium. Interim dum latrones conantur machinamentis aditum sibi preparare, prefatus paterfamilias, filo in circuitu domus sue interius circumducto, votoque ad sanctum Edmundum [facto], dei et eiusdem sancti proteccioni se commisit. Quo facto: dictos latrones meritis sancti Edmundi deus in tantum compescuit vt eciam aditibus vndique patefactis aditus sibi inuenire non possent.

Quomodo sanctus Edmundus terruit regem Edwardum, eo quod libertatem ecclesie in manu sua ceperat.

CIrca annum domini M.CC.xcj., rex Edwardus filius regis Henrici, pro guerris suis omnes libertates Anglie, et maxime uirorum ecclesiasticorum, in manu sua seisiuit. Quo facto, quilibet prelatus Anglie pro libertate ecclesie sue, vt ad statum pristinum eam reduceret, laborauit; inter quos abbas sancti Edmundi Iohannes nomine, vt ecclesie sue libertatem recuperaret, sumptibus magnis et laboribus quasi continuis decertabat. Set dum cupiditas iam excreuit, et malignorum consilium instituit vt postposita dei et sanctorum reuerencia omnino fisci mederentur ingluuiem: perpendens abbas prefatus hominum duriciam ingrauescere et sanctorum reuerenciam et sanctimoniam obliuisci, et seipsum ad labores vlterius non sufficere, cartas priuilegiorum sancti Edmundi regis et martiris a regibus datas et a successoribus confirmatas in parliamento apud Westmonasterium protulit in medio, sic dicens: 'Domine mi rex, predecessores tui priuilegia sancto Edmundo concesserunt, quorum carte presentes sunt; que quidem priuilegia voluntarie reuocasti et detines. Et ego senio confectus et laboribus pro illis recuperandis debilitatus, vltra prosequi non valeo, set coram summo iudice causam inter martirem Edmundum et ecclesiam eius, et te dominum meum terrenum, terminandam committo.' Et ualedicens regi et proceribus, tristis recessit ad propria tendens. Cumque nocte sequente rex in stratu suo quiesceret ut affectatum caperet soporem: repente territus propter quandam visionem sibi ostensam, de stratu suo prosiliit, vocans suos, et vociferans quod sanctus Edmundus ipsum alterum regem Suanum, quem apud Geynesburghe occiderat, faceret puniendo. Et statim post fecit proclamari quod quicunque libertates[1] persecuti fuerant, sine mora ad curiam properarent, asserens quod sanctus Edmundus vexillum pro singulis erexisset.

[1] MS. libertatum.

¶ Quomodo sanctus Edmundus terruit comitem Lincolnie pro libertatibus ecclesie, de assensu suo in manu regis captis; et de deuocione predicti comitis erga sanctum Edmundum postea multipliciter ostensa.

COmes lincolniensis Henricus de Lacy, qui forte consiliarius fuit predicti domini regis et particeps facti vt libertates in manu regis caperentur: dum apud Stratfordiam membra quieti dedisset, terrore nimio percussus est. Et sic qui prius fuerat sancto alienus, voluntate et munerum oblacione multipliciter factus est deuotus. Venit enim [postea] peregrinando visitare sanctum Edmundum, et ibi iocale preciosum, crucem scilicet ex auro et argento ac lapidibus preciosis ornatam, continentem quandam ligni sancte crucis porcionem, offerens, astante plebe retulit in aperto quod cum esset in Aquitania nomine regis Anglorum contra regem Francie actibus bellicis occupatus, quadam die hostium cuneos, vt eum morti traderent vel saltem captiuitate subiugarent, prospexit ocius aduentare, respiciensque ad adiutorium hominum et suorum commilitonum vt succursum preberent ne in manus aduersariorum incideret, neminem suorum preter custodem animalis cui insedit adesse vidit; tactus ergo dolore cordis intrinsecus, et cernens humanum auxilium abesse, confugit ad diuinum, rogans deum et martirem suum Edmundum vt meritis eius et precibus impetraret sibi remedium, vouensque quod tali pacto iocale predictum, quod pre omnibus dilexit, sibi deuote conferret: quo facto, statim exercitum suum ita densum et expeditum circa se conspexit, acsi nullus de numero defuisset. Et completo sermone, sic sanctum affatur: 'Hoc iocale est quod tibi promisi: hoc tibi offero martir Christi sanctissime.' Nec solum ex hoc donatiuo patuit ad sanctum eius deuocio, set ex pluribus aliis donariis sancto martiri deuote collatis. Dedit enim vestiario vnam preciosam capam brudatam. Item alia vice crucem magni precii auream, cum lapidibus preciosis adornatam; que in australi parte feretri dependet. Contulit eciam preciosum lapidem qui antrax dicitur, et situatur ad pedem dicte crucis super feretrum. Item legauit viginti marcas pro ymagine de argento facienda et deauranda, in cuius fronte seu pectore predictus lapis situaretur; set ad martiris iniuriam, per executorum incuriam minus iuste defuncti voluntatem complencium, detente sunt, cum vno calice aureo pondo xl. s., quem similiter sancto Edmundo legauit. Legauit eciam post mortem matris sue beato Edmundo pro refectorio monachorum suorum vnam cupam argenteam et deauratam et miro opere fabricatam, quam dixit et asseruit fuisse sancti Edmundi in uita sua; ob cuius honorem diebus festiuis sacerdos eius suppellicio indutus ex hoc conuiuantibus propinauit. Set et reuerenda mater eius, perpendens executorum necligenciam, predictam cuphan, cum vno precioso saphiro sancto Edmundo destinauit. Dedit eciam predictus comes ecclesie sancti Edmundi quasi pro modico precio manerium suum de Estbradenham, anno domini M°.CCC°.viij.; cuius anime propicietur deus, Amen.

¶ De vlcione capta super dominum Iohannem de Bello Monte militem.

AD veneracionem sanctorum et terrorem peccatorum, anno domini M°.CCC.xlj°. narratur contigisse quod quidam miles strenuus in armis militaribus nomine Iohannes de Bello Monte accessit ad feretrum sancti Edmundi, qui dum aurum et argentum, lapides preciosos et varia ornamenta ibidem conspexisset, in hec verba prorupit: 'O quantum possent ista iocalia et thesaurus promouere regem nostrum in expedicione guerre sue!', nesciens vel dissimulans quod plus valent subsidia sanctorum, quam infinitus cumulus thesaurorum terrenorum; cuius verba assistentibus et audientibus plurimum displicuerunt. Quid plura? ille recedens, et sicut uulgo dicitur non reuersurus, vt mos est columpnas et postes ostiorum osculatus est: et non multum post in hastiludio membris conquassatus et mortuus est.

De vlcione capta super Willelmum de Gyslingham iusticiarium regis.

QUidam miles de Estsexia nomine Thomas Gubun, audiens predictum dominum Iohannem de Bello Monte in hastiludio vindice deo pro sancto Edmundo sic perisse: dixit quod cum iuuenis esset intrauit cum magistro suo cameram regis apud Westmonasterium que vocatur nigra camera, vbi rex consuluit quibus sumptibus manutenere posset guerram suam: ingessit se quidam iusticiarius magnus nomine Willelmus de Gislingham, [et] volens aucupare fauorem magnorum et minuere laudem sanctorum, dixit: 'O quanta scrinia et qualia sanctorum, videlicet Edmundi, Thome et aliorum, infinito thesauro ornata, nichil continencia nisi ossa mortuorum: que si in fisco redigerentur, non esset alibi recurrendum.' Quo dicto: confestim in medio cecidit et expirauit. Quod infortunium rex videns ait: 'Extrahite canem istum, qui istud scelus suggessit ut dei et sanctorum incurrerem vindictam.'

De duobus piscatoribus sub vndis maris a submersione preservatis.

ANno gracie 1343°, xi homines de Monisle in Northfolchia, iuxta Bromholm, ingressi sunt mare piscandi gracia: ortaque tempestate, euersa est nauicula, et electi sunt qui inerant, quorum ix maris fluctibus dati vltra non comparuerunt, duo vero residui, hinc inde procella iactati, diuina misericordia et sancti Edmundi meritis euaserunt. Cum enim in turbulento centum pedum profunditatis fluctuarent, brachiis ori appositis ne gustacione aque perissent, mentali deuocione sanctum Edmundum inuocauerunt. Appropinquantesque naucelle, alter eorum temptatis viribus euersam nauem ascendit, alter super malum pendulus, manum socio porrigens, illius adminiculo et martiris virtute de fluctibus extractus est. Tunc quod prius mente conceperant, ore pronunciarunt, vouentes deo pro spe liberacionis, quod non pernoctarent nec comederent in villa propria donec sanctum Edmundum corporali labore et munerum

largicione visitarent. Certaruntque pro posse ne sedem adeptam violencia maris amitterent; set plusquam vicesies eiecti et fluctibus expositi, tociens virtute sancti Edmundi reiecti et repositi, mortis periculum euaserunt. Taliterque fatigati sunt a vespera diei Veneris vsque ad vesperam diei Sabati. Tunc quasi a deo missi affuerunt piscatores de Wintertoñ, et contemplantes eos, in nauicula sua receperunt. Cumque beneficio litoris potirentur, ad sanctum Edmundum velociter properabant; palam omnibus notificantes, et vicinorum testimonio certificantes, que per sanctum Edmundum deus in illis operatus est mirabilia.

De retibus in mari perditis et miraculose inuentis.

Piscatores qui predictos naufragos ad litora reduxerunt, contestati sunt quod non multum post, cum sua recia laxarent ad piscandum, dirupta sunt et elongata; que in longum et latum querentes, nequibant inuenire. Et dum humanum ingenium deficere cernebant, diuinum auxilium implorabant, vt pro reuerencia ymaginis beate Marie apud Walsingham et meritis sancti Edmundi recia sua perdita recuperarent. Cumque cibo sumpto sopori se dedissent: consurgentes omnia recia sua circa nauem, cum piscibus fere quingentis, integra reppererunt. Et quod mirum fuit illis, cum huiusmodi pisces cicius moriuntur, fere omnes per temporis diuturnitatem viuentes reperti sunt; quos deo sanctisque eius regraciando leti ad litora reduxerunt.

De naufragantibus de Herwych a periculo maris liberatis.

Anno domini 1345, mense decembri, nauis Iohannis Moose de Herwyche, quam[1] ob reuerenciam sancti Edmundi et spe celerioris auxilii in tribulacione 'Edmund' nominabat, cum aliis xxxix nauibus vino oneratis versus Angliam festinabat: ortaque graui tempestate in mari, xxxiiij naues submerse sunt. Nauem eciam prefatam 'Edmund' vocatam tanta inundacio occupabat, vt, posteriori parte cum castello sub aqua fluctuante, sub anteriori naute se retraxerunt laborantes et omnibus viribus desudantes vt aquam eiciendo minorarent; set minime profecerunt, quin fluctus magis ac magis nauem opprimens, vnum e nautis eiecit – set nutu dei et auxilio sancti Edmundi in velo receptus, retractus est. Cumque predictus Iohannes Moose, rector nauis, perpendit humanum laborem non sufficere: votum vouit quod sanctum Edmundum corporaliter visitaret, et quandam nauem a loco quo primo monasterium sancti Edmundi aspiceret propriis humeris deportaret et sibi offerret. Quo facto: nauis absque labore humano quasi celesti manu recta, passim cepit a fluctibus eleuari. Quo viso, gracias egit deo et martiri suo Edmundo, hortans socios semiuiuos vt sanctum Edmundum similiter inuocarent; quos deus pro meritis sui martiris illesos ad portum donauit feliciter transmigrare.

[1] MS. cui.

De calumpniis et iniuriis per Willelmum Norwici episcopum monasterio sancti Edmundi illatis et per merita sancti Edmundi miraculose finitis.

Licet monasterium sancti Edmundi cum villa, personis, rebus et locis infra quatuor cruces per vnum miliare ab altari principali eiusdem monasterii existentibus, tam per priuilegia regalia et apostolica, quam de consuetudine prescripta et a tempore cuius contrarii memoria hominum non existit, fuerit et sit exemptum ab omni iurisdiccione cuiuscumque ordinarii, et immediate sedi apostolice subiectum, ac eciam a predicta sede priuilegiatum :—[1] (*Edmundus rex*) videlicet quod predictum monasterium cum omnibus que ad illum locum pertinent, tam in magnis quam in modicis rebus ab omni mundiali obstaculo et episcoporum Estanglie dominacione et iurisdiccione sit liberum : (*Canutus rex, Edwardus rex*) Ita quod nullus episcopus Northfolchie vel Suthfolchie, ipsiusve minister aliquis seu commissarius, habeat vmquam potestatem aliquam vel iurisdiccionem in monasterio sancti Edmundi vel infra fines eiusdem ville ; (*Canutus et rex Eduuardus*) Et quod idem monasterium sit per omne euum monachis, et non aliis personis, deputatum ad inhabitandum ; (*Hardecanutus*) Item quod nullus archiepiscoporum vel episcoporum aut aliqua sancti ordinis eorum disciplinatui adherencium personarum presumat quicquam consuetudinis siue dominacionis in eodem monasterio et villa super monachos, clericos aut laicos proclamare, vsurpare, iusticiam aliquam facere, aut missas celebrare, nisi monitus aut licenciatus fuerit ab ipsius loci abbate ; ne inibi domino famulantes cenobite, pastorum ecclesiasticorum aut ad se pertinencium personarum vllo deinceps tempore molestia quaciantur aut oppressione inquietentur et impediantur. (*Edmundus rex*) Si quis vero posterorum has libertates quolibet conatu nititur infringere vel mutare, sciat se procul dubio ante tribunal districti iudicis titubantem tremebundamque racionem redditurum, (*Canutus*) Et sit addictus captiuitati eterne carens sempiterna libertate, atque mancipatus seruicio diaboli, eiusque consortio sit inextricabilibus penis constrictus, (*Hardecanutus et sanctus Edwardus*) Prolateque subiaceat excommunicacioni, et in iehenna ignis demersus cum Iuda proditore ignis tartarei penas indesinenter luat et sustineat, nisi prius in hac vita digne satisfecerit ; (*Hardecanutus*) Et insuper regio fisco *triginta auri talenta persoluat.* Et super conseruatores predicte libertatis ueniat dei benediccio, adiutorium et consolacio vite, et rerum congrua tranquillitas, corporis et mentis iugis proteccio, salus et sanitas ; vt et hic prosperam vitam ducant cum fructu deo placitorum operum, atque post carnis obitum perpetuum diuine contemplacionis adepti gaudium feliciter in sorte maneant et consorcio sanctorum. Has predictas libertates per cartas regias monasterio sancti Edmundi concessas, plures Romani pontifices per bullas suas confirmauerunt (*Alex. II, Adrianus IIII et Alex.* 3us, *Vrbanus* 3us, *Celestius* 3us, *et Nicholaus* 3us) adiciendo et specificando quod monasterium sancti Edmundi predictum

[1] The Charters are given in Monast. Angl. III. 137.

sub tutela et defensione ecclesie romane et sub beati Petri iure et pape proteccione, disposicione, prouisione, iurisdiccione, cura et proprietate, sine medio et nullum habens preter Romanum pontificem episcopum vel magistrum, tamquam filius specialis, (*Alex. II*^{us}) cum omnibus qui nunc sibi iure pertinent aut in futurum deo annuente ibi conferenda sunt, sine omni molestia et inquietudine consistat, et in monastico ordine perpetua stabilitate permaneat; Nec aliqua potestas secularis aut ecclesiastica eundem venerabilem locum ad episcopalem sedem mutet, (*Calixtus II*^{us}) Et si locus in episcopatu fuerit commutatus et episcopalis ibi constituatur sedes, nullus ibi nisi monachus in episcopum ordinetur; (*Alex. II, Calixtus II, Lucius II. et Eugenius III*) Et quecunque donaciones rerum, libertates, honores, immunitates ac priuilegia eidem monasterio[1] regiis statutis et preceptis, vel ab aliis personis ecclesiasticis aut mundanis, racionabiliter collata et in posterum pro dei nomine conferenda, necnon indulgencie populares, et exempciones secularium exaccionum a regibus et principibus ac aliis Christi fidelibus predicto monasterio concesse, perpetuam stabilitatem obtineant et vigorem; (*Alex. II*) Item ut nullus rex, dux, comes, episcopus, abbas aut aliqua persona secularis aut ecclesiastica iam sepefatum monasterium vel plures[2] ibi deo seruientes inquietare presumat, nec aliquod eorum que nunc iure habet aut in futurum deo concedente adquisierit, cuiusmodi sint, ab eo alienare aut inuadendo diripere, nec aliqua occasione vexare, aut sine licencia abbatis tenere audeat, Nullique liceat idem monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablata retinere, minuere, vel quibuslibet vexacionibus fatigare: set ab omni secularium iugo sit liberum imperpetuum: (*Alex. III, Innocencius* 3us, *et Honorius* 5) Nullus eciam Minister in villa monasterii sancti Edmundi, vel in terris monachorum vbicumque constitutis, per alicuius manum vel violenciam, abbate et monachis inuitis et contradicentibus, preponatur aut capifer constituatur; (*Celestius* 3us, *cum aliis multis*) Et nulli omnino persone liceat preter Romanum pontificem vel legatum ab eius latere specialiter missum, monasterium sancti Edmundi visitacionis causa vel occasione alicuius grauaminis molestare, seu abbatem vel monachum vbicumque de precepto aut voluntate abbatis constitutum, vel clericum seu laicum aliquem de villa sancti Edmundi vbi abbas de indulto sedis apostolice ius habet episcopale, excommunicare, suspendere vel interdicere, aut monasterium interdicto subicere, set nec aliquam super abbatem seu monasterium aut quemquam de monasterio vel villa in qua monasterium situm est, nec infra quatuor cruces predictas aliquam habeat potestatem: (*Alex.* 3us *cum multis aliis*) Nullus eciam archiepiscopus, episcopus, aut eorum quilibet officialis in villa sancti Edmundi aut infra quatuor cruces vno miliario iiij^{or} ex partibus ab altari magno eiusdem monasterii distantes, infra quas abbas ex indulto sedis apostolice iurisdiccionem habet episcopalem, missas publicas, conuentum aut synodum celebret, aut cathedram collocet, (*Gregorius IX*^{us} *et alii*) Nullusque nisi Romanus pontifex vel legatus eius oratorium vel capellam inuito abbate con-

[1] MS. monasteria. [2] r. fratres?

struat vel erigat infra limites memoratos; (*Alex.* 3us *cum aliis*) Item quod nullus archiepiscopus, episcopus aut eorum officialis in monacho, clerico, ministro seu laico vllam habeat potestatem vel eos citari seu conueniri faciat, nec ecclesiis sancti Edmundi extra quatuor cruces predictas noua grauamina inponere presumat; Nec aliquod ius sibi vendicet processionem sollempnem exigendi, vel aliquod officium episcopale in dicto monasterio exercendi: (*Celestius* 3us *et alii*) Set idem monasterium crisma, oleum sanctum, consecraciones altarium seu basilicarum, benediccionem abbatis, ordinaciones monachorum seu clericorum et cetera episcopalia, a quocumque voluerit episcopo suscipiat catholico; In suscipienda vero benediccione, abbas nulli archiepiscopo vel episcopo, set solo Romano pontifici obedienciam promittat vel faciat professionem; Et quod liceat abbati primam tonsuram monachis suis et clericis ville predicte, (*Alex.* 4us) ac eciam omnes minores ordines citra sacros monachis suis predictis conferre temporibus oportunis, (*Innocencius III^us^*) Et cuicumque episcopo catholico licenciam dare monachos predicti monasterii ordinandi in eodem monasterio et ecclesiis ad ipsum monasterium pleno iure pertinentibus; Item quod liceat abbati in pontificalibus ornamentis, vbicumque diuina celebrauerit, et episcopalem populo dare benediccionem, vestes sacerdotales, pallas altarium, et corporalia ad vsum monasterii sui, ecclesiarum et capellarum sibi subiectarum benedicere; (*Innocencius II*) Item quod episcopus norwicensis abbatem sancti Edmundi non molestet, neque de ordinandis monachis in ecclesiis ad ipsum monasterium pertinentibus nec de aliis ipsum inquietare presumat. (*Alex. II^us^*) Si quis vero hec statuta de monasterio sancti Edmundi temerario ausu contaminare presumpserit aut infringere, anathematis laqueo se innodatum et iudicio superni iudicis plectendum esse cognoscat, ac potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei domini redemptoris Ihesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districte vlcioni subiaceat. (*Adrianus et Alex. cum aliis hic prescriptis*) Cuntis autem eidem monasterio sancti Edmundi sua iura seruantibus, et bona sua ad amplificacionem eiusdem conferentibus aut conferre studentibus: sit pax domini nostri Ihesu Christi et apostolice benediccionis gracia, quatinus et hic fructum bone accionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis et gloriam retribucionis inueniant. (*Clemens* 5us) Omnes has libertates et immunitates a romanis pontificibus siue per priuilegia seu alias indulgencias monasterio sancti Edmundi concessas, necnon libertates et exempciones secularium exaccionum a regibus, principibus et aliis Christi fidelibus eidem monasterio indultas, papa Clemens quintus auctoritate apostolica confirmauit et bulla sua communiuit, et quod abbates priuilegiis suis vtantur, licet vsi non fuerint.

Set tamen huiusmodi libertatibus regalibus et papalibus priuilegiis non obstantibus, quidam norwicensis *Willelmus Bateman nomine Bateman* dictus, circa annum domini M^m^.CCC^m^.xliiij. libertates illas et concessiones regum monasterio sancti Edmundi concessas, confirmaciones priuilegia pariter et exempciones summorum pontificum, per se et suos multimode cepit inpugnare: et deinceps per plures annos subsequentes

abbatem et monachos in vtraque curia angli[c]a et in curia romana variis dampnis, grauaminibus et expensis supra modum inquietauit. (*Primum grauamen*) Primo enim finxit abbatem et conuentum sancti Edmundi in synodo apud Norwicum et Gippewicum celebrato, anno domini M°. CCC. xliiij., quoddam *subsidium sex denariorum de qualibet marca* bonorum suorum, simul cum aliis viris ecclesiasticis sue diocesis, gratis sibi concessisse, ac in ipsum et suam iurisdiccionem, quoad ecclesiasticarum censurarum fulminacionem, in personis eorundem in casu quo dictum subsidium sibi non persoluerent in terminis ad hoc assignatis, consensisse : ipsamque solucionem contemptibiliter omisisse et retardasse, et fecisse ab aliis retardari : — quamquam nullum premissorum fuerat verum set omni caruerat veritate. (2^m *grauamen*) Deinde mandauit et moneri fecit abbatem et conuentum sancti Edmundi ac singulos officiarios eiusdem infra monasterium suum, et contra priuilegia sua, ad soluendum sibi xij denarios de qualibet marca omnium bonorum suorum infra norwicensem diocesim existencium, infra breuem terminum, sub grauibus penis et censuris; pretextu cuiusdam alterius pretensi subsidii, quod tamen nec summus pontifex de exemptis, nec ipse abbas vel conuentus vmquam sibi concedebant. (3^m *grauamen*) Tercio moneri fecit abbatem sancti Edmundi sub pena excommunicacionis, similiter contra priuilegia sua, quod in monasterio suo, capellis et ecclesiis parochialibus abbatem Ramesie denunciaret excommunicatum[1], ipsiusque conuentum suspensum, et monasterium interdictum, propter subsidium non solutum. Quo renuente et appellante, excempcionemque pretendente : idem episcopus, (4^m *grauamen*) Quartum grauamen adiciens, monuit clericos quos abbas habuit consiliarios et comensales, in ecclesiis suis residenciam facere personalem, ut consilio nudus suis monitis obediret. (5^m *grauamen*) Alia vice predictus episcopus abbatem et conuentum citari mandauit et fecit moneri per clericos ipsius abbatis in monasterio sancti Edmundi contra priuilegia sua, vbi nullam habuit iurisdiccionem, ad comparendum coram ipso et ad exhibendum et ostendendum sibi priuilegia super exempcione sua et monasterii sui. (6^m *grauamen*) Idem episcopus vj^a vice propria manu sua quoddam procuratorium procuratoris dictorum abbatis et conuentus, de manu ipsius procuratoris, in manerio suo de Baketoñ quasdam appellaciones conceptas super dictis grauaminibus ad sedem apostolicam sibi legitime notificantis, violenter abstulit et penes se retinuit ; palam ostendens quid facere voluisset in casu quo priuilegia exempcionis predicte sibi exhibita extitissent. (7^m *grauamen*) Iterum citari fecit eosdem abbatem et conuentum in monasterio predicto ad exhibendum et ostendendum priuilegia sua appellacionibus eorum non obstantibus; eisdem in huius[modi] mandatis ac monicionibus suis grauiter comminando, vt eos sic compulisset recessisse a remediis appellacionum suarum. (8^m *grauamen*) Item cum predictus abbas et singuli sui predecessores fuissent in possessione pacifica iuris licenciandi quoscumque episcopos catholicos ad conferendum sacros ordines et non sacros in monasterio sancti Edmundi et in ecclesiis suis infra cruces monachis et

[1] MS. excommunicaret excommunicatum.

clericis oriundis de municipio ville predicte, et alia episcopalia exercenda; idemque abbas primam tonsuram monachis et clericis suis, et ceteros ordines citra sacros, ex priuilegio speciali monachis suis conferre valeat: Dictus tamen episcopus, sciens hoc esse notorium, a collacione huius[modi] ordinum facta in dicto monasterio per archiepiscopum damascenum de licencia predicti abbatis, quamquam sua non intererat, ad sedem apostolicam appellauit, et sic dictos abbatem et conuentum ac eorum priuilegia multipliciter inpugnauit. (9^m *grauamen*) Vltra eciam processit vesana illius malicia, nec predictis iniuriis et grauaminibus contentus, labia sua turpissime laxans ad iniqua, misit vnam litteram mendaciis et scandalis plenam, abbatem citando ipsumque et monachos suos super variis criminibus et excessibus apud bonos et graues per totam patriam diffamando; set cum audisset omnes reclamare, et eciam quosdam de clericis suis litteram illam reprobare, *mutauit sigillum suum* acsi sua non fuisset predicta citacio. | *Quorum pretextu grauaminum* sepedictum monasterium et singule persone eiusdem intollerabile paciebantur illis diebus dampnum et detrimentum. Tandem rex videns multas expensas hinc inde fieri, mandauit episcopo ne de cetero contra decreta predecessorum suorum regum Anglie monasterium sancti Edmundi inquietaret. *Et episcopus, statim motus, excommunicauit militem littere regie portitorem*, et per totam diocesim denunciauit excommunicatum. Ob quam causam rex offensus, propter contemptum cepit in manu sua omnia episcopatus sui temporalia. Super hiis igitur omnibus iniuriis, citacionibus et aliis quamplurimis grauaminibus abbati et conuentui per ipsum episcopum frequenter illatis, singillatim est appellatum, et in curia regis et pape est litigatum. Et condempnatus est episcopus per iuratos de patria coram iusticiariis domini regis apud Westmonasterium in triginta talentis auri regi soluendis, virtute carte regis Hardecanuti predicti; que summa se extendit ad tria milia librarum, videlicet pro quolibet talento C libras. Cuius condempnacionis execucio non solum ex rigore potestatis regie, vel coniectura subtilitatis humane, verum eciam instinctu diuino et sancti Edmundi gloriosi regis et martiris adminiculo, emanasse vel contigisse videtur. | Nam quadam nocte tempore litis pro xxx talentis auri regi condempnandis, cuidam monacho Willelmo de Hengham, viro vite religiose et deuoto custodi feretri martiris gloriosi, quiescenti super bancum ad dextram magni altaris situm sompno arrepto visum fuerat in visione quod beatus Edmundus de scrinio suo in quo iacet incorruptus corporaliter exiuit armatus, et in area pauimenti iuxta scrinium cum omni apparatu regali redimitus stetit, cui aduenienes de capella reliquiarum quidam monachus, vt creditur Aylwinus quondam eius cubicularius, reuerenter optulit ei gladium suum nudum et extractum de vagina. Quem beatus Edmundus de manu monachi uultu animoso et placenti recipiens, et erectum portans, processit vsque ad primam custodiam presbiterii ex parte australi; cui clausure illius custodie sine humano adminiculo aperte cum magno strepitu dedere progressum. Similiter et value secunde custodie. Sanctus igitur martir continuans iter quod ceperat per medium nauis ecclesie, exiit, magnis ostiis, sicut nec prius minoribus,

sibi non obstantibus. Hoc videns et audiens monachus predictus, relator presencium, supra modum lamentans timuit iam illud vulgi dictum tunc esse completum: videlicet [quod] postquam tercio beatus Edmundus cornu suum flauerit, relinquens Beodricesworthe rediret ad Hoxne vbi martiratus occubuit. Set spacio non modico interrupto, anime pre dolore visionis languenti cito illuxit solacium celestis oraculi. Nam beatum Edmundum audiuit et vidit in visione per similem viam et modum quibus egressus fuerat, omnibus clausuris post eum simul coherentibus, reuertentem, et gladium suum vndique sanguine conspersum monacho tradentem qui sibi illum prius administrauit. Monachus ergo gladium cruentatum lintheo mundo tersit, et mundatum in vagina recondidit. Quo facto, beatus Edmundus in scrinium suum assuetum se recollegit, et monachus cum gladio ad capellam reliquiarum reuertens statim disparuit. Euigilans autem monachus custos feretri predictus, audiuit infra triduum quod in crastino post eius visionem episcopus norwicensis apud Westmonasterium in predictis triginta auri talentis coram iusticiariis domini regis iuste fuerat condempnatus: et sic visio eius condempnacioni presulis quodammodo concordauit. | Tandem episcopus ad instanciam regis promisit in presencia procuratorum, notariorum et aliorum multorum, quod de cetero non exigeret ab abbate et conuentu sancti Edmundi subsidium aliquod, nec exhibicionem priuilegiorum suorum, nec super celebracione ordinum de monachis predicti monasterii aut de clericis oriundis infra municipium sancti Edmundi eos inquietaret. Et sic temporalia sua recepit. Et ad disposicionem regis idem episcopus et abbas taliter qualiter concordati sunt; more tamen sophistico et verbali. Nam cum predictus episcopus, in sapiencia sua confidens pariter et thesauro, postea *curiam romanam pro negociis regis, set vt verius creditur ad persecucionem ecclesie sancti Edmundi, cum magna pompa intrasset*: a summo pontifice et cardinalibus gratanter receptus est; sperans omnia sibi ad vota succedere. Set infra paucos dies aduentus sui ad curiam, morte subita preocupatus obiit, et ibi sepultus est; cuius in moriendo hec verba fuerant vltima: 'Buri Buri, seynt Edmond seynt Edmond!', sicut testati sunt qui tunc temporis secum presentes extiterunt. | Sic, sic dominus, contra quem non est sapiencia nec consilium, finem imposuit cogitacioni sue, meritis beati regis et martiris Edmundi, qui semper de inimicis et persecutoribus ecclesie sue victoriam habuit et triumphum. Nusquam[1] enim legitur quod aliquis ecclesiam sancti Edmundi leserit et eam iniuste persecutus fuerit, quin eum dominus meritis sancti sui martiris ad penitenciam vocauerit, aut in malicia perseuerantem grauiter puniu[er]it. Vbi enim, vt de paucis loquar, rex Suanus, presul Arfastus, Eustachius filius regis Stephani de quo scribit Iohannes Sarum in Policratico suo, Henricus de Estsexia, Rogerus Bigot comes Northfolchie, Willelmus de Gislingham iusticiarius regis, Iohannes de Bello-Monte — vbi quorum nomina conficerent librum? Horum vtique malicia execrabilis est, infamia celebris, infelix exitus, quem adhuc de quibusdam eorum presens etas non ignorat. Si quis ergo antiquas nescit historias seu casus vel precipicia persecutorum ecclesie sancti

[1] MS. nusquis.

Edmundi non recolit antiquorum: vel ea que modernis temporibus diuersis villis et patriis contigerunt et oculis in dies ingeruntur attendat, et luce clarius intuebitur quod omnes persecutores ecclesie sancti Edmundi aut vlcio diuina diuersis flagellis examinans reddidit correctos, aut reluctamine obduratos iusto iudicio transmisit ad inferos.—

Incipiunt xvij miracula facta apud Wainflete anno Christi 1374° *et* 5°.

QUOD CAPELLA DE WAINFLETE RUINOSA PER REUELACIONEM FUIT REPARATA.

QUidam Alanus cognomine Wastelere, de Wainflet, cum materia diuersi generis domorum cooperator, intempeste noctis silencio stratu suo recubans et soporis quieti indulgens, hanc in sompnis habuit visionem. Videbatur enim sibi quod ymago sancti Edmundi situata in capella monachorum sancti Edmundi supradicta[1] apud Wainflete, apparuit sibi sic inquiens: 'Alane, vbi te disponis cicius operari?' At ille: 'Cum domino de Kyme apud Borwelle, ibi namque conuencionem de quodam opere speciali celeriter prosequendo.' Cui iterum ymago: 'Scis, inquit, quod capella mea de Wainflet omnino est ruinosa et indiget reparacione necessaria; aliis ergo pretermissis, hoc opus meum animo libenti quam tocius stude perficere.' Alano vero renitente, et dicente ob suam conuencionem prius factam se adquiescere non posse huic operi hac vice: 'Vade, inquit, et noli amplius michi contradicere; nam ante omnia alia michi tuum inpendes seruicium, et ego tibi satisfaciam; iam noli pertimescere super isto.' Tunc dictus Alanus commotus et admonitus in crastino, a nullo mortali querens aut sperans diurnum stipendium, opus cooperture super sepedictam capellam fideliter inchoauit, et ad finem laudabilem perduxit; et non minus set magis de victualibus et necessariis inuenit habundanciam.

DE QUADAM PUELLA DEFUNCTA A MORTE SUSCITATA.

ANno quo supra, quedam Alicia, filia Margarete at þe Kirke de Wainflete, etatis vero vnius anni, per iudicium multorum fidedignorum ibidem circumastancium sub notabili spacio et diffuso defuncta omnino apparuit: pro cuius morte parentes nimis contristati et merentes effecti, per manum domini Iohannis de Haytone capellani super dictam iuuenem denarium curuarunt vouentes deo, sancto Edmundo eiusque ymagini in predicta capella: et statim puella reuixit.

DE QUADAM CONTRACTA IN BRACHIO ET MANU SANATA.

QUedam Matildis, de Westchestre, etatis circiter xl annorum, anno domini M°.CCC.°lxxv° accessit ad capellam predictam, omnino contracta in brachio et manu dextris, ita quod nichil omnino in dictis manu et brachio facere potuit, nec sibi ipsi in aliquo subuenire, aut ipsos erigere. Set crebris instans oracionibus in dicta capella, infra modicum

[1] MS. supradicti.

tempus sanitatem optatam recuperauit, ita quod se ita faciliter sicut prius ante contraccionem, signare posset cum ipsa manu prius omnino contracta.

De alia per ix annos contracta et ibidem sanata.

Quedam Matildis Busche, de Leyk, accessit ad dictam capellam anno prius nominato, que fere per ix annos sic fuit contracta quod nullo modo posset incedere nisi curuata super genua et palmas. Que ibidem dei graciam exspectans, meritis sancti Edmundi adiuta et copiose suffulta, tantam recuperauit sanitatem, quod eodem anno sub baculorum erecta regimine de loco in locum transiuit publice et incessit.

De ceco ibidem illuminato.

Iohannes de Wrangle in Holandia, cecus omnino effectus per occasionem infirmitatis morbillorum, accessit ad dictam capellam sancti Edmundi de Wainflet, et ibidem vacans oracionibus per quindenam integram, tandem dei gracia et sancti Edmundi meritis visitatus, qui ad capellam sub ducis accessit regimine nullo ducente ad propria cum gaudio remeauit.

De alio ceco ibidem illuminato.

Wllelmus de Skegneys, etatis circiter xx annorum, cecus, accessit ad predictam capellam de Wainflete et ibi per xv dies deuotis uacans oracionibus pro recuperanda sanitate, et de tota uita sua domino Iohanni de Haytoñ capellano ibidem confessionem faciens, tandem per merita sancti regis et martiris Edmundi perueniens ad lumen oculorum, sine regimine cuiuscumque visus fuit incedere.

De xvj nautis a periculo naufragii liberatis.

Sexdecim naute periclitantes in portu maris qui vocatur Norman, et penitus de uita desperantes, ad dictam vouerunt capellam sancti Edmundi de Wainflet: et statim celeri fulciti subsidio omnes saluati fuerunt: vnde absque dilacione ad dictum locum sanctum velociter accesserunt ac vota sua emissa ibidem deuote compleuerunt.

De alio naufragante liberato.

Anno domini m°.ccc°.lxxv°, Symon Broun, de Wainflet, in die palmarum nauigans in quadam scapha in aqua periculosa vocata Rabwater, subito per occasionem valide tempestatis auulsus [est] extra scapham, sine spe vite sue conseruande: set recogitans de sancto Edmundo et capella eius de Wainflet, inter artas et crebras angustias votum vouit eidem: et statim cum celeritate admirabili de aquis supradictis iterum in scapham absque dampno corporali restituitur: deinde ad capellam eiusdem sancti votum suum redditurus accessit.

De quodam rogante a febribus curari vel statim mori.

ANno quo supra, Iohannes Pipere, de Friskenay, casu fortuito grauissima compressus erat infirmitate et immensis premebatur continuatis febribus et aliis doloribus, per tres menses et dimidium: qui anxietate nimia vndique uallatus et astrictus vouit ad capellam sancti Edmundi supradictam, deum deprecans et sanctum Edmundum quatinus ab illa infirmi[ta]te cicius conualesceret, vel, si contrarium in dei oculis sibi magis esset expediens, absque temporis dilacione mortem subiret et reciperet corporalem. Hinc ad predictam capellam ueniens, et ibi in oracionibus et vigiliis noctem perducens inso[m]pnem: die proxima sequenti statim post suam oblacionem coram ymagine sancti Edmundi positam, immediate sine temporis protractu, deo et sancto Edmundo spiritum suum commendans inter verba oracionis animam exalauit.

De naufragantibus liberatis.

ITem anno quo supra, quidam naute nauigantes in mari contra villam nomine Skegneys, tanta aeris intemperie subito fuerant circumuenti, quod de vita penitus desperantes vouerunt ad sanctum Edmundum et eius capellam de Wainflet supradictam; promittentes si deus de tanto periculo per merita sancti Edmundi eos liberaret, ipsum in capella supradicta pro modulo suo honoribus et oblacionibus venerari niterentur. Quo voto emisso: protinus ab horribili timore suo per tempestatis subtraccionem sunt eruti, et optate securitati per sancti Edmundi merita velociter com[m]endati; vnde et dictum locum deuote visitantes, nauem de cera nomine oblacionis ibidem situarunt, et cotidie tempore misse in eadem capella ob reuerenciam sancti Edmundi propriis sumptibus candelam ardentem diutissime sustentauerunt.

De quadam muliere contracta et curata.

QUedam mulier nomine Iohanna Gibbe, casu cadens[1] in terram de equo cui insederat, anno superius dicto, cuius casus occasione manum suam dextram contractam obtinuit, ita quod in nullo sibi ipsi per eam potuit prouidere. Vnde in villa de Croft predicta Iohanna residens per noctem in domo cuiusdam nomine Wioth, circa tempus carnipriuii, in sompnis per visionem accepit quod ad capellam pergeret sancti Edmundi de Wainflet, et ibi per merita eiusdem sancti integram reciperet sanitatem. Que statim die proximo sequenti ad dictam capellam perueniens, et in oracionibus per aliquod tempus ibidem consistens, quod precabatur mirabiliter obtinuit, et perfecte sanitati restituta cum gaudio recessit ad propria.

De alia contracta curata.

ANnosa quedam nomine Colet, de Leik, contracta fuit in brachio et tibia sinistris per tres annos integros, ita quod neruis et iuncturis vtriusque membri inuicem congelatis, neutrum membrum supradictum

[1] r. cecidit.

potuit mouere aut erigere quouis modo. Que veniens ad predictam capellam de Wainflete, ibique per xiiij dies oracioni indulgens, tandem a sompno graui preuenta cepit clamare in sompnis: 'Accipe meum brachium, accipe meum brachium.' Per quam vocem subitaneam assistentes stupefacti, dormientem feminam ad vigiliam excitarunt, eaque expergefacta, protinus inquirunt quid sibi vellet clamor emissus. At illa: 'Vir, inquit, mire pulcritudinis sanctissimus martir Edmundus per tibiam me traxit; ac ut per manum me attraheret, ipsum rogaui. Nonne et vos eundem vidistis?' Illis autem exultantibus, dictam vetulam erexerunt et tibiam eius prius contractam, sanatam inuenerunt; vnde et mox sine medio viribus propriis tres gradus coram ymagine [ascendens] oblacionem suam deuote situauit; ac non modicum post in brachio suo magni releuaminis consolacionem probabiliter optinuit et recepit.

De infante submerso vite restituto.

ANno quo supra, quidam infans de ciuitate eboracensi oriundus, etatis xviij septimanarum, submersus fuit in quodam vase aqua pleno, et quasi mortuus omnibus astantibus apparuit. Vnde mater eius stans et eiulans, et omnino de vita ipsius desperans, vouebat tamen confidenter visitare capellam sancti Edmundi apud Waynfleet, vnum denarium incuruans super capud filii sui: et statim reuixit et sanus effectus est.

De quodam alio puero submerso et vite restituto.

ANno supradicto, quidam puer de sancto Botulpho proiectus fuit in portum ibidem de Withum casualiter de vno porco, et ibidem diucius in aqua existens sic quod videbatur mortuus. Parentes vero eiusdem super eo dolentes, de consilio vicinorum vouebant eum ad predictam capellam: et mox integre restitutus est sanitati.

De vj peregrinis in Hispania a uinculis et carcere liberatis.

EOdem anno, venerunt sex peregrini anglici, scilicet dominus Iohannes de Brum capellanus et alii quinque, de Bartoñ et de Beuerle oriundi, de sancto Iacobo in Compostellis versus Angliam [tendentes] vsque ad ciuitatem que vocatur Bures, in Hispannia: in qua quidem ciuitate capti fuerunt tanquam inimici, et incarcerati et in compedibus fortiter positi et ligati per xv septimanas, et statuta erat dies in qua debuissent decollari. Tunc sanctus Edmundus apparuit illis in carcere reclusis nocte precedente, mandans eis vt surgerent et peregre proficiscerentur ad capellam suam in Wainflet. Qui motis manibus ac pedibus, voceque huius audita statim a cathenis soluti, surrexerunt ostiumque carceris apertum inuenerunt, cum omnibus suis, videlicet peris, baculis, vestibus et huiusmodi; et incolumes absque molestacione seu grauamine Angliam introierunt, dictamque capellam deuote visitauerunt, et vnam nauem ceream cum vno cereo magni ponderis, ad agnicionem huius miraculi ad honorem dei et sancti martiris Edmundi humiliter optulerunt.

De quodam puero submerso vite restituto.

ANno memorato, quidam iuuenis de partibus Lindesele natus, etatis quasi viij° annorum, sedebat in vna carecta quatuor quarteriis salis onerata, versus partes Lindesele deferendis. Cumque dicta carecta venisset in villam de Irby super vnum paruum pontem, euoluta fuit in quandam profundam foueam, et puer subtus cecidit, et ibidem iacuit per spacium vnius hore. Carectarius vero de casu huiusmodi stupefactus, ad villam cucurrit pro auxilio obtinendo. Qui cum reuenisset cum hominibus ville, carectam leuauerunt et dictum puerum in profunditate fouee mortuum inuenerunt. Parentes vero dicti pueri eodem die capellam sancti Edmundi in Wainflet peregre visitauerant[1], et domum per eandem viam reuertentes suum filium mortuum inuenerunt. Quo viso: clamauerunt et eiulauerunt, deumque et sanctum Edmundum pro vita filii sui inuocauerunt, et vota vouentes ad dictam capellam redire sposponderunt: et statim dictus puer post votum huius[modi] pedem suum sibi attraxit capudque mouebat, et aliqualiter recreatus, surrexit et quasi illesus cum parentibus suis ad eandem capellam properabat.

De monili in gutture pueri.

ANno prenotato, quidam puer de Tatersale, vnius anni etate, deglutiuit vnum monile de metallo: quod quidem monile in gutture pueri consistebat per duas septimanas, ita quod nullus potuit mouere illud huc neque illuc. Parentes vero ipsius de vita desperantes, vouerunt eum ad predictam capellam sancti Edmundi: et statim post votum emissum, dictum monile sanguinolentum a gutture pueri exiliuit, et sanatus est puer in illa hora.

Incipiunt miracula facta in capella sancti Edmundi de Lynge.

De puero submerso.

PUer quidam in villa de Belawe natus, in profundo cuiusdam putei, anno domini M°.CCC°.lxxj°., casualiter mersus fuit. Pro quo puero sic merso et mortuo parentes eius nimium dolentes et tristes effecti, ad sanctum vouerunt Edmundum, ipsumque in capella sua de Lyng deuocius venerari sposponderunt, si meritis eiusdem martiris puerum suum vite restitutum recipere mererentur. Quo voto sic emisso: statim defunctus reuixit; et parentes eius vota complentes, deum et sanctum Edmundum in capella predicta laudauerunt.

De quadam puella a morte suscitata.

ITem, anno domini M°.CCC°.lxxij°., in villa de Sparham, quedam puella de equo cui insederat[2] casualiter cecidit in terra super collum et capud, ex cuius casus infortunio confracta et elisa mortua est et penitus extincta per spacium trium horarum apparuit. Vnde propinqui eius et

[1] MS. visitauerunt. [2] MS. insiderat.

amici nimium contristati, pro salute puelle reformanda nudis pedibus ad capellam sancti Edmundi de Lyng peregrinaturos sese deuotis affectibus promiserunt. Quo facto: dicta puella respirans reuixit et conualuit, deum et sanctum Edmundum laudans et benedicens; ac in sancti martiris honorem vna cum patre et matre eius tempore vite eorum, vigilias eiusdem martiris in pane et aqua se sub voto ieiunare constrinxit.

De quodam iuuene mortuo vite restituto.

ANno domini M°.CCC°.lxxiij°., quidam iuuenis ville de Lyng percussus enormiter, a momento statim sine spe recuperande salutis per tempus notabile defunctus apparuit. Vnde mater eius turbata et quasi extra se posita, ad sancti Edmundi capellam de Lyng predictam cursu veloci festinauit. Vbi deum et sanctum Edmundum pro filii sui salute iugiter interpellans, et tandem domum regrediens: puerum, quem quasi mortuum et animam exalantem reliquit, vite et sanitati mirabiliter restitutum per merita sancti martiris inuenit.

De quodam languido et muto.

QUidam Iohannes Skynnere, de Derham, anno domini M°.CCC°.lxxiiij°., inter natale domini et dominicam quadragesime quasi in extremis vehementer elanguit: vnde tres eius amici speciales multum contristati, pro eius sanitate recuperanda ad sanctum Edmundum et eius capellam de Lyng vota vouerunt. Quo facto: perfecte sanitati restituitur qui modicum[1] ante mortem subire vicinam ab omnibus putabatur. Postea cum dicti amici simul cum ipso Iohanne predicto peregrinando versus capellam pro voto suo soluendo procederent: Iohannes predictus subito in itinere, plectro lingue sue contracto, mutus omnino, et quasi insensatus effectus est. Quod amici eius intuentes, et supra modum stupefacti et attoniti, dixerunt ei: 'Vere iam patet quod non deuote obseruas vota que pro te emisimus. Sede ergo festinanter et te ipsum discalcia, vt sic deo et sancto Edmundo melius placens, graciam et sanitatem consequaris.' Qui statim amicorum suorum consiliis et monitis adquiescens, subito vsum lingue et loquele expressionem miraculose recepit; et sic deum et sanctum Edmundum benedicens, deuocius prosequitur quod necligencius inchoabat.

De muliere contracta.

QUedam mulier de Repham per vij annos sic erat contracta quod nisi curuata[2] super manus et genua valebat incedere. Vnde ad dictam capellam de Ling ob sancti Edmundi veneracionem, anno domini Millesimo .CCC°.lxxv°., peregrinando veniens, per merita sancti Edmundi sanari promeruit.

[1] MS. modicam. [2] MS. curuatus.

De quodam infante in cunis iacente, inter flammas domus ardentis mirabiliter illeso.

ANno domini M°.CCC.lxxv., contigit apud villam de Skeringe quandam domum subito concremari in qua sponsus cum sponsa, et cum filio suo in cunis iacente, sopori vehemencius indulgebant. Qui statim per flamme stridorem euigilantes, ac mortis perculsi timore domum flamnifluam celeriter egredientes et a vicinis suis auxilium postulantes: filium suum in ignis discrimine penitus obliti sunt, super quem domus predicta per ignem eneruata corruit. Vnde parentes de filio suo reminiscentes et ineffabiliter dolentes, humanoque frustrati presidio, deum et sanctum Edmundum pro filii sui conseruanda salute precibus et singultibus vere gemebundis iugiter inuocabant, vouentes cum lacrimis si deus per merita sancti Edmundi martiris sui gloriosi filium suum sibi reddere dignaretur incolumem, nudis pedibus se capellam sancti Edmundi de Lyng deuote visitare, et oblacionibus honoribusque congruis pro sua possibilitate ibidem deum et sanctum Edmundum toto corde venerari. Quo voto sic emisso: accidit res stupenda et omni laude preconizanda, puer namque nec per casum domus oppressus nec per flammas adustus, viuus et incolumis[1] per sancti Edmundi merita miraculose est restitutus.

De muliere ceca et muta sanata.

QUidam uir de partibus Cancie habens vxorem cecam et mutam, cum qua diffuse multis et variis in locis laborans pro sanitate eidem procuranda nullam omnino potuit impetrare; tandem depauperatus, et labore diutino fatigatus, ipsam occulte dimittendo reliquit, eo quod vlterius sibi necessaria procurare non potuit. Quid plura? Reuera qui sanat contritos corde et allegat[2] contriciones eorum, statim post discessum mariti eidem mulieri in sompnis astitit, dicens: 'Surge et transi ad capellam monialium Thefordie apud villam de Ling in honore sancti regis et martiris Edmundi fundatam.' Que statim a sompno respirans, virum elegantem et pulcher[r]imum de domo sua egredientem oculata fide cernebat; quem sponsum suum fore credens, vocibus huiuscemodi ad eum tunc clamauit: 'Domine, quo vadis?' At ille qui apparuit respondit: 'Hesterna die nullatenus me vidisti, et iam de nocte potes me videre?' Cui et illa: 'Loquor, et video, vnde deo gracias ago.' Statimque vicinis accedentibus retulit qualiter vnus sibi assistens consuluit et monuit vt predictam capellam adiret: quod et fecit. Sicque factum est quod per sancti Edmundi merita in vna eadem persona, ceca visui, muta affatui miraculose fuerat restituta.—

De securi fracto et miraculose reparato.

VIr quidam fidelis et vite probabilis Iohannes de Languode nomine, in partibus Estsexie apud Gosfeld oriundus, quoddam miraculum dum adhuc puer in paterna domo maneret fideli assercione de se contigisse perhibuit. Quodam namque die cum animo caderet puerili quoddam

[1] MS. incolimis. [2] MS. alligat; =alleviat.

lignum findere, securim latenter arripiens velociter cepit agere. Cumque minus caute, forti tamen ut potuit impetu securim ligno concuteret, securim in duas partes fregit, ipsumque cum merore et luctu, flagellum patris metuens, secrecius quo potuit sub quodam scabello occuluit. Preterea in se ipso considerans defectum qui acciderat, et patrem suum diu latere non posse, nouos multiplicat gemitus et lacrimas habundanter effundit; tandem cum lacrimis sanctum regem et martirem Edmundum suppliciter exorauit ut sibi subueniret. Finita cum fletibus oracione, ad locum regreditur vbi securim fractum reposuerat, ut in alio loco secrecius absconderet: securim sanum et redintegratum inuenit. Tunc magno iubilo tripudians, deum et sanctum Edmundum prout sciuit et potuit magnificauit. Postea idem Iohannes adultus, in villa sancti Edmundi circa annos Christi 1349 commorans, a laude sancti Edmundi non cessauit. Quem frater Thomas de Thakstede et frater Henricus de Kirkestede familiariter cognouerunt, et istud miraculum ab eo didicerunt.

EST villa quedam in Northfolchia cui nomen Wymundham, in qua vigent villici claritate fidei precipue commendandi, et virtus sancti Edmundi in ipsis admiranda. Pluries namque cum eorum terre ceperint arescere pro pluuie defectu, protinus expertum remedium nichil hesitantes exquirunt. Sanctum videlicet Edmundum sanctis precibus exorant, et sibi de cera munusculum preparare festinant, et deinde locum eius apud Buri pariter visitare disponunt. Nec aliquando, sancto Edmundo suffragante, a suo voto fraudantur, quin antequam domum redierint habundantibus pluuiis terras eorum irrigari letentur, et vberiores quam terris adiacentibus fructus gratulando percipiant.

Dominican College

De brachio pueri confracto et sanato.

CIrca annum domini M.CCC.xlix. erat in Holondie partibus quidam miles prediues et deo deuotus, cuius quidam famulus cum filio domini sui, tenere quidem etatis, ludens, eumque circumcirca per brachium iactitans, brachium pueri casualiter rupit. Famulus igitur confusus et in luctum conuersus, puerum gementem nutrici ad placandum secrecius commisit. Quod cum nutrix cognouisset, quasi amens effecta lacrimas multas et singultus emisit; puerumque delinitum, in lectulo collocauit, et brachium eius cum mollibus panniculis colligauit, et eum ad sompni quietem excitauit. Cumque nutrix puero dormiente lugeret, cepit tristis cogitare si quod posset tristicie sue consolacionis afferri remedium. Cui statim in memoriam venit virtus miraculorum et frequencia, que sanctus rex et martir Edmundus exercere solebat: tunc cepit illa sanctum martirem deprecari, et orando vouere quod si puerum sanitati restitueret, feretrum eius cum oblacione visitaret. Nec multum post eius votum puer de lectulo clamitans vociferare cepit. Quem[1] cum illa requireret quomodo se haberet, ille respondit quia plene sanus esset; addiditque quod miles quidam pulcher[r]imus sibi astitisset sanassetque

[1] MS. Cui.

brachium suum, et cum magno lumine quo apparuit ab eius oculis discessi[sse]t. Hoc denique signum nutrici puer dedit: 'Inuenies, inquit, panniculos et quecunque diligenter brachio meo apposuisti, in profundita[te] lectuli recondita.' Que statim surgens et omnia prout puer indicauerat inueniens, sanumque brachium circumquaque considerans: gracias egit deo et eius militi sancto Edmundo; postea votum factum soluebat et oblacionem sancto martiri deferebat.

ERat quidam monachus sancti Edmundi nomine Iohannes de Lauenham; tunc susceptor hospitum, et postea sacrista fuit optimus. Cui circa annum domini 1353, tempore sancte quadragesime, vlcus graue supra modum sub mento a latere gutturis cepit succrescere, quo vim eciam inferente, a dominica iij[a] eiusdem quadragesime vsque in vigiliam pasche neque sompno neque cibo libere poterat indulgere. Cumque morbus intumesceret, et ipse iugi punccione mortem sibi imminere tremesceret, multos sanctos[1] inuocauit, set sancti Edmundi regis et martiris et sancte virginis Etheldrede se precibus plenius com[m]endauit. Porro a feria vj[a] ante dominicam palmarum vsque in diem parasceues ita iam dictus monachus infirmitate depressus iacebat ut per ipsam ebdomadam integram nec verbum exprimeret neque dentes set vix labia pro quacumque necessitate ab inuicem disiungere potuisset, vnde desperacione vite concepta, quia loqui non poterat manuum signis, more monachorum in die parasceues, se mortuum signabat. Hoc tandem die in summa pena ab ipso monacho exspectato, circa horam diei nonam paululum dormitare cepit; in qua dormitacione mox sibi visum fuit quod in ecclesia sancti Edmundi gloriosi sui patroni iuxta capellam eiusdem in aquilonari parte chori sitam se sopori dedisset. Quo illic vt [sibi] visum est in extasi permanente, de capella proxima sancti[2] Sabe abbatis exiit quedam sanctimonialis femina supra modum decora, que ad locum in quo iacuit directe profecta est et leniter eius pollicibus eius labia tangens et aperiens orisque illius intima considerans, crucis signum apposuit, et versus magnum altare et feretrum sancti Edmundi cepit ire. Set mox ad infirmum monachum reuersa, eumque blande consolans, taliter allocuta est: 'Tu duos anulos aureos habes in cistella tua, de quibus apud monasterium de Ely vnum facies michi ferri;' nec vix verba compleuerat, ecce quasi ab ymagine sancti Edmundi que in dicta capella sita erat, vox talis exibat: 'Et alterum dabis michi.' Quibus ita finitis, visio facta disparuit. Et statim monachus infirmus, cui per ebdomadam precedentem nec loquendi nec viuendi spes vlla remanserat, excitatus a sompno et a sompno turbatus, multis illic astantibus vna voce clamabat: 'Benedicite, fratres mei; quis affuit hic uobiscum?' Qui cum mirantes respondissent quod nullus nisi ipsi soli: aperto statim ore eius, cunta per ordinem eis enarrabat que deus meritis beati Edmundi et beate Etheldrede circa eum fecerat mirifica pietate. Post hec febre quadam correptus de infirmitate conualuit, deoque summo et sanctis eius gracias egit. | Quidam forsitan hec audientes de sanctis, varie iudicabunt eo quod

[1] MS. socios. [2] MS. sancte. This chapel had been founded by abbot Anselm (1121–38), who had previously been abbot of St. Sabas at Rome; cf. Mon. Angl. III. 103.

rex et martir gloriosus Edmundus virgo et corpore incorruptus, Etheldredam virginem et reginam similiter corpore incorruptam, in tam claro miraculo propria ecclesia famulanteque sibi monacho preuenire voluerit. Nam quod ipse par et particeps huius extiterit miraculi, per hoc omnibus innotescit quod sibi alterum anulum pro munere vendicauit. Hoc denique miraculum plenius omnibus indicat qualiter in choris sanctorum caritas sancta regnat, qualiter de honoribus sibi a deo collatis alternatim applaudunt; qui sibi iocundo certamine honores inuicem offerunt, et quod quis boni vel laudis in alio sancto videt, hoc se per dei presenciam et caritatis fluenciam, se percepisse congaudet.

QUidam seruulus prope villam sancti Edmundi fenum cumulans et in altum componens, cum iam cumulus fere xij pedum vel amplius haberet altitudinem, superstans et minus caute se vertens ad terram ruit, ipsa capitis summitate primum terram contingente, sicque collisus est in ea parte vt collo infra corpus presso, capud et humeri coniungerentur. Affuit balliuus loci hoc videns; et merens eo quod famulus sic subito moreretur, sanctum Edmundum inuocat et se spondet eum cum oblacione visitaturum; deinde oracionibus insistit, collum trahit: et seruulum, quem paulo ante cernebat quasi mortuum, iam loquentem, et post paululum ambulantem mirando, sanctum dei martirem Edmundum exaltabat.

ALius quidam puerulus, nondum quidem triennis, cum apud Cokefeld quodam die luderet cum cultello, fortuitu vt assolet in terram cecidit, seque sic grauiter cum cultello vulnerauit, vt ad mensuram trium pollicum ad estimacionem verisimilem cultellus in pectus pueri infixus mergeretur; quod circa horam nonam contigisse refertur a parentibus, a qua quidem hora vsque ad vesperam sanguis effluere non cessauit. Clamat mater, dolet pater de morte innocentis; deinde vota vouent et sanctum Edmundum inuocant. Tandem respiciens mater puerulum, et per pallorem et duriciam mortis signa coniciens, voce clamauit materna: 'Mortuus est puer meus, mortuus est puer!' Cui puer statim respondit: 'Vere, mater, non sum mortuus, set adhuc tecum viuo.' Qui cito conualuit; et post modicum temporis a parentibus suis ad ecclesiam sancti Edmundi perductus est.

FUit alius paruulus et puerulus nomine Robertus, filius Iohannis de Rokewode de valencioribus patrie sancti Edmundi; qui cum [cum] parentibus suis apud Wheluetham moraretur, elapsus quadam die nutricis manibus in quoddam stagnum casualiter cecidit, et immersus est, bisque vel tercio idem passus natauit tandem super flumen. Inter hec sollicite queritur, et ancilla quedam accurrens eumque natantem videns, nunciauit esse mortuum iacereque turgidum super vndam. Parentes igitur attoniti et valde turbati, cogitabant quomodo eum ad terram traherent et sepelirent; assumentesque rastrum, et per hoc eum attrahentes, posuerunt corpus rigidum calefaciendum iuxta ignem: nullumque vite signum in eo videntes, sanctum Edmundum inuocabant. Nec mora puerum, de cuius

vita desperauerant, iam viuentem et corridentem inspicientes, deum et sanctum Edmundum collaudabant.

QUidam insuper puerulus cum sorore innocente in manerio ville de Ingham vagans ac progrediens, casualiter in puteum plenum horrendo ceno cecidit, et sic mersus est vt nulla pars corporis vel vestium a quoquam posset perpendi. Quod uidens soror, et ingemiscens, clamauit fratrem esse defossum. Audiens vero mater hec, fleuit fortiter et ingemuit; sumensque rastrum et diu querens puerum in puteo, tandem attraxit et extraxit eum de puteo—nec mirum si iam mortuus esset, etsi vires valide suppecissent! Lauant corpus et vestimenta, fouetur puer ad ignem, nec mouetur. Tandem sanctus Edmundus inuocatur: et statim puer spiritum recipit, oculos aperit, manus expandit et vires sumit; ambulat, iocatur et more pueri verba format.

CIrca annum Christi 1351 per merita beati Edmundi regis et martiris infra vj mensium spacium quatuor mortui in comitatu Suthfolchie, vel vere mortui reputati per vera signa et indicia que in mortuis solent apparere, vite pristine et saluti integre restituti sunt.—

CUm sanctus sanctorum per se ipsum testetur quia lucerna sub modio non sit occultanda: mirum cur sanctus Edmundus propter miraculorum frequenciam in vniuersa terra non adoretur et predicetur. Set causa huius ignauie duplex esse potest: aut quia tot operatur quod pre multitudine numerari non possunt; aut certe eorum notatur ingratitudo qui sibi ostensa miracula reuelare et publicare deberent, aut eorum torpor et necligencia qui hec scribere et ecclesie com[m]endare tenentur. Nam milia operatus est miracula que non referuntur, et item milia que non scribuntur, et sic per necligenciam eorum qui scribere debuerunt, a noticia lapsa sunt; sicut naufragorum liberacio, infirmorum releuacio, peccatorum relaxacio, temptacionum euacuacio, aliorumque oppressorum non solum mira set cita et salubris subuencio. Quedam igitur recenciora scribenda sunt, vt tanti nomen martiris futuris temporibus semper permaneat gloriosum. [1] Cum enim propter tempestatem inauditam speciosum et valde spectabile beati Edmundi caderet campanile et in cadendo pluribus mortem intentaret, ita quod nullus tum propter ruinam illius im[m]inentem, tum propter alia per illud seu per tempestatem horrendam ruine patencia tutum sibi locum putaret, patronus noster et pater sanctus Edmundus omnes protexit; cum tamen dicto et audito consideratis circumstanciis, hoc magnum erat miraculum. Namque non solum in ipsa ecclesia, scil. presbiterio, choro et capella beate Marie, vbi maximum imminebat periculum, set [2] eciam in ipso campanili parum ante casum eius hominum multitudo affuerat: set in diuersis cameris, studiis, et aliis locis vbi post paruissimum interuallum ipsa ruina contingebat fratres omnes hic inde consistentes manifesta dei virtute et sancti Edmundi prece ab omni mortis periculo saluantur, nec famulus aliquis, vel catulus, vllam sensit lesionem qua mortem vel mutilacionis discrimen

[1] The following seems to refer to the fall of the church tower in 1210, cf. Mon. Angl. III. 105. [2] MS. seu.

incurrit. Postes tamen campanilis hinc inde cadebant et ante et post monachos a dextris et a sinistris circumcirca ruebant, nullus tamen eorum ledebatur. Campanile igitur horrido motu et impetu corruens versus sanctum Edmundum, cum per omnem racionem et venti indicium eius attemptaret feretrum, dei virtute reuersum est ad aquilonem, ubi nec omnino noceret hominibus, et loca sanctiora et digniora, scil. altaria singula, intacta relinqueret, benedictus deus per omnia. Hec, Christe, tua magnalia, qui per preces et merita sancti Edmundi et aliorum qui tecum sunt facis mirabilia, operaris magnifica, vt nomen quod est benedictum in secula, apud infimos et peccatores sit in laude perhenni; sicque piorum corda confirmas, et impiorum pectora per hec ad te prouocas, vt dicat omnis homo: 'Non est similis tui domine, et non est secundum opera tua.' Hec, inquam, Christe per te facta sunt, qui facis mirabilia solus, et viuis et regnas cum deo patre in vnitate spiritus sancti, etc.

Circa annum domini 1182, dominus Willelmus de Burgo, filius comitis Cancie, fundauit monasterium canonicorum nigrorum in territorio de Atheschille in Hibernia, in honore sancte Marie et sancti Edmundi regis et martiris; in cuius monasterii oratorio principali, iuxta magnum altare, situatur quedam ymago sancti regis et martiris Edmundi, habens in manu sua dextra lanceam in signum protectoris et tocius illius patrie defensoris palam extensam. Volens autem dominus nomen famamque sanctitatis martiris sui Edmundi in occiduis, sicut in orientalibus mundi partibus longius laciusque nitescere, et Hibernicos firmius in fide solidare, fundatoremque predicti monasterii de morte sua premunire quatinus anime sue saluti solicicius inuigilaret resque suas[1] salubrius disponeret: hoc indicium sibi munitiuum dat eidem fundatori vsque in diem hodiernum, ut ymago sancti Edmundi lanceam quam manu tenet erectam, ante mortem fundatoris in proximo morituri de manu sua eiciat et in pauimentum oratorii longius proiciat; cuius lancee eieccio signum mortis fundatoris predicti monasterii incolis hibernicis notorium est et manifestum. In quadam silua predicto monasterio vicina, pascuntur oues simul cum lupis, in magna multitudine, et tamen oues miraculose et meritis sancti Edmundi a lupis omnino non leduntur.

[1] MS. rebus suis.

APPENDIX III.

From MS. Trin. Coll. Dublin B 2, 7 [1].

VITA SANCTI FREMUNDI, AUCTORE UT DICITUR BURGHARDO.

INCIPIT uita et passio Sanctissimi Freemundi regis et martiris, Sancti Eadmundi regis et martiris ex sorore nepotis, a quodam clerico Burghardo nomine ueraci stilo conscripta. Sed et eiusdem corporis inuentio, a beato Berino, eo tempore Dorchacensis ecclesie episcopo, prout uiderat exarata.

AD laudem domini nostri Iesu Christi, ego Burghardus litteris anglicis et latinis instructus, sancti Freemundi ad heremi solitudinem fugientis de palacio socius indiuiduus, comesque eius contra fidei inimicos pro Christi fide dimicantis effectus; uite sue sanctitatem a primeua etate agnoscens, et martirii sui posteris testimonium derelinquens, vitam ipsius miraculis per singula uirtutum opera choruscantem, et passionis eximie gloriam nec morte uictam, prout uidi et didici, et fidei testimonio digna cognoui, fide plena relatione conscripsi. Quippe qui Christi in suis sanctis mirabilia operantis potenciam, et ma[r]tiris sui egregii Freemundi miracula, per Anglie partes circumquaque egrotis, claudis, cecis, aridis, energuminis fide petentibus exhibita, infructuoso silencio preterire non potui. Noui enim quia quod dixerit uc(ri)tas, nulla delere poterit etas. Credo igitur celestem thesaurum in terra absconditum, diu latere non posse, quem pro fidelium utilitate, cum ipsi placuerit, credentibus uoluerit reuelare. Non enim potest lux in tenebris abscondi, cum eam deceat super candelabrum, ut omnibus qui in domo sunt luceat, eleuari. Vitam uero sancti Freemundi uirtutibus et miraculis plenam, et ipsius passionem, que vndecimo die Maii pro Christi nomine completa est, veritatis stilo conscriptas ego, qui morti eius et sepulture presens extiti, in loculo plumbeo simul cum corpore ideo claudere uolui, ut si forte etati postere diuina pietas martiris sui Freemundi sepulturam uoluerit reuelare, litteris istis inuentis in sanctitatis testimonio, ab illius etatis hominibus perlectis,

[1] MS. Trin. Coll. Dublin, where I found this life, is the only MS. yet known which contains the complete text, John of Tynemouth and MS. Lansd. 436, f. 32, giving only abridgments. I am indebted to the Provost and Fellows of Trin. Coll. for the loan of the MS.

sanctissimi martiris nomen et uitam et patriam et parentes et passionis gloriam et miraculorum insignia breuiter annotata cognoscant, et cum ista non uiderint nec audierint, ex nostri officii stilo veritatis testimonio credant, et dei operationi, a quo bona omnia fiunt, et martiris sui Freemundi meritis et laudibus deuotiores pietatis cultum exhibeant.

TEmporibus regum antiquorum erat quidam rex in Anglia, Offa nomine. Hic sibi reginam quandam Botildam nomine, sororem beati Eadmundi regis et martiris, coniunxerat. A primeua etate usque ad decrepitam hii simul uixerant, sed prolis inter se consolationem habere non poterant. Eadem tempestate in eadem prouincia quidam Algarus nomine, uxorem nomine Thouam habuit, que uiro suo filium procreauit. Hic tercia die natiuitatis sue contra nature modum dei uoluntate loquelam edidit, et de prefato rege Offa prophetauit quod in ultimo senectutis tempore filium ex uxore sua procrearet, quem deus ad fidei graciam eligeret, et qui patrem suum incredulitatis frigore detentum cum matre sua ad baptismi graciam, cum maxima eiusdem gentis multitudine, conuerteret, et in infancia sua leprosos mundaret et cecos illuminaret, et eandem patriam ab hostium immanitate liberaret ; in cuius ortu super eandem domum in qua puer nasceretur, arcum celi nouem diebus et totidem noctibus ad sanctitatis eius testimonium iugiter constare predixit. Quo dicto, in sancte trinitatis confessione baptismum petiit, et optinuit ; et predicto quod prefatus puer Freemundus uocaretur : statim ut baptizatus fuit, paruulus obiit. Elapso itaque tempore sicut puer predixit, regina concepit, et sicut etiam in sompnis preostensum fuerat, promissum a deo Freemundum sine magno parturitionis dolore edidit. Super hunc igitur, sicut puer prophetauerat, lucis columpna apparuit, et ipsius noticiam et sanctitatis laudem circumquaque diffudit. Puer Freemundus, cum ad intelligibilis etatis annos peruenit, ab episcopo Eswi baptismi graciam expetiit, et nescientibus patre et matre eandem suscepit ; plures uero prouectioris etatis homines signis predictis prouocatos, eiusdem gracie socios habuit. Baptismi itaque gracia sublimatus, de uirtute in uirtutem excreuit, leprosos mundauit, uarie infirmitatis incomodo depressos, inuocato Christi nomine curauit ; patremque et matrem eius hucusque gentilitatis errore depressos, tantorum prodigiorum magnitudine ad Christi fidem, cum infinita nobilium et plebium multitudine, conuertit. Ipsi uero, etatis grauitate depressi et corpore infirmitate inualidi, post acceptam Christi graciam regi celesti tandem militare uolentes a suis consilium de regni incolumitate suscipiunt, et filium suum Freemundum, iusticie cultorem, pacis et concordie amatorem, uiribus insignem, licet plurimum renitentem ad regni sui regimen, multa prece preostensa, ingruentis necessitatis ratione cum amicorum consilio promouerunt.

HAc necessitate compulsus, non sue sed parentum suorum uoluntati satisfaciens, regni apicem anno integro et dimidio nobiliter rexit, pauperes iuuit, pacis graciam auxit, iniquorum contumaciam debellauit. Deitatis amore preuentus, huius honoris culmen in nichilum duxit : et ne

dum curis terrenis incumberet, salutis interne dampnum incurreret, solum deum consilii sui conscium esse uoluit et nescientibus patre et matre et ceteris amicis omnibus, cum duobus clericis litteris latinis instructis, Burghardo et Edebrito, aufugit, heremi loca quesiuit, et tandem ad ciuitatem quandam supra ripam maris sitam, Carlion nomine, peregrinus peruenit. Vbi forte nauem modicam et neglectam, sine omni naualium armamentorum instrumento, reperiens, in dei bonitate confisus illam intrauit intrepidus, et non uentis sed dei se auxilio committens, nauem in maris profundum impulit, et quo eam dei manus impelleret ire precepit. Et ita quinto nauigationis die, sine remigio, cum duobus sociis ad loca prius periculosa, in quibus ante eum nemo, propter demonum, ut aiunt, ibidem habitancium infestationem degebat, incolumis peruenit. Hec insula maris undis undique circumfusa, et nimia cernentibus altitudine erecta, vno tantum loco commeabilis inuenitur. A longe eam cernentibus instabilis et uaga creditur, dum nunc hac, nunc quasi alia parte, nauigantibus esse conspicitur; et Yslefaie appellatur. Hec situ paruula, nemoris altitudine circumquaque decoratur, pratorum uiriditate adornatur, fontis ad haustum habilis amenitate irrigatur. Hunc locum sibi a deo oblatum, rebus omnibus preposuit, thesaurorum diuiciis plus dilexit; ibique septem annis continuis ab hominum sequestratus consorcio, cum suorum societate uixit, siluestrium pomorum fructu se fouit, radicibus quibusdam sustinuit, auium ouis que ibidem habundanter inueniuntur pastum se prout potuit roborauit. Hiis miraculis deus ampliora adiecit, dum per septem annorum curricula uestimenta que huc detulerat incorrupta seruauit, nec ipsorum decorem usu assiduo diminui permisit. Tugurrium paruulum sibi construxit, cellulam in honore sancte dei genitricis Marie edificauit, in qua diebus et noctibus oracioni incubuit, uite eterne emolumenta quesiuit. Sed quia dyabolus sancti Freemundi profectum equis oculis aspicere non potuit; nec aliquis coronatur nisi qui legitime certauerit: huius pacienciam diabolus sepius aggreditur, deceptionibus eum a statu rectitudinis deicere conatur: pre oculis cordis gloriam terrene dignitatis pro Christi amore spretam sepius obiciens, et quantum sibi suisque sub iuuenili flore proficere posset cordi immittens; religioni sue per omnia inuidens, et hiis aliisque deceptionibus innumerabilibus decipere cupiens. Sed vir Christi Freemundus, qui cordis statum in sublime erexerat et quelibet mundialia pro Christi amore contempserat, retro respicere noluit; transitoria, pro Christo spreta, iterum concupiscere non potuit, qui sola celestia concupiuit: et ideo diaboli temptationibus fatigari, non superari, potuit.

DVm ista geruntur, paganorum exercitus ex transmarinis partibus Anglie regioni influxit, terras cum habitatoribus suis destruxit, eorum ydolatrie subici nolentes diuersis penis afflixit, afflictos morti tradidit, nullorum dignitati, nulli parcens etati. Horum exercitui Hinguar et Hubba crudelitate precipua prefuerunt; qui dum regiones uarias occidendo perlustrauerunt, ad partes illas quibus sanctus Eadmundus imperauerat, cum exercitu peruenerunt, eumque suis legibus subici

nolentem, post plurima penarum genera occiderunt. Huiusmodi fama circumquaque Anglie partes perculit, et regia dignitate sublimes latere non potuit. Prefatus igitur rex Offa, Christianorum necem audiens, et legem fidei[1] et religionis cultum eisdem hostibus deperire expauescens: accepto a suis consilio, de primoribus suis viginti duos legatos filium suum Freemundum per mare per terras undique quesituros mittit, inuenientibus premia labori congrua repromittit; ei fidei christiane cultum citius hostium immanitate deperiturum mandat, nisi ipse pro Christo pugnaturus citius adueniat, vt fidei hostes expugnet, fidei subditis auxilium ferat, fideles ab infidelibus potenter defendat. Hoc igitur accepto mandato progrediuntur, terraque ex parte peragrata, dei uoluntate ad maris insulas exquirendas cicius pertingere moliuntur. Ascensis itaque nauibus, qua eum quererent quaue pergerent ignorantes, ducatu diuino magis quam humano, non casu sed angelico magis persuasu, ad prefatam insulam qua uir dei Freemundus cum suis degebat, inopinate quidem pertingunt: eumque per loca uaria, per nemorum occulta querentes, ad eius cellulam tandem perueniunt, et more solito eum in eadem cellula oracioni uacantem, solum inueniunt, et habitu conspecto et ipsius uultu annotato recognoscunt. Quid plura? genibus eius pariter prouoluti non tamen ab ipso cogniti, patris et amicorum graciam pronunciant, hostium aduentum in patriam intimant, Christianorum necem circumquaque feruere confirmant, patris et matris et parentum interitum promulgant, et super omnia, fidei religionem hostibus deperire coram eo deplorant. Ad horum itaque relationem miles Christi quid faciat? Qui seculo renunciauerat: quomodo ad seculi certamen redeat? Quomodo Christi tyrones Christi tyro pro Christi amore perire conspiciat? Quomodo suorum interitum uindicare presumat? Quomodo mala sibi uel suis inferentibus, mala bonus ipse rependat, cum ipse nisi[2] mala sibi inferentibus bona rependat, bonus esse non ualeat? Si ad ipsum solum hostes fidei peruenissent, si eum pro Christi confessione solum necare uoluissent, utilius[3] quidem mortis sententiam sustineret quam resistendo deuitaret. Cum uero christiane fidei cultores a fidei hostibus deperire conspiceret, nonne se hostibus pugnando obiceret, ut sanguinis effusione solus plurimos liberaret? Sic igitur hinc inde discussa sentencia, de re sibi ambigua dubitans, et in uoto suo nichil, sed in dei uoluntate singula derelinquens, sano quidem consilio preelegit dei uoluntatem oracionum suffragiis exquirere, quam ex proprio arbitrio pro incertis quasi certa presumere. Oracionibus itaque solitis incumbens, et ex corde intimo non suam sed dei uoluntatem exquirens, quidnam ei super huiusmodi nuncio agendum a deo exquirit.

NOcturna igitur uisione beato Freemundo angelus apparens, palam dei uoluntatem innotuit: vt contra fidei hostes fide munitus prodiret, intidiarum rabiem non declinaret, se hostibus obiceret; ut non a se sed a deo uictoriam optineret. Ad huius rei certitudinem, hoc ei angelico nuncio dominus repromisit, ut quot socios haberet, tot hostes[4]

[1] T. E. dei. [2] MS. non. [3] T. E. citius. [4] MS. hostium.

milia cum eo pugnatura putarent. Fide igitur munitus progreditur, et a paucis hostium multitudo non timetur: sed cum ad hostes perueniunt, patrem eius cum exercitu christiano iam ab hostibus prostratum inueniunt. Huius aduentus paganis ducibus nunciatur, et tantorum exercitus in paucorum non mediocriter timore deicitur. Nuncios igitur suos Hinguar et Hubba ad regis filium Freemundum mittunt: vt si cum eis pacem habere uoluerit, et fidei christiane contraire placuerit, eum in amicicie graciam suscipient[1], et totius Anglie principatum ydolatrie legibus subdito concorditer tradent[2]. Nunciorum uerba Freemundus ut audiuit, promissa derisit, regnum spreuit, dei legibus nolle contraire respondit. Dixit enim non pro regno terreno in pugnam procedere uelle, sed contra dei hostes, ut eos puniret, dimicare. Et, quid pluribus morer? vterque exercitus ad pugnam paratur; sed sicut angeli uoce promittebatur, quot socios Freemundus secum habebat, tot milia contra se Freemundo in auxilium uenisse paganorum exercitus uidere putabat. Freemundus itaque miles illustrissimus, plus fide quam armis securus, hostes sine mora aggreditur: et quia eum celestis gracia comitatur, cum ducibus suis citius hostilis exercitus morte punitur. Talia sunt dei miracula! Hec non hominum sed est Christi uictoria, ut ipse cum duobus sociis, et cum viginti duobus hominibus qui eum quesituri aduenerant, quadraginta hostium milia prosterneret, et Christi uirtute uictoriam optineret. Quod ne forte cuiquam in dubium ueniat, de ueteri testamento huic simile miraculum proferimus, et ad fidei credulitatem ueritatis testimonio confirmamus. Ait enim Moyses in uerbis cantici sui filiis Israel: 'Persequetur unus ex uobis mille, et duo ex uobis decem milia.' Et in Leuitico: 'Persequentur quinque de uestris centum, et centum ex uobis decem milia.' Non enim est differencia in conspectu dei celi, liberare in multis et in paucis. Neque de terris, sed de celo uictoria est.

AB hostili igitur cede Freemundus dei gracia defessus armisque exutus, Christum rogaturus, oracioni tandem incubuit, et super hiis omnibus que ei acciderant diuine gracie laudes exsoluit. Sed quid tutum apud homines? Ecce quidam Oswy nomine, qui dux exercitus regis Offe extiterat et ad ydolatrie cultum fide relicta confugerat, et pro regni regimine sibi, si fidem negaret, promisso, cum eisdem hostibus[3] pacem fecerat; uerens ne Freemundus uictoria potitus in eum uindictam faceret et regni sibi promissi ab eo ceptra potens auferret, latenter accessit et gladio euaginato crudeli ictu eius caput amputauit. Mirandis miranda succedunt. Cum ille iniquus[4] caput martiris amputauerit[5], sanguinis gutte super eum casu deciderunt, et totum corpus eius quasi intollerabilis ignis ardore protinus accenderunt. Hoc ille perculsus incomodo, et tanto obstupefactus miraculo, ad martiris pedes pronus accubuit, cum fletu lamentationis uerba edidit, misericordie graciam reatum suum profitens depoposcit. Cumque[6] sanctum nominat et Christi martirem penis obsessus appellat, ecce miraculum: Ad huius preces absolutionis miseri-

[1] T. E. susciperent. [2] T. E. traderent. [3] MS. hostem. [4] T. lictor ille. [5] T. E. amputasset. [6] *al.* eumque.

cordiam postulantes, caput abscisum respondit, et hac eum uoce absoluit: 'Apostolus Christi, cui a Christo absolutionis gracia confertur, te a reatu mee mortis absoluat et huiusmodi penis eripiat, et me in eius confessione punitum ad uite celestis gaudia introducat.' Hec martiris uictoria apud Radefordiam celebrata fuit, et uictorie triumphus omnibus circumquaque celebris extitit. Hic Christi magnalia mirabilibus cumulantur, et magis magisque mirabilioribus declarantur. Christi martir Freemundus, post mortem, in Christo cui omnia uiuunt uiuus existens, et se post mortem uiuere in Christo docens, se quasi uiuus erexit, manibus caput de terra extulit, et cum multis huiusmodi miracula obstupescentibus et eum cum laude diuina prosequentibus, ad locum quendam inter Vchintoñ et Hereburebury caput manibus deferens perrexit. Quo deueniens, ibi consedit, gladii cuspidem humo defixit, aque stillam, qua caput eius et corpus abluerentur, a deo precibus expetiit, et impetrauit. Nam fons in eodem loco, perhenni fluens decursu, excreuit, et ipsius martiris meritum coram hominibus celebriter declarauit. Hausta igitur aqua, uulnera lauit, deum cui omnia uiuunt adorauit: et ita quasi mortuus, ad orientem se uertens, in terra procubuit. Hoc uiso miraculo, prefatus Oswy cum ceteris qui aduenerant, corpus eius et caput suscipiunt, et cum linea qua indutus mortem perpessus fuerat, in loculo plumbeo panno cera obducto corpus totum obambiunt; et in loco qui Offechirche appellatur, intra domus regie maceriem cum ympnis et laudibus sepelierunt. Hoc in loco annis sexaginta sex corpus humatum quieuit: et ibidem huiusmodi miraculo gloriam suam nescientibus declarauit.

TRes puelle diuersis Anglie partibus exorte fuerant et diuersis corporum suorum incomodis a prima natiuitate laborabant. Harum nomina si queruntur, vna Elfleda, secunda Thoua, tercia Britena dicebantur. Elfleda muta nata, loqui non poterat; Thoua manu contracta, manus officio omnino carebat; Britena ad id temporis auditus beneficia nesciebat. Hiis, diuersis a se partibus existentibus puellis angelus in uisione apparuit, et eas sub vna nocte ammonuit, et si de infirmitate remedium optarent, ut surgerent precepit, et ut ad locum qui Offechirche appellatur[1] properarent, denuntiauit; et quia loci predicti situm ignorabant: fumum quendam qui ab eius martiris sepulchro ad summa celi ad modum nebule lucide tendebat, sequi precepit. A locis igitur suis monitu angelico omnes egresse, illius nebule lucem simul conspiciunt, et hac duce ad locum preostensum tandem perueniunt: et sicut angelus eis predixerat, sancti Freemundi martiris corpus in maceria locello plumbeo consignatum inueniunt: et iussu angelico[2], ad locum quendam qui inter Cherewelle et Brandemere[3] bitumine circumdatur, ubi sibi inuicem hii duo fluuii miscentur[4], sepeliendum deferunt. Hee predicte puelle cum ad locum martiris primo peruenerant, quid ibidem singule quererent ignorabant, et que causa eas illuc adduxerat inuicem requirebant. Vna igitur erat uox omnium, et vna intentio singularum[5]: ad hoc scilicet se

[1] L. adds: ad tumulum b. Frithemundi regis et martiris. [2] L. adds: sequenti nocte eis facto. [3] *al.* Brademere. [4] L. adds: qui locus a Banneburi per tria fere miliaria distat. [5] MS. singulorum.

uenisse ut angelico oraculo sancti Freemundi martiris ibi corpus inuenirent, et ad locum prefatum sepeliendum deferrent. Ibi itaque per sancti Freemundi martiris merita de infirmitatibus suis singule remedium receperunt; et ita corpus martiris ad locum prelibatum incolumes pertulerunt. Et quia ubi corpus inuenerant locellum plumbeum reliquerant, aliud eidem martiri sepulchrum non minus habile, de lapide niueo procurauerunt, et ad martiris honorem Christi aduentum et natiuitatem et baptismi gloriam in eodem lapide, et mortis contumeliam et resurrectionis et ascencionis gloriam, et huiusmodi Christi miracula decenter sculpi fecerunt; et in eodem diligenter exciso, martiris corpus collocauerunt. In eodem uero loco decenti quo sepulchrum cum corpore humandum esse proposuerant, uirgam de salice excisam[1] posuerunt; et ita tempore uespertino quiescendi gracia ad uillam[2] perrexerunt, ut cum mane primo illucescente ad locum prenotatum redirent, et in eodem corpus martiris debito pietatis officio sepelirent. Cum uero ad locum peruenerunt: nec corpus martiris nec sepulchrum quo illud posuerant inuenerunt; sed, quod dictu quoque mirabile est, vbi uirgulam in signum defixerant, ibi de eadem uirgula immense magnitudinis salicem sub vnius noctis spacio excreuisse admirate sunt. Deus uero, illis ignorantibus, martiris sui corpus quibus personis uoluit[3], in eodem loco sepeliri precepit. Quia uero quid de martiris corpore factum fuerat scire non poterant, nimio se dolore constrinxerunt[4], lacrimosis suspiriis dei misericordiam vnanimiter flagitantes, ut ipse, cui omnia secreta panduntur, quid de suo martire factum fuerit, aut si forte furatum alias translatum fuerit, illis rogantibus innotesceret. Quod et factum est. Nocte enim sequenti eis reuelatum est quia martiris corpus humatum fuerit: nec amplius nosse quererent quod eas deus latere uoluerit; et sic de Christi miraculis admirantes, ad propria regresse sunt. Omni uero tempore quo ibi corpus martiris humatum latuit, ad sepulture locum, herbis uirentibus redimitum et floribus uariis insignitum, nullum animal accedere potuit; nec auis aliqua super arborem illam sub qua corpus martiris humatum fuerat, licet defessa descendere uoluit. Cum uero herba illa decisa foret et in fenum desiccata, frequenti hominum experimento animalium morbis profuit, et ab egrotantibus depasta eorum incomoda cito curauit. Vnde factum est ut locus ipse ab incolis, causam quidem ignorantibus sed utilitatem cernentibus, reuerencia quadam ueneraretur, et eidem sanctitatis alicuius gracia inesse crederetur.

COntigit uero ut quidam, Ethelbertus nomine, de marinis Anglie partibus orationis gracia Ierosolimam proficisceretur, et ibidem ante Christi sepulchrum plurimo tempore uigiliis et ieiuniis deditus moraretur. Nocte uero quadam eidem ante sepulchrum uigilanti uox celestis insonuit, et nomine suo eum uocauit, precipiens ut statim ad patriam remearet, et locum quendam super flumen Cherewelle situm, ubi quinque sacerdotes mansionem acceperant, sollicite quereret: et in loco[5] non longe posito, sub arbore salicis thesaurum, quo preciosius ad id

[1] L. adds: in crucem formatam, in signum p. [2] L. v. proximam. [3] L. adds: ministerio angelorum, [4] MS. constrinxerant. [5] *al.* prato.

temporis aliud in Anglia non inueniebatur, dei uoluntate sub terra defossum inueniret. Vnde primo dubitans, et sompnium credens, iter distulit, quia de promisso nondum certus extitit. Sequenti uero nocte eidem ante sepulchrum iacenti uox similia precipiens insonuit: sed, sicut prius, ita et tunc dubius ibidem permansit, nec minas ei factas satis expauit; pecuniam tamen precii magni sibi promitti putauit. Et ideo, quia ibi diucius perendinare proposuit, pro incertis iter citius aggredi noluit. Dei uero uoluntatem ex corde perquirens rogauit sollicite ut si ex uoluntate diuina responsio illa procederet, tercio ei promissio illa fieret. Tercia itaque nocte ei uisibiliter angelus apparuit, eumque nomine suo Ethelbertum uocauit, minas intulit et pro incredulitate sua taliter increpauit: 'Vtquid dei iussionem secundo tibi exhibitam non implesti? Vtquid uoci mee hactenus credere detractasti? Perge uelox ad patriam, et, ut tibi predixi, locum quere prefatum, ibique arborem salicis magne inuenies, et sub arboris radice sepulchrum precioso thesauro intus decoratum effodies, in quo corpus sanctissimi martiris Fremundi pro Christo innocenter occisi reperies; et ut promissi huius certus existas, sub eiusdem martiris sepulchro scropham vnam cum tresdecim fetibus inuenies, nec tamen horum ingressum uel exitum reperies. Quia uero promissioni mee incredulus hactenus extitisti, nec uoluntati diuine obedire uoluisti, hanc inobediencie tue penam recipies, et per corporis penalem sententiam angelico iterum oraculo non contraire talibus ammonitus disces': Ad eum quasi iratus accessit, brachii dextri iuncturam a scapula diuellens distraxit, et ipsam eius dextram ad dorsi spinam distorsit; nec ante corporis salutem recuperare, quam ipsius martiris corpus inueniret, et etiam per ipsius suffragia curaretur, ueritatis nuncius asseuerauit. Hiis etiam ista addidit et ad martiris insignis merita declaranda, magnis maiora adiecit: Ait enim: 'Omnes qui ad domini laudem huius martiris sancti se precibus commendauerint, et in eius obsequio celebrando deuoti extiterint, a domino huius sancti martiris precibus premia meritis condigna suscipient, et se sanctitatis meritis profecisse intelligent.' Talibus ammonitus, et corporis dolore constrictus, angelico uaticinio hiis cercior effectus, ab urbe Ierosolimorum spe certus egreditur[1], et ad apostolice sedis summum presulem festinare conatur. Ad eius discretionis auctoritatem, que ei diuinitus preostensa fuerant referre contendit, et que ipse agenda approbauerit, eius consilio vniuersa terminare disponit. Quo perueniens, ex ordine singula pandit: miratur presul ad Christi opera miranda que audit, in mirabilibus suis deum collaudat; et huiusmodi consilia ei ex racione prebenda pertractat: 'Vade, inquit, in patriam et que tibi preostensa sunt diligenter inquire; et si dei gratuita bonitate ita esse inueneris, parochiano loci illius episcopo litterarum mearum apicibus annotatis et tecum delatis iubebis ut martiris sepulchrum de terra eleuet, et proximi monasterii loco apto componat, quousque ad nos ueniat et rei ueritatem ex ordine pandat.' Benedictione igitur percepta ad patriam pergit; locum diutius querens, itineris longitudine defessus tandem inuenit, et deo ductori suo

[1] MS. aggreditur.

gracias agit. Quinque ibi habitantes sacerdotes petit, rei euentum nescientibus, et pre gaudio uix credere uolentibus, ex ordine pandit. Quo audito omnes vna deuotione, thesaurum preciosum inuenire cupientes progrediuntur, et ductoris sui uestigia usque ad locum diuinitus premonstratum comitantur; locum effodiunt, martiris Freemundi sepulchrum inueniunt. Quod cum peregrinus ille Ethelbertus, cuius brachium hucusque angelici tactus dampna sustinuit, in parte defossum letus conspexit, mox ad deum et ad martiris sui corpus genua flexit, preces ex intimo corde effudit, doloris remedium expetiit: et statim per martiris dei Freemundi merita gloriosa, deo miserante, brachii sanitatem ex integro suscepit. Quo audito miraculo, languidi circumquaque ad sepulchri locum recuperande salutis gracia aduenium, cecorum, claudorum, arridorum et mutorum multitudines concurrunt, et inuocato Christi nomine per martiris merita sospitatis graciam suscipiunt. Cum uero sepulchri locum altius effodiunt, sicut peregrino illi predictum fuerat, scropham vnam cum tresdecim fetibus prosilientem mirantes prospiciunt; sed eorum ingressum uel exitum inuenire non potuerunt. Extenso igitur desuper papilione, sacerdotes tres corpus martiris in sepulchro conditum deuote custodiunt, duo vero cum Ethelberto ad Berinum episcopum, tunc temporis apud ciuitatem que Dorchecestre uocabatur presulatus sede sublimatum, rei huius euentum episcopo narraturi adueniunt. Ethelbertus igitur apices de manu domini pape susceptas[1] episcopo legendas tradidit: susceptas legit, rei nouitatem sibi apertius[2] intimari precepit. Narrat ille que uiderat, que angelico oraculo didicerat: miratur episcopus ad singula, credit audita, et Christi in hiis que audierat extollit preconia. Mane igitur facto, que audierat uisu plenius discere cupiens, cum suis ad sepulchri locum tendit: et que audierat, vniuersa uisu annotata, cum mirabilibus que ibi diuina potencia faciebat, letus conspexit. Aperto igitur sepulchro, corpus gloriosi martiris Freemundi intus aromatibus conditum, et decenter pannis inuolutum, admirantibus cunctis inuenit, et in eodem sepulchro, simul cum corpore, ipsius uitam et passionem anglicis apicibus annotatam repperit. Conuocatis igitur circumquaque religiosis personis, post ieiunium triduanum, die denominato, et multorum collegio adunato, episcopus Berinus et Ethelbertus peregrinus cum quatuor uiris religiosis sepulchrum cum corpore manibus suscipiunt: et ad uicinum monasterium deferre uolentes, ad locum quendam qui appellatur Ridic[3] peruenerunt: sed illud ab eo loco nulla racione mouere potuerunt. Quod cernens episcopus, et quidnam sibi faciendum esset suspectus, homines quamplures ad portandum ammonuit: sed in hoc conatu nichil proficere potuit. Ad oracionem igitur conuersus episcopus diuine uoluntatis graciam quesiuit, quid de martiris sui corpore deo fieri placuerit. Diuino igitur prodigio commonitus episcopus hunc locum solum sibi martirem Freemundum preelegisse intellexit; et quod martiri placuerit, omnibus coram stantibus intimauit. Ligneam igitur cellulam in articulo temporis super martiris sepulchrum componi precepit, et illud pre ceteris Ethelberto et quinque sacerdotibus

[1] L. susceptos . . . legendos. [2] MS. aptius. [3] MS. ridie.

predictis cum summa reuerencia custodiendum dereliquit. Ipse uero preparatis ad iter suum necessariis, Romam profectus papam petiit mirabilia que per martiris sui merita, diuina potencia cotidie cum fide petentibus operabatur, coram singulis insinuauit; qualiter corpus martiris inuentum cum sepulchro detulerat, sed quo eum deferendum proposuerat, eum deferre non posse, pronunciauit. Hec et alia quamplura per sanctum Freemundum exhibita sedis apostolice presul miratur, et in singulis miraculo dignis Christi potenciam et martiris gloriam ueneratur. Episcopus igitur Berinus, omnibus peractis ad diocesis sue negocia pertinentibus, benedictione percepta ad Angliam rediit: et susceptis litteris domini pape, sancti Freemundi corpus a sepulchro eleuari et honorificencius in feretro prout posset decenter composito transferri precipientibus, sicut mandatum accepit, episcopos, abbates, ceterasque religiosas circumquaque personas, cum multitudine nobilium et innumero cetu plebium, ad locum quo martiris corpus quiescebat conuocauit; et in loculo, laminis argenteis, que fidelium deuotione ad martiris sepulchrum oblata fuerant, decenti opere deauratis composito, sancti martiris corpus Freemundi cum ympnis et laudibus de sepulchro ueteri eleuatum, sub vicesima octaua die Martii, coruscantibus undique miraculis, collocauit; et ex cemento et lapide uenustiore opere super eum postea oratorium fabricauit. Passus est itaque egregius Christi martir Freemundus quinto Idus Maii: cuius meritis et suffragiis nos peccatores semper adiuuemur, vt per eius temporalem, quam celebramus, festiuitatem, uotiuam eius et omnium sanctorum consequamur societatem. Per eum qui uiuit et regnat et imperat in secula seculorum. Amen.

Explicit passio et inuentio sancti Freemundi regis et martiris.

2. Vita sancti Guthlaci anachorite, auctore Petro Blesensi[1].

Incipit epistola magistri Petri Blesensis ad dompnum Henricum abbatem Croilandie[2] de uita beati Guthlaci.

Reuerentissimo patri et domino, dompno Henrico abbati Croilandie, Petrus Blesensis Bathoniensis archidiaconus, salutem in eo sine quo non est salus. Quia gesta uirorum illustrium solet obscurare uetustas, subtili artificio prudentior cautela decreuit ea redigere in scripturam, vt beneficio litterarum senescentis memorie dispendium releuetur. Iustum equidem a rebus humanis exemptum scriptura quodam modo uiuificat, dum id agit ut tamquam liber inter mortuos uiuat, et aduersus gloriam eius nulla temporis longitudo prescribat. Propulsata itaque desidiose obliuionis iniuria posteritas que sanctorum patrum preconia laude prosequitur, eorum patrocinia assidue experitur, et ad emulanda studia honestatis uirtutum exemplaribus excitatur. Vitam itaque beati Guthlaci, quam celebris miraculorum gloria, quam districtissime religionis auctoritas finali perseuerancia commendauit, in

[1] I am indebted to the Rev. W. G. Searle for calling my attention to this new life of St. Guthlac, which proves to be that from which John of Tynemouth made his abridgment, wherefore I insert it here. It rests on the life by Felix, and is largely made up from biblical phrases. [2] Henry de Longchamp, to whom Peter of Blois also dedicated his continuation of Ingulph, was abbot 1191–1236.

materiam scribendi assumo. Ad hoc enim urget me uestre postulationis instancia et imperiosa dilectio. Veteris autem hystorie superflua resecans, et obscura dilucidans, nequaquam a tenore ueritatis excessi, nec noui[1] aliquid nisi quod publice edificationis exigencia dictabat apposui. Enarremus itaque magnalia beatissimi confessoris, qui dum peregrinaretur in terris, uentum fauoris et laudis humane detestabiliter abhorrebat, ut in domino laudaretur anima sua. Qui enim uiuentem laudat, adulationis oleum uendit quo caput peccatoris impinguat. Non est equidem laus hominis in hoc mundo secura, cuius nec uita secura est, cuius et intima et nouissima sunt ignota. Si enim 'non saluatur qui non perseuerat,' si 'non coronatur qui legitime non certat,' si in arenoso huius seculi stadio et in lubrico huius uite pugnanti apostolus dicat 'Qui stat, uideat ne cadat': sicut periculosa est lucta, sic dubia est corona. 'Non ergo glorietur accinctus eque ut discinctus,' seminator ut messor, pugnator ut uictor. Dum enim 'inhabitamus luteas domos,' et 'in sudore uultus nostri comedimus panem nostrum,' nichil apud nos tutum est, nichil solidum aut perfectum. Paulus ad tercium celum raptus dicit: 'Nondum arbitror me comprehendisse.' Et quis gloriatur se castum habere cor? Quis nouit utrum amore an odio dignus sit?' Solus nouit dominus qui sunt eius. Multi 'miserunt manum ad aratrum, et retro conuersi sunt.' Multi bene 'currentes in uirtutum stadio,' ceciderunt. Ideo Iohannes in epistola sua dicit: 'Nunc filii dei sumus, sed nondum apparet quid erimus.' Porro beatus Guthlacus Christi confessor egregius, tamquam fortis miles a prelio, seruusue fidelis rediens a labore, iam secure potest dicere cum propheta: 'Conuertere, anima mea, in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrimis, pedes meos a lapsu.' Hodie introductus est in gaudium domini sui, et 'in pace factus est locus eius.' Hodie 'datur ei de fructu operum suorum, et laudent eum in portis opera eius.' Ibi vnusquisque sanctus inter filios dei 'de torrente uoluptatis eterne potabitur.' Ibi erit vnicuique laus a deo, et 'dominus transiens ministrabit eis.' Ibi erit mensis ex mense, sabbatum ex sabbato, sabbatum dedicatum, in quo nec exultationis immensitas mensuram, nec eternitas habet finem.

INCIPIT UITA BEATI GUTHLACI ANACHORITE ET CONFESSORIS.

De signo in natiuitate beati Guthlaci.

TEmpore Aethelredi regis Anglorum dilectus deo et hominibus beatissimus Guthlacus, de nobili genere Merciorum ex illustrissimis parentibus originem ducens: ea hora qua dominus eum uocauit et segregauit de utero matris sue, celesti pronostico designatus est. Manus enim quasi hominis celitus missa, ad hostium domus extensa est, ineffabili fulgore choruscans. Que signaculo crucis ostium muniens, felici prefigurabat auspicio quod ille ad ortum procederet qui finali perseuerancia Christi crucem in suo corpore circumferret. Hominum siquidem multitudo ad spectaculum illud ducta miraculi nouitate concurrerat: sciebant enim vniuersi et singuli, quod tam inaudite visionis prodigium, magnum

[1] MS. nouimus.

diuine dispensationis mysterium nunciabat. Cumque in extasi et stupore secundum uarios animi motus opinionibus ambiguis fluctuarent: vna obstetricum de domo illa egrediens miraculosam infantis natiuitatem annunciat, diuineque miserationis presagium uiue uocis attestatione confirmat.

De fama miraculi in natiuitate et baptismo pueri.

CEpit fama tanti miraculi per prouincias adiacentes crebra commeancium relatione plebescere[1], ceperunt populi diuinam in puero magnificenciam commendare, que tante uisionis euentu dignata est primitiuam nascentis infanciam declarare. Octauo itaque die baptizatus, et Guthlacus in baptismo uocatus est: quod interpretatione felici sonat 'belli donum' siue 'bonum donum,' iuxta ydioma Anglorum. A deo enim donatus est parentibus, ut contra oppressores eorum bella gereret ac de illorum uictoria triumphales titulos reportaret. Vel, quod plerisque competencius uisum est, iuxta datum optimum donumque perfectum descendensque a patre luminum, contra spirituales nequicias multiplicia bella gessit, a demonibus grauiter afflictus fortiter eos uicit, omnesque illas monstruosas acies de insula Croilandie, quam longi temporis prescriptione uendicabant in suam, potenter eiecit ac procul imperpetuum relegauit. Proficiebat puer etate, et gracia apud deum et homines. Erat autem facie serenissimus: sic enim deus uultum pueri quadam hilaritate fauorabili, quodam angelico placore serenauerat, ita dicta et facta illius quodam celesti dono gratificauerat, ut corda hominum solo conspectu sibi conciliaret in graciam et fauorem. Iam quintumdecimum annum impleuerat: suique generis inimicos inualuisse conspiciens, cepit ad militares actus iuxta illius etatis exigenciam feruencius estuare. Decoratus itaque cingulo militari, virorum fortium transcendit audaciam, adiunctisque sibi copiis militaribus, cepit in hostiles populos immaniter deseuire, impugnare urbes, castella subuertere, ac de bellicis actibus suis cepit inestimabiles fame titulos optinere. Mirum tamen in modum in ipsa crudelitate armorum[2] hostibus suis misericors erat, eisque de rapinis et predis partem terciam refundebat. Verum quia in eo uas electionis dispensacio sibi diuina preuiderat, non sustinuit eum diutius in perniciem proprie salutis excurrere, sed quanto in armorum[2] milicia feruencior fuerat, tanto ardencius animum eius desiderio milicie spiritualis dominus accendebat.

De Milicia beati Guthlaci et de conuersione eiusdem.

'REcogitabat iuuenis dies suos in amaritudine anime sue.' Ad memoriam reducebat dampnabiles exitus regum magnorumque principum de quorum stirpe descenderat. Intelligebat quod pompa glorie secularis fumus est et 'uapor ad modicum parens[3].' Sciebat quia breues sunt dies hominis, finis uero dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, pena infinibilis. Conuocatis igitur commilitonibus suis, eisdem sue conuersionis desideria reuelauit. 'Hactenus, inquit, amici mei

[1] r. percrebrescere? [2] MS. annorum. [3] T. E. apparens.

karissimi, uanitatibus huius seculi militaui: amodo saluatori meo militare decreui. Hactenus animam meam quasi sub iactu alee posui: nunc ei committenda est qui eam fecit; relinquo mundum ne relinquar ab eo, et eius seruituti, cui seruire regnare est, me deuotus expono. Eligite uobis ducem cuius signa sequamini: ego enim sequor[1] dominice crucis signum, et addico me milicie Christi.' Illi uero inestimabili stupore et dolore percussi, prorumpunt in eiulatum et lacrimas, flexis genibus obsecrantes ut a tali uoluntate desisteret. 'Nolite, inquit, socii et amici mei, salutis propositum retardare: festinantem enim a terris in celum qui modicum detinet, plurimum nocet.' Abiectis igitur armis secularibus, et recedens ab eis, iam non cogitat nisi arma milicie Christi, de quibus apostolus ad Corinthios loquens, 'Arma, inquit, milicie nostre non carnalia, sed potencia a deo ad destructionem municionum, ad destruendam in nobis omnem altitudinem extollentem se aduersus scienciam dei; captiuantes omnem intellectum in obsequium Christi.' Relinquens ergo pallium cum Ioseph, theloneum cum Matheo, ydria[m] cum Samaritana, sepulturam patris cum homine euangelico, sindonem cum Iohanne: nudus aufugit, gratulanter exultans Christum pauperem pauper sequi.

Qualiter ad quoddam monasterium se contulit et tonsuram clericalem accepit; et quomodo in sciencia profecerit.

HAbens igitur in manibus suis animam suam, egreditur noster Abraham de terra et de cognatione sua, de Vr Chaldeorum; mundum sibi arridentem irridens, propriique corporis florem calcans. Qui predo temporalium fuerat, factus est predo celi. 'A diebus enim Iohannis Baptiste,' cuius uitam summo appetebat desiderio imitari[2], 'regnum celorum vim patitur, et uiolenti rapiunt illud.' Et que maior, queso, uiolencia est, quam facere ut caro fiat spiritus, illuc ascendere unde angelus cecidit, nec solum regnum, sed per penitencie humilitatem rapere regem celi? Iam itaque mundo altior, iam a corpore peregrinans, et omnino 'complantatus similitudini mortis Christi': sicut exhibuerat membra sua seruire uanitati ad uanitatem, sic ea exhibuit seruire iusticie in sanctificationem. Porro quia sciebat sensus hominis pronos esse ab adolescentia in malum nisi cohibeantur obseruancia regulari, Ripadium uenit, ubi erat monasterium sancti Petri apostolorum principis. Ipse ergo ad monasterium illud se optulit, et electus in sortem Domini, caracterem tonsure clericalis accepit. Disciplinis itaque monasticis mancipatus, 'exhibebat corpus suum hostiam sanctam uiuentem, placentem deo, racionabile obsequium suum.' Et quia iuxta doctrinam apostoli 'omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet': ab eo tempore nichil omnino bibit quod esse posset ebrietatis occasio. In monasterio autem psalmos et ymnos didicit, atque in sciencia sanctorum infra biennium mirabili facilitate profecit. Cum enim esset docibilis deo, 'unctio docebat eum de omnibus,' ut posset dicere cum propheta: 'De excelso misit dominus ignem in ossibus meis et erudiuit me.' Propterea munus inestimabilis gracie

[1] T. E. sequar. [2] MS. initari.

apud omnes optinuit: erat enim uultu iocundissimus, humilis in gestu, in habitu, in incessu, in operibus timoratus, fide firmissimus, spe longanimis, caritate perfusus, mansuetus et mitis, consilio prouidus, et circumspectus in verbis—quia iuxta uerbum prophete 'dederat ei dominus linguam eruditam,' ut sciret quando deberet proferre sermonem. Sicut ergo in seculo differencius ceteris titulos milicie secularis optinuerat, ita in castris spiritualis milicie sanctitatis gracia ceteris preminebat. Licet autem iam inter alios gradum perfectionis attingeret, humiliter tamen sentiens, causabatur imperfectum suum cum apostolo, utens uerbo eius et dicens: 'Non quod iam apprehenderim, aut perfectus sim; sequor autem, si forte comprehendam in quo comprehensus sum. Vnum autem, que retro sunt obliuiscens, ad anteriora me extendo, et sequor ad brauium superne uocationis, que est in Christo Iesu.'

Quomodo factus est Anachorita.

'Sciens ergo saturari et esurire, habundare et penuriam pati—omnia enim poterat in eo qui confortabat eum'; et sentiens in se ipso quod et in Christo Iesu: humilitatis ipsius et pacientie documenta sequutus, se ipsum abdicare et exinanire decreuit infra conditionem hominum, cenobium mutans pro heremo, uolens ibi fieri reptilium socius et ferarum. Sane inter eos qui conuertuntur ad cor, cenobitarum uita multo est securior; status uero anachoritarum longe perfectior. In cenobio, quia ibi uita communis est et conuersatio socialis, maximum inuenitur contra omnia nequicie temptamenta solacium. Habet cenobita bonum obediencie, censuram silencii, pacem anime, contemplationis archanum, consilium in hesitatione, in temptatione remedium, et efficax in omnibus beneficium medicine. Ibi uirtutum scola est, modestie usus, morum regularitas, fraternitatis affectio, omnium communicatio, discipline uigor, uinculum caritatis, et mutua obsequela. Porro in solitudine, licet sit temptationum pugna suspectior: corona tamen est gloriosior, et fructus uite suauior; dum se ipsum perdit, ut Christum lucrifaciat; se odit, ut Christum diligat; mortuus a corde suo, factusque sibi tamquam uas perditum; deficiens a se ipso, ut crescat in Christum; ut ei adherens, vnus sit spiritus cum eo; ut in desideriis anime sue liquescentis affectione dilecti psallat et dicat: 'Quid michi est in celo, et a te quid uolui super terram? Defecit caro mea et cor meum; deus cordis mei, et pars mea, deus, in eternum.' Ab illa igitur uita tamquam ab inferiore, fit ascensus ad istam. Ideo propheta, qui prius domino profitebatur in consilio iustorum et congregatione, postea similis factus pellicano solitudinis, 'Elongaui, inquit, fugiens, et mansi in solitudine.' De talibus beatus Iob dicit: 'Hii sunt qui edificant sibi solitudines, ut non audiant uocem exactoris,' id est, strepitum milicie secularis. Propterea clamat Ieremias: 'Surgite surgite, saluate animas uestras, et eritis in deserto sicut humiles mirice.' Idem etiam de se ipso: 'Sedebam solitarius, quia amaritudine replesti me.' Deserti siquidem mansionem beato Guthlaco desiderabilem faciebat quia Helias ibi habitauerat, quia Iohannes uox

clamantis in eo penitenciam predicauerat, quia Christus ipsum sua inhabitatione consecrauerat, atque auditorium spiritus sancti et thalamum contemplacionis effecerat. Sciens itaque uir dei quia non habebat hic manentem ciuitatem, sed futuram inquiri oporteat: accepta a fratribus licencia et benedictione, sollicitus querit in qua possit solitudine conuersari.

De insula Croilandie, et conuersatione beati Guthlaci.

EST in Britannia spaciose magnitudinis palus, que a Gronte flumine incipiens, diuersis nemoribus, stagnis, insulis et carectis, uariisque fluuialium uiarum flexuosis anfractibus distincta, ab austro protenditur et in aquilone circa maris confinia tractu longissimo limitatur. Illuc ueniens Christo ducente uir dei cognouit ab incolis, insulam esse nomine Croilandie in abditis paludis illius, ubi aliqui quandoque inhabitare temptauerant, sed eos monstra heremi et laruales forme demonum territos effugabant. Scafula ergo piscatoria in predictam insulam uectus, terram horroris et uaste solitudinis ingressus est, in solempnitate beati Bartholomei apostoli: de cuius meritis specialiter confidens, solus habitare cepit in adiutorio altissimi et in protectione dei celi. Omnibus igitur diligencius exploratis que proposito suo conuenire uidebat, aliquot diebus elapsis proponit in excursu reuerti Ripadium, ut semel uideret ac salutaret fratres suos quos ibi dimiserat; eos enim nunquam ulterius se uidere firmiter in corde prefixerat. Nonaginta itaque dies in itu et reditu transigens, duos secum iuuenes adduxit, rediens cum eis ad locum ubi iam sibi patriam facere destinauit. Erat in insula prefata cumulus[1] coaceruatus ex agrestibus glebis, qui quasi cisterne ueteri preminebat: Ibi uir dei tugurriolum pro palacio sibi fecit. 'Ab ea die et deinceps directus est spiritus domini' in Guthlacum. Recolens etiam antiquos patres circuisse solitudines in melotis, in pellibus caprinis: iam non uestitu lineo uel laneo, sed pellibus crudis et rudibus utebatur; et in hoc primis parentibus se conformans qui de loco uoluptatis eiecti pelliceas a deo tunicas habuerunt, longum et lamentabile nostre peregrinationis exilium sub tali habitu deplorabat[2]. Sciens quia 'non est regnum dei esca et potus': pane tantum ordeiceo et aqua luculenta, cum magna tamen moderatione parsimonie uescebatur, et hoc post solis occasum. Omnis autem austeritas cibi et potus, adiecto condimento diuini amoris, eidem in delicias uertebatur. 'Non enim in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore dei.' Studebat ergo 'operari non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam eternam.'

De desperatione et consolatione eiusdem.

VIuit ergo Guthlacus in heremo iam quasi terrestris angelus, siue homo celestis, nimirum cuius 'conuersatio est in celis.' Porro 'qui stat, uideat ne cadat.' 'Ecce enim qui deo seruiunt, non sunt stabiles, et in angelis suis repperit prauitatem.' Quid ergo faciet in heremo solus demonum temptationi expositus, omnique humane uisitationis solacio

[1] *al.* tumulus. [2] MS. deplorabant.

destitutus? Verbum Salomonis est: 'Fili, accedens ad seruitutem dei sta in iusticia et timore, et prepara animam tuam ad temptationem.' Videns ergo et inuidens humani generis inimicus quia Guthlacus humilitate adquirebat celum quod ille superbiendo amiserat: eidem adeo vehementem spiritum temptationis immisit, ut eum in desperationis foueam deuolueret, nisi ipsum dominus per beati Bartholomei merita oculo misericordie respexisset; vt posset dicere cum propheta: 'Nisi quia dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.' Animo itaque consternatus et supra quam credi possit turbatus a pusillanimitate spiritus et tempestate, fugere et desertum deserere disponebat. Sed eidem beatus Bartholomeus astitit—nec sopor illud erat, quia presenciam apostolice dignitatis splendoris inestimabilis gloria declarabat. Apostolus autem dolores afflicti paterna lenitate demulcens, 'Fili, inquit, confortare et esto robustus. Manum tuam misisti ad forcia: non decet tanti propositi professorem modico turbine temptationis euerti. Viriliter ergo age, et confortetur cor tuum, et sustine dominum; qui et si temptari permittat, faciet tibi cum temptatione prouentum. Impulsus euersus es ut caderes: Sed oraui pro te ut non deficiat fides tua, et adiutus es: etenim dominus supposuit manum suam. Vult deus temptari quem diligit: ideo uisitat eum diluculo et subito probat illum. Operatur equidem temptatio probationem, probatio uero spem, spes autem non confundit. Beatus ergo uir qui confidit in domino, et erit dominus fiducia eius, et brachium ipsius in tempore tribulationis. Exhibe te, fili, sicut dei ministrum in multa paciencia. Karitas enim paciens est, nec est uera caritas cui paciencia non assistit. In tua ergo paciencia posside animam tuam: quia paciencia pauperum non peribit in finem. Si immittit deus immissiones per angelos malos, mittit etiam et consolationes per angelos bonos. Si habundat pro Christo tribulatio tua, habundabit etiam per Christum consolatio tua. Noli ergo de tua infirmitate timere: spiritus dei est qui adiuuat infirmitatem tuam. Si exurgat aduersus te prelium; si exurga[n]t aduersus te castra demonum, iacta in eo cogitatum tuum, confide in eo: ipse enim est salus populi sui, ipse erit tibi turris fortitudinis a facie inimici.' Hiis et similibus dictis, apostolus disparuit ab oculis eius. Ille uero respirans a tribulatione malorum et dolore, animumque suum in fide et amore Christi stabiliens et conquadrans ad omnes temptationis incursus, in uoce exultationis orando et psallendo cantabat: 'Fortitudo mea et laus me[a] dominus, et factus est michi in salutem.' A tempore illo nunquam spiritus desperationis illum in aliquo temptare presumpsit.

De diuersis temptationibus demonum, et de paciencia beati Guthlaci.

ALia die duo filii tenebrarum, transfigurantes se in angelos lucis, ei multa persuasionis instancia ceperunt consulere ut continue per ebdomadam ieiunaret, et sic gradum summe perfectionis attingeret. Biduana et triduana ieiunia reprobantes, proponebant ei ieiunia Moysi et

Helye, atque importabiles abstinencias uenerabilium patrum qui olim conuersabantur in Sithi[1]. Erat enim diabolice persuasionis intencio, ut ille prorsus a comestione cessaret, sibique mortis exicium diuturnitate ieiunii prouocaret. Si enim ieiunium regulam modestie et discretionis excedit, subito languet corpus, deficit spiritus, aufertur orationi affectus, operationi effectus, caligat contemplationis oculus, et, ut multa paucis includam, apud se homicida est, apud deum sacrilegus, et eterne mortis dampnabiliter reus. Intelligens autem homo dei diabolice temptationis astuciam, inuocata Christi uirtute psallebat: 'Exurgat deus et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius.' Illis ergo euanescentibus, flebilique ululatu et mestuosis planctibus implentibus regionem, beatus Guthlacus omnia deinceps diaboli temptamenta contempsit.—Sane multe sunt astucie sathane, de quibus apostolus dicit: 'Non ignoramus astucias sathane.' Propterea paucis diebus elapsis, noctis intempeste silencio irruit in hominem dei infinita demonum multitudo; a terra usque ad celum totus aer implebatur prestigiosis et larualibus demonum formis. Rapiunt eum spiritus monstruosi, extra cellam ducunt, membra eius alligant, ipsumque paludibus cenosis et profundis immergunt. Illum iterum asportantes, per asperrima loca trahunt, et per inextricabiles ueprium densitates. Cumque pars noctis adhuc maxima superesset, instant uerberibus et tormentis ut insulam festinancius deserat; mortis immane supplicium eidem terribiliter intentantes, si a loco dominationis sue tempestiuus[2] non recedat. Ipse uero nichil sciens, nichil sapiens, nichil inuocans preter Christum, cum psalmista dicebat: 'Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est michi ne commouear.' Nobilissimam itaque cedrum uestram nullus temptationum incursus, nullus hostilis turbinis terror potuit inclinare. Crescit Guthlaci paciencia lacessita iniuriis, et molestiis afflicta grandescit. 'Beatus homo cuius est nomen domini spes'; 'beatus, domine, uir cuius est auxilium a te.' Fundatus enim in fide et in amore Christi, 'crescebat tamquam edificium spirituale in templum sanctum in domino.' O abyssus iudiciorum, o fons misericordie deus! Quis hanc abyssum considerauit et non expauit? Quis de hoc fonte dulcissimo bibit et te non amauit? In tuo amore, domine, omnia hec sustinet fortiter, pacienter, et dulciter. Cumque esset 'homo similis nobis passibilis,' omnino deficeret in duris et in miseriis non subsisteret, nisi Christus habitaret in eo. Accepimus enim ab apostolo, Christum habitare in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Videntes autem spirituales nequicie quod nichil proficiebant aduersus constanciam uiri dei: assumentes eum, flagellis ferreis, et horrendis alarum stridoribus ipsum torquent et cruciant; eundem denique subuectum ad nubes, in septemtrionali plaga celi constituunt. Cepit quoque tota celi facies nube caliginosa nigrescere, innumerabiles enim turme malignorum spirituum confluunt; captum rapiunt et ad fauces inferni, miserabiliter affligendo, perducunt. Sanctus uero Guthlacus fetorem senciens gehennalem et

[1] MS. Cithi.

[2] T. E. tempestiue.

estuantes ignis sulphurei globos, omnia que passus fuerat respectu illius angustie leuia reputabat. Hinc enim gurgites igneos, inde torrentes grandine glaciali teterrimos celum et terram occupare conspiciens, uidet non sine dolore et gemitu inter sulphureos uapores ignium, inter uora-
5 gines tauillarum inauditos hominum cruciatus, et ineffabilium facies tormentorum. Demones uero hiis qui cruciabantur horribiliter insultantes, quasi de uiro dei pro suo libitu triumphassent, superbe et procaciter intonabant: 'Ecce nobis traditus es ad cruciatus eternos. Ecce in hiis doloribus sine fine torqueberis, quia sedes nostras inuadere pre-
10 sumpsisti.' Guthlacus autem, clipeum paciencie inimicis opponens, in spiritu humiliato psallebat: 'Domine deus meus, in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me.' Circumuallauerant eum ut raptum in tormenta detruderent: ipse autem erigens ad Christum oculos cordis, et fixos in eo fiducialiter tenens, 'Si ambulauero, inquit, in
15 medio umbre mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.' Et ecce beatus Bartholomeus accedit, et cum eo lumen mirabiliter circumfulgens: cuius splendorem cum demones sustinere non possent, fugam arripiunt et ab eius oculis euanescunt. Guthlacus uero presencia apostoli et consolatione recreatus, deo gracias humiles referebat, quia eum a porta
20 inferi tam misericorditer, tam potenter eruerat. Apostolus autem Christi spiritibus reuocatis districte iniungit ut eum sine omni corporis molestia referant ad locum vnde ipsum rapuerant. Quod ad mandatum apostoli sine dilatione fecerunt, ita suauiter, ut neque curru neque nauigio suauius ferri posset. Cum uero ad medium aeris spacium peruе-
25 nissent, auditus est chorus psallencium in excelso: 'Ibunt sancti de uirtute in uirtutem, uidebitur deus deorum in Syon.' Hostibus igitur triumphatis in loco habitationis sue repositus, ex ipsa uexatione factus est humilior, feruentior, sollicitior, fortior, et cautior.

Quomodo demones in specie hostilis exercitus in eum irruerunt.

30 Porro dum circa matutinas laudes sollicitus excubaret, respexit a sinistra duos demones, sibi ceteris notiores. Qui cum miserabiliter flerent, et ille causam fletus inquireret, responderunt: 'Quia preuales contra nos in omnibus, teque attrectare aut tangere non audemus.' Factoque signo crucis, euanuerunt ab oculis eius.—Temporibus autem
35 Coinredi Merciorum regis, cum Britones gentem Anglorum, que de Saxonum stirpe descenderat, hostilitate bellica deuastarent: beatus Guthlacus more solito uigilias noctis anticipauerat atque in ymnis et canticis spiritualibus domino psallens sacrificium contriti spiritus deuotissimus offerebat. Et ecce undique auditur tumultuantis turbe strepitus,
40 horrendusque clamor quasi exercitus irruentis. Cellulam ergo egrediens, et aures erigens, audit quasi populum innumerabilem lingua loquentem britannica, quam intelligebat ex parte—quandoque enim inter Britones exulauit, linguam quam non nouerat audiuit et didicit. Demum certatim irruunt populi, et habitaculo eius ignem subiciunt, illum uero rapientes

acutis hastarum spiculis in aera leuabant, eique nunc igne nunc ferro mortem simpliciter intentabant. Ipse autem, intelligens hec omnia esse demonum fantasias, incipiens psalmum 'Exurgat deus et dissipentur' etc.: ex quo uersum illum attigit 'Sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis.' tota illa horrifica multitudo cum suis illusionibus quasi fumus uaporalis euanuit.

Quomodo clericus machinatus est mortem eius: quod ipse presciuit.

Erat quidam clericus uocabulo Beccelmus[1], qui sub doctrina beati Guthlaci diuinis mancipatus obsequiis, deo in spiritualibus exerciciis militabat. Videns ergo spiritus nequicie quod in cunctis conatibus suis frustraretur, nec beatum Guthlacum ulla posset temptatione subuertere: se studio propensiore ad omnia malicie machinamenta circumtulit, et quod mediante humana ambitione suis possit satisfacere uotis subtilius intellexit. Nouit equidem quod cupiditas est vna radix omnium malorum, mater transgressionis, magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malicie, sicharia uirtutum, seditionis origo, nouerca honestatis, fomes hodii[2], incentiuum litis, fouea scandalorum. Ea etiam sepe quasi instrumento usus est ut odia seminaret, turbaret amicicias, federa rumperet, dissolueret matrimonia, adulteria concinnaret, procuraret homicidia, exactiones immitteret, religionem peruerteret, claustra turbaret, matres orbaret, incenderet urbes, regna transferret, reges a soliis populosque a suis finibus exturbaret. In iam dictum ergo clericum tantum cupiditatis ardorem, tantam tamque dampnabilem uehemenciam cupiditatis immisit, ut dominum ac magistrum suum uirum dei cogitaret appetere: vt eo secretius interempto, in labores illius introiret, ipsiusque habitationem quasi iure successorio possideret. Ecce alter Naboth cuius occisio procuratur, ut[3] uineam eius iniquus optineat, et dicatur a domino possessori: 'occidisti, insuper et possedisti.' O inuidia, o ambicio, dampnationis eterne preambula! quid est quod in oculis tuis etiam extrema, nuda et abiecta paupertas tuta esse non potuit? Non aurum, non argentum, non purpuram byssumue cum Guthlaco inuenies, sed mellotam pellesque caprinas, iumentarium panem, et ceteras abhominationes Egipti, quas mundus tamquam stercora reputat et abhominando contempnit. Querebat clericus ille occasionem ut oportunius maliciam suam manciparet effectui. Sed 'iustorum anime in manu dei sunt, et non tanget illos tormentum malicie,' 'Tollitque dominus uirgam peccatorum desuper sortem iustorum, ut non extendant iusti ad iniquitatem manus suas.' Aderat dies quem operi tam nefando oportunitas diu exquisita prefixerat, ut beatus Guthlacus habitatione sua pariter spoliaretur et uita. Sed 'nichil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.' Pius equidem Christi famulus quicquid moliebatur aduersus eum iniquitas, spiritu sancto reuelante cognouit: et clericum ad se uocans, in ea mansuetudine qua uerba ipsius condire solebat, 'gracia diffusa in labiis suis,' clerico statum et conceptum animi sui seriatim et ex integro manifesta relatione de-

[1] Fel. Beccelinus, Ord. Vit. Beccelmus, Beccel. [2] = odii. [3] MS. et.

pinxit; quando etiam, ubi, quare, et qualiter facinus illud exequi decreuisset expressit. Ille autem deprehensum se senciens, et uirum dei hec omnia prophetico spiritu cognouisse intelligens, inestimabili penitentia ductus pedibus eius humiliter se prouoluit, ac ueniam deuotissime petens, eam facile consueta et ingenita Guthlaci benignitate optinuit. Et cuius appetierat mortem, ipsum postea frequenter habuit in suis necessitatibus adiutorem.

De molestia demonum in specie bestiarum apparentium.

QVi tociens et tam gloriose triumphauerat de hostibus suis, aliquantula pace usus est. Sed 'ecce in pace amaritudo eius amara': Versucia enim sathane diu sabbatizare non nouit. Quadam itaque nocte cum uir dei uigiliis et orationibus deuocius incubaret: tota insula tremuit, infinita etenim demonum multitudo mutuatis brutorum animalium formis locum intrauit, et intrando circumquaque concussit. Ingrediebantur igitur domum vniuerse facies bestiarum: leo rugiens, taurus mugiens, ursus frendens, aper grunniens, lupus ululans, equus hinniens, aries balans, asinus rudens, coluber sibilans, vnumquodque animal iuxta nature sue facultatem dentibus siue pedibus aut cornibus minas aut terrores immittens. Beatus uero Guthlacus inuocato Christi nomine, et facto crucis signo se muniens, 'Cur me, inquit, temptas, sathana? Dominus michi adiutor est, et ego despiciam inimicos meos. Heccine est similitudo altissimi, quam tibi olim usurpare ausus es in deliciis paradysi? Qui tunc formam dei et similitudinem presumebas, nunc uiliter et dampnabiliter in effigiem brutorum atque inmundorum animalium transformas te? Pauperes Christi dampno tuo persequeris: quia quanto grauius supra dorsum eorum fabricaueris, tanto uberioris glorie coronas eis in tuam perniciem fabricabis. Erit dies quando stabunt iusti in magna constancia aduersus te et complices tuos, aduersus eos qui se angustiauerunt: ipsi demones iudicabunt. Scimus enim quis dixerit: "An nescitis quia angelos iudicabimus?" In quamcumque speciem te prestigiose transformes et deformes, certus sum quia neque mors neque gladius neque uita, neque angeli neque potestates neque principatus, neque altitudo neque profundum, neque instancia neque futura, neque creatura aliqua, poterit me separare a caritate dei, que est in Christo Iesu.' Et hiis dictis, tota illa bestiarum fantasia disparuit.

De cedula quam coruus in harundine dimisit appensam.

QVidam frater uenerat ad hominem dei ut eius exhortatione proficeret, seque in Christi gracia per beati Guthlaci merita confirmaret. Illi ergo mansioni dies aliquot indulgens, quedam secreta in cartula scripserat, cartamque plenius exaratam sine custode dimiserat. Erat autem ingressus monasterium ut oraret: ac respiciens, coruum conspicit cartulam suam deferentem, ac uersus palustres stagni gurgites auolantem. Vehementer turbatus est homo ille: sed Guthlacus, turbacionem eius spiritu sancto reuelante presagiens, et accedens: 'Noli, inquit, turbari,

quia cartulam non amittes.' Porro coruus auolans iam eorum aspectus euaserat: sed ad mandatum Guthlaci homo ille scafam ingrediens, et in partes stagni remotissimas eam ducens, de inuentione scripti sui penitus desperaret, nisi illud inueniendum sanctus famulus dei predixisset. Erat autem in media stagni planitie harundo vna in summitate confracta, que assiduis aquarum discursibus tremulis erat motibus inquieta. In huius harundinis extremitate, que confracta pendebat in aquam, coruus dimiserat cedulam, locatam ita firmiter, ac si eam harundini filo uel alio modo manus hominis alligasset. Nec precium cartule nec dampnum hic miraculum, sed efficax uiri sancti oratio, cuius uerbum, sicut legitur de Samuele, 'nunquam in terram cecidit.' Illud tamen miraculose mirandum est quod in medio aquarum, ubi aque torrencior est excursus, in summitate fracte harundinis, cartula ita coruo dimissa, ita equilibrata pependit, quod nec uentosi turbinis raptu nec aque fluentis impetu moueretur.

Quomodo aues et pisces familiariter conuersabantur cum eo.

ALiud etiam non est sub silencio transeundum: quomodo non solum in hominibus, sed in brutis animalibus et auibus mirificat dominus sanctum suum. Nam ad ipsius uocationem hirundines et cetere aues heremi, pisces etiam stagni, gratanter accedunt; et quasi ad alterius Danielis arbitrium, siluestria heremi mansuescunt. In primo aduentu hirundinum, quasi prehabita blanda salutatione ab eis, certa nidificationis loca singulis assignabat. Ille uero eius scapulis familiariter insidentes, quodam gratulationis applausu uiri mansuetudinem fatebantur. Quod conspiciens uir quidam uite uenerabilis et gloriose opinionis, quem beatus Guthlacus in amicitie spiritualis vinculum et in graciam magne familiaritatis admiserat: de tanta mansuetudine sancti hominis obstupescens, quesiuit ab eo vnde esset tanta illarum auium confidencia et secura cohabitatio circa ipsum. Respondit uir dei: 'Qui toto corde fugit consortia hominum, non solum ei fere et uolucres, sed omnia cedunt ei ad solacium; et insuper nunquam ei blanda deerit consolatio angelorum.'

De Æthelbaldo exule, et de duabus manicis.

EOdem tempore uir quidam nomine Aethelbaldus de genere Merciorum, generositate spectabilis, sed exilio miserabilis, cum aduersus eum forcius et grauius Coinredus rex inualesceret, eumque prorsus a regni sui finibus exturbaret: omni humano solacio destitutus, uirum dei Guthlacum frequencius uisitabat, sperans eius meritis a deo sue infelicitatis optinere solacium—consilium enim penitus et auxilium desperabat humanum. Guthlacus uero, qui adeo exuberanter misericordie uisceribus affluebat ut cum beato Iob dicere posset quia 'mecum creuit miseratio, et ab utero matris mee egressa est mecum': angustias Aethelbaldi per compassionis affectum, non solum sibi communes, sed et proprias faciebat. Accidit una die ut Aethelbaldus adiuncto sibi viro uenerabili Wilfrido

nauigio ueniret in insulam—alias enim non poterat uenire. Quibus de scafa exeuntibus, Wilfridus duas manicas, quibus eo tempore uti mos erat, in scafa dimisit. Beatus autem Guthlacus, dum in oratorio contemplationi uacaret, spiritu sancto suggerente cognouit, a coruis illas duas manicas asportari. Cumque illi duo uiri Christi famulum salutassent; habita inter eos modica collatione uerborum, sanctus eis Guthlacus denunciauit duos coruos detulisse in predam duas manicas quas in cimba dimiserant. Egrediuntur igitur ambo ut huius rei experiantur euentum: uidentque coruum in fastigio cuiusdam domus vnam de manicis tenentem in pedibus rostroque uellentem. Beatus etiam Guthlacus egrediens, precepit coruo ut dimitteret manicam: quam coruus uelut sui conscius criminis, ac reatum purgare festinans, dimissa manica citius auolauit. Quam cum ad se Wilfridus extenta uirge summitate traxisset, sollicitus de inuentione alterius: sanctus ei Guthlacus ipsam sine dilacione restituere pollicetur. Nec mora tribus uiris aduentantibus, sanctus eis Guthlacus occurrit. Qui manicam ei optulerunt inuentam: quam uir beatus accepit atque Wilfrido, celestem admiranti graciam, resignauit. Hactenus latuerat lucerna nostra sub modio: sed diutius 'abscondi non potest ciuitas supra montem posita,' iamque uirtutes beati Guthlaci, eo licet inuito, fama celebrior publicabat.

Qualiter demoniacum et insanum sanauerit.

ERat autem in Orientalium Anglorum finibus iuuenis quidam Huctredus nomine, non minima ingenuitate perspicuus. Degebat hic in domo parentum suorum, quorum reuerencie et obsequio filiales per omnia exhibebat affectus. Quod uidens et inuidens uirtutis inimicus et auctor malicie, eundem ingressus, cepit eum in tantam demenciam excitare ut lignis et lapidibus ferroque homines appeteret, sua etiam membra unguibus et dentibus laniaret. Cuius insaniam cum uellent uinculis cohibere, ille bipennem arripuit, tresque homines qui eum ligare uoluerunt interfecit. Multa pro eo parentes in medicos expenderant, sed opera medicinalis effectum non habuit. Circumduxerunt eum ad plurium sanctorum memorias, sed perdiderunt labores pariter et impensas. Audientes autem quantis miraculorum titulis, quante opinionis gloria insula de Croilandia per beati Guthlaci merita celebris[1] haberetur: illuc ueniunt, iuuenemque ligatum funibus inducentes, beato Guthlaco causam sui aduentus, et illius infelicis miserias suosque labores exponunt. Eis igitur beatus Guthlacus condescendens pio compassionis affectu, furiosum solui precepit, eiusque manum accipiens, ipsum in oratorium introduxit. Ibi effundens animam suam quasi aquam in conspectu domini, cum multo gemitu multoque profluuio lacrimarum, inter archanas iubilationes, inter ignitas compunctiones, inter deuota suspiria, inter quasdam diuine suauitatis experiencias quibus in suis orationibus fruebatur, in tota uirtute humiliati spiritus celestem graciam super infirmum iugiter implorauit, triduumque continuans in ieiunio et oratione, et egrotum aqua sanctifi-

[1] MS. celebe.

cationis aspergens, omnem ab eo potestatem maligni spiritus exsufflauit. Redditus itaque parentibus, aut potius sibi, deo gracias egit ; totoque tempore uite sue securus ab omnium spirituum malignorum uexatione permansit.

De alio demoniaco per beatum Guthlacum curato.

ERat quidam nobilis, illius exulis Aethelbaldi comes, nomine Egga, qui immani grassatione demonum torquebatur : cuius propinqui, de Christi misericordia et beati Guthlaci meritis confidentes, eum uiro dei humiliter et deuote presentant, fletuque et gemitu suffragium sue intercessionis implorant. Accinxit eum uir dei cingulo suo : et statim maligni spiritus cessauit quassacio. Ipse uero deo gracias referens, zona beati uiri toto tempore uite sue se cinxit ; nec eum demon ulterius infestare presumpsit.

De duobus clericis cuiusdam abbatis, quorum turpitudinem beatus Guthlacus in spiritu uidit.

COnsueuerat quidam abbas beatum Guthlacum frequencius uisitare ut ab eo uerba edificationis acciperet, seque beati uiri precibus et meritis commendare[t]. Quadam itaque die cum abbas iuxta solitum morem iter ad eum proposuisset arripere, duo clerici abbatis licenciam acceperunt ab eo, simulantes quedam negocia se habere quibus oportebat eos necessario presencialiter interesse. . Abbate igitur proficiscente ad uirum dei Guthlacum : illi ueni[unt] ad domum cuiusdam uidue, et horam preuenientes terciam [1], ceperunt ebrietati et crapule, cubilibus quoque et impudiciciis, ceterisque extraordinariis uoluptatibus corporis impudenter et dampnabiliter indulgere. Cum uero sanctus Guthlacus et abbas de sacris ad inuicem conferrent colloquiis : uir dei turpitudinem clericorum, spiritu sancto reuelante conspiciens, et uerba et ora [2] eorum cepit ita indicare abbati, ac si ambo iuxta clericos essent eminus [3] constituti. Perceptis ergo salutaribus monitis et benedictione accepta, reuersus est ad monasterium suum abbas. Cui cum illi duo clerici salutatione premissa occurrerent, illos secum retinens, alios exire precepit. Proponit eis que de ipsis audierat. Qui cum in [4] inficias irent seque tamquam immunes a culpa, et ab obiectis prorsus innoxios, procaciter excusarent, cepit abbas et nomen uidue exprimere, et locum et tempus, et uerba et opera, et omnium actuum circumstancias seriatim et quasi uisibiliter, sicut a beato Guthlaco didicerat, intimare. Illi uero certissima sue turpitudinis indicia cognoscentes, tamquam conuicti et confessi ueniam humiliter postulant ; inestimabiliter admirantes tantam dei graciam in Guthlaco, quem uerba occulta et remota opera non latebant.

[1] Fel. : dum non adhuc hora tercia esset.
[2] T. E. opera.
[3] r. comminus ?
[4] *om.* in.

De duobus fratribus uenientibus ad eum, quos in spiritu cognouit duo flascula abscondisse; et de Obba, cuius pedi se spina infixit.

De quodam monasterio duo fratres exierant ut ad dei famulum uenientes ab eo uerba diuine institutionis audirent. Detulerant autem secum duo flascula plena potu: et eadem, antequam peruenerunt ad uirum sanctum, reposuerunt in sabulo, et cespitibus absconderunt, ut ex eis in reditu suo haberent aliquod itineris laborisque solatium. Venerant ad beatum Guthlacum: dumque illis uerbi celestis pabulum ministraret, in ipso sermonis excursu quadam matura grauitate subridens, 'Quare, inquit, filioli mei, non attulistis uobiscum illa duo flascula, que operuistis glebis et sabulo infodistis?' Quo audito illi stupefacti, territi et confusi, culpam confitentes ueniam petunt; et licentiati ab eo, et cum benedictionis gracia recedentes, dicebant: 'Vere, hic est propheta, cui spiritus dei vniuersa reuelat.'—Non solum autem iam de populo Merciorum, sed de remotis Britannie partibus fama hominis dei excitabat omnes qui uel morbo laborabant, uel maligno spiritu uexabantur, uel quos necessitatis angustia siue peccati sarcina pregrauabat. Reportant vniuersi et singuli de tribulatione solacium, consilium in ambiguis, de dolore gaudium, de peccato etiam aut corporis anxietate remedium. Erat autem in illa confluencia populorum quidam Obba nomine, comes illius magni exulis Aethelbaldi, qui ad hoc specialiter ibat ut se uiri dei orationibus commendaret. Contigit uero ut se illius hominis pedi spina uirulenta infigeret, ac pedem ipsius usque ad cratem enormiter transforaret. Cepit itaque eum dolor intolerabilis anxiare, cepitque a planta pedis usque ad lumbos tanto tumore turgescere, ut de uita ipsius possent omnes qui aderant desperare. Audiens hoc beatus Guthlacus, iubet eum afferri ad se; et exuens cilicium in quo solebat orare, ipsum circumdedit: dictoque cicius spina quasi sagitta emissa ab arcu de pede illius prosiluit: subseditque in momento tumor, et doloris angustia conquieuit. Ille uero plene ualitudini restitutus, cum graciarum actione letus et incolumis ad propria remeauit.

De ordinatione beati Guthlaci ab episcopo Hedda, et de Wilfrido, cuius absentis uerba sanctus Guthlacus spiritu reuelante cognouit.

Quidam episcopus Hedda nomine, fama tanti hominis atque miraculorum gloria excitatus, ueniebat uidere desideratissimam faciem tanti uiri. Cum ergo esset in uia, clerici eius ceperunt de sanctitate beati Guthlaci, de austeritate uite eius, de humilitate et prudencia, ac de miraculis conferre ad inuicem, diuinamque in eo magnificare uirtutem. Erat inter eos quidam nomine Wilfridus[1], qui cepit quadam uana iactatione dicere, in proximo se sciturum si talis esset qualem eum fama predicaret. 'Ego, inquit, diu conuersatus sum apud Scotos, ubi uidi pseudoanachoritas simulatione sanctitatis speciem pretendentes, alios etiam noui sancte religionis uerissimos professores. Vsu ergo et experiencia sciam

[1] *al.* Wigfrid.

discernere [1], ex quo Guthlacum uidero, si in ueritate ambulat; si talis est operibus qualem eum fama commendat.' Venerat episcopus ad beatum Guthlacum: cumque sese mutuo salutassent, et multa de sacro eloquio contulissent, sanctus Guthlacus, quem spiritualis unctio docebat de omnibus, Wilfridum respiciens: 'Frater, inquit, Wilfride, quid tibi nunc uidetur de homine isto, quem te hodie iudicare hesterno tempore promisisti?' Wilfridus uero admiratione et stupore percussus, confusus erubescentia, culpamque confessus, se in terram mira humilitate prosternens indulgenciam peciit: quam consueta uiri benignitate optinuit. Beatus equidem Guthlacus nondum in eminenciam presbiteratus ascenderat, sed sic in spirituali exercitio se habebat citra sacerdocii gradum, sicut maiores suos, Paulum [2] heremitam, Antonium, Macharium, Arsenium, sanctum etiam Benedictum, quondam in heremo fecisse cognouerat. Singulis itaque diebus in quibus non habebat copiam sacerdotis, vna hora quam ad hoc specialiter deputabat, omnia dominice passionis ac redemptionis nostre beneficia quasi in fasciculum memorie fideliter ac deuote colligens, et recondens in sinu conscientie ad suauiter fruendum, spiritualiter manducabat carnem domini sanguinemque bibebat. Teste equidem apostolo, 'nemo sumit sibi honorem, sed qui uocatur a domino, tamquam Aaron.' Vnde et hunc episcopum uenisse credimus domino id agente, ut beatus Guthlacus ad uocationem et exortationem ipsius, per impositionem manus, cooperante spiritu sancto, gradum sacerdocii sortiretur. In primis igitur consecrata loci ecclesia, beatus Guthlacus ministerium adeptus est sacerdotis. Ipsius autem ordinatio locique dedicatio facta est tertiodecimo kalendas septembris, ad laudem et gloriam saluatoris. Eadem uero die inuitatus et coactus ab episcopo, cum eo in mensa discubuit, quod a conuersionis sue primiciis pro aliquo mortali facere non consensit.

De Ægburga filia regis Ædwulfi [3], et de plumbeo sarcofago lintheoque transmisso ad beatum Guthlacum; et de successore eiusdem in insula Croilandie.

ERat in diebus illis uirgo prudentissima, Egburga, filia regis Aedulfi, monialium Christi uenerabilis abbatissa. Hec in obsequium uiri dei promtissimo trahebatur affectu: vnde et preueniens diem sepulture eius, plumbeum sarcofagum, lintheumque delicatum interius inuolutum, deuote beato Guthlaco transmisit, supplicans humiliter et obnixe ut se in eo die sui obitus permitteret sepeliri. Illud etiam addidit et affectuosa supplicatione rogauit, quatinus, quis ei esset in illa solitudine successurus, eidem predicere dignaretur. Porro uir dei, sicut de beato Iob legitur, suspecta habens omnia opera sua, diu hesitauit munus illud accipere, ueritus ne aliqua cupiditatis occasio posset eius animum titillare. Tandem utique oblationem sibi missam cum graciarum actione suscepit; uenerande uirgini nuncio mediante significans, illum adhuc esse gentilem qui ei succederet, et in proximo baptizandum. Quod et subsequens rei de-

[1] MS. descernere. [2] MS. palum. [3] *al.* Aldulfi.

clarauit euentus: ei namque successit ei[us]que locum de Croilandia optinuit uir nomine Cissa, qui post beati Guthlaci exitum fidem Christi in Britannia et lauacrum regenerationis suscepit.

Consolatio Æthelbaldi exulis.

VNa dierum loquebatur familiariter cum beato Guthlaco exul ille illustris de quo sepius fecimus mencionem, Aethelbaldus, qui ulterius Coinredi iniurias sustinere non preualens, de solius Guthlaci meritis et oratione post deum fiduciam reportabat. Videns igitur amicus dei Guthlacus, hominem illum diuturnitate exilii fatiscentem, et prorsus animo consternatum, cepit eum salutaribus monitis a lapsu desperationis erigere. Erat quidem [1] potens ad exhortandum, nam 'dominus ei dederat uerbum euangelizandi uirtute multa,' eratque 'mel et lac sub lingua eius.' 'Noli, inquit, fili karissime, de Christi bonitate diffidere: si dominus tibi ad tempus abstulit substanciam temporalem, totum hoc tibi cedere faciet ad salutem. Celestis equidem medicus non semper dulces, sed amaras quandoque porrigit potiones. Si te corripuit dominus, sustine pacienter. Verbum enim sapiencie est: "Ve hiis qui perdiderunt sustinenciam [2]." Ipsa [3] etiam dicit: "Beatus uir qui corripitur a domino," et subiungit: "Increpationem domini ne reprobes: quia in sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum." V[i]riliter ergo age et confortetur cor tuum: bonus est dominus sperantibus in se. Non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem. Vt uerbo beati Iob utar, qui afflictus est erit in gloria. Transibit enim dolor in gaudium, luctus in plausum, gemitus in exultationem, amaritudo in dulcedinem, afflictio in uoluptatem, confusio in honorem. Confortare ergo, fili karissime, et esto robustus: a magnis regibus traxisti originem, nunquam, queso, ab eorum uirtute tui animi magnitudo degeneret. Cordi siquidem magno, nichil est magnum, nichil graue, nichil arduum. Scias quia oraui pro te, nec uoluntate labiorum meorum fraudatus sum. In proximo faciet dominus de persequentibus te iudicium; nec in arcu aut gladio, sed in dei uirtute, non in sudoribus bellicis sed in lacrimis et orationibus meis, quas tibi compaciendo in oculis altissimi effudi, tui regni solium et gloriam optinebis. Non ergo uerearis obprobria hominum, quoniam adhuc respondebis exprobrantibus tibi uerbum. Morietur enim in proximo qui te persequitur; et superbia eorum qui te oderunt ad nichilum deueniet tamquam aqua decurrens. Tu uero cum benefecerit tibi deus, redde altissimo uota tua, tuamque presentem miseriam, et affluentem eius misericordiam recolens, noli esse ingratus. Ingratitudo enim est uentus urens, siccans fontem pietatis, fluenta gracie, rorem misericordie. Recolet autem ac celebrem habebit graciam quam tecum ad instanciam mee intercessionis operaturus est in proximo deus, memoria generationis eterne.' Hiis et similibus plenam restitutionis sue fiduciam adeptus est Æthelbaldus: nec de uerbis gloriosissimi confessoris aliquid in terram cecidit, sed omnia, que spiritu sancto suggerente predixerat, rerum efficax approbauit euentus.

[1] MS. quidam. [2] Eccli. 2. 16. [3] r. Job? cf. Job 5. 17.

Qualiter infirmatus est beatus Guthlacus, et de sui reuelatione secreti.

TEmpus erat ut deponeret sarcinam carnis quam tanto et tam longo usu domare studuerat. Venerat dies ut de mundo transiret, quo mundus non erat dignus, quem se dignum mundi dominus reputabat. Cum igitur quadam die spiritum suum in oratione longe humilius et feruencius solito effudisset, egritudine repentina, quarta feria ante pascha, correptus est; atque Beccelmo vnico contuberniali suo indubitanter denunciat quod octauo die ad dominum de hac plorationis ualle transiret. Cumque ille in eiulatum et lacrimas prorupisset: 'Noli, inquit, flere, fili mi. Ad laborum meorum stipendia uado; bonum est michi dissolui et esse cum Christo. Scio enim cui credidi, et certus sum quia reposita est michi corona iusticie. Si depono hoc corpus corruptibile et mortale, scio quia michi reposita est corona incorruptibilitatis eterne.' Quarto uero die sue egritudinis celebratum est pascha. Ipse autem quasi corporis sui compos ac tocius infirmitatis oblitus, paschalis misse solempnitate premissa, et uiatico nostre salutis accepto, Beccelmo, qui ei in mensa domini ministrauerat, tanti sacri eloqui[i] et mysteriorum spiritualium profunditate usus est, ut ille loqui pocius angelum quam hominem estimaret. In calce autem sui sermonis Beccelmo iniunxit ut ei sororem suam, Pegam, affectuosius salutaret, cuius aspectum semper declinauerat, quia diu, immo eternaliter eam in gloria uidere prenouerat. Et adiecit: 'A mee conuersionis inicio nunquam lineo tegmine usus sum, sed pro pio deuotionis affectu quem sancta virgo Egburga michi exhibuit, illa syndone quam michi transmisit inuolui precipio corpus meum.' Beccelmus autem considerans in facie sancti uiri quod terminus sue dissolutionis instabat, cepit instancius ab eo querere quod nunquam interrogare presumpserat: 'Adiuro te, inquit, pater, per misericordiam Christi, ut michi apertius reuelare digneris quid sit quod a prima cohabitatione quam tecum habui, singulis diebus mane et uespere te cum alio loquentem, mutuosque sermones audiui, et cum quo uerba faceres ignoraui.' Dei uero amicus consueta et innata benignitate respondit: 'Instat, inquit, fili karissime, nouissimus dies michi, nec mentiri michi nunc expedit, qui a primitiua conuersione mea omne mendacium declinaui. Scias autem quod ex quo ad heremum hanc me contuli, semper mane et uespere angelum mee consolationis habui, qui labores et temptationes meas celesti solatio releuabat, predicebat futura, demonstrabat absencia, et archana celestia que nec licet nec expedit michi loqui celitus indicabat. Hec autem, fili, sub silencio claude, nec attemptes ea cuiquam mortalium, nisi sorori mee Pege et Egberto anachorite, ullo unquam tempore reuelare.'

De transitu beati Guthlaci, et de uisione lucis, et de aduentu sororis eius.

SAne suspiria et singultus, que solent esse preambuli mortis, iam pectus beati uiri sepe concusserant; ac de ore ipsius tanta odoris suauitas exhalauit, ac si aliquis flores roscidos sparsisset aut balsamum effudisset.

Nocte uero sequenti, cum sepedictus frater uiri sancti custodiam[1] uigiliis indulgeret, non sine magno stupore conspexit quod a media nocte usque ad auroram totam domum candor lucis inestimabilis circumfulsit. Oriente uero sole, dilectus deo Guthlacus fratrem illum aduocans, 'Fili, inquit, tempus est ut ad Christum transeam, et tu arripias iter tuum.' Et extendens manus ad altare, sacra se communione muniuit, oculisque ac manibus eleuatis in celum, obdormiuit in Christo. Vere mors eius dormitio est, sompnusque breuissimus, quo ad hereditatem transitur eternam, sicut scriptum est: 'Cum dederit dilectis suis sompnum, ecce hereditas domini.' Mors equidem ista per quam introductus est in gaudium domini sui, non est mors, sed portus mortis et porta uite. Nam etsi uisus sit oculis insipiencium mori, mors tamen eum non absorbuit nec uicit, sed 'absorta est mors in uictoria.' Abiit ergo, non obiit; nec extincta est hec lucerna, sed eminencius constituta est, ut luminosius luceat omnibus qui in domo sunt. Cuius natiuitatem celestis splendor presignauerat: eius etiam transitum celestis lucis inmensitas glorie illustrat: nam cum sol iam esset in uirtute sua, radiisque meridianis uehementius estuaret, frater ille quem sepe diximus, quasi turrim igneam a terra usque in celum erectam prospicit, cuius tanta claritas erat quod in comparatione illius solaris splendor luce illa inferior pallescebat. Beccelmus ergo intolerabili timore correptus fugiens, nauiculam arripit, et ad sanctam Christi uirginem sororem beati Guthlaci festinancius tendit. Eo ergo referente quanta et quam miraculosa circa uirum dei uiuentem siue morientem uiderat: uirgo, licet sapientissima esset, primo naturales affectus cohibere non potuit, sed funeri fraterno lacrimas debite pietatis indulsit. Sciens autem quia non diu debeat contristari de dormiente sicut et illi qui spem non habent, deo gracias egit, fratrisque animam deo commendans, se etiam ipsius meritis commendauit. Die uero postera, sicut a fratre suo in mandatis acceperat, ueniens in insulam, sentit totam habitationem inestimabiliter supra omnem fragranciam aromatum, suauitate incomparabiliter redolentem. Exequiis igitur deuotissime celebratis, ac beati uiri corpore tradito sepulture in ipsius oratorio, ad propria remeant.

Quomodo in alium tumulum translatum est corpus eius.

Porro, sicut dispensatio diuina prouiderat, illa uenerabilis uirgo Christi iugiter uersabat in uotis qualiter corpus dilectissimi fratris sui posset in alio sepulchro reponere: et ad hoc cepit continuis meditationibus hanelare. Erat autem annus elapsus a tempore quo sepelierat fratrem suum. Congregatis igitur religiosis presbiteris diuersorumque graduum ecclesiasticis uiris, uenit in insulam. Sepulchrum aperiunt, totumque corpus integrum et incorruptum inueniunt; Christi autem famulus non mortuus, sed omnino dormienti similis uidebatur. Brachia uero et digiti ita flecti et duci poterant, ac si humores spiritu mediante per uenas excurrerent, neruique nichil in morte beati uiri de sue uiuacitatis efficacia perdidissent. Omnia autem uestimenta quibus fuerat

[1] supply agens?

inuolutus, omnino intemerata pristino candore splendebant. Illi stupore percussi, nesciebant quid agerent, sed gaudium cum timore miscebant. Sacratissimum ergo corpus cum multa ueneratione et diuinis [laudibus][1] alia syndone inuoluunt, quam adhuc eo uiuente, in officium sepulture Egbertus anachorita transmiserat; nec recondunt in humo, sed super terram in tumulo memoriali: quem postea rex Æthelbaldus multipliciter munifica et magnifica deuotione ornauit. Ibi repositus quiescit sol Anglie, uas electionis, sal terre, columpna ecclesie, patrie lumen, uite speculum, penitencie forma, sanctitatis exemplum. Cuius conuersatio tota fuerat scola honestatis, morum edificatio, et structura salutis. Vere discipulus Christi, amicus sponsi, honor sacerdotum, pater consilii et solacii, oculus ceci, lingua muti, pes claudi, minister Christi, christus domini.

De aduentu Æthelbaldi et conquestione atque consolatione eius.

AVdierat exul Æthelbaldus beati uiri transitum: nimioque dolore correptus, licet in remotis regionibus ageret, ad sepulchrum beati Guthlaci cum multa lacrimarum affluencia festinauit. Vbi se humiliter in orationem proiciens: 'Quomodo, inquit, ablatus es michi, benignissime pater, quem solum habebam in exilio meo refugium, in dubitatione consilium, in afflictione solatium? Nulla me exilia, nulle iniurie, nulla hostium meorum obprobria, nulle mine, nulla rerum dispendia molestabant. Quicquid enim tristior euentus afferret, ego in sinu tue misericordie quiescebam, atque de tua consolatione michi plenioris leticie remedia compensabam. Non hostiles incursus, non carceres timebam aut gladios, tua intercessione suffultus. Infelix, quare presens non affui? quare oculos illos celestes manibus meis in morte non clausi, quando beatus ille spiritus cum sacratissima illa carne diuortium celebrauit? Et nunc infelicissimus exul quo ibo? Quid faciam? quo me uertam? Nunc primo enim me miserum et exulem recognosco. Non deseras, pater Guthlace, non deseras hunc desertum, hunc exulem, hunc abiectum, hunc filium doloris, hunc uagum et profugum[2] super terram, expositum periculis et tormentis. Si, in carne positus, fuisti potens et efficax adiutor hiis qui tue intercessionis beneficium implorabant, quanto nunc efficatior crederis, qui nunc mole corporis deposita, inter angelos constitutus, Christum solem iusticie et misericordie fontem, irreuerberata acie contemplaris!' Hiis et similibus utens, in planctu et gemitu et oratione continua diem clausit. In casula ergo quadam, que uiuente beato Guthlaco sole[ba]t esse hospicium[3], nondum cessante mesticia se recepit. Cumque maximam partem noctis uariis anxietatibus estuans duxisset insompnem, tandem dormitanti blandus sopor obrepsit: ac subito expergiscens, cellulam in qua iacebat, respicit circumfusi splendore luminis mirabiliter choruscantem, beatumque Guthlacum sibi astantem fulgentemque celesti splendore, et hec uerba dicentem: 'Fili karissime, dominus te respexit: confide et confortare, quia infra hoc biennium finem habe-

[1] om. [2] MS. et profugum et profugum. [3] Fel. qua ... hospitari solebat.

bunt labores tui, et recuperabis in honore et gloria regnum tuum.' Dum sanctus Guthlacus ista proponeret, dum etiam ei dierum suorum longitudinem uiteque sue finalem metam, et alia que uentura erant, quasi ad oculum declararet, Æthelbaldus ait : ' Pater, cuiusmodi signum das michi quod hec omnia pro certo eueniant ut dixisti?' Ille autem respondit : ' Signum et indicium tibi hoc erit quia die crastina ante horam terciam habitatores huius loci citra spem eorum uberi alimentorum consolatione gaudebunt.' Dedit dominus uoci eius uocem uirtutis, atque beati Guthlaci sermonem effectus impleuit. Sequenti enim die homines quidam, preuenientes horam terciam, signum in portu pulsant, et ingredientes cellulam, eam habitantibus ciborum solacia insperata uberi largitate presentant. Quod conspiciens Æthelbaldus deo gracias egit, atque in Christi fide, et sermone beati Guthlaci spiritum prius uacillantem in spe et fiducia stabiliuit. Nec mora, deus persequutorem eius de medio abstulit, exterminauit inimicos eius; suosque actus et consilia magnifice prosperauit. Et sanctus noster vt inueniretur propheta fidelis, antequam biennium effluxisset, plenitudinem regie potestatis optinuit.

De quodam homine de prouincia Wisa, qui uisum miraculose recepit.

ERat paterfamilias quidam in prouincia Wisa[1], cuius oculi iam per annum caligauerant. Vtramque enim pupillam albugo macule et nubes obduxerat. Priuatus ergo omni beneficio uisus, postulat instancius ad beati Guthlaci memoriam duci. Ab amicis itaque ductus, et in beati Guthlaci cellulam introductus, a uenerabili uirgine Pega beati Guthlaci sorore benigne suscipitur. Illa uero modicum salis, consecrati quondam a beato Guthlaco inueniens, in aquam benedictam rasit et miscuit. Cum uero aquam eius oculis instil[l]asset, ille uisum remota omni obscuritate recepit. Deoque gracias agens, in reditu suis ductoribus ductor fuit. Cepit ergo locus ille innumerabilibus choruscare miraculis. Omnes enim qui illuc in fide Christi et sanctissimi confessoris reuerencia de suis necessitatibus petebant remedia, sui uoti plenitudinem optinebant, ad laudem et gloriam saluatoris [2].

De munificencia Æthelbaldi [3].

SAne deuotio quam Æthelbaldus rex ad beatum Guthlacum uiuentem habuerat, nec morte illius torpuit, nec tepuit diuturnitate temporis, nec potencie regalis adeptione cessauit. Ne ergo beneficiorum que a sancto receperat haberetur ingratus, ecclesiam eius adiit, eamque, sicut beato Guthlaco quandoque promiserat, regiis largitionibus ampliauit. Concessit autem uiro dei et successoribus eius absolutam, liberam et quietam illius insule mansionem. Illud etiam munificencia regie liberalitatis adiecit ut iure perpetuo et inconcussa possessione optinerent quinque miliaria regionis illius ad orientem, id est usque ad fossa que uocatur Asendic, et tria ad occidentem, quinque uero ad meridiem, et quinque ad

[1] Fel. Wissa; now Wisbeach. [2] Here ends Felix.

[3] Cf. Ordericus Vitalis (Migne 188, 361) who derives his account 'ex veraci relatione Ansgoti subprioris'; and Hist. Ingulfii.

aquilonem. Hec autem omnia ab omni exactione et consuetudine seculari prorsus exemit, plenamque in omnibus libertatem eis sigillo regali, in episcoporum et procerum presencia, consilio et assensu omnium confirmauit. Quia uero locus palustris inanis et insolidus erat, nec molem lapidee edificationis sustineret, pius rex altiore consilio usus, ingentes palos ex quercubus infinite multitudinis fieri precepit terreque infigi—sicut adhuc etiam istis temporibus circa habitationem illius cenobii oculata fide cernere possumus, cum a fodientibus et fundamenta certa querentibus terra aperitur. Terram quoque solidam iussit nouem miliariis per aquam de partibus remotis afferri. Et sic usus ligneo fundamento, ecclesiam incepit, eamque ad laudem et honorem dei et ad sue salutem anime consummauit. Vt autem beati anachorite memoria perpetuo in honore et gloria celebris haberetur, conuentum religiosorum induxit, locumque magnificans beneficiis, edificiis, et ornamentis, nunquam ad nouissimum diem suum ab illius cenobii ueneratione, defensione, aut promotione cessauit. In eodem loco religionis monastice professores usque in presentem diem continuauit antiquitas: qui iugiter in libro experiencie legunt quanti apud deum sit meriti sanctissimus iste confessor, quam promtus, quam efficax in necessitatibus afflictorum, et quam tempestiuus adiutor: prestante domino et saluatore domino nostro Iesu Christo, cui sit honor et gloria in secula seculorum. AMEN.

INCIPIT PROLOGUS IN TRANSLATIONEM CUM MIRACULIS BEATI GUTHLACI ANACHORITE[1].

GLoriosam uenerabilis patris nostri Guthlaci translationem, karissimi fratres, deuotis laudibus prosequamur, ut obsequium nobis in premium, preconium in patrocinium conuertamus. Si enim adhuc 'similis nobis passibilis,' dum in hoc mortali corpore Christo militabat, super demones et languores adeo potestatiue uirtutem miraculorum exercuit: quantum putatis nunc eum posse supplicantibus impartiri suffragium, qui stola immortalitatis indutus gloriatur in presencia Christi inter angelicos[2] et in congregatione sanctorum? 'Intrauit enim in gaudium domini sui,' introiuit in potencias domini et abyssos claritatis eterne, ubi leticiam et amenitatem, pacem et uoluptatem, lucem inaccessibilem, felicitatem et gloriam, 'iocunditatem et exultationem thesaurizauit dominus super eum.' Beatus itaque Christi confessor satis domestico exemplari uos erudit et informat, qui 'in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus plurimis, in ieiuniis et uigiliis multis, in temptationibus supra modum,' et in omnibus regularis uite obseruanciis gloriose de carne sua, de seculo, et de maligno spiritu triumphauit. 'Emulamini ergo carismata meliora' ad que beati Guthlaci uita uos instancius inuitat; cuius uirtutes et merita si pro uoto plene non potestis assequi, studeatis tamen eundem spiritualibus exercitiis imitari. Vestri patris exemplo, dura in presenciarum toleranda sunt, ut cum eo 'regnum celorum, quod a diebus Iohannis vim patitur,' per uiolenciam penitencie capiatis. Reliquit uobis

[1] This Transl. has not been used by John of Tynemouth. It rests on an older account ed. in Boll. April 2, p. 54 (but incomplete at the end). [2] supply cetus?

reuerentissimus pater quasi uadem dilectionis et obsidem corpus suum ; et sic uobiscum corporaliter habitabit, donec reinduat carnem quam apud uos quandoque deposuit, 'deo aliquid melius prouidente pro nobis,' sicut de isto et de aliis sanctis dicit apostolus, 'ut non consummetur sine nobis.' Honoremus igitur patrem et patronum nostrum, qui in religione nos genuit, qui assidue pro nostris necessitatibus ante propiciatorium diuine miserationis deuotus assistit. Ei autem honor exhibendus est, non tantum in albis et oloxericis, non in uocum modulatione, non in campanis et organis, non in luminaribus et lautioribus cibis : sed gloria patris est sapiens filius, patris honor est deuotio filialis, mutua inter nos caritas, conscientie mundicia, et puritas actionis. Ille igitur qui beatum Guthlacum miraculis innumerabilibus illustrauit, labia nostra in suas laudes aperire dignetur : ad cuius gloriam cedit quicquid de sanctorum suorum miraculosa uirtute narratur.

INCIPIT TRANSLATIO BEATI GUTHLACI CUM MIRACULIS EIUSDEM.

TEmpore quo beate recordationis abbas Waldeuus[1] monasterio presidebat in quo beati Guthlaci corpus insigne collocauerat ueterum patrum ueneranda deuotio : celesti gracia diuinitus inspirante, omnes qui ibidem domino militabant, uotiua et communis ad hoc traxit affectio, vt tam preciosum thesaurum, quem adhuc abscondebat gleba humilior, affectio filialis in eminenciam glorie celebrioris efferret. Super hoc itaque abbatem suum blande conueniunt, et quod inter desiderabilia huius mundi habebant in uotis precipuum, humili relatione aperiunt. Ille autem, sicut uir nominatissime religionis et mire mansuetudinis homo, supplicationibus filiorum gratum impartitur assensum : et ut tam gloriose translationi reuerencia exhiberetur impensior, decreuit ieiunium eis indicere triduanum. Ad effodiendum autem hanc preciosissimam margaritam que latebat in terra, quatuor de ipsa congregatione[2] deliberatione communi electi sunt, qui et merito sanctitatis, et uenerande senectutis auctoritate, ceteris preminebant. Illi tamen sacrorum inquisitione pignorum sese reputantes indignos, in excusationis materiam suorum insufficienciam meritorum humiliter allegabant. Porro presentis uite imperfectum supplet obediencie uirtus. Vnde et abbatis sui monitis salutaribus instituti, cum timore et tremore ad tam sanctum propositum se accingunt. Impleto abstinencie triduo, cum sol ad uesperum declinaret, prescripti fratres ad beati uiri sepulchrum in silencio et in spiritu humilitatis accedunt. Operi ergo cum ligonibus et aliis ferramentis insistunt, atque, ut ad pignora ueneranda pertingant, multiplici utuntur artificio : sed non habet conatus effectum. Tanti laboris frustratio desperationem posset inducere, nisi 'respexisset dominus in orationem humilium,' atque ad hesitantium confirmationem miraculose uisionis induxisset auspicium. Beati siquidem Guthlaci sanctitas, suorumque meritorum exigencia, postulabat ut corpus illius, qui lumen Anglie fuerat, celestis luminis reuelaretur indicio. Vnde et circa gallicinium excubantium in oratione oculos in modum

[1] He was abbot 1124–1138. [2] omnium crossed out.

fulguris choruscantis dimidia fere hora lux diuina prestrinxit, quantique meriti esset illius anima cuius reliquie querebantur, felici pronostico declarauit. Locum ergo eruderant, et compage lapidum qui sibi coheserant dissoluta: desiderabilem thesaurum inueniunt, et quasi deuote oblationis primicias, Christo graciarum actiones, atque uberes lacrimas exultationis impendunt. Tanta uero de sepulchro fragrancia egressa est, que omne genus aromatum siue florum, quadam ineffabili[1] suauitate transcenderet. In amplexus tumuli ruunt, et oscula crebrius iterantes, sui patroni deuotione accenduntur ardencius, nec sue satisfacere deuotioni sufficiunt. Vnus uero illorum egrediens, ad alios qui in monasterio laudibus intererant matutinis accelerat, atque inuentam esse margaritam quam querebant annunciat. Illi gracias altissimo referentes, ordinata processione cum cruce et cereis et multiplici thurificatione accedunt: deuotisque orationibus preoblatis, tumulum eleuant in sublime, atque humeros suos certatim oneri tam honorabili, tam felici supponunt. Sic usque ad altare beate uirginis Marie defertur: ibique in multa reuerencia collocatur, donec adeatur uenerabilis pater tunc temporis diocesanus episcopus Alexander[2], cuius presentia tam gloriose reuelationi[3] oportuna et necessaria uidebatur. Prefatus itaque abbas, ascitis sibi prudentioribus de conuentu, episcopum Alexandrum festinancius adit, causamque sui aduentus ei diligenter exponit. Episcopus autem, licet ipsum sollicitudo pastoralis in diuersa distraheret, ob uenerandi tamen graciam confessoris se facilem prebuit ad consensum: rebusque dispositis quas festinancior urgebat instancia, suum uersus Croilandiam maturauit accessum. Ea nocte celum caligo adeo tenebrosa obduxerat, ut nullius creature uiuentis oculus aliquo lune aut syderum beneficio iuuaretur. Dumque circa beati Guthlaci tumulum excubias celebrarent, monialis quedam Gumilda nomine, etatis maturitate et sanctitatis ueneranda merito, uigilias noctis anticipauerat ad confitendum domino: que dum orationi deuotius incubaret, apparuit ei globus igneus incomparabili fulgore choruscans, ab oriente uibratus ad tumulum beatissimi confessoris: dumque nox in tenebris cursum ageret, splendor ille nouum diem attulit, suique luminis beneficio dampna solaris absencie reparauit. Nec solum moniali, sed quampluribus aliis utriusque sexus lumen illud apparuit. Dominus enim, ne de corpore serui sui scrupulus alicui ambiguitatis obreperet, rei ueritatem et hominum fidem celesti testimonio roborauit. Erat ibi mulier in superficie pedum paciens aposthema, quod uulgariter dicitur iniquum, antrax uero uel carbunculus a medicis appellatur. Hec dum intollerabili torqueretur angustia, in monasterium delata est: que cum apud misericordiam dei beati Guthlaci patrocinium obnixis precibus imploraret, non est fraudata a desiderio suo. Statim enim ruptum est aposthema, et sanie profluente, pes est ad sui usum officii restitutus. Iam cum primoribus et prudencioribus prouincie uenerat in magno comitatu Alexander episcopus: emissoque pontificali edicto, illuc pariter ei occurrerant Walterus ramesensis, et Robertus[4] thorneiensis abbates, priores etiam

[1] MS. in ineff. [2] Alexander, Bishop of Lincoln, 1124-1148.
[3] = eleuatione. [4] Bull. Rodbis.

locorum adiacentium, clerusque et populus : qui in ecclesia beati Guthlaci, palliis et tapetis ornata sollempniter, in multa deuotione et reuerencia conuenerunt. Monachi et clerici albis induuntur, ornantur sericis ; sonant organa, campane pulsantur. Thimiamata, balsamum, luminaria vincunt diem. In illa sollempni exultatione beatum se reputat quisquis interiora conscientie sue aut hilaritate uultus, aut lacrimarum deuotione, aut aliis spiritualibus obsequiis representat. Inter omnia publice congratulationis officia qui plus ceteris obsequii aut deuotionis impendit, se parum reputat impendisse. Sic sacratissima illa pignora cum omni reuerencia deferuntur; sic eiusdem monasterii aduocatus, ad laudem et gloriam [dei] in eminentiore loco domus proprie collocatur. O felix Croilandia, et dum thesaurum inestimabiliter preciosum in sinu suo secrecius custodiuit, et dum domesticas opes et familiare gaudium in materiam publice sollempnitatis et communis leticie reuelatione celebri propalauit! Erat ibi homo Alwoldus nomine, in architectoria[1] doctus, sed percussus in emigranea passione miserabili : continua uertigine capitis, et importabili angustia torquebatur. Hic accedit ad episcopum et humiliter rogat ut scrinium in quo erat iam caput beati Guthlaci repositum, suo capiti superponat. Fauet episcopus : scrinioque uertici eius apposito, ita plene sanatus est, ut postea toto tempore uite sue continua incolumitate gauderet. Missarum itaque sollempniis ab episcopo celeberrime consummatis, reponunt uenerandum corpus beatissimi confessoris in nouo sarcophago, ab eodem presule benedicto, ad orientalem altaris plagam ; signantes lapidem ferro et plumbo, et ita munientes sepulchrum ligaturis ferreis, ut impreciabilis ille thesaurus machinamenta humane malicie non timeret. Gleba uero illius beatissimi corporis, quasi ager cui benedixit dominus, circumquaque redolenciam tante suauitatis effudit, ut ex ipsa incomparabili qualitate celestis fragrancie probaretur angelos illi sollempnitati presencialiter affuisse sanctumque locum et totam ecclesiam deliciarum odoribus perfudisse. Robertus autem de Grandineto[2], uir illustris et religionis amator, conductis artificibus fecit ad honorem dei et beatissimi confessoris ligneam cooperiri capsulam laminis argenteis deauratis, eamque eleganti sculptura et gemmarum uarietate distingui. Hec super tumulum beati Guthlaci in sullime suspensa est, ut qui ingrediuntur, lumen uideant, et glorificent patrem qui in celis est, qui sic uiuificauit sanctum suum ut qui beneficia sancti confessoris implorant humiliter, sue optineant postulationis effectum. Hic enim surdi, ceci, muti, paralitici, et precipue demoniaci, uel quorumlibet morborum pestilenciis laborantes, in libro iugis experiencie legunt quam promtus sit beatus Guthlacus ad exauditionem, quam mirabilis, quam potens ad suffragia, quam efficax ad salutem. Facta autem est beati Guthlaci translatio anno ab eiusdem transitu quadringentesimo vicesimo, anno ab incarnatione domini millesimo centesimo tricesimo sexto, anno tercio (!) regni Stephani regis Anglie, decimo kalendas septembris, die lune. Hec uero reuelatio sanctissimi confessoris annua reuolutione celebri et noua sollempnitate

[1] r. architectura. [2] Boll. Guârdineto.

colenda est, ad laudem et gloriam illius qui in sanctis suis mirabilis et gloriosus est: cui sit honor et graciarum actio, in secula seculorum. Amen.

INstat nobis cuiusdam miraculi oportuna relacio; illud enim, et quedam alia, sine nota inuidie non possem dissimulare silencio. Beate recordationis Ingulfus eiusdem monasterii abbas[1], totus orationi et meditationi uacare decreuerat, vnique de fratribus suis curam domus in exterioribus, atque peregrinorum et pauperum sustentationem commiserat. Porro sic in domo illa defecerunt uictualia omnia vna die, ut non haberet ille dispensator ad manum quid uel pauperibus posset uel suis fratribus erogare. Loci autem illius paludes ita frigore glaciali rigor hyemalis astrinxerat, ut nulli nauigio locus esset, omnemque facultatem ingrediendi uel egrediendi insula, uorago palustris in superficie congelata precluderet. Procurator itaque, quanta et quam inopina penuria laborarent indicauit abbati: qui omni diffidencia relegata, cogitatum suum iactauit in eum qui celesti pane pauit populum Israel in deserto. 'Confidite, inquit, fratres; non enim derelinquet dominus sperantes in se. Ipse est qui dicit: 'Petite et accipietis,' et 'quicquid pecieritis patrem in nomine meo, fiet uobis': ipse necessaria ministrabit. Non est regnum dei esca et potus, sed gracia et pax in spiritu sancto; nec nos quid manducemus aut quid bibamus, cogitare oportet. Scit enim pater noster quia hiis omnibus indigemus. Primum autem querendum est regnum dei, et hec omnia adicientur nobis.' Profectus itaque in ecclesiam ad memoriam beati Guthlaci, ibi 'animam suam quasi aquam in oratione deuotus effudit,' fratribus etiam suis precibus humiliter insistentibus. Completa oratione, surrexit atque sermonibus consolatoriis fratrum mesticiam releuauit. Expletis autem nocte illa laudibus matutinis, cum adhuc in oratorio psallentes et orantes deo pensum debite seruitutis offerrent, angeli uox ab alto audita est in celle confinio proclamantis: 'Venite, deferte monachis cibum, parate fratribus ad uescendum.' Hiis auditis, abbas in eam partem qua uox audita fuerat, celerarium quosdamque alios mittit. Qui dum per locorum asperitatem illuc ueniunt, duos saccos frumento, et duos farina plenos inueniunt. Admirantur dei misericordiam et beati Guthlaci suffragium, suique abbatis merita pensantes, non sufficiunt tantum capere gaudium, nec dubitant angelos affuisse. Rigor enim temporis, et incommoditas loci, nullum hominis admittebat accessum. Quinta feria erat quando seruos suos dominus ita magnifice et munifice uisitauit. Vnde et Ingulfus abbas instituit ut ad honorem dei et beati Guthlaci singulis septimanis quinta feria ceteris diebus celebrior habeatur.

PRocessu temporis Hulfketellus abbas[2] curam eiusdem monasterii acceperat, qui uidens quod orationi et lectioni pro uoto suo uacare non posset—exercitium enim spiritualis milicie, et quietem contemplationis, exterior rerum administratio molestabat—cuidam prediuiti, Asfordo nomine, predia ecclesie sub annua pensione tenenda commisit. Huius

[1] Ingulfus was abbot 1076–1109. [2] Hulfketellus was abbot 1052–1075.

occasione contractus, erat adhuc tempore abbatis Ingulfi, qui Hulfketello successit, quidam ecclesie fundus in manu Asfordi, qui quod emphiteotica seu firmaria lege ad tempus acceperat, se tamquam hereditarium possidere dicebat. Causa igitur inter abbatem predium ecclesie sue reuocare nitentem, et Asfordum, coram Magnatibus regni diutissime uentilata, tandem prefixus est utrique parti dies peremptorius, in quo si essent in terris iudices qui deum timerent, monachorum iusticia in iudicium uerteretur. Porro Asfordus ita iudicum mentes turpi uenalitate corruperat, ut quamuis de iure suo plene diffideret, de optinendo tamen meliore calculo sentencie plenam in suis muneribus fiduciam reportaret. Verumptamen 'non est consilium, non est sapiencia contra dominum.' Dum enim Asfordus ex cursu multiplici sue fraudis machinamenta procurat: simplicitati et innocencie monachorum uirtus diuina prospiciens, de equo persecutorem precipitat. Ille autem collisis membris spiritum, cupiditate et auaricia estuantem, intestatus exalat. 'Zelus domini exercituum fecit hoc.' In hiis autem non est auersus furor domini, sed adhuc manus eius extenta: nam dum mortui cadauer ad burgense monasterium deferretur, contigit ut funeris portitores transitum facerent iuxta pratum quod in controuersia fuerat: et ibidem mortuus de feretro cecidit, totumque cadauer in frusta diuisit. Quod circumstantium turba parentum et amicorum conspiciens, festinancius currens ad pedes abbatis procidit, et consilio atque assensu magnatum fundum super quo litigium uersabatur, monasterio sancti Guthlaci iure perpetuo resignauit.

MOnachus quidam Spaldingensis monasterii procurator, occasione cuiusdam fundi monachos sancti Guthlaci de Croilandia diu proterue inquietauerat, et iniuste afflixerat. Cumque ad pacis reformationem multi magni et prudentes uiri de locis adiacentibus conuenissent, procurator potius de sua mentis astucia et lingue procacitate, quam de sua equitate confidens, contumaciter omnia concordie uerba respuit, cunctisque rogantibus que ad pacem erant, ipse in superbia et abusione recessit. Sane dum furia inuectus, toto pectore malicie sue uirus efflaret, a domino percussus est: et ceperunt oculi eius subito cecutire, atque maiore oculis eius caligine irruente, antequam ad suum peruenirent monasterium, oculos eius caligo densior, et omnino peremptoria uisus, tenebrosior nox obduxit. Visu igitur oculorum prorsus amisso, dedit ei tandem uexatio intellectum, et disciplina scienciam: et ad se reuersus, comperit, quod 'non erat rectum cum deo cor eius,' sed 'in felle amaritudinis et obligatione iniquitatis,' suorum persequebatur innocenciam proximorum. Penitencie ergo et contritionis affectum multa lacrimarum ubertate professus, in insulam Croilandie fecit se nauigio transuehi; et uotiua cerei oblatione premissa, ante beati Guthlaci sepulchrum in orationem se diutissime proiecit. Surgens autem ab oratione et coram fratribus loci publice se accusans, singulorum etiam pedibus se aduoluens, summa cepit humilitate sanctorum suffragia implorare, obnixe promittens quod beatum Guthlacum de cetero nunquam offenderet, nec in eius preiudicium aut suorum, quicquam de cetero attemptaret. Fratribus

itaque monasterii pro eo instanter et deuote orantibus, meritis piissimi confessoris oculis eius uisus pleniore luce refunditur. Ipseque ad monasterium suum cum multa exultatione et graciarum actione regreditur.

IN villa que dicitur Caua, plebeius quidam homo de sue paupertatis exilitate diu nutriuerat et impinguauerat porcum, ut ipsum uenderet ac de precio eius suas indigencias releuaret. Eiusdem autem uille prepositus, homo improbe et peruerse mentis, in porcum pauperis oculos cupiditatis iniecit, suis eum uolens usibus delicatis et superfluis applicare, quem pauper suis necessitatibus deputarat. Porcum igitur noctu de casula sua clamdestina surreptione adduxit[1], ipsumque inter duos eminentes segetum cumulos, quos uulgariter 'meias' appellant, latenter abscondit. Die crastina pauper de sui porci amissione sollicitus, prepositum, quem pre omnibus suspectum habebat, adiit: suumque dampnum lacrimabiliter exponens, et misericordiam petens, nichil ab eo nisi contumelias reportauit. Decreuit itaque homo ille ad beati Guthlaci suffragia conuolare, quem multa deuotione amabat ipsumque annuatim uotiuis muneribus honorabat. Ex uehementi ergo et ualida presumptione conciens quod maliciose suem illius prepositus occultasset, atque furtum inficiando insuper ei uerborum iniurias irrogasset, rogauit beatum Guthlacum ut suam respiceret afflictionem, atque apud illum 'qui in celis habitat et humilia respicit,' qui 'liberat pauperem a potente, et pauperem cui non erat adiutor,' de illato sibi dampno et iniuria expeteret ultionem. Vix orationem compleuerat: et ecce horrea, que inter magnos aggeres segetum porcum teneba[n]t absconditum, subito corripiuntur incendio, ita ut domus prorsus euanesceret in cinerem et fauillam. Porcus autem ita illesus inuentus est, ut nec vnicum eius pilum flamme uoracitas attigisset.

ANno duodecimo regis Stephani Reginaldus de Cornubia strenuissimus miles, socius Comitis Gandensis, adeo efferata rabie seuiebat, ut socios dentibus et unguibus appeteret: ita ut etiam in mortem nepotis sui, qui ei familiarius assidebat, frequenter illum demencia excitaret. Hic ad ecclesiam beati Guthlaci aduectus est: cui cum quedam crux processionalis ad osculandum et adorandum offerretur, eandem dissoluisset in frusta, nisi de manibus eius tempestiuius raperetur[2]. Dum autem euangelium legeretur, prefatus miles subito in hec uerba prorumpit: 'Deo gracias; tibi gracias ago, deus.' Cumque aliquantulum quieuisset, sue menti plenissime restitutus, reuertens ad propria se sanctorum fratrum precibus humiliter commendauit.

IN uilla que dicitur Coueham, preerat eiusdem loci ecclesie sacerdos quidam conuersationis honeste. Iste quadam speciali affectione beatum Guthlacum iugi memoria recolebat, vnde ad honorem ipsius basilicam mirabili artificio construens, usque ad positionem tecti edificium consummarat. Porro quia prouincia illa exuberat quidem frugibus, sed lignorum materia non habundat: conducta naue Vmbrum fluuium transiit, nauemque lignis, incepto edificio competentibus, onerauit. Cum

[1] r. abduxit. [2] Here ends the text in Boll., the rest being lost.

ergo uela uento, et uitam periculo commisissent, procellosa inundatione fluuium[1] seuiente nauis fracta et aquis repleta est: mortisque certissimo discrimine imminente, sacerdos ad orationum suffragia festinauit, tota cordis affectione beatum Guthlacum inuocans et exorans, ut quem semper habuerat patronum in terris, eum nunc auxiliatorem experiretur in aquis. Exaudita est oratio sacerdotis, tempestas in auram conuersa est, quidam uero super struem lignorum, quídam natando se in ripa fluminis receperunt; nec de lignis quicquam periit. Sed omnibus ad locum editicii comportatis, et ecclesia consummata, fecit eam dedicari ad honorem et gloriam saluatoris.

ANno duodecimo regis Stephani celestis indignatio, peccatis hominum exigentibus, monasterium sancti Guthlaci cum ornamentis eius et utensilibus, cum officinis etiam eiusdem, dederat in combustionem et cibum ignis: ita ut non haberent fratres monasterii ubi capita sua reclinarent. Vrgente ergo necessitate, duo de monachis cum reliquiis beati Guthlaci missi sunt ut in adiacentibus prouinciis populos ad opera misericordie et ad reparationem monasterii, deuotis exhortationibus inuitarent. Dunelmum uenerant, et quia beati Cuthberti gloriosi confessoris ecclesia cathedralis ingressus mulierum aut monachorum cadauera non admittit, propter confluenciam multitudinis utriusque sexus diuertunt fratres ad ecclesiam beati Nicholai, ut ibi reliquiarum pignora reponerent, atque circa tanti thesauri custodiam alternis uicibus excubarent. Introducuntur uariis languoribus laborantes: inter quos puella quedam, nobilis cuiusdam filia, multorum manibus inuecta est, omnium membrorum suorum officio destituta. Decem et octo septimanas in ea consummauerat assultus suos illius infirmitas, nec ullum ei afferebat solacium uel parentum deuota oratio uel diligencia medicorum. Verumptamen postquam se beati Guthlaci meritis supplicatione humili commendauit, precibusque singultuosis eius implorauit suffragia, omnia membra eius sanitatem adepta plenissimam, suis sunt officiis restituta. Exultat puella, et coexultat populus, et in tota ciuitate ad laudem et gloriam Christi, sui confessoris memoria exaltatur.

APud Rameseyam, ubi monasterium beati Benedicti regularis obseruancie rigor, mutua fratrum caritas, et publice hospitalitatis exhibitio opinione nominatissimum reddiderunt, duo energumini maligno spiritu uexabantur. Hii ad beatum Guthlacum, cui in Christi uirtute subiciuntur spiritus, sunt adducti, et per eum qui neminem uult perire sanitatis sue graciam assequuti.

ERat apud Bedefordiam matrona nomine Guymarca, vxor Walteri diuitis cuiusdam, pulchra specie sed speciosior honestate. Hec in amenciam uersa est: ut peplum sui capitis discerperet, ut se et alios vnguibus laniaret ac dentibus, nisi sub artiore custodia seruaretur. Vir ergo illius, gloriosis beati Guthlaci miraculis quibus personabat regio excitatus, eam illuc deferre uehiculo destinabat. Accedens autem Iudeus quidam

[1] r. fluuio?

promittebat se opem illius uxori: sed uir magne fidei respondebat absurdum esse in quolibet Christiano, sui curam corporis infideli committere. Sane beati Guthlaci experiri disponebat auxilium, apud quem fidelium deuotio [1] plenum et indubitabilem sortiebatur effectum. Suam itaque coniugem illuc duxit: que in primis uehementius solito uexata est, ita ut qui cum ea uenerant prorsus de eius conualescencia desperarent. Verumptamen 'dominus sanctum suum mirificauit': et ne fidelis ille suo desiderio fraudaretur, uxor illius compos sue mentis effecta, deo gracias retulit, et in beato Guthlaco magnificans deum, sana et incolumis remeauit ad propria.

IN villa de Stocha, quidam medie manus inter conuicaneos suos honeste conuersationis pro suo modulo precipuus habebatur. Huius oculi ceperant caligare; qui tandem tenebras profundissime cecitatis incurrens, et dolore nimio intabescens, a mente alienatus est. Cumque vxorem et filios ac semetipsum efferate seuicie morsu appeteret, Croilandiam vinctus aduehitur, ac beato Guthlaco ab amicis et parentibus presentatur. Inclamabant et inclamando monebant ut inuocaret nomen domini Iesu Christi, et beati Guthlaci suffragia imploraret. Ille uero non solum corporalibus, sed periculosius racionis oculis destitutus, respondebat se omnino nescire Christum; se penitus ignorare Guthlacum. O quam magna multitudo dulcedinis tue, deus: nam ad tui merita confessoris, et ad eorum instanciam qui deuote pro misero supplicabant, ei corporis et cordis oculos restituis, ipsumque ad domum suam in plena corporis sanitate, et uere fidei confessione reducis. Si linguis loquerer angelorum, non sufficerem explanare magnalia dei, que per famulum suum iugiter operatur; nec omnia possunt scribi in libro hoc. Sed legatur potius cotidiane experiencie liber, et oculata fides docebit ad plenum, quantum magnificauerit dominus sanctum suum; quanta fuerit in eo preminencia sanctitatis et efficacia meritorum, ad laudem domini et saluatoris nostri Iesu Christi, cui sit honor et gloria in secula seculorum. AMEN.

3. Incipit inuentio cum translatione sancti Ragenerii militis et martiris, consanguinei sancti Eadmundi regis et martiris [2].

TEmporibus deo dilecti Regis Anglorum Edwardi filii Ethelredi regis erat quidam uenerabilis uite sacerdos Bruningus nomine apud Northamtonam. Qui inter multas quas intra prouinciam regebat ecclesias, etiam ecclesie beati Petri apostoli que in eadem urbe sita est prefuit. Erat namque presbiter iste dives ualde multisque possessionibus clarus, dapsilis quoque liberaliter et largitate tam celebris ut omnes facultates eius in usus pauperum et egenorum, transeuncium quoque hospitum et maxime peregrinorum, iugiter et hilariter expendere delectaretur, iuxta illud sapientis: 'Hilarem enim datorem diligit deus.' Cum igitur in tantum pietatis operibus insisteret ut et apud deum acceptus et apud homines clarus et

[1] MS. deuota. [2] Nothing is known elsewhere of this St. Ragener.

insignis haberetur: uisum est spiritui sancto tempus illius et templum prefatum sancti Petri, cui speciali cura preerat, celestibus illustrare miraculis, et beatissimi Ragenarii martiris reliquias, qui in eiusdem ecclesie pauimento humatus iacebat, multis reuelare mortalibus. Quod qualiter factum sit, sequens sermo declarabit. Predictus itaque presbiter inter quamplurimos seruos suos vnum habebat Norweganum genere, mire simplicitatis et pacientie uirum. Huic uenit aliquando in mentem ut orandi gracia pergeret Romam, et sanctum Petrum requireret, quem speciali deuotione propria et natiua lingua suum 'drotinum,' id est dominum, uocabat. Petiuit ergo a domino suo licenciam eundi; set quia necessarius et utilis ei erat, quod petebat impetrare non poterat. Plures quoque, qui eum nouerant, nimiam eius simplicitatem irridebant, et illius petitionem ex quadam stolida rusticitate, quam ex discreta deuotione descendere dicebant. Inter hec perstat ille in precibus, et se nullo modo remanere posse constantissime testabatur. Tandem dominus eius, communicato cum amicis consilio, annuit eidem quod petebat. Accepta igitur licencia, letus arripit iter, et cum omni alacritate properat. Iam uero confectis aliquot in itinere diebus: quadam nocte quiescenti astitit ei per uisionem quedam uenerabilis persona, hortans eum et sedulo monens ut absque omni dilatione domum redeat; dicens quod ibi dominum suum quem querere uolebat absque ulla cunctatione reperturus esset. Qui si redire nollet, sciret sibi peregrinationem illam prosperam non esse futuram. Euigilans autem et uisionem mente reuoluens, nichilominus cepto itinere pergebat. Sequenti quoque nocte repetita uisione, seuerius ut rediret, ammonitus est; et nec sic quidem adquiescere uoluit, desiderii uidelicet magnitudine victus. Tunc deinde paucis interpositis diebus cum se sopori dedisset, astat eadem uenerabilis persona que prius illi apparuerat, arguens et multum increpans eum quare prioribus uisionibus incredulus et inobediens extitisset; addiditque quia nisi iam maturius ad dominum suum redeat, grauissima mox pena plectendus fuisset. Mox igitur a sompno surgens et tam minacibus uerbis quam celesti uisione perterritus: nichil amplius hesitans ad[1] dominum suum redire properauit. Cum autem reuersus fuisset, tam dominus eius quam cuncti qui prius eum nouerant et illius peregrinationem stulticie deputauerant, iam multo certius eum stultum esse credebant et dicebant, illudentes ei quod tam insipienter accepta peregrinatione rediisset. Quesitus tamen quare sic redire uoluerit, ille modum et ordinem trium uisionum exponit, in eodem loco se procul dubio 'drotinum' reperturum asserit. Quibus auditis, mirabantur omnes et dicebant ad inuicem: 'Quidnam hoc uult esse?' Porro dominus eius, fidem illius et uerba[2] considerans, seruitutis illum iugo absoluit et liberum omnimodo fecit. Potitus ergo libertate, continuo se beati Petri apostoli seruicio mancipauit et non discedebat de supradicta ecclesia eius, ieiuniis et obsecrationibus seruiens nocte ac die. Petebat autem et intente orabat ut deus omnipotens, sicut ei per uisum promissum fuerat, 'drotinum' suum ostendere dignaretur. Itaque exacto circiter anno et dimidio: dum in eadem ecclesia completis solitis precibus,

[1] MS. a. [2] MS. uerbera.

tempore nocturno quiesceret, astat ei per uisum celestis illa et clara luce prefulgens persona quam in superioribus uisionibus uiderat, dicens: 'Surge, sequere me, et ostendam tibi ubi desiderium tuum implebitur.' Et ut sibi uidebatur, surgens sequebatur eum donec ueniret ad locum ubi beati martiris corpus sub pauimento quiescebat. Dicit ergo ei: 'Ecce, hic quiescit amicus dei dilectus: dic itaque domino tuo Bruningo presbitero quia in isto loco inueniet eum.' Facto igitur mane, domino suo prefato nunciat que uidisset uel audisset. Hiis auditis, herebat ille stupens; tandem uero resumptis fidei et spei uiribus, intendit animo que dicebantur experiri. Acceptoque sarculo intrat ecclesiam, et facta oracione cepit fodere in loco illo ubi predicto uiro fuerat demonstratum. Iamque vix semipedis spacio in altum foderat, cum ecce quoddam inibi reperit sepulchrum. Miratur et gaudet, totamque terram que superficiem illius obtexerat abradit et undique mundat, vt cunctis cernere uolentibus perspicuum esse potuisset. Audit ergo populus, accurrit uniuersus; propalatur fama de reuelatione, probatur uera de tumuli inuentione; et quamuis lateret adhuc omnes quis ille esset, cuius meriti, uel quo nomine censeretur qui in eodem loco iaceret conditus, hoc tamen certum habebant quod ille uere dei amicus, uerus, iustus et sanctus esset, de quo tales et tante precessissent uisiones, et tam perspicua ueritate subsequente claruissent. Quid multa? Remansit itaque sepulchrum per dies aliquot intectum cum ammiratione multorum ad uidendum diatim confluencium. Presbiter uenerabilis, animo estuans quid agat quo magis gloria dei et illius sancti uirtus enitesceret, tale quiddam diuino ut postea claruit instinctu, molitur. Erat in eadem urbe puella quedam Alfgiua nomine, Abendonie nata, que neruis in poplite contractis a natiuitate, cogente penuria cubitis et genibus reptando potius quam incedendo uictum sibi cotidianum hostiatim mendicabat. Hanc ergo superueniente sabbato sancto pasche prefatus sacerdos, peractis in ecclesia diuinis obsequiis, in foro reptantem inuenit: eam ad domum suam adduxit, et appositis alimentis refecit; deinde illam seorsum aduocat, instruit, hortatur et monet ut si uelit sanitate potiri, facta prius coram deo et sanctis eius de omnibus peccatis suis confessione, noctem instantem dominice resurrectionis in ecclesia coram sepulchro sancti uigilando et orando transigeret; peteret autem a deo et postularet, in fide nichil hesitans, ut eius deus misere[re]tur et pro amore sancti illius qui in eodem tumulo conditus erat salutem ei largiretur, vt in eius sanitate cunctis innotesceret quam iustus et quam sanctus et quam uere deo dilectus existeret cuius in eodem loco sepulchrum monstrabatur. Hiis auditis, illa gracias agit, et cuncta que illam sacerdos [h]ortatus erat facere, deuotissime studuit adimplere. Igitur ubi adueniente uespera tempus quietis appropinquauit, sacerdos cum clericis suis, clausis solito more hostiis ecclesie, propriis succedunt tectis, predicta puella interius iuxta sancti sepulchrum relicta. Que cum deuote precibus assiduis insisteret et a deo sanitatis graciam, ut fuerat edocta, postularet. subito intempeste noctis silencio, deo miserante qui sanctos suos mirificat, uidet illa totam ecclesiam celesti fulgore illustrari, columbam quoque niuei coloris per ecclesiam huc illucque uolitare et tandem in

baptisterium sese inmergere ac inde alacriter ad se properantem, tam ipsam quam martiris sepulchrum plausu alarum suarum illo rore aspergere. Tunc illa confestim exurgens erexit se et stetit, et consolidate sunt bases eius et plante, et ambulabat recte, quod eatenus a natiuitate non fecerat. Mirandis miranda succedunt. Duo ecclesie signa eminus infra ipsam ecclesiam pendencia, que adhuc hodieque ibidem dicuntur haberi, ita concorditer ad inuicem diuina uirtute sonabant quasi periti cuiu[s]libet manibus traherentur. Quorum intempestiuo sonitu perturbatus presbiter et sui clerici, perterritus etiam populus urbis, exiliunt stratis, accurrunt omnes, uidere cupientes quidnam fuerit quod acciderit[1]. Iamque respicientes ad ecclesiam: uident per fenestras eam totam interius inflammari et celesti lumine uehementer illustrari. Tunc multo magis territi et obstupefacti, uelociter properant, currunt et irruunt, et sine mora foribus reseratis intro respiciunt. Vident itaque puellam quam ibi contractam reliquerant, iam erectam et sanam stantem, pellicem quoque illius iam ad poplices uix attingentem que duorum fere spacio pedum post illam trahi solebat dum adhuc solo tenus incurua reptare solita erat. Pauent ergo nimis et stupent uniuersi, tanta et tam insolita dei magnalia suis oculis cernentes, que nisi ipsi uidissent, ab aliis dicta uix credere potuissent; et inquirunt ab ea diligenter quemadmodum gestum sit. Quibus illa gaudens atque exultans omnem rei ordinem sicut superius scriptum est seriatim exponit. Gaudent igitur uniuersi et deum iunctis uocibus collaudant, quia ipse est potens in celo et in terra, quique solus facit mirabilia. Talibus igitur indiciis uenerabilis sacerdos uoti sui compos effectus: estuabat adhuc nimio desiderio cordis sanctum aperire sepulchrum et uidere thesaurum illum incomparabilem qui in eo clausus tenebatur. Sed sciens et recolens se esse peccatorem, et quia in multis offendimus omnes, non presumebat manum mittere in christum domini nisi prius faciem domini placasset. Indicit itaque triduanum populo ieiunium, quod et ipse cum presbiteris qui eum in opere illo adiuuare debebant, ceteris artius in pane et aqua obseruare curauit. Tandem expleto ieiunio sacerdos cum suis consacerdotibus sumpta maiore fiducia, et de dei presumens misericordia, accedit ad sarcofagum cum metu et reuerencia. Aderat autem et infinita turba debilium et infirmorum et diuerso genere languencium, quos[2] eo fama supradicti miraculi, et recuperande spes salutis, vndecunque perduxerat. Denique sepulchrum sancti aperitur, et martiris ueneranda ossa cernuntur; scriptura quoque iuxta posita inuenitur, que diceret ipsum esse Ragenerium sanctum martirem Christi; nepotem etiam sanctissimi regis et martiris Eadmundi fuisse, et ab eisdem persecutoribus a quibus ille passus est, pro Christi fide crudeliter occisum occubuisse. Aperto uero sacerdotum manibus sepulchro, mox tante uirtutis copia diuinitus super egrotos emanauit, ut omnes qui diuersis languoribus pregrauati conuenerant, astante populo sanarentur a quacunque detinebantur infirmitate. Que uidens clerus et populus, ingentem omnes tulerunt clamorem ad sydera; signa quoque pulsantur et sonant ethera; diuina declarantur magnalia, et in laudem

[1] MS. accederit. [2] MS. quod.

Christi uoces tonant per nubila. Edwardus rex ipse et regum iustissimus, tanta uirtutum celestium nouitate permotus, locum illum multipliciter honorauit, et diuersis oblationibus ditauit. Ita gaudente terra, resultante polo, fit cleri et plebis concursus maior, diuersa martiri offeruntur donaria, auri argentique necnon et aliarum specierum ingentes cumuli congeruntur; gestorum fama fines regni penetrat, et per totum corpus anglici orbis de noua inuentione martiris suauis odor Christi diffunditur. Denique non solum de locis ei contiguis, sed et de remotis Anglie partibus omni anno circa festum apostolorum Petri et Pauli languidi, moribundi et debiles innumeri carris impositi ad locum martiris adducebantur, et mox sani atque incolumes reddebantur: Quia, largiente Christo, 'uirtus de illo exibat, et sanabat omnes.' Aelfgiua quoque illa quam primitus ad tumbam sancti prediximus fuisse curatam, post aliquantum temporis robusta corpore et nobilis effecta est matrona: assumptoque religionis habitu in eodem loco uirgo permansit, in sancta conuersatione consenuit, et usque ad decrepitam etatem uixit. Tante uero sanctitatis et apud ipsas populares bone opinionis erat, ut etiam uulgo 'sancta nonna' uocaretur. Tandem ergo, iussu gloriosi regis, ex maxima illa oblationum copia factum est feretrum quoddam magnum et pulchrum ualde de auro et argento et lapidibus preciosis, in quo sacri martiris cum magna reuerencia diligenter et honorifice reliquie collocate sunt, Regnante domino nostro Iesu Christo cum patre et spiritu sancto, in secula seculorum, Amen. || Passus est autem sanctissimus deoque acceptus Eadmundus rex anno dominice incarnationis octinge[nte]simo septuagesimo, quando etiam Ragenerius sanctus supradictus, nepos eius, martir Christi preciosus passus esse conicitur. Septimo deinde anno Inguar persecutor eius, cum alio rege pagano occisus est. Porro Rex iustus Edwardus, cuius temporibus reuelatio facta est, obiit anno Christi millesimo sexagesimo sexto.

Explicit inuentio sancti Ragenerii militis et martiris.

FINIS.

Date Due

AUG 15
JUL 3 0 1947
AUG 1 2 1947

6324

DOMINICAN COLLEGE LIBRARY
BX4659.G7 N6 1901 v.2
Nova legenda/Nova legenda Anglie
3 3645 00060706 2

Dominican Col

BX4659.G7 N68 1901
vol.2
Nova legenda Anglie

Dominican College Library
San Rafael, California